Mortii
Chemia







JACOBI LE MORTII,
M. D. P. E. C.

CHYMIÆ VERÆ
NOBILITAS & UTILITAS,

IN

PHYSICA CORPUSCULARI,

THEORIA MEDICA,

EJUSQUE

MATERIA ET SIGNIS,

Ad majorem perfectionem deducendis.

Comprehendens opera ejus omnia, hucusque typis commissa.

Quibus seorsim excusa Collectanea, Maetsiana & Marcgraviana, Bibliopolæ subjunxerunt.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { CORNELIUM BOUTESTEYN, FREDERICUM HAARING, } 1696.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Nobilissimis, Illustrissimis Amplissimisque Viris

Academiæ Lugduno-Batavæ

CURATORIBUS

A C

Hujus celeberrimæ Urbis Consulibus

N E C N O N


Gravissimo, Prudentissimoque Viro

Qui iis est à Secretis.

Opus hoc, se, suaque omnia
sacra facit, vovet, devovet

J. LE MORTIUS.

Viri Amplißimi.



Anus Douſa, hujus Reipublicæ, Academiæ & Urbis Nobiliſſimus, ſtrenuiſſimus feliciſſimus defenſor, inſtaurator, Curator, amica invitatione, poetica, cujuſvis ordinis Doctiores Viros compellans, in hæc tempora vaticinari viſus eſt, ubi Theophraſtum Paracelſum, magnum inter alios Chymicorum Patronum, ita alloquitur,

Tu quoque ades noſtro non inficiande Lycæo,
Nec Medicus, verum magnus Apollo mihi.

Miſera enim & abjecta chymiæ facies, illo tempore vix ullam emergendi ſpem ſuis cultoribus ubique proſcriptis pollicebatur, donec tandem, medio hoc ævo, fulgorem eximium ex fumo, orbi literato offerre inceperit, meliores partes nacta. Ut rerum ſunt viciſſitudines, ſic & artium, Hermetica enim hæc doctrina antiquitus divino honore habita, vi-

leſcere

lescere pro tempore coacta, nunc ad nubes caput extollere videtur, ab omnibus desiderata, à plurimis exculta, in quavis terrarum plaga celebrata. Opprobrium medicum hujus Artis auxilio sublatum, unusquisque confiteri cogitur, ubi leviter tantum ad experimentorum numerum deflectit ingenii aciem, circa alterationes insignes corporum, eorundemque mirifica per motus & miscelas phænomena, medicam scientiam multis modis nobilitantia, illustrantia, stabilientia. Tubalcain, Vulcani nomine venerandæ antiquitati clarius, fundamenta ejus prima jacuisse videtur; postmodum inter Ægyptiorum cimeliarcha, divinæ gemmæ adinstar recondita, principum Virorum curæ commissa fuit. Tandem hæc, omni sapientiæ genere fæcunda ætate, præstantioribus Medicinam veram excolentibus ingeniis cordi esse cepit, in humorum exquisita cognitione adipiscenda; ita ut magis clara & distincta hæc Ars, morbos, morborum causas & symptomata dilucidius investiganda & debellanda offerat.

Rebus non verbis prosequenda Chymia, ut clavem fluctuantis Naturæ exhibeat, alterumque sapientiæ medicæ fulcrum solidum constituat, (unum etenim in scopum collimant Anatomia & Chymia) sumptus immensos requirit. Hinc plerosque deterruerunt sedulos antiqui, allegoriis forsan nimis de-

diti, Palladis natalitia è Jovis cerebro, Vulcani adamantina ſecuri armati ope divulgantes. Quid enim aliud ſibi voluerunt, niſi ſapientiam omnium rerum naturalium, motu igneo ſeſe exercentium, maximo labore & opibus non modicis poſſe obtineri? Per Vulcanum igitur Palladis conſpectum obtineri, veneranda cenſuit Antiquitas, honore ſummo Chymicas inveſtigationes colens.

Spartam hanc mihi ab A. A. V. V. commiſſam, per aliquot annos in Palladio veſtro famigeratiſſimo excolui, quantum potui exornavi, ſedula manu tractavi, graves corporum luſus auditoribus meis propoſui, tandem arcana Naturæ myſteria novo-antiqua protuli. Succeſſum meorum laborum V. V. A. A. relinquens, hæc compendioſe exarata, modeſto calamo conſcripta, plurimis experientiis propriis manibus comprobata, ſumptibus non mediocribus per multos annos comparata, Veſtra facio. In his ſi placuero, ad magis ardua proſequenda & revelanda ſtimulum egregium addet favor

V. V. A. A.

Dabam in Muſæo ipſis Februarii Calendis.

Humillimo cultori

J. LE MORTIO.

LE-

LECTORI BENEVOLO

Sanam mentem in corpore sano precatur

J. LE MORTIUS.

Experientiæ laudes stricto calamo velle defendere, idem est ac tempus inutiliter consumere. Effecta enim suspicienda, scientiarum augmentum, artium progressus, inventa innumera, pro ipsa militantur. Errores detecti, veritates acquisitæ, dubia revelata, ubivis ipsius vices agunt. Ratio divina, illius auxilio confirmata, gressus nostros figit, eam claram & distinctam in omnibus circumstantiis efficiendo. Illius lanx nullibi claudicans, nostra ratiocinia præponderat, alias per mundanorum corporum tramitem infirmo talo incedentibus, ipsa enim Natura est lusus experimentalis vario conatu varias scenas adornans. Sed cui admiranda rerum phœnomena omnia rite prosequi concederetur, Chymia destituto? Profecto vulgarem Chymiam tractandi methodum, hic non intelligendam omnia indicia coarguunt, quoniam hi lucro inhiantes imposturæ dediti, alii partem tantum aliquam sibi eligunt perscrutantandam, illi pharmaceuticum opus inde faciunt, isti alchymiæ intenti montes sibi pollicentur aureos, &c. pauci vero sapientiæ indulgentes conspiciuntur. Hinc Chymia despectui habita, aliquo tempore latuit, donec defectus & plurima dubia imo falsa reperta, tam in Philosophia naturali quam in Medicina, illius sacrarium inire, ibidemque absconditas veritates detegere coegerunt Viros cordatos, ultra vulgus sentientes. Chymia enim tota quanta est physica, id est, scientia corporum naturalium, mobili exercitio actiones multifarias edentium. Hæc autem quantæ sit in Medicina utilitatis noverunt ii, quos experimenta com-

comperta beant, felices in rerum causis distinctius rimandis, examinandis, intelligendis. Quicquid enim industriæ ac doctrinæ medicæ, per tot secula accessit, nihili æstimandum est præ inventis Anatomicis ac Chymicis, unice hujus artis nobilitationi incumbentibus, quod testantur experimenta innumera paucis abhinc annis prolata. Mutationes corporei status in nostra machina, æque ac in omnibus aliis, hujus ope revelatæ, notitiam præbent insignem excellentiæ talis artis, circa colores, odores, sapores, fluiditatem, soliditatem, &c. Imo ipsa chymia, fluitantium particularum visibilem statum exhibens, omnigenas videtur ex ignorantiæ orco protrudere & solvere difficultates, absque hac plane occultandas & admirandas.

Ideam exhibeo succinctam eorum, quæ in naturali statu corporum occurrunt; ut pedetentim assuefiat L. B. hisce demonstrationibus, à vulgaribus medicis institutionibus deflectentibus. Chymicis etiam auctoribus haud multum faveo, nam magis facere quam scribere & dicere consuetis condonandum aliquando est, si experimenta vera figmentis propriis ornent, ad rem minus facientibus, sed non concedenda illis falsa aut admodum dubia. De acido & alcali, vix ullus mihi sermo, decantatissimæ enim hæ voculæ, studiosos Tyrones ad ignorantiam damnosam reducerent, prout solent etiamnum fermentatio, æther varius, &c. Motus omnes, per effecta dignoscendos proposui, nequid temerariè confusum in scientiis & artibus, auditoribus obtruderetur. Mechanicam corporum texturam, à terrestri mole dependentem, ubivis observandam indicavi, ut eo clarius causæ cum effectis conspirarent; sic etiam acida ab acidis discrepant, alcalina volatilia à fixis differunt, contrariosque sæpius eventus motuum describunt. Theoriam ac praxin medicam, iisdem legibus & pari passu cum Chymia tracto; forsan nimis arroganter hoc factum redarguent plurimi

rimi

rimi Medici ſupercilio elevato inſtructi. His autem, ut etiam mihi manus ſtarent illotæ, facile accederem, ſi Oeconomiæ noſtræ leges alias, id eſt, extra univerſi motum conſtitutas offerre queant, ut & ſi apparitiones manifeſtæ plane diſcrepantes ſeſe ſiſtant in noſtra machina, ab omnibus aliis diſcedentes corporum motibus. Hoc quamdiu impoſſibile eſt, in mea pertinacius hærebo ſententia, nullam dari differentiam quoad motus leges, &c. inter Chymiam & Medicinam. Omnia enim artis medicæ effecta, à mixturis medicamentoſis progrediuntur, eæque actiones ſuas proſequuntur valida penetratione & motu, humoreſque noſtri corporis alterantur infinitis modis, nunc ab his nunc ab illis cauſis extraneis, ſtatum illum modificantibus. Futiles igitur ſunt objectiones, noſtram machinam alia methodo dirigi ac furnos Chymicorum, nam Chymia ſolos non reſpicit furnos, ſed univerſam fluctuantis naturæ metamorphoſin, ex leviſſimis initiis etiam frigidis ſuſpicienda opera producentem, abſque furnis & igne vulgari. Hoc evincunt motus inteſtini, ubi ad arma inſtigantur ferocia diſcordes corporum moles, & unita non ſine magna violentia diſiunguntur, in varias partes ſecedentia, luctuoſum bellum cum ſonitu vario foventia. Illud confirmant blandæ ſuperficierum exoſculationes, ubi tandem in mutuos amplexus feſtinantes particulæ diverſo ornatu ubi ſeſe detegunt. Frigoris & caloris delineationes idem denunciant, poſtquam ex levi partium commixtione, inſignia hæc phænomena ſeſe manifeſtant. Sed quis omnia hic proferat naturæ arcana, hujus artis auxilio revelata, & quotidie adhuc revelanda ſuis inveſtigatoribus?

Silentio plurima lubens prætereo, de ſignis diagnoſticis, prognoſticis, materia medica, &c. quæ nunquam rite explicari nec detegi poterunt ſine hujus acceſſu, quod paſſim teſtantur hujus ævi excellentiores in re medica Viri.

LECTORI BENEVOLO,

Chymiam à mendis plurimis, imo & ratiociniis, incautius in præcedentibus editionibus depositis, purgavi. In collectaneis, meo sub nomine exhibitos processus, hic interservi emendatiores, ob plurimis rationes. Plurimas etiam observationes, propria manu elaboratas addidi, ut messis eo uberior inde L. B. emergeret. Idem in Pharmacia contigit, quæ ubique locupletata & correcta nunc in lucem prodit. Plura autem fuissent addenda, si otium illud permisisset, & vliquorum impiis conatibus non esset resistendum. His igitur fruimini, tamdiu donec ulteriora Theoriæ & Praxeos Medicæ præcepta chymica magis elaborata in campum prodeant. Interim si aliqua minus recte prolata, demonstrata, vel insufficienter distincta appareant, ignoscite homini mundanorum obscuram catervam perscrutanti, nam dignioribus etiam humeris lassos adderet pedes hæc operiosissima pariter ac abstrusissima Ars.

Dabam Lugduni in Batavis
1. Februarii 1696.

J. LE MORT, M. D. P. E. C.

CHY-



CHYMIÆ VERÆ

NOBILITAS & UTILITAS.

Circa Physicam corpuscularem & Theoriam Medicam.



GRaves quicunque naturæ lusus serio intuetur animo, eam in minimis maxima moliri observabit. Haud vana, multo minus ludicra puerili aspectu aut elato supercilio contemnenda ejus existunt phænomena, masculum etiam ingenium suspensum detinentia. Hinc, quæ vilissima primo intuitu nobis apparent, tandem lento quasi passu maximi ponderis evadunt, in admirationem sui nos rapientia. Nil enim temere, nil irrito conatu prosequitur ardua & pulchra tentans divinus Motus, sed eundem ubique graviter munere suo fungi, testantur progressivæ corporum miscelæ & coordinationes. Egregia inde sensibus nostris delectamenta, dexteritate manuum & mentis acie ulterius rimandâ, nos per amœnissimas variegationes ad altiora evehentia, hauriuntur, nullibi non jucunda. Abstrusa naturæ mysteria, mediantibus hisce nobis familiaria reddita, vaniloquia discutiunt, ratiociniaque nostra firmant visibili eventu stabilita.

Tanta autem, tamque varia existit corporum modificatio, ut intricatissimis hisce semitis difficillimus vix pateat ingressus, imo canitiem expectare videtur sapientia, toto fere vitæ nostræ brevis curriculo ad discendum, vix ad docendum, aptis natis. Conclamata igitur res videretur, aditusque occlusus nos detineret in errore & caligine perpetua, nisi consul-

tores egregii, mortui & vivi, auxiliatricia nobis conferrent arma, quibus obſtantes imperfectiones partim amovere, partim ad excellentiores inveſtigationes viam liberiorem facere liceret. Sed rarior exiſtens magnifico Doctorum nomine dignus numerus, ob infinita, ſit verbo venia, naturæ miracula, enucleationem virilem eludentia, multos & magnos promiſſores in medio poſuit, maximo conamine majores nugas protrudentes. Sententiis igitur aliorum indormire, quid aliud niſi obſcuræ ignorantiæ ſeſe tradere, gratis etiam abſurdiſſima quævis amplectendo? Profecto ſagaciores oculatiſſimique hujus ſeculi Viri non abſque ratione paſſim conqueſti ſunt, pleroſque in dicta, quam in facta, proniores videri, unde librorum vere experimentalium penuria, ut mere, ſi Diis placet, ratiocinantium copia æque dolenda nos excruciet. Progreſſus ad ſcientias & artes nobiliores caput ſuum extollere tamdiu non dabitur, niſi venuſtas phantaſmatum pereat ad Experientiæ lancem; illud enim lumen doctiorum greſſus figit, ſenſimque ad ulteriora faſtigium parat firmum; in hoc ornatus, columnæ & fulcra exquiſiti ratiocinii continentur. Magnifico elogio, & ſelectis verborum lenociniis, non raro hodie noſtra proferimus vana cerebri figmenta, ne dicam, ſomnia, quorum immature & præpoſtere dictorum nos veriora edoctos, hincque pudore ſuffuſos, pœnitet. Rarius hanc peſſimam experiremur Charybdim, ſi non canum feſtinantium more cæcos in lucem ederemus ſonoros catulos, ſed per experimentales gradus ſenſim procedentes nulla, vel pauciora tantum, clare & diſtincte à nobis comperta, ſæpiuſque examinata, in medium proferremus. Abſtruſa naturæ arcana, temeraria manu haud tractanda, modeſta lingua proferenda, multa in experientiæ forte falſa, aut dubia, aut veriſimilia, aut pauciſſima vera, plurima ignota, ob oculos ponunt; uſibus autem ſuis deſtinata ſingula fructu ſuo haud carent, inquiſitores ſuos ab omni parte beantia.

Ad hanc ſpartam debite exornandam miris modis præſtantioris ac ſublimioris ingenii, præſertim hujus ſæculi, Viri inſudarunt, ut tandem tenebricoſo fumo lucis fulgentiſſimi radii noſtras irradiarent mentes, amore ſapientiæ veræ circumfuſas. Ut reliqua taceam adjumenta, tres præſertim artes illis in uſum vocatæ ad uſus maxime familiares, Matheſis, Anatomia & Chymia, quarum ope viam ſibi ſternere conati fuere ad abditiora doctrinæ omnis penetralia. Verum ſingulæ hæ Artes ſcientias tam multas cum involverent, non uni vitæ, non uni homini, unquam illas rite pervagari conceſſum fuit, ſed ſeorſim à diverſis tractatæ, plurimos, varias tantum earum partes ſedula induſtria pervagantes, expetiere, ut vitæ brevitati, artis longitudini, ſumptuumque gravitati ſuccurrerent, unum

unum in ſcopum, vitam nempe quæ reddunt beatiorem, collimantes. Relictis, ac ſuis excellentiſſimis Cultoribus commiſſis duabus prioribus, ad Chymiam, utpote mihi demandatam hucuſqe provinciam, me accingo, cujus nobilem utilitatem, quantum in me eſt, demonſtrare tam argumentis, quam experimentis, conabor, non, ut illam ab invidia myſochymicorum liberem, (ars enim nulla tam vilis datur, quæ habeat oſorem niſi ignorantem) ſed, ut commodam, &, ſi fieri poſſit, magis ſublimem, eam fructuoſe exercendi, docendi, ac diſcendi methodum tradam.

Intentio operantis Artiſtæ duos utplurimum fines reſpicit; Curioſitatem vel Lucrum. Curioſos ſolos conſidero, è luto meliori fictos, ſapientiæ alumnos, magna Reipublicæ literariæ lumina, ſpes & fulcra patriæ, uno verbo Philoſophos. Lucriferos, quos res anguſta domi premens haud facile emergere, vel ad indagationes curioſas deflectere ſinunt, nummus & otium, ſuo modo laudandos cenſeo, eoſque non inutiles reperiet æquus rerum æſtimator, ob inventa eorundem utilia, & exaſciationem diutinam illa in arte, unde unicuique Artifici in ſua arte credendum rite monet Philoſophus. Inter reliquas Artes Chymia duabus hiſce intentionibus plerumque ſatisfacit, dulcia utilibus intermiſcens. Inventa lucrifera hic enarrare animus non eſt; tot enim exiſtunt, ut tertiam ad minimum impleant commoditatum vitæ partem, quod abunde teſtantur ars tinctoria, bellica, culinaria, metallurgia, Chymiatria &c. Hæc enim curioſorum, in principio, producta, ſparſim per manus amicis aut poſteris tradita, poſtmodum à ſcopo excellentiori deviarunt, tandemque Artem divinam ſervilem & operariam quaſi reddiderunt, poſtmodum a naſutis ac delicatioribus deſpectui habitam. Calumniis igitur ſordidiſque obtrectationibus ſubtractam hanc Artem defæcatis doctrinæ avidis auribus, propria experientia, & præclariorum authoritate ſuffultus offero.

Chymiam eſſe analyſin corporum per ignem plerique ſtatuunt, unde ejus Antiſtites celebriores ſemetipſos titulo Philoſophorum per ignem decorarunt, aut Pyrophili vocati fuere, à potiori inſtrumento denominationem ſumentes. Hac in deſcriptione acquieſcere poſſumus, ſi igniculos aut materiam igneam, per aerem ſparſam, ſub ignis vocabulo comprehendamus, ſimul adſcitis in auxilium ſalibus, tanquam præcipuis ignis adminiculis. Unde latiſſimus reſultat campus cauſarum & effectuum corporum naturalium indagandorum per Chymiam; nam integra corpuſcularis Philoſophia huic, ſi Anatomiam una in auxilium vocaveris, ſubjacet. Enimvero jejunæ exiſtunt Phyſicorum ſententiæ, feſtinanti & erranti

erranti oculo passim aspicientium quævis phœnomena, factis potius, quam dictis, elucidanda. Illud confirmat Nobilissimus D. D. Boile in suâ commentatione proæmiali. Lubet ejus aurea dicta passim inde decerpere:

Et profecto, Pyrophile, si homines exorari sese paterentur, ut Naturalis Philosophiæ instaurationi impensius, quam nominis claritati, studerent, opinor eos facile intellecturos, se de humano genere præclarius mereri non posse, quam si experimentis moliendis & observationibus accumulandis operam serio & sedulo intenderent, neque principia & axiomata sancire tam intempestiva libidine gestirent, temerarium rati tales theorias stabilire, quæ ad omnium naturalium Phænomenum explicationem accommodentur, priusquam vel decimam eorum partem, quæ explicanda sunt, assecuti fuerint. Neque me latet, permultos ubique esse, qui, cum res minoris negotii videtur, de scriptis, ad experimentorum fidem elucubratis, sententiam ferre, quam similia concinnare, quicquid ipsi vel scripto, vel animo, complexi non fuerint, repudiantes, judicii laudem ambitiose aucupentur. Quippe, ubi homines, quod in re Chymica, Anatomica, Herbaria, aut quavis alia Physiologiæ parte sedulam operam posuerint, aut fortasse scriptores tantum quosdam, de hisce rebus agentes, evolverint; se satis instructos ad integra Philosophiæ Naturalis Systemata conscribenda arbitrati sunt, factum est, ut, instituti sui ratione, aut lege methodi coacti, sibi multa alia tractanda susceperint, quam quorum veritatem solertia sua probe assecuti essent; unde aut ab aliis jamdudum, licet satis imperite, de iisdem argumentis prodita recoquere, aut quidvis potius effutire, quam aliquid intactum prætermittere necesse habent, ne scilicet de omnibus argumenti sui articulis non disseruisse viderentur. Et hinc sæpe Authori bene à se inventorum laus perit, perinde ac Lectori fructus; quare id inprimis opto, ut homines à constituendis Theoriis abstinerent, donec tantam experimentorum copiam nacti fuerint, quæ amplitudini Theoriæ iisdem superstruendæ proportione respondeat. Nihilominus, si te, Pyrophile, tuique similes homines liberos adigere possem, ut, quæ in naturali Philosophia observarunt, aut excogitarunt, experimentalibus dissertationibus velint complecti, putarem, me rei literariæ operam non parum utilem præstitisse, tam commodum scribendi modum suæ dignitati vendicando. Si vero ejusmodi tentamina, eo, quo par est, experimentorum numero referta fuerint, penes ipsum lectorem culpa est, nisi doctior evadat. Enimvero à tali scriptore, modo ipse mihi non desim, veritates quasdam utiles licebit addiscere, neque citra meam culpam fiet, si ab eo in errorem ducar. Fidenter enim credo, Philosophiam naturalem magnopere promoveri posse, si obvia naturæ phænomena, &, quæ à quocunque

sciri

sciri valeant, modo liberet attendere, rite & serio expenderentur. Imo non erubescit palam sese profiteri *mancipium majoris diligentiæ, quam acuminis, cui bene provincia colligendorum experimentorum demandata fuerit. Verum, modo in Scientiæ Experimentalis incrementum cedat*, sunt ejus verba, *abunde mihi sors mea placet, aliquid ad eam promovendam contulisse, & mallem non tantum operarii munus obire, verum etiam è fodinis materiem tam nobili structuræ idoneam eruere, quam nihil ad eam extruendam conferre.*

Ulterius postmodum experimentorum justum numerum, repetitionem, circumstantiarumque observationem, sedulo inculcat, ne aut corruat nimis debile ædificium, aut per alia postmodum obvia eludatur superstructa hypothesis immature edita.

Hujus celeberrimi, ac toto orbe litterario decantatissimi Viri nobile testimonium, ut credo, sufficiet, præsertim, cum magnam experimentorum curiosorum Chymicorum copiam Illi debeamus, unde, tanquam è fœcundiori scaturigine Philosophi moderni, Authoris prænobilis ingenuitati fidentes, sua, quamvis utplurimum ab illis incomperta, proferunt, pro argumentis suis comprobandis. Sicco igitur pede Clariss. Sylvium, Borrichium, Helmontium, Bohnium, & reliqua hujus seculi clara prætereo Lumina, ne Lectorem Authoritate aliorum obruere videar. Scripta autem præcellentium horum, & aliorum modernorum Virorum, qui accuratius tractaverit, abunde certus fiet, penes illos Anatomiam & Chymiam summa in veneratione semper esse, & fuisse, ut ad culmen doctrinæ & laudis pertingerent. Contrario modo insistentium fœdi errores passim, aut mera vaniloquia ubique prostant, nauseam vel non eruditis moventia. Ut autem studiosus & ingenuus perscrutator debite, & summa cum libertate, hujus Artis auxilio philosophetur, præter ea, quæ in Idea actionis corporum antehac edita (ad quam B. L. mitto) tradidi, sequentia, ut credo, maximi erunt usus:

1. Ut ipsam Chymiam consideret, tanquam succorum corporeorum exercitium mobile. Per succos intelligo fluida, aut in fluorem reducibilia corpora, producta per meram coordinationem particularum, leviori & flexibiliori cohæsione gaudentium, & in plurimis superficiebus independentium, ad facilem propulsionem, circumrotationem, & mutuam penetrationem inclinantium. Per exercitium mobile continua & indefessa superficierum mutatio subintelligitur, quæ nunquam sine alteratione aliquali contingit, molem, & aliquando figuram, sensibiliter mutans.

Ex hiſce luſum naturæ in hac arte, jucundo ſatis ſpectaculo, obſervabit. Fluida enim, quatenus ſunt corpora, eatenus ſunt corruptibilia, facillime nexum, ſeriem, & ordinem ſuæ copulationis derelinquentia, ad infinitas metamorphoſes tranſmigrando. Hæc patent in quibuſvis fluidis, accuratiſſimè clauſis, ſed multo magis inconſtantia quaſi naturali præditis, quamvis in negligenter reſervatis, aut ex profeſſo Igni aut Aeri expoſitis. Ut igitur cum fructu corpuſcularem hanc Phyſicam ulterius proſequatur.

2. Fluida ſibi proponat in ſtatu naturali & artificiali. Natura & Ars hic convenire videntur ad fluidum conſtituendum: utroque enim modo requiritur copia minimorum punctorum ſalinorum, cum æthereo ſpiritu commercium indefeſſum obtinentium, ut particulas aqueas & terreſtres, artificioſe intertextas, in motu & poroſitate ſubſiſtere cogant. Verum enim vero aliqua adhuc animadverſione digna inter illa occurrunt; Naturalia enim intimis ſuis in receſſibus ſalia illa ſpirituoſa aqueis particulis intermixta poſſident; Artificialia pleraque innatationem ſolidi in fluido præ ſe ferunt, ut ſunt pleræque tincturæ, & ſolutiones Chymicæ dictæ, quæ avocato liquore denuo ad priſtinam redeunt ſoliditatem, ſæpius vix immutata figura, niſi craſſiori involucro terreſtri depoſito, quo antehac fortius velabatur naturale corpus; Ideoque tantopere Chymici digeſtiones circulationes &c. deprædicant continuandas, ut exinde mutatio ſtatus corporei, & exactior miſcela fluidi cum ſolido ſuccedat, vel, ut fluidum incarceratum liberetur, ex orco animam ſpirituoſam, ut loqui amant, evocantes. Exinde mira prodeunt ſpectacula, omnes fere ſenſus afficientia, ſucceſſivis ſtatus corporei alterationibus, in quibus, ſi rite proceſſerit, non contemnendas inde ſibi delicias, menti & corpori refocillandis idoneas, obtinebit, præcipue ſi miſcelam corporum, & affectionem inde reſultantem, compererit idoneam.

3. Corpora ſe mutuo penetrando diverſificationem figuræ, molis, & motus, ſubeunt. Hoc quam maximè de ſolido-fluidis obſervatur, hic illic per motum avulſis, aliaque loca petentibus, ſeſe ſuperficiei, & poris poſtmodum accommodantibus, quibus aut nocent, illa lædendo mediante diviſione aut repletione, aut proſunt, ubi ceræ mollis inſtar hæc quaſvis impreſſiones admittunt, in nutrimentum illi corpori cedentia. Cum autem mundus turgeat fluidis talibus in Igne, Aëre, & Aqua conſpicuis, non mirum, qnod inde variæ reſultent alterationes corporum pro adjumentis & locis diverſis, quibus mediantibus experimenta fuerint peracta, quæ maximum pondus inferunt circumſtantiis rite dijudicandis: Ad quæ intelligenda ſequentes experientiæ conducent;

Sal

Sal quodcunque muriaticum fundit ſpiritum acidum modo vulgari, in Chymia mea deſcripto; fixiorem vero & ſubauſterum, magna ignis violentia. Ubi vero in aqua communi debito modo fuerit ſolutum, & mediante aëre in circulationem redactum, ejuſque moleculis impræ-gnatum, exſtiterit; minimo ignis moderamine amicum noſtræ machinæ fundit ſpiritum volatilem acidum.

Duriſſima mineralia humido aëreo aquoſo ſenſim impraegnata, tandem dimittunt ſpirituoſum gratum liquorem, variis ſæpius coloribus in ſuo aſcenſu inſignitum, ulteriuſque inſtruendum, ſi hic liquor denuo aëri libero objiciatur. Sic ex antimonio, ferro, cupro &c. præcipue ſub naturalis eorum mineræ conditione adhuc exiſtentibus, egregia mutabilitatis ſigna ſeſe manifeſtant. In illis etiam ſelectus locorum & temporum apprime eſt obſervandus, ſcilicet ad orientem vel occidentem verſus, effluviorum aërem obſidentium, e. gr. ubi hæc in civitate aut in campo exponuntur, circa fimeta, cellas, aut loca maxime defæcata & libera; in æſtate aut hyeme &c. Nam mille modis circumſtantiæ hæ rem variant. Aliquando enim abſolute neceſſaria ſunt effluvia acriora rigida, aliquando molles & blandi halitus notam alterationis integram abſolvunt, ſed plane in diverſos fines & effecta ruunt, modificanda corpora. Hæc ut clarius intelligat Tyro ſedulus, inconcuſſam retineat ſequentem hypotheſin:

4. Motum corporibus ab extraneis admiſſis competere, impetum non ſolummodo efficientibus, ſed miſcelam intimiorem cum moto corpore ineuntibus. Ex hac enim admiſſa & conceſſa facilis omnium modificationum & phænomenorum ratio apparebit, de quibus alias non niſi hæſitanter loqui aut meditari, licet. Ad rem minus attenti quidam Phyſico-Medici, ſucceſſum experimentorum fidum vel infidum citra exſpectationem obtinuere, non bis eandem experientiam ſæpiſſime aſſequentes, ob circumſtantias haſce neglectas. Si enim per motum corpora mota intellexero, eaque diverſiſſimæ magnitudinis, numeri, ponderis &c. obſervavero, extempore mutationes eo majores in corpore nunc moto, antehac magis quieto, exſpectare cogor. Intertextionem enim permittere nolentia volentia debent, ſemel in mobilem actum reducta corpora, ſubtilium corpuſculorum, ſuperficies & poros etiam anguſtiſſimos perreptantium. Adde, quod per impetum accedentium plurima de loco deturbata fugam tentent, motu extra corporis priſtini peripheriam continuato, unde vapores, inſenſibilia effluvia, ac halitus, ſæpius ſenſus noſtros externos viſibili modo afficientes, exurgunt.

Hæc

Hæc ad vicina loca delata, concursum magis minusve violentum causant, per suos in alia corpora ingressus, turbas ibidem varias excitantia. Prout igitur accessus & recessus Artista illos fuerit moderatus, quæcunque inde exurgunt motuum exercitationes, facie corporum semper instabili pro illo tempore manente. Præcedentia ad unguem demonstrant, multum interesse, quænam miscelæ in movendo permittantur corpore; nam eodem modo, ut crassæ confusiones particularum ordinem pro magna parte invertunt, sic etiam exilium lenta insinuatio, recipiens corpus, quoad plurimas sui partes, concutit & decutit.

Examinandæ igitur particulæ diversos Ignes conflantes, Aerem circumfluum opplentes, & Aqueas particulas inquinantes; exinde enim fluunt moderamina motuum. Alias subibunt vicissitudines metalla & mineralia, per carbones fossiles tractata, quam lignorum, non solummodo ob acidum corrodens, in prioribus latitans, damnum varium inferens, sed insuper ob mixturam terræ austeræ ibidem pertinacius residuæ, & molem eorundem sensibiliter in calcinatione alterantis. Sic duplum ad minimum ponderis corpori calcinando accedit è fossilibus, respectu carbonum lignorum, eandem actionem perficientium. Mercurius vivus, per se præcipitandus, duplo citius figitur per carbones fossiles, quam per cespites, aut ligna. Liquores per carbones eosdem cocti, minus putredini, magis autem acido obnoxii sunt. Acidum copiosius eruitur ex omnibus salibus muriaticis, intermixti si adfuerint carbones fossiles cespitibus vel lignis. Plurimum insuper observabilis est differentia inter hosce carbones fossiles, pro mixtura nempe terræ metallicæ, arsenicalis, sulphureæ, aluminosæ &c. quemadmodum lignorum & cespitum, ut & spirituum oleaginosorum varietates immensæ conspiciuntur, singulis suas particulas communicantibus, liquidorum crasin pervertentibus.

In Aere non minor existens congeries molecularum, è superficie & interiori terræ regione ascendentium, magis notabiles sæpissime inducit mutationes. Humido autem mitigata rigidiora puncta, lentiori passu procedunt in sua vibratione, corporaque pedetentim ab omni parte ita concutiunt, vel adimplent illa miasmata, per aerem sparsa, ut integer eorum nexus & situs pereant novo substituto. Illud etiam vulgatissimum occurrit, liquida, aeri immediato objecta, statim vacillare à pristina conditione, ut & solida, imo aliqua solidissima, illi salsuginosiori objecta, in neutrum ens non raro degenerantia. Si autem mutationum vices per Ignem & Aerem exactius trutinentur, toto cælo illas discrepare animadvertet

vertet

vertet curiosus observator, ita ut inter se comparata corpora nullam amplius possidere similitudinem videantur nomine & actione prioribus destructis. Differunt autem hi motus præcipue in sequentibus: Ignis violento rigidiorum particularum impetu fluidum interius contentum expellit, non sine vasculorum continentium subitanea ruptura, solidiorem statum inducens reliquiis, ignis torturam diutius sustinentibus.

Aer blanda ac continua humidiorum allisione, molli quasi igne, corpora liquat, & in fluorem reducit, superficierum duriorum nexus sensim emolliendo, inflectendo, & ad motus ulteriores disponendo, donec pro maxima parte in succos diffluant.

Non immerito igitur hi motuum gradus suspensum debent retinere investigatorem sedulum; nam leges naturæ inde hauriendæ veniunt, nec ullus absque his observationibus veram colere poterit Physicam, aut Theoriam medicam, imo hisce destituto vagabunda est & incerta hucusque materia medicamentorum artificialium, ut postea latius.

Aqua, receptaculum universale quarumvis specierum simpliciorum vel compositarum, non minimam motus diversitati præbet ansam, ubi depositæ moleculæ hiante ore excipiuntur in corporibus motu intestino exercendis. Hæc enim cavat sensim arctius sibi invicem connexas superficies, quas cuneolis suis pedetentim dissociat, donec ad magis lubricum deveniant statum, mutationibus aptissimum. Sæpius porosa duriora reddit, deposito ibidem limo lapidescente, aut metallico, ut non semel observare mihi licuit. Colores etiam e'terra minerali, illic delitescente, varii emergunt, ubi illa accumulata vel congesta visibilis redditur per superficierum approximationem. Olei aut salis differentes inde emergunt particulæ per eandem miscelam, aut per motum intestinum. Cujusvis insuper generis humores exinde generantur in vegetabilibus, mineralibus, &, quod maximi momenti, in animalibus. Porosissima existens Ignis & Aeris ingressus liberali haustu intromittit, eorumque ope quosvis naturæ lusus molitur, præter exspectationem admirandos. Sic mineralia, ad ultimam perfectionis notam referanda, nunquam mero igne, sed aere & aqua, rite dispositis, ad ingressum & motum intestinum, ibidem peragendum, exaltanda & attenuanda sunt, antequam efficacissimæ inde emergant jucundo colore instructæ, tincturæ. Sic vegetabilium etiam fixiorum salia volatilia prodeunt, post influentiam & reactionem eorundem corpusculorum, carceres insimul duros referantium, & cohæsionem majorem salium discontinuantium, ut & in minores mole-

culas cum leviori ramoſa terra diſponentium, nullo poſtmodum ſale acido aut fixo, ſuperſtite.

Sic vegetabilium incrementa extraordinaria, tam mole, quam regione & tempore, in lucem prodeunt, acceſſu artificioſo horum effluviorum, & miſcelarum aqueo-terreſtrium, quæ miris modis augeri queunt in bonam, aut in malam diſpoſitionem reſpectu noſtri:

Sic animalia vegetam aut miſeram trahunt vitam pro varietate hujus influxus & miſcelæ, colorem & reliqua accidentia, tam interna, quam externa, permutantia in diverſis regionibus. Succi etenim diverſimodè affecti in alimentis, & humores per inſpirationem aeris perpetuò agitati, vitæ beatioris tranquillitates admodum percellunt. Effluviorum terr-aqueorum copulæ inſignes, Phoſphoros meteoriſandos, ſeu ignes erraticos, fulgura &c. congerunt, eodem modo, ut ex intimiori ramoſo-ſalinæ ſubſtantiæ reſolutione generari ſolent ignes artificiales, ſolius aeris admiſſione flammam lucidam concipientes. Tales autem eſſe naturales elaborationes quis dubitabit, ubi viderit, putridos halitus oleaginoſos fere omnes, in flammam pronos, æſtivo tempore ſurſum copioſius tollendos, novam progeniem motus illic procreantes? Sic in mineris ignivomæ eructationes aliquando contingunt ab illis congeſtis halitibus, e motu inteſtino reſultantibus: eodem modo, ut fimeta, latrinæ, & pleraque, diutiſſime in loco clauſo retenta, aeris ſolius admiſſione, aut candelæ approximatione, fulgidas in flammas rapiuntur, quod ſignum eſt optimæ reſolutionis, dummodo ipſum corpus inodorum fere obſervetur, vel ſaltem minimo odore inſtructum.

Exactiorem inveſtigationem motuum poſtquam generaliter perſpectam habuerit Philoſophus, ad ſpecialiores motus leges pergit, quas, tanquam cognitu ſummopere neceſſarias, ad experientiæ trutinam evocat ſecundum hæc præſuppoſita.

5. Actionem corporum dependere ab eorum figura & mole:

6. Figuram & molem, nunc in moto, nunc in movente corpore, poſſe, & neceſſario debere, alterari:

7. Motus dari varios, denominationem ab effectu ſortientes:

8. Hos nunquam intra unos limites coerceri, ſed ſemper plus ultra tendere, non ad perfectionem, ut quidam volunt, ſed ad ſeceſſum minorum à majoribus particulis.

Hæc tam evidentia ſunt, ut vix probatione indigeant, ſaltem illis, quibus experimentalis doctrina cordi fuit; attamen, antequam ad ulteriorem elucidationem tranſeamus, unicam, aut negligenter à Phyſicis,

&

& plurimis Medicis obſervatam, aut penitus omiſſam, ſubjiciemus hypotheſin:

9. Motus & effecta motuum ſeſe relative habere in ſuis apparitionibus, reſultantibus ex immediato congreſſu duorum aut plurium corporum, ſe mutuo penetrantium.

Ubi corpus agere dicitur, ibi duo neceſſario adſunt diverſa, agens nempe mobile, & patiens quietum, aut minus mobile, impetum externum ſuſtinens, vel eundem in gremio ſuo fovens, ope externi motus, interiores particulas fluidiores agitantis. Figura autem agentis cum una eſſe nequeat, neceſſario effectum circa ſuperficiem, poroſque debet eſſe diverſum, tam in concuſſione, quam in decuſſione partium, ut patet in diverſis anni temporibus, ubi aer jam maxime rigidis acutis particulis, jam mollibus obtuſis, ſcatet, diverſimode corpora illi objecta afficientibus: Quod etiam ſuperius annotavimus in Igne & Aqua. Cuneoli igitur horum agentium diverſimode fabricati partim inviſcandi, partim in tranſitu lædentes, contextum, ſcenam mundi, mille ac mille modis variant.

Reactio corporum quantum faciat ad diverſitatem figurarum & molium, abunde teſtantur inſtrumenta mechanica ſcindentia & pungentia. In motu autem validiſſimo conſtituta corpora ſibi imaginetur Phyſicus eſſe omnia quodammodo acuta, ita, ut aut vias facile permeent, aut eaſdem temporis tractu ſibi excavent, tamdiu; donec in omnia latera corporum quietorum arietando, fluidiora & mobiliora illa reddant. Acies vero unam in omnibus cum non repræſentet figuram, ſed perplurimas exhibeat coordinationes mechanicorum inſtrumentorum more variegationes innumeras offert. Hæc igitur, in vicina, aut obvia corpora delata, alliſione ſua, varias inferunt ſtrages, & ſuo modo rudera ſeu fragmenta producunt, illi figuræ agentis corporis convenientia. Quo enim longior, latior, profundiorque fuerit illa acies, eò diſcontinuata in majores convertentur maſſas, aut maſſulas, diverſimode inſuper figuratas, circa ſuas ſuperficies avulſas. Diuturnitas illorum inſultuum, & pertinacia inſtantium à tergo corpuſculorum, haud minus obſervanda veniunt; infinite enim variare cogunt imagines corporeas. Hinc æſtus Syrius, diu continuans, mirificas circa vegetabilia & animalia apparitiones offert, aeremque miaſmatibus tenerrimis opplet, antehac nullibi exiſtentibus, niſi in ſuis clauſtris quaſi emortuis deliteſcentibus. Mineralia inſuper, iiſdem temporibus inconſueto modo affecta, faciem externam mutatam ob oculos ſiſtunt. Idem in frigore hyemali obſervabi-

vabile; diutius enim insistens, sui generis rigida mobilia corpuscula, aëri oblata, in actum ducit, ubique lusum serium exercentia: Quæ duæ actiones non sine manifesta occurrunt differentia; in calore enim per aquam diluuntur & diffunduntur fluida, cum nexus crassioris forti dissolutione immediata, in frigore condensantur & concentrantur eadem ab aqua viscidiori, separando magis oleaginosas integras, in sua figura perstantes, particulas. Actio igitur superstes cernitur (pro maxima sui parte) in frigido, multum vero alterata, si non totaliter abolita, actio prodit, in calido motu: Hæc experientia confirmatur in quinta essentia liquorum fermentatorum paranda, ut & in secretiori methodo arcanos liquores & tincturas eruendi è quibusvis simplicibus sequenti modo:

℞. Liquorem quemcunque, in B. M. aut F. E. digestum, in sufficienti quantitate, eum expone aeri frigidissimo, ut partim congeletur, quod summopere est annotandum. Liquorem fluidum effunde separata glacie, denuo aeri de die exponendum, ut rite observationes peragi possint. Iterato glacie amota, tamdiu continuetur conglaciatio & effusio, donec nulla amplius congelatio permittatur. Hunc liquorem ulterius digere per diem unum aut alterum, dein fæcibus, si quæ sint, amotis, postmodum limpidum asserva sub titulo essentiæ. Addito autem sale fixo, spiritu ardente, si haberi ex illo simplici possit, & rectificato, cum sale vel cineribus propriis, oleo, mediante digestione, in fimo equino, calce viva armato, ad quintæ essentiæ notam evehitur.

Eodem fere modo eximiæ concentrationes succorum vegetabilium obtinentur, addita salis ammoniaci debita dosi, & observatis observandis circa conglaciationis modum. In locum recentium succorum, etiam fermentati assumi queunt, ad hybernum tempus asservandi. Extemporanea etiam methodo sequenti scopum attingimus, ubi siccatis vegetabilibus, odore, colore & sapore integris, aqua, sale ammoniaco impraegnata, aut, quod melius, super salem hunc, & simplicia propria destillata, superfunditur, vix ac ne vix quidem ad submersionem usque, digerantur per diem naturalem in humido calore, dein ad gelandum exponantur, ut mellis oleaginei consistentiam acquirant. In his mira latitat efficacia, nunquam ulla destillatione obtinenda, multo minus coctione, maceratione &c. eruenda. Et, quod iterato inculcandum, hac via, si rite quis processerit, particulæ integrantes conservantur sine manifesta jactura actionum, quod de aliis ita deprædicari nequit.

Mineralia pulverisata, humectata, diutius in aere detenta, suas tan-

dem ſolutiones intrinſecas præbent, nunquam aut rarius alia methodo obtinendas; diuturniorem vero expetunt laborem, & induſtriam ſedulam.

Digeſtiones itidem in calore perficiendas, nempe in ſole, fimo, aqua calente, &, quod optimum, in terra, radiis ſolaribus de die ſemper illuſtrata, de nocte ignis blandi moderamine excalefacta, (quod ſtudio hic annoto, quoniam ſolis irradiatio plurimis paraſangis prævalet igni vulgari, ad corporum vividam exaltationem obtinendam) multum abludere faciunt à priſtina conditione corpora; ſinguli enim dies, ſingulæ ſeptimanæ, &, quod excurrit, tempus, ſuas afferunt viciſſitudinum corporearum ideas transformatas. Liquores inſuper adhibiti varii differenti modo illas particulas diſponendo, unum corpus millies variare cogunt. Coctio etiam protracta, aut brevis admiſſa, conſiſtentiam, extenſionem, reliquaque accidentia ita mutat, ut in aliam claſſem tanſiiſſe illud corpus videatur, quamvis liquida aut de novo adjiciantur, aut parum tantummodo avolaverint. Illud in arte tinctoria paſſim obviam venit, ut & in ſolutionibus blandis per alcalina & aquas; ita enim integra ſæpius corpora tingentia, fluida & penetrantia reddi queunt ſola hac cautela, quæ vix alias quartam aut ſextam partem illius coloris deponerent. Hoc etiam in vegetabilibus coloratis paſſim obvium eſt, colorum intenſiones ab immediata ſolis irradiatione augeri, illius abſentia diminui; quas admodum ulterius exaltatas & rutilantes elaborare adjutricibus fimi effluviis & miſcelis, poteſt induſtrius Botanicus. Prout cocta molliora balſamica evadunt, ſic attenuatio interni fluidi, radiis ſolaribus exceptis debita, oleaginoſam, magiſque ſolubilem ſubſtantiam evocat, mole & figura rariori, molliorique factis, acceſſu mobiliſſimarum particularum.

Motum dari nullus ambigit, ſed, an effecta motuum, eorumque cauſæ ſint unæ, plurimi dubitant, ſaltem generaliori denominatione contenti plerique, tanquam in eodem luto, hærent; Ubi autem corpora diverſæ molis & figuræ conceſſa ſint, neceſſariò motuum differentias dari concludemus. Has differentias haud incommode, in certas claſſes, ſeu ſpecies ſubdividere poſſumus, modo, in potiori parte, & fere quovis tempore, eadem accidentia eaſdem motus ſpecies concomitentur. In quibus accurate deſignandis circumſtantiarum numerus omnimode eſt proſequendus, ſi poſſibile, à principio maxime ſenſibili, uſque ad finem, ſenſus noſtros haud ita ferientem. Effecta, poſtmodum inde reſultantia, haud negligenda, ſed circumſpecte examinanda, donec per experimenta verum à falſo diſtinxerit. Omnibus hiſce collectis ad collationem feſtinat Phy-

ſicus, ſevero examini ſubjiciens alios atque alios motus, tandem ut concluſionem judicioſam moliatur circumſpectus Ratiocinator. Nomina autem perpauca ſpecialium motuum, nobis à Phyſico-Chymicis derelicta, ſatis redarguunt damnoſæ ignorantiæ quoddam ſpecimen, vel, quod in illas ſpecies examinandas penetrare nequiverint, vel, quod ſub generalibus titulis, quibus nec addi, nec demi poſſit, comprehendentes, hiſce nimis ſecure indormiverint, quod dolendum eſt.

Præcipua vero motus vocabula, in Chymicorum libris famigeratiſſima, ſunt Fermentatio, Effervescentia, Putrefactio, Digeſtio & reliqua, à modo ſuæ progreſſionis derivata. Hæc quamvis motum localem, & viciniæ corporum mutabilitatem includant, per inteſtinas & progreſſivas eorundem circumvolutiones ſuper ſe invicem, attamen ſtrictius ad certos fines & effecta deducendo hæc agitata corpuſcula, familiaria & nota in his emergunt phænomena, quæ in illis, niſi ſub certa, & quidem generali, conditione, nunquam apparent. Ex. gr. Fermentatio abſque calore ſenſibili intumeſcere colluctantia cogit corpora, ſpumoſæ & ſonoræ adſunt actiones, fluidiora facta ſpiritu grato acido-ardente aut ſale acido-auſtero nobilitantur &c: Putrefactio depreſſiorem reddit corporum ſuperficiem, in principio utplurimum cum fervido calente motu internum mobile officium ubi dirigit, abſque ſpuma, ſonitu &c. ad limi mollis conſiſtentiam reducta ſalia, & olea fœtida alcalina evehuntur, aut phoſphoris egregiis incunabula præbent. Reliquas ſpecificas differentias, ex Chymicorum ſcriptis, & Idea actionis corporum, haurire quivis poteſt, quæ infra latius proſequemur.

In Phyſico-Medicis Authoribus, tres conſideratu maxime digni motus enarrantur, nempe Generatio, Alteratio, & Corruptio; quibus contenti omnem fere paginam abſolvunt. Nullam autem corporum annihilationem hucuſque, ut credo, obſervare potuerunt ad rem Phyſicam attenti, ſed meram tranſlocationem & tranſmigrationem partium vel particularum, alias atque alias ſedes occupantium, vel derelinquentium; ideo intricata, aut ſaltem generaliſſima ſunt motuum nomina, quibuſvis phænomenis competentia. Corruptio enim unius, ut ipſi conſitentur, eſt generatio alterius. Alteratio eſt medius inter utroſque motus maxime manifeſtos; nihilominus in Alteratione, ubi tantum accedit, quantum decedit, in eodem ſtatu perſiſtere credunt illud corpus in horas mutabile. Ubi è minimis maſſulis ſuo modo figuratis, majores enaſcuntur moles corporeæ, ſuis terminis circumſcriptæ, Generatio nominatur; Corruptionis nomine defædantur corpora, nexum illius

illius molis non solummodo deferentia, sed & figuram antiquam abolentia, in divisis minoribus moleculis. Nil igitur certi statui potest ex hisce tribus denominationibus; nam in quavis machina, mole, aut massa corporea, omnes illi motus contingunt, clare & distincte ob oculos versantes. Ubicunque enim fluiditas, ibi inseparabilis est alteratio per influxum & effluxum mobilissimarum particularum, semper in suo progressu acuto aliquid deradentium, & in fugam rapientium, in quorum locum denuo succedunt obtusioris figuræ ramenta, illas cavernulas ex parte replentia. Hæc rarissime ita sunt constructa, ac figurata, ut ab omni parte ita quadrent illis poris, meatibus, interstitiis, &c. quin aliqua accedat differentia, non extempore nostro sensui nimis hebeti observabilem alterationem offerens.

Omnes enumerati hi motus, in suæ texturæ alterationes indefesso modo tendunt, inconstantiamque summa pertinacia sibi propriam vendicant, ita, ut ornatum corporum, in merâ figuræ alterabilitate constitutorum, temporarium audacter pronunciare possimus. Perfectio etiam momentanea in corporibus aut nulla, aut respective tantum pro illo tempore, & respectu hujus aut illius tantum machinæ vel intentionis aliqualis concedi potest. In omne volubile tempus, nunc hanc, nunc illam aperiunt scenam, nobis aut ridiculam, aut seriam, aut horridam, aut gratam visam, non intermisso gravi naturæ lusu. Fermentata ad putrefactionem vappescentiamque pergunt, generata ad corruptionem migrant, tandemque in circulares motus periodicos redeunt, ab ortu suo ad occasum, & à fine ad suum exortum, anhelanti quasi motu reciproco, aspirantia.

Congeries plurium, figura & mole differentium, active & passive sese habentium, absolute pristinæ coordinationis seriem aut totaliter, aut pro magna parte mutant. Hæc autem reactio duplo modo sese habet, respectu nempe agentis & patientis; utrumque enim sua puncta, quasi atomos dixeris, & inde productas lineas, tandemque hinc exaratas figuras possidet, suo jure utentes, id est, suum ordinem conservantes, quantum in se est. Hæc, ubi mutuum in occursum rapta fuerint, vel externe & superficialiter se tangunt, leviterque se mutuo afficiunt, vel internas ad cavitates progredientia violento modo viam sibi parant, crassioribus involucris hic illic semotis. Externe lambendo allisione minus valida, extimæ solummodo superficieculæ, seu involucra teneriora fibrosa divelluntur, vel approximationes arctiores corporum disiunguntur, intermedia latera segregante fluidiori agente corpore. Discernere hæc phœnomena

nomena licet in Aere, suas moleculas in motu fluido retinente, in Igne, suas ramosas partes torrentis instar evehente, in Aqua, terras quasvis secum trahente, in menstruis seu liquoribus plerisque chymicis, corpora etiam gravissima de loco in locum pellentibus, in propulsione illa fluida cum illis persistentia. Superficialis vero & crassior hæc miscela, juxta se invicem positas partes facile denuo dimittit, absque magna utriusque corporis post secessum alteratione, nisi quod crassissima & tenuissima seorsim in solutione & abstractione evanuerint. Mixtura autem durante, vel eadem sublata, quot modis apparitiones differunt! Nam sapor, odor, color, reliquaque attributa pristina in utroque corpore cessant post illud divortium. Ex insipidis fiunt diversi gustus sapida, ex inodoris odorifera, & è contra: fixa fiunt volatilia, coloribusque amænissimis instructa sensus nostros delectant. Non mirum igitur, si actionem variegatam in reliquis artibus & scientiis præbeant, è simpliciori corpore nunquam expectandam. Exactiores connexiones primo visuntur, ubi agens majoris molis, irretitur patientis corporis fibrillis, hic illic fortius concatenandis, instar vesicularum distentis, in meditullio suo mobiliores particulas abscondentibus. In hoc casu involucra illa densiora postmodum in actione futura consideranda, non autem interna contenta, viribus suis pro illo tempore privata; ut patet in plerisque naturalibus dictis corporibus crassioribus, oleis nempe expressis, sulphure communi, plurimis terræ & argillæ speciebus, succino, bitumine, omnibusque utplurimum lignis ponderosis, inodoris, mineralibus &c. Discontinuatis dein hisce solidis sepimentis, fluida inde prosilientia, suo pristino juri tradita, longe lateque sese diffundentia, intermissas redintegrant actiones, in tantum alteratas, in quantum terrestribus discerptis & subtiliatis compedibus, fugam illam sequentibus, adhuc onerata incedunt, ut patet in effluviorum diversitate circa terræ superficiem elevatorum, semper indolem referentium illorum vegetabilium, mineralium, animalium, in illa regione abundanter prostantium, Chymicorum productis eodem modo sese habentibus. Encheiresi hac etiam subtilissima impregnari queunt exilissimis moleculis metallorum fixiorum, admissa tantum prævia intestina lucta aereo-salina, illa corpora reserante, & ad motum disponente, ut tandem in stillatitios, limpidissimos, & gratissimos vergant liquores, naturæ amicos:

Ubi nexu externo non tam denso existente, particulæ hæ mobiles, fortius intrusæ & interceptæ sunt, tanquam in telis rarioribus, ubique eminentias acutas & asperas offerunt, cuspidibus & aculeis armatas.

Mi-

Miſcelæ hæ omnem videntur mutuari differentiam à corpore obtuſo, tam præexiſtente in mobili agente, quam immediate à recipiente quieto. Omnia enim mixta certum numerum obtuſarum, acutarum, rigidarum, mollium, particularum &c. poſſidere in ſuo contextu nemo dubitat. Obtuſa autem ea ſunt, quæ manubriationes & articulationes in lucem edunt, atque exinde copulationum diverſitates ſtatuunt, quæ ſi diverſæ magnitudinis, numeri, & ponderis intermiſceantur, incredibile dictu, quot formarum originibus ortum porrigant. Hinc aeris regio, fertiliſſima cum exiſtat, illi progeniei fovendæ, ſub diverſo cœlo diverſas excludit efformatas moleculas. Hę ulterius ad maxime diſſita loca devectæ, in qualitate & quantitate mutatas progenerant particulas, ubi ibidem commorantibus vaporibus copulatæ. Quid talia poſthac valeant in reactionibus naturæ vulgaribus, illud in vita vegetativa, in ventis, tempeſtatibus horridis, reliquiſque aereis exploſionibus &c. unuſquiſque animadvertit. Idem in confuſionibus liquorum, miſcela pulverum, & ignis moderamine vario adhibito, in chymicis obſervare licet; Mixtæ enim hæ unita vi fortiores fieri videntur.

Tandem, ubi concuſſione violenta duorum arietantium corporum, utraque ligamentorum cohæſio ſolida diruitur, fluido permanente poſthac mixto corpore, in unas actiones dein conſpirant. Sæpius autem ſucceſſiva fit ſolidi colliquatio, per inſinuationem lentam aliarum particularum, nexum diſiungentium. Hæc manifeſtantur in naphtha, petroleo, terroleo, ſuccis mineralibus, ut & in omnibus liquidis naturalibus. Vires autem compoſitas etiam referunt hæc liquida, utpote pro natura loci, ſcilicet effluviorum ibidem oberrantium conditione. Ex eodem fonte ſcaturiunt omnes ſimplicium quorumvis dignitates, æſtimandæ tantum per illas miſcelas, è terra & aere inibi depoſitas.

Reliquos omittimus Motus, partim, minus ex effectis hucuſque cognitos, partim poſtmodum indagandos. Demonſtratu autem haud difficile eſſet, in natura & arte eaſdem leges motus obſervari, nulla, aut pauciſſima differentia inter utramque permiſſa, niſi, quod in priori caſu numeroſior exiſtat proles diverſificatorum corporum, non ita ſub manus cadentium, prout in poſteriori, quamvis circumſpectè rem artificialiter tractanti, admirationem ſeriam extorqueant plurima, antehac nec viſa, nec audita. Inſuper differentias artificioſarum cavitatum, inſtrumenta chymica conſtituentium, comparare liceret cum naturalibus, tam in cryptis ſubterraneis, immenſiſque terræ cavernis, ſuo modo fabrefactis, quam in minoribus & minimis mineralium, vegetabilium, & anima-

lium canaliculis, tubulis & poris, existentibus, si artis & naturæ convenientiam hic tradere animus esset. Sufficiet novisse, pari passu utramque ita incedere, cœteris paribus, ut unas easdemque ubivis ferant causas, unos eosdemque effectus producentes. Exinde miscelæ & motus, tam in hac, quam in illa, si rite eadem dignosci detur occasio, nobis maximam præbent ansam clare & distincte res perspiciendi, perspectasque dein docendi. Naturæ vero leges, sensus utplurimum nostros subterfugientes, vel à pueritia nostra negligenter examinatæ, quibus mediis nobis cognitæ & familiares fient in motu fluido, nisi per Chymicam artem, lusus naturæ exhibentem, in qua omnia hæc sub manus nostras melius cadunt, fortius in sensus incurrentia?

Ut autem hæc eo clariora fiant, lucem ipsam ex actionibus corporum maxime decantatis, sigillatim prosequendis, explicandis, enucleandis, depromere lubet. Nam, quemcunque exactior corporum delineatio suspensum tenet, illum nec fumivendulorum vana ratiocinia deludunt, nec experientiæ assiduæ improbi labores ab ulteriori investigatione deterrent; sed manibus pedibusque obnixis, is, uni, quantum possibile, veritati litans, claras & distinctas ideas assequi conatur.

Perarduum autem, immensum, vastissimumque mundi Oceanum transmigrare mentis acie, existit, ut aliquid certi in tanta rerum confusione eruere possit assiduus corporum, actionumque eorundem investigator. Tam mutabilis, & inconstans mundanorum scena, tenebricoso mentem domicilio detentam, non raro eludit, ut falsa sæpissime pro veris amplectens, cœco impetu ingeniosis cogitatiunculis seipsum, & alios fallat. Hinc, prout supra annotavimus, Philosophorum discrepantes sententiæ, tandem potius speculativis commentis, quam practicis experimentis contentæ, circa specialiora effecta siluerunt, vel ad notiones generales confugientes, magis dicere, quam facere, consueverunt. Medicina, à quibusdam philosophiæ excellentior pars dicta, inde minima, aut ferè nulla, sui incrementi exordia & progressus haurire potuit, præsertim cum philosophis sordeant experimentorum vestigia, labore impigro, & sumptibus non modicis, calcanda. Imò & ipsa usitatissima nomina artium practica, ipsis nauseam ferè movent; ut passim in illorum scriptis patet; ubi, non nisi rogata venia, ipsa verba, Philosophis, quasi vero, ignota & indigna, proferunt.

Unicuique autem in sua arte credendum esse, nemo inficias ibit, atque certo modo experimenta semper conspirare ad scientiæ medicæ perfectiorem notionem & ideam acquirendam, nisi omnimode cœcutire libeat, assensum omnibus extorquebit.

Exinde

Exinde ſectæ alicui philoſophicæ cœca obedientia adhærere, cum recta ratione eſt inſanire, Medico præſertim, corporeis mutationibus per corpora obviam eunti, non per meram ſcientiam, ſed revera per praxin ingenioſam, & induſtriam, perquirenti diverſificationem molis, figuræ, & motus corporei. Intricatiſſima Motûs idea, à plurimis tradita, reddidit explicationem annexam ſæpius ipſa notione obſcuriorem, tanto magis, cum omnes fere motus ad unam alteramve ſpeciem, ſeu generalem delineationem ejuſdem plerumque reducant, & nobis obtrudant Phyſici, omnia fere maximo tyronum damno confundentes, extra praxeos notitiam intellectualem eliminantes progreſſus, à principio ad finem, diverſificationis ſtatus corporei. Unde non extra oleas vagari mihi videor, ſi ad magis ſtrictos experientiæ practicæ terminos revocavero differentem corporum motum, ut eo melius, & certiori greſſu Medicus procedens, nil credat, nil audeat, niſi quod rationi & experientiæ conſonum ſeſe ſiſtat, alias pro Rhetore, Agyrta aut Empyrico potius habendus, deſtitutus Phyſica corpuſculari & experimentali, infirmos, & irrito utplurimum conatu, ingreſſus ſtatuens, jurens in aliorum verba authoritate occœcatus. Illud itaque primo ſerio inquirendum, quid ſit corpus, & quo modo corporeitas diverſificetur, in quibus proponendis humana utar libertate, ea nempe breviſſime deducendo, ſecundum experimenta, circa illam rem per me facta.

Corpus eſt quodvis extenſum, indefinita figura præditum, diviſibile in plures moles, motui & quieti obnoxium.

Hujus deſcriptionis generaliorem elucidationem Phyſicorum filii ſufficienter demonſtrant. Obiter tantum notabo, me ſubintelligere omnia obvia mundana, minutiſſima & maxima, mobilia & quieta, corpora ex eodem fonte peti, illaque eaſdem agnoſcere differentias ſuæ molis, motus, & figuræ, ita ut ima ſummis, & ſuprema infimis, reſpondeant, tam ea, quæ ad ſubtilitatem ultimam pervenerunt, quam illæ quæ coagmentata in maximas moles ultimam acquiſivere quietis & unitæ molis notam. Nullus igitur mihi ſermo de elementis, principiis, & quibuſvis aliis vocabulis, ad nauſeam uſque lectorum aures ubivis fere vellicantibus, erit. Multo minus ad obſcuros terminos tranſgrediar, ſed potius ibi pedem figam, ubi, experientia duce, ratio practica ſeſe ſiſtet.

Ideoque à majoribus & obviis corporibus, ſenſus noſtros manifeſte afficientibus, ad minima procedam, ut tandem ulteriori cogitationi & ſpeculationi concedatur locus. Ideoque corpora in tres differentias diſtinguemus

guemus generales, ubivis fere occurrentes, omnibus, aut plerisque phœnomenis enodandis, mea saltem sententia, sufficientes; quæ sunt

Primo, puncta minima rigida, acuta, in aqua solubilia, quæ salia vocantur.

Secundo, oblongæ, molles, obtusæ, & flexiles particulæ, sub nomine aquæ sese offerentes.

Tertio, corpora dura, solida, in omnem dimensionem valde extensa, ad motum per se inertia, quæ terræ vocantur.

Ad hæc tria omnia reduci posse corpora, eorundemque actiones, & figuras, inde ortum suum trahere, demonstrare conabimur. Præmittendum autem est, hæc corpora singula suum reservare statum, nec unquam è classe sua excidere posse, quicquid etiam mimicæ transmutationes eorundem videantur in contrarium ferre, cum revera circumstantiæ rite observatæ, & ad unguem examinatæ, falsitatem illius ratiocinii arguant. Sic enim aqua in terram insipidam converti videtur, postquam ipsæ particulæ leviores aquæ in fugam abreptæ fuerint ope effluviorum salino-terrestrium ignis, remanente postmodum terra, nunquam pondus aquæ æquante, etiam per centum, & bis centum, vices destillatione repetita; nam circiter media, vel ad summum duæ tertiæ partes terræ retinentur, quæ partim natalitias suas sedes debent elevatæ terræ salinæ, ab igne effluenti, ibidemque sese intricanti. Idem esto judicium de sale in terram vertendo; ea etenim puncta nunquam cessant rodere terram fictilem illi commissam, nec aquæ accessus necessarius definit terram ei admixtam communicare sali evaporando & calcinando. Unde facile liquet, hæc experimenta, nec ritè perfecta, nec rite observata, fuisse, ut fundamentum illi ratiocinio præberent. Hæc autem corpora, externo sensu, pristino statu orbata, graves naturæ lusus absolvunt in mutuis miscelis, intricationibus, dissolutionibus, & extricationibus partium & particularum, dividendarum aut coalescendarum, ope motus.

Per motum nil aliud intelligo, nisi effectum motus, consistens in viciniæ corporeæ continua mutatione. Effecta illius mutationis sunt innumera; nam corpora se mutuo semper afficiunt, premendo inter se superficies quasvis obvias, quas atterendo dividunt, & in plurimas postmodum figuras & formas, reducunt. Totius mundi vicissitudines mutabilitatis illi debentur motui, sed modificationes ipsius motus competunt figuræ, & moli corporeæ.

Figura corporum consistit, in eorundem superficie minima extensa quoad primam eorum existentiam simpliciorem, dein respicit ipsam tex-

turam

turam compoſitam. Extenſio reſpicit lineam ex una, vel diverſis ſuperficieculis conflatam, indeſinenter mutationibus ſubjectam, in quantum illæ lineolæ extenſæ ad diverſa reduci poſſunt puncta, ope diviſionis per acceſſum & progreſſum aliorum corporum, tranſverſim illas diſcindentium: An vero puncta illa ulterius diviſibilia exiſtant, parum ad Medicum facit, quoniam non ſolummodo ſenſus noſtros illa ſubterfugiunt, ſed etiam incapacia exiſtunt magnis alterationibus inducendis in occurſu ad cavitates & ſuperficies aliorum; quare hanc litem philoſophis dirimendam relinquimus.

Hæc diviſio extenſionis, innumeris modis alterat ordinem & ſitum texturæ corporeæ, hoc modo & motu actionem & molem admodum alteratam vel mutatam exhibentis.

Per texturam intelligo conſarcinationem plurium, figura & extenſione differentium, corporum, puta ſalis, terræ, & aquæ, artificioſe inter ſe concatenatorum, & diverſos in ordines diſpoſitorum.

Hæ texturæ à motu ortum ſumpſêre, ubi nempe à tergo preſſa corpuſcula aliis atque aliis obviam ire coacta fuere, in quorum receſſus poſtmodum habitacula ſibi fixiora acquiſivêre diverſæ claſſis corpuſcula, undique ſæpius irretita. Hinc, pro ratione mixturæ admiſſæ, illæ texturæ diverſas asquiſivêre figuras, actiones & denominationes.

Exempli gratia, ubi ſpicula ſalina præeminentes occupant ſuperficies mixti corporis, dicuntur eſſe ſalia: ubi vero ipſæ terræ undiquaque durius cingunt ſalia & aquas, dicitur eſſe corpus terreſtre: tandem, ubi aquæ præpollent in illis corporibus mixtis, ſuum communicant nomen. Nulla datur talis corporum ſimplicitas, quæ non huic texturæ ſubjecta exiſtat; nam, cum acie ſcindenti & pungenti ſemper inſtructa ſint ſalia, ideo non poſſunt non diſcontinuare cohærentes moles corporum denſiorum, poſtmodum non raro ſubeuntia leges eorundem læſorum corporum, ad quæ melius intelligenda ſequentia conducent:

Omnia corpora, mediante motu diviſibilia, eatenus ætherem conſtituunt, ſeu materiam ſubtiliſſimam corpoream, quatenus in minima puncta reducibilia ſunt, ut duobus requiſitis ſatisfaciant admodum neceſſariis:

Primo, ut aptiſſima evadant ad motum; nam exiliſſima ſunt mobiliſſima.

Secundo, ut per obſtantes corporum catervas ruere poſſint, acie ſua ſibi viam parantia, aut eandem paratam, ſumma tenuitate ſua libere permeantia.

Hæc autem requiſita plane in ſalem coincidunt, adeoque non abs re, ut

ut mihi videtur, materiam subtilem nomino salem spirituosissimum hujus mundi, utpote cujus partes in minutissimas deduci possint particulas, motui citissime obedientes, imo continuantes in illo motu, eundem etiam communicant aliis corporibus, discontinuatione & divisione perpetua illa exercentes suo influxu & effluxu. Insuper omnia motus attributa lucem, calorem, & reliqua phœnomena respicientia ejus auxilio debentur; unde non insulse aliquis pronunciavit, solem esse congeriem salis, uniti corpusculis levissimis & planissimis terræ metallicæ constantioris. Omnis activitas debetur salibus, tanquam efficacissime motis corporibus, undiquaque se insinuantibus, & imperium suum exercentibus.

Modificatio velocissimi motus salini debetur terræ & aquæ. Hæc enim illius nimium progressum retardat, inviscando illa spicula in oblongis, teretibus, & filamentoso quasi nexu instructis, flexibilibus, particulis. In hisce excepta salia, antehac libere vagantia, uno nomine puncta divisa dicenda, longiorem acquirunt ordinem & concatenationem, ita ut non amplius instar minimorum disjunctorum agant corporum, sed vi ibidem unita plurima simul puncta agentia vario postmodum motu perterebrent & discontinuent omnia latera, superficiesque terræ durioris, dein sociandæ aquæ, diluenti illas divisas moleculas terræ.

Hæc aqua, cum valde dilatabilis existat, undique lustrata in principio tenuissimis effluviis salinis, aëri, & ventis, originem dedit, unde non immerito, ut aquæ hæc producta, diversis gradibus expansa, validiusque mota, corpora humida vocari possunt. Minorem autem hac mixtura illa salia acquirunt motum, quoniam adjuncta, & circumcingentia, oblonga, & obtusa flexibilia corpora, nec tantæ penetrationis, nec tantæ activitatis esse possunt, quam puncta acuta rigida minimæ molis, maximæ aciei, existentia.

Hic motus adhuc magis infringitur, ubi altius sese insinuantia spicula undiquaque cinguntur obtusis, duris, & solidis corporibus terrestribus, ipsa non solummodo puncta diutius retinentibus, sed etiam ita incarcerantibus, ut in diversas series, ordines, & situs cogantur, consortio arctiori illis juncta. Ut salia & aquæ sunt divisibilia, sic & terræ; hæc autem, latissimæ cum existat dimensionis, nunquam ad eam exilitatem pertingit, ad quam salia, nec ad tantam porositatem, & flexibilitatem, ad quam aquæ; ideoque constantius domicilium ibidem reperiunt præcedentes particulæ, in terræ gremio inviscatæ.

Primo enim inter omnia corpora movetur sal, absque aliorum interventu necessario.

Secundo aqua fluiditatem recipit accessu ætheris salini.

Tertio utriusque indiga terra in motum rapitur, alias per se quieta tandem & immobilis.

Quoad figuram & extensionem, salia, abstracte considerata, semper sunt uniformia. Sic etiam aquæ, admodum parvam suæ primæ extensionis differentiam exhibentes; sed terra est plane differentis extensionis, & valde diversarum, respectu figuræ etiam primæ, dimensionum, superficiebus admodum crassis respectu præcedentium instructa.

Hinc omnes differentiæ coalitorum corporum, quoad figuram, molem, & actionem, debentur terræ, ut in sequentibus ulterius patebit.

Extensionem superficiei, diversimode combinatæ, & circumscriptæ suis terminis, figuram voco, quæ pro modo suæ texturæ diversas inire solet formas.

Ipsa extensio semper est figura corporum; sed cum diversæ extensiones simul sæpius connectantur in extremitatibus suis, ut & in interioribus cavitatibus, varios ut acquirant situs & ordines suæ dispositionis necessum est, singulis attamen corpusculis suam primariam figuram nunquam annihilatam præbentibus, èContra vero eandem tantum, variis modis modificatam, ope aliorum corporum associatorum, exhibentibus: Sic exempli gratia, sal permanet sal, quamvis extensionem videatur recepisse auctam, vel diminutam, in plurima combinatione terræ & aquæ, vel in earundem abstractione & secessu.

Easdem terram & aquam mutationis vices subire per motum & mixturas intelligendum est.

Differentia extensionis, præbet ipsam figuræ & molis alterationem, quoniam per ipsam figuram extensam nil aliud intelligimus, nisi juxtapositionem particularum, seu superficiecularum, aliquo modo quietam, & arctiori nexu cohærentem. Quamdiu igitur ille nexus & ordo perdurat quieto in statu quoad externum sensum, tamdiu dicitur corpus illæsum perstare in sua figura. Dico, quoad sensum requiri quietam juxtapositionem, quamvis, stricte loquendo, tam quieta vicinia rarius gaudeant partes corporeæ, quin à sale mobilissimo, æthere dicto, affectæ perpetuas suæ viciniæ, & nexus jacturas aliquas admittant, non semper autem ita perceptibiles, ut damnum illud sensu assequi possimus, ut patet in metallis, mineralibus, imo & solidioribus vegetabilibus, atque animalibus, quorum texturæ multiplici & densiori unione conflatæ sunt, ita ut vix ac ne vix quidem dignoscere possimus eorundem effluvia & exhalationes, non intermisso attamen motu procedentia. Insuper con-

stan-

ſtantes eſſe credimus figuras, ubi tantum accedit corpuſculorum, illis ſuperficiebus & poris accommodandorum, quantum illis decedit mediante motu.

Juxtapoſitio & conſtantia viciniæ corporum debetur ſoli terræ, tanquam corpori maxime extenſo, ſolido, & quieto. Omnia igitur maxime terreſtria & denſiora, conſtantiſſima in ſua figura cœteris paribus exiſtunt, ob duas præſertim cauſas:

Primo, quoniam ſali æthereo non tantus conceditur ingreſſus, ut magis unita vi, & copioſiori numero, ſpicula illa avellant & diſcontinuent ſuperficies arctius junctas.

Secundo, quoniam maxime quietam & ſolidam ineunt conſiſtentiam, non niſi fere in ultimis tantum extremitatibus ſuperficierum divellendam: ubi è contra minus terreſtria, vel potius maxime diviſæ terræ, undique ſale & aqua imprægnatæ, ab omni parte ſuperficies ſingulas offerentes, in ſingulis fere jacturam acquirunt, ut patet in vegetabilibus denſioris aut laxioris texturæ.

Hæ alterationes ſunt tot modificationes extenſionis, quæ ex ipſa prima corporum figura reſultant.

Nam ſalia non poſſunt non ſcindere, pungere, dividere, & diſcontinuare: cum autem motus nil aliud ſit, niſi rapiditas velociſſima ſalium, ideo neceſſum eſt, ut omnia corpora, motu maximo inſtructa, ſemper admodum ſint diviſa, & per conſequens valde ſalina. Illud teſtantur æſtas, ignis, ſpiritus chymicorum, omniaque fluidiſſima corpora, magna ſalis copia referta. Aqua, cum ſit corpus admodum poroſum, flexile; & oblongum, ut & valde dilatabile, inſtar veſicularum, aut particularum ſpiralium & teretium, neceſſario maximam debet admittere influentiam illius ætheris, cujus nutu, ipſius corpuſcula celerius ad fluorem agitantur, ita ut progreſſivo & inteſtino poſtmodum valeant motu, communicatione ſalino-terreſtris connubii. Hinc aqua meræ inconſtantiæ eſt inſtrumentum, ob duas præſertim cauſas:

Primo, quoniam ſemper repit & fluit æthere ingravidata, quod neceſſario involvit mutuam affectionem ſuperficierum, ſe invicem tangentium, & hoc progreſſivo motu atterentium.

Secundo, ob ejus flexibilitatem & mollitiem non poteſt non incurvatas ad ſe mutuo ſuperficies & cavitates valde irregulares reddere; unde laterum aproximatione, & pororum irregularitate ſubſequente, turbatæ aliquo modo procedunt mixturæ, ſe mutuo diverſiſſimis modis afficientes, præcipue reſpectu terræ, illo motu affectæ. Hæc enim terra, juncta

præ-

præcedentibus corpuſculis, ſoliditatem ſuam ſervat, ut & duritiem fragilem admodum, tantum alteratam reſpectu aquæ mollis & brevioris articulationis, undique in poris per ſalia luſtratæ, & leviter diviſæ. Omnis igitur mutatio ſtatus competit huic corpori, tanquam mere paſſivo, ubi nempe ejus extenſiones & nodi ſolvuntur, vel diſcontinuantur, vel etiam accreſcunt, receſſu & acceſſu illius terræ, ſuperficiebus & cavitatibus jungendæ.

Terræ copioſius junctæ debetur productio molis.

Omne enim corpus in molem conflatur per accumulationem quietam terræ: unde non immerito molem nominamus terræ congeriem.

Hiſce non contradicunt ſalis copioſiſſimi acervi; nam ſi de ſalibus expreſſe agere animus eſſet, facile demonſtrarem, omnes diverſitates ſalium, & eorundem nexus tantum dependere à mole terreſtri, cui incarcerata illa puncta fixiores ſibi retinere ſedes coacta fuêre, & quibus denuo diviſis retinaculis ſtatim libertas prodit mobiliſſimi ſalis, non niſi mechanicam in figuram & texturam redacti ope illarum thecularum & cellularum terreſtrium, quod ſtatim ulterius patebit.

Terræ debetur figura ipſius nexus corporei, illa enim ſola exiſtit, quæ unionem & juxtapoſitionem reliquis præbet.

Nam ſalia per ſe nullo modo cohærere queunt, ut demonſtrant Chymica experimenta, quamprimum liberata fuerint à terræ ſolidiori nexu. Nihil autem ad rem faciunt omnes differentiæ ſalium, ut nempe in alcali, in acidum, in muriaticum, in volatile aut fixum apud Chymicos reducatur ſal, quæ potius reſpiciunt mechanicum terræ ſitum, illa puncta hoc illove modo & ordine diſponentem & exercentem: eodem modo ut acies pungentes, differenti nexu & ordine diſpoſitæ, in ſuis quaſi manubriis & cellulis longius, latius, aut declivius diſpoſitis, diverſæ actionis & penetrationis inſtrumenta proferunt mechanica. Varietas igitur ſalium eo magis declinat ad motum, quo moles terræ plura intercipere & unire queunt puncta, magnum ſitum & nexum acquirentia, unde etiam eorundem fixitas aut volatilitas dependet, quod uno alterove experimento elucidabimus.

Primum experimentum: ſulphur commune totaliter in flammam reducitur acidam, & plenarie conſumitur; ſi autem ſulphur adjiciatur antimonio diaphoretico, ſtatim figitur, & inflammabilitas ejus tollitur, ipſaque antimonii calx, nullo modo per ſe fuſibilis, ſtatim in igne liquefit, & priſtinam antimonii crudi figuram recipit.

Secundum experimentum: ſpiritus nitri, calci vivæ affuſus, ibidem

tam arcte incarceratur, ut ægerrime postmodum divortium admittat, nisi primo aëri objecta calx humido & moleculis ejus imprægnetur; unde resultat nitrum, denuo in spiritum reducendum.

Tertium experimentum: acida quævis, præsertim aceti destillati, ad plane aliam texturam reducuntur ope diversarum terrarum, ita ut in aliquibus maxime corrosiva, in aliis vero blanda dulcia & spirituosa tenuia evadant, sæpius ardentia, odoribus & saporibus alterata. Sic, ubi vitriolum crudum cum calce plumbi miscetur, & destillatur, moderatum præbet spiritum. Saccharum saturni si admiscueris in media parte vitriolo, inde resultat spiritus subdulcis & inflammabilis, admodum penetrans, præsertim si rectificatus fuerit.

Quod autem terræ magis minusve uniantur salibus, illud demonstrant divortia, & copulæ ipsius terræ in præcipitationibus diversis, per terras varias factis; sic enim solutio argenti in aqua forti præcipitatur cum cupro, solutio cupri cum ferro, solutio ferri cum creta, solutio cretæ cum sale dicto alcali.

Imo illi nexus terræ diversæ infinitas attribuunt varietates actionibus & apparitionibus illorum salium, tam in corpore humano, quam in omnibus aliis phœnomenis motus & occursus corporei. Illud autem terræ non salibus deberi, sequentia duo experimenta sufficienter demonstrabunt:

Exper. 1. Solvatur ferrum in spiritu nitri, spiritu vitrioli, vel spiritu salis ammoniaci, vel etiam in urina: illæ solutiones quamvis diversæ existant ratione salium, attamen cum nucibus gallis omnes hæ solutiones nigrescent. Perperam igitur hic acidum vitrioli pro authore agnoscitur, nigredinem inferente infusioni gallarum; cum è contra solutio alcalina majorem semper inferat nigredinis notam.

Exper. 2. Solutio plumbi, quovis acido facta, semper subdulcis existit, quamvis in spiritu nitri, aceto destillato, & cœteris facta fuerit. Idem etiam observatur circa odorem, ubi perlæ subtilissimum moschi odorem referunt, solutæ in quovis acido.

Exper. 3. Solvantur diversa mineralia in uno eodemque sale, color, odor, sapor, consistentia, & cœteræ actiones differentiam manifestam à terra soluta mutuabuntur.

Quicquid autem apud Chymicos diversitatis observatur inter varia menstrua salina, illud debetur ipsi contextui salino-terrestri, corpuscula mere terrestria non solummodo magis minusve discontinuanti, sed etiam in diversos ordines disponenti, mediante sua insinuatione & miscela: ad-

de quod fragmenta in majores, aut minores moles segregentur in ipsa corrosione leniori aut violentiori &c. quæ ulterius prosequi brevitas prohibet; obiter autem uno alterove exemplo illud elucidare conabor.

Ubi acida instar cultrorum & gladiorum agunt, majores & plures simul ac semel superficies disjungendo recipiunt in suis sat magnis poris, firmiori nexu copulandas, ubi junguntur terris, suo modo figuratis. In hisce solutionibus sæpius ad extremitatem superficierum visibiliter protruduntur illæ terræ; in aliis vero non sic; spiritus nitri ferrum dissolvens rubescit ab ejus flava terra instar vaporis spiritus nitri rubicundi; ècontra in spiritu salis dissoluta limatura, omnis fere coloris expers existit. Salia volatilia alcalina, lentiori passu procedentia, instar limarum minus acutarum blandius corrodunt, & minima tantum decerpunt ramenta, valde exilia, simul hac ratione in alium ordinem reducenda, plerumque cum exaltatione coloris ad obscurum, multitudine & magnitudine interstitiorum pororumque, singulas inter superficies avulsas derelictorum. Unde non minima resultat actionis diversitas in ipsis corporibus solutis; cœteris enim paribus violentius semper agunt majoris, quam minoris molis corpora; quamvis blandius, sed diutius agant superficieculæ admodum divisæ, singulæ suo munere fungentes, mitiori attamen cum impetu & leniori approximatione ad latera cavitatum, & superficierum aliorum corporum.

Plura hic addere possem experimenta, de status diversificatione respectu terræ solutæ, sed alibi ea de re fusius. Nam hæc remittemus ad actiones & vires medicamentorum, ubi ex professo ea de re sermo erit instituendus.

Modificationi mixturæ terrestris differentias fere omnes deberi in salium diversificatione, testantur innumera experimenta, è quibus hæc sufficient, ubi observabimus irretitionem & concatenationem variam terræ, producere differentias salinas, levissimis etiam motibus productas.

Primo, si spiritus nitri superfundatur sali communi, ab eo postmodum abstrahendus mediante destillatione, in fundo remanebit sal inflammabile nitri æmulum, aut potius plane ejusdem naturæ.

Secundo, si spiritus præcedens abstractus superfundatur antimonio crudo, & ab eo mediante destillatione evocetur, præbebit primo spiritum valde sulphureum, secundo ipsum sulphur commune flavum ascender sub forma solida.

Tertio, si superiori nitro producto addatur oleum vitrioli, inde pro-

dit spiritus penetrantissimus nitrosus, relicto in fundo sale neutrius generis, aliquo modo alumen referente.

Quarto, sal præcedens mixtum cum carbonibus lignorum, injectum crucibulo candenti, transit in sal volatile & fixum mediante ignis vehementia: si vero idem sal misceatar cum sale fixo tartari, & levi quantitate calcis vivæ, præbet salem volatilem alcalinum.

Quinto, sal commune mixtum in debita quantitate cum fimo equino, per motum validum intestinum transit in salem ammoniacum; modo debite operatus fueris.

Hæc sufficienter demonstrant, omnes salium metamorphoses respicere ipsam terrestrem incarcerationem, cujus ope faciem suam perpetuo mutant.

Restat, ut tandem demonstremus, non solummodo in salibus, sed etiam in quovis corpore, terram esse principem moderatorem & directorem omnis figuræ & formæ corporeæ, cujus nexu, & situ soluto statim etiam figuræ subsequitur destructio, omni nempe ordine & textura pristina perturbatis.

Figura respicit præsertim concatenationem superficialem corporis (de mixtis nunc loquor corporibus, suo modo figuratis) ad quam etiam cavitates disponuntur.

Hic nexus sine terra fieri cum nequeat, necessario illa mediante non solummodo certum ordinem acquirunt salia & aquæ, incarcerata solidiori corpori, sed etiam sæpissime ita obducuntur corpusculis terræ immobilioris, ut unam quasi terram constituere videantur in externo ambitu. Hæc operatio mechanica inservit constantiæ & durabilitati, ut & regimini illorum corporum, præcipue ob 3. sequentes causas, quas tanquam generales leges corporum statuemus:

1. Omnia corpora existunt mixta, id est, se mutuo mediante motu penetrarunt, & in ipsa penetratione determinatum acquisiverunt situm; mediante corpore per se quieto, immobili & inerti, terræ nomine passim obvio.

2. Terra inter omnia corpora existit maxime ruderosæ, & cujusvis figuræ, illiusque in omnem dimensionem latissimæ. Hinc per consequens in omnes proportiones, divisionis cujusvis aut accretionis capax existit, omnesque figuras & formas ineundi, mera agglomeratione, aut abrasione superficierum ope motus.

3. Constantia omnium corporum à quieta dependet vicinia partium, sibi invicem magis incumbentium, & superficietenus arctius junctarum,

hoc

hoc modo eludentium externum corpusculorum acutorum motum, quod non nisi terræ cingenti, pluribus superficieculis unitis instructæ, attribui potest.

Ex hisce non immerito concludimus, figi & retineri minima & mollia corpora in duro domicilio, apto nato quibusvis ordinibus sui situs adipiscendis, imo illis ab ulteriori progressu, particulis, nempe inconstantioribus, cohibendis, saltem pro tempore, à libero & vagabundo motu.

Hæc nullibi æque magis patent; quam in vegetabilibus & animalibus &c. imo & in omnibus mineralibus, quamvis in hisce non tanta concedatur particularum interna agitatio. Vegetabilia enim & animalia semper circumcincta apparent cute terrestri, ambiente & moderante ipsas partes motui maxime obedientes. Unde, pro tenaciori & densiori structura ipsius involucri terrestris, superficiem corporis ambientis, valde magna subsequitur modificatio, & alteratio ipsius progressivi & intestini motus corpusculorum internorum, indeque non raro duratio, & ævum illius figuræ judicari solet. Nulla enim cùm dentur corpora absque motu, saltem quæ mixturam majorem admisere, illa per motum valde alterari necesse habent, cum ipse motus, prout audivimus, semper competat salibus discontinuantibus texturæ superficialis cohæsionem. Cum autem ab ordine & situ vario molecularum terrestrium, magis minusve divisarum, procedant duo maxima corporum phœnomena, ideo eadem ulterius prosequemur. Saltem hic annectere libet, constructionem omnium corporum dependere à modificata, & certis terminis descripta, textura terrestri; destructionem autem unice dependere à texturæ illius mechanicæ discontinuatione; alterationes autem ejusdem partiales exhibere immutationes intermedias, figuræ & actionum.

Status corporum est determinata eorundem structura, ad quietem aut motum inclinans, unde duplex resultat corporum ordo, seu status, solidus nempe & fluidus.

Solidus absolute debetur certæ dispositioni mechanicæ crassioris terræ, pluribus & infinitis superficieculis, in longum deductis, junctæ, unde rigidior & durior resultat consistentia, minus æthereo motui cedens, nec illi tam facilem insinuationem, multo minus avulsionem majorem, concedens.

Illa structura corpusculorum terrestrium, ad oblongam, fibrosam, & teretem declinans cohæsionem, quietior perstat in sua vicinia partium, se mutuo in pluribus superficiebus tangentium, eoque in statu perseverantium tamdiu, donec ab aliis inquietentur mobilibus particulis.

Idem ubivis obvium est in mechanicis solidioribus corporum structuris, eo magis ad soliditatem & duritiem inclinantibus, quo majorem superficierum coalitionem, & acervum acquisiverunt, unam molem & massam magnam constituentium. Sic plura corpora, juncta intimius, semper solidiora evadunt; si mutuos nempe occupaverint poros & meatus; hinc enim approximationes laterum, & superficierum resultantes externam arcent ætheris injuriam, internum salium & aquarum motum coercentes. Hinc mixturæ metallicæ durabiliores existunt, & fragiliores, quam metalla simpliciora, magis porosa mineralibus; quod in plurimis demonstrare, & prosequi supervacaneum duxi. Idem contingit in vegetabilibus & animalibus, repletis, quoad poros, duriori corpore terrestri, ut resinosis, aliisque solidioris cohæsionis vernicibus, ætheris impetum eludentibus. Ob eandem etiam rationem spiritus ardentes rectificati præservant contextum corporeum, quatenus humido superfluo aquoso privant cohæsionem fibrosam, in solidiorem & sicciorem consistentiam redicendam, præsertim ubi corpuscula oleosa intercapedinem illorum meatuum, relictorum ab expresso humore aqueo occupant: ut patet in plurimis experimentis, quorum unum affere lubet, maxime conveniens in tali casu.

Spiritus Balsamicus.

℞. *Olei terebinth.* ℥ij.
Caphoræ.
Myrrhæ aa. ℥iij.
Sp. salis, cum oleo vitrioli destillati ℥iß.
Sp. vini, mellis, aut sacchari ardentis, ℔vij.

Destillentur simul ad medias, vel, quamdiu nondum lactescat liquor, liquorem abstractum limpidum conservandis corporibus superfunde; sic temporis tractu duritiem summam acquirent.

Vernix Balsamica.

℞. *Sp. terebinth. aut, quod melius, olei tenuioris, ex oleo petræ destillati* ℥xx.
Mastichis,
Sandarach, seu gummi juniperi, an. ℥ß.
Camphor. ℥ij.
Mixta vitro include, & in Mariæ balneo tamdiu coque, donec dissolutæ appareant resinæ, sæpius cum bacillo ligneo materiam mo-

vendo. Per subsidentiam clarificato liquori adde sp. vini, ter super salem communem rectificati ℥ij. dein ad eundem servetur usum.

In hac, & similibus immersivis præparationibus, & conservationibus, sequentia duo phœnomena observare licet:

1. Expulsionem fluidi superflui, ut diximus, & fixationem salis mobilioris, ope tenuissimi, in priori liquore, acidi additi in destillatione, unde rigidior, & magis hastata emergit figura motui minus apta.

2. Quod maximum huic conservationi contribuit, est levis particularum fluidiorum coagulatio ad magis fibrosum nexum, sensim indurandum privatione humidi mollis, & depositione resinosarum partium.

Plura possent addi experimenta, quæ tales operationes & experimenta elucidarent; sed brevitati studens illud tantum obiter monebo, quod in fermentatione fictitia succi, incrementum vegetabilibus exhibentis, ulterius elucidabo, etiam corpora fluidiora se invicem ad solidiorem statum posse præcipitare, mutuo tantum occursu & miscela, in partes magis minusve duras, utplurimum autem lactescentes, quamdiu saltem nexum mollem & flexilem obtinuerint oleosum. Infinita sæpissime succedunt exinde phœnomena mutationum texturæ corporeæ, tam in generatione, alimentatione & alteratione, quam in destructione corporum, situm & nexum hoc modo pristinum derelinquentium, vel diutius conservantium pro re nata.

Fluiditas non discrepat à soliditate, nisi sola mechanica dispositione partium intertextarum, breviori nexu junctarum; requisita autem fluiditatis præsertim sunt quatuor:

1. Ut partes sint admodum exiles.
2. Ut sint rotundæ, vel rotundis maxime convenientes.
3. Ut sint valde porosæ.
4. Ut sint independentes à se mutuo superficies.

Hoc modo constituta corpora, præ exilitate ipsius molis terrestris, facile parent motui salino æthereo, prementi & propellenti particulas illas rotundas ad circumrotationem circa proprias axes. Porositas & independentia superficiecularum minimarum iis maximam ansam præbent ad plenariam ab omni parte communicationem ætheris; unde salium spicula minima (nam & hæc admodum ibidem divisa cernuntur) facillime perseverant in motu progressivo, & sæpius intestino. Hic motus fluidorum non intermissus perpetuam ordinis alterationem profert, præsertim

tim si magnis mundi fluminibus; ætheri nempe, & aeri objiciantur hæc fluida. Impossibile etiam est, quod ipsa actio motus ullibi visatur sine abrasione & attritione superficierum terræ, nexum ordinarium constituentis, unde duplex resultat phœnomenon, nullibi non apparens in fluidis aërem admittentibus:

1. Fuga decarceratorum punctorum salinorum.

2. Combinatio & coagulatio partium terrestrium irregularis figuræ, privatorum suo sale tenuiori, è quibus postmodum fœces, & aliquando magnæ turbationes motus procedunt, si in ipso liquore suspensa illa ramenta leviora diutius retineantur, ut in motibus intestinis ulterius patebit. Illud autem obiter hic tantum annotabimus, illa segmenta abrasa præcipuos inconditi & intestini motus esse authores.

Fluidas particulas, per se consideratas, diximus parum, vel nihil differre à solidis, nisi sola corpusculorum transpositione, in quantum ipsæ terrestres particulæ brevissimis articulationibus junctæ, ad sphœricam & circularem seriem, & nexum suarum partium tendunt.

Ideoque illo nexu dissoluto ipsæ particulæ terrestres, alium oblongiorem & irregulariorem angulosum situm acquirentes, statim ad soliditatem transeunt, quod apparet, ubi situm vel rancedinem acquirunt corpora crassiora fluida, vel ubi copia aquæ obruta teretem & fibrosum acquirunt contextum, vel ubi pori magis replentur crassiori materia, vel tandem, ubi superficies plures simul nectuntur terris salinis oblongis, à pluribus partibus hic illic poris sese infigentibus: hisce enim modis statim à fluiditate ad soliditatem declinant corpora. Econtra vero facile mutantur solida ad fluidum statum sola divisione nexus superficialis, & majori perforatione pororum, & tandem circularis figuræ independentis à se invicem acquisitione, ita ut singulæ fere superficies seorsim moveri possint. Exempla tam obvia sunt in omnibus corporibus naturaliter aut artificialiter alterandis, ut experimenta illud demonstrantia afferre inutile videatur.

Figura solidornm cum sit innumera, etiam necessario juxtapositione differentium, hoc modo corpusculorum varietas debet esse infinita fluidorum, è solidis ortum desumentium, tandem etiam solidis nativitatem præbentium.

Nam non ita ab omni parte illa corpuscula terrestria primam dimensionem & figuram amittunt, quin eandem aliquo modo in coalescentiis asservent & illi nexui, inde oriundo, communicent. His accedit attritio & fricatio mutua corporum, diversimode illas superficies afficiens,

&

& disponens, quæ dispositio non ita statim deletur, ubi aliis occurrit, & nectitur superficiebus; unde innumeræ succedunt diversitates sæpius in uno eodemque corpore. Hæc corpuscula attamen ibi perstant sine læsione, quamvis non omnimode homogenea, & analoga cum reliquis existant, quoniam vel undiquaque cincta durioribus terris immobilem acquirere videntur statum, læsioni ineptum; vel in tam minima mole dispersa sunt inter alia corpuscula, ut præ paucitate & exilitate sensibiliter aliquid agere nequeant, quod patet in medicamentis & venenis; si enim arsenicum durioribus corporibus, solutionem ejus impedientibus, intricetur, inefficax evadit; sic etiam, si admodum divisum in paucissima quantitate offeratur, minimas tantum operationes producit.

Productionem diversimodam status fluidi & solidi hic prosequi non est animus, illud tantum breviter secundum suas differentias sequenti modo proponemus:

1. Omnia solida sunt coagmentata è molibus majoribus, oblongioribus, & planioribus ruderosæ terræ, circumcingentis salia & aquas, in eorum mixtura & textura. Hic nexus superficierum, sibi invicem incumbentium, quamdiu quietus perstat tam diu dicitur perseverare in quiete & soliditate.

2. Varietas soliditatis terræ dependet à densitate & approximatione arctiori superficierum, se mutuo in pluribus partibus tangentium, & ad majorem quietem coactarum.

Hisce notis distinguuntur metalla ab aliis mineralibus, vegetabilibus, & animalibus, quæ semper magis divisas minusque duras & solidas, respectu illorum, habent superficies, facilius etiam dividendas per motum, & interna, in hisce latitantia, salia.

3. Soliditas eo minor existit, quo majori copulæ aquæ sociantur salia & terræ, mediante qua divortium majus superficierum & inconstantiam sui ordinis superficialis acquirunt; ideoque hac ratione pleraque vegetabilia & animalia magis porosa & inconstantia existunt respectu mineralium.

4. Fluida ea dicuntur, quæ viciniæ mutatione & circumrotatione indefessa, omnes fere superficies internas & externas corporum afficiunt.

5. Hæc fluiditas eo major est, quo exiliores sunt texturæ, & plures superficies libere inter se agitatæ & propulsæ, ut & quo rarior est textura. Hinc spiritus vini subtilissimus multo fluidior existit oleo quovis destillato, quoniam in spiritu multo minor adest terræ copula, in oleo multo major, &c.

E 6. Tan-

6. Tantum declinat fluidum corpus ad solidum statum ; quo magis privatur punctis salinis subtilissime divisis, & magis accedit ad unionem longioris terræ.

Hæc præmissa sufficiant ad demonstrationem diversitatis texturæ, molis, & motus corporei; nunc autem ad ipsas actiones, exinde resultantes, transibimus.

Corpora summa necessitate ratione suæ figuræ agunt.

Actio corporum est eorundem mobile exercitium, in occursu mutuo se invicem afficientium, circa superficies & cavitates. Est igitur lusus, ut ajunt, naturæ, mutuas figuras ipsius materiæ corporeæ perpetuo alterantis, diversumque in statum reducentis. Nil igitur contra naturam, quæ nil aliud est, nisi motus & status figuræ corporeæ, procedere potest. Omnia enim absolvunt leges sui motus cœco impetu, ratione suæ delineationis, constantiæ, & diversimodi occursus. Motum diximus consistere in ipsa viciniæ mutatione, absolute perficienda progressu horum super aliorum corporum superficies, vario modo allisionem illam sustinentes; rarissime enim hi contactus, sine subsequente attritione, vel repletione corpusculorum procedunt. Hinc omnis actio dependet à motu progressivo corporum, in apricum producente salium diversum effectum, circa texturas superficiales aliorum corpusculorum, ab illis afficiendorum.

Figura corporum diversissima producit omnem nominis & actionis corporeæ differentiam; ideoque respicit semper actio, illius figuræ conservationem aut destructionem totalem, aut partialem. Corpora mixta, ratione suæ mixturæ, & multiplicatæ hujus aut illius extensionis, alterari posse, non autem annihilari, superius innuimus: hinc actio præcipue alterat pristinum situm, ordinemque illius mixturæ & extensionis, unde postmodum omnes resultant corporum actiones.

Minima maximis assimilari in suis legibus motus, extra dubium est, si cœteris paribus ejusdem existant figuræ, nisi quod ratione molis activitas mutetur nisus & impetus corporei, unde heterogenea & peregrina ea dicuntur, quæ non conveniunt cavitatibus, & intertextis superficiebus, quibus occurrunt; homogenea & analoga, seu amica, pronunciantur, quæ conveniunt in figura, mole, & motu, inter se.

Generaliter omnia corpora, tam minima, quam maxima se invicem in aliquibus extremitatibus tangunt, eaque ratione, commercio mutuo instituto, afficiunt; nam moventur corpora semper ab aliis affluentibus corporibus, & sic viceversa alia obvia movent, ita ut in circulum quasi

quasi vertantur omnes mundanæ particulæ, nunc supremas, nunc infimas sedes occupantes. Maxime observabiles autem corporum actiones præsertim ad 3. reducuntur.

1. Incrementum molis corporeæ accessu nempe particularum plurimarum, combinationem illius texturæ & molis adjuvantium, per quietam juxtapositionem: ut fit in generatione, coagulatione & fixatione corporum, terrestri vinculo sociandorum in unum idemque regimen & figuram.

2. Decrementum & imminutio molis, persistente attamen figura; seu textura corporis rarefacta, & leviori, vel eadem blande tantum in aliquibus particulis mutata, ita ut ad majorem tenuitatem & motum, vel ad alias quascunque leviores modificationes sui situs tendant; ut patet in alteratione, & quibuscunque externis propulsivis motibus, attritiones & fricationes varias superficiales procurantibus. Utplurimum illud manifestatur in fluidis corporibus, nunquam cessantibus ab alteratione, modificatione suæ texturæ. Huic classi etiam annumeranda Fermentatio, Digestio, Maceratio, & similia.

3. Destructio totalis nexus, & situs pristini ordinis domicilii terrestris; ubi nempe figura, nomen, & actio præcedens in illo corpore plenarie delentur, resultantibus postmodum alîus notæ texturis, aut corporibus figuratis; secundum illud proverbium: Corruptio unius est generatio alterius. Hoc fit, ubi ipsa corpuscula salina in propria viscera sæviunt, eaque plane dilaniant. Nam statim inde sequuntur in diversas partes secessus, sale nempe cum levissima terra, & aqua cum limosa crassiori fœce terrestri, sese denuo in alios contextus unientibus: ipsæ terræ insuper, salibus & aquis potissimis privatæ, postmodum inertes & immobiles jacent, ut patet in putrefactione, & igneo motu corporum ramosorum.

Hisce tribus actionibus includuntur omnia ferme phœnomena corporum motorum; nam vel generantur, ubi corpora corporibus accedunt blanda adhæsione superficierum, viciniam quietiorem accipientium; vel alterantur, ubi aliquid detrahitur illi massæ, aut aliquid accedit, non conveniens illi figuræ & regimini; vel destruuntur sive corrumpuntur, ubi ab aliis, externe accedentibus, in malignam dispositionem vertuntur corpuscula fluida salina, proprium nexum posthac discontinuantia, ubique multos & magnos poros efficiendo.

Hæ vero actiones suis non carent gradibus, id est, aut lento, aut citato cursu hi motus absolvuntur; ut & non raro insensibili modo & motu, progredientes figuræ corporum ad suas mutationes tendunt.

Rarius enim in eodem ſtatu per diutinum tempus durare queunt, ab omni latere moleſtata impetu & niſu corpuſculorum pungentium, ſenſim ac ſenſim mechanicam texturam ſolventium.

Hæc autem ſolutio multo ſæpius violentior eſſet, niſi ipſæ accederent intermediæ moleculæ terreſtres, huic figuræ magis convenientes, ruinas illas & fiſſuras reparantes ſua agglutinatione, ut patet in alimentis, in rore & in aquis, terreſtres particulas omnis fere generis valde diviſas & emollitas ſecum ferentibus, ſub nomine limi, chyli, aut corporum viſcoſorum vel ramoſorum, hic illic ad illas avulſas ſuperficies deponendas, quod poſtmodum ulterius demonſtrabitur.

Actiones igitur cum dependeant à figura, illaque in mixtis conſtituatur è certo contextu & unione plurium corpuſculorum, figura inter ſe differentium, ideo neceſſario inquirendum reſtat, quo modo illæ figuræ cooperentur.

Superficies corporum ſe mutuo tangentes, mediante motu progreſſivo actiones proferunt. Hic motus tamdiu dicitur eſſe propulſivus & externus, quamdiu tantum latera & extremitates illarum ſuperficierum alliſionem & preſſionem externam patiuntur. Motus autem nominatur inteſtinus, ubi ipſæ interiores cavitates inter ſingulos nexus & minimas ſuperficies exiſtentes, undique majori violentia impugnantur.

Hic producitur mediantibus corpuſculis, ſuo modo figuratis, latera & limites illos valde quatientibus ſua arietatione, & non raro deſtruentibus, ſi tam conſtantis exſtiterint figuræ & molis, ut in media corporum caterva ſibi vias ſternere, & perſeverare poſſint in motu & figura.

Ex hiſce duobus motibus fere omnes alii derivantur; nam ſtricte loquendo motus eſt ſemper progreſſivus; ſed inteſtinus tantum ad differentiam dicitur, ubi nempe fortius ab omni parte percelluntur corpora violento modo, ad magis viſibilem ſui ſtatus mutationem tendentia.

Hinc igitur modificationes ſpeciales motus non inquirendæ ſunt in generalibus illis vocabulis, ſed potius reducendæ ad ipſam figuram corporis moventis & moti; viciſſitudines enim ſuæ actionis & motus adipiſcuntur corpora aliis advenientibus corporibus movendis, & in actum deducendis, ut & ab excipientibus, & ſuſtinentibus illum motum. Sic, exempli gratia, ſpiritus nitri cum limatura ferri vehementer agitatur cum calore & fumo rubicundiſſimo aſcendente; lentiori autem paſſu procedit in aliquibus vix perceptibili, ubi cum aliis metallis & mineralibus confunditur. Sic oleum vitrioli cum oleo terebinthinæ ſumme efferveſcit cum calore inſigni; vix autem cum oleo petræ congreditur. Sic ſal ammonia-

cum

cum frigus communicat intensum aquæ communi, quamvis mobilitate sua, & acredine alia corpora in motum & actum reducat; spiritus nitri colore cœruleo levi solvit cuprum: sp. sal. ammon. eandem solutionem obscurat & intendit ad magis cœruleum; uterque autem deletur per sp. sal. communis affusum, &c. Hæc sufficienter demonstrant, reactionem corporum respicere ipsam modificationem partium, se mutuo exercentium in communi ingressu & egressu. Hæc ut melius intelligantur, sequentia erunt consideranda.

1. Omnem nexum corporeum productum fuisse à diversis moleculis terræ, non semper uno modo figuratis.

2. Inter singulas moleculas relicta fuisse interstitia, excavata à sale, aliquando repleta aqua, minus magisve copiosa.

3. Inter hosce nexus & meatus ipsa delitescere puncta acuta, majori minorive copula terræ obducta & onerata.

4. Hunc nexum ordinem suum servare constantiorem, quamdiu ab externa quavis materia pori & superficies inconcussæ perstant.

5. Hæc certo ordine disposita & concatenata corpuscula determinatam sui situs mutationem acquirere pro modulo suæ figuræ.

Hisce stabilitis facile erit deducere, quomodo actiones mutuæ corporum peragantur, ubi observaverimus, omnem hunc mundum repletum esse corporibus & corpusculorum indefesso exercitio, sibi mutuo occurrentibus, non solummodo circa superficies, sed & circa intimiores recessus & penetralia; ideoque à minimis ad maximas progrediar particulas, quoniam ab illis motus primarii derivantur, ab hisce modificationes.

Materia subtilissima abstractè considerata est una, consistens in minimo puncto acuto, unde primam ideam motus recipit, eamque communicat postmodum majoris molis corporibus, ab illa perlustrandis.

Hæc materia, quantum in se est, non potest esse noxia; illa enim divisissimis, ut ita loquar, punctis procedens, vivificum suum motum &, certa ratione, sensum corporibus omnibus inducit. Noxiam autem acquirit qualitatem hæc materia, ubi plurima puncta simul unita sensibilem acquirunt molem, combinatam in consortio levioris terræ diversimodè figuratæ, id est, ubi igneum acquirit nexum, & rapidissimi torrentis instar ignivomi procedit ad latera nexus superficialis crassiorum corporum; tunc enim non insensibili modo pergit, sed ipsam cohæsionem & structuram sensibiliter turbat & afficit. Sic etiam illa materia evadit peregrina & inimica, ubi corpusculis sociatur pessimo & pertinacissimo nexu instructis. Instar

veneni deleterii postmodum violentas producit actiones, simul ac semel continuandas, progressivo motu persistente in illo corpore, ad nutum suum disponendo particulas salinas, in corpore illo præexistentes. Æther igitur peregrinus fit, ubi mixturam patitur non convenientem, subtilissimum mundi sal; amicus evadit admissis tantum huic illive corpori non contrariis particulis, hacque sola ratione æther diversus videtur conflari. Eadem plane ratione, prout salia, diverso in sinu terrestri copulata, varium edere solent activitatis gradum, hæc nempe corpora disjungendo, illa connectendo, ista intacta prætereundo, ea tandem infinitos in ordines & circumscriptiones disponendo; sic etiam æther, nec amicus nec peregrinus dici potest, nisi respectu corporum, his aut illis particulis magis aut minus saturatorum, aut alia obvia salutantium: Quamvis, apertius loquendo, omnis actionis differentia debeatur admixtis molis majoris particulis, violento modo in illos poros & meatus delatis. Idem testantur salia, quæ ratione miscelæ illius tantum agunt, ubi mutuum divortium procuraverint ipsius terræ coalitæ, vel ubi illis corpusculis solidioribus armata, unita vi actiones proferunt plane diversas à pristinis. Hæc exemplis aliquot illustrare non inconveniens erit.

1. Sp. salis comm. per se innoxius, saltem dilutus in aq. comm. venenosus evadit, & plane corrosivus, solutione Mercurii vivi, & antimonii crudi, quæ ambo attamen nunquam per se tam efficacia existunt. Idem vero sp. salis inefficax reddit argentum in aq. forti solutum, ex admodum amaro & purgante, illud insipidum & lentissimæ, aut fere nullius operationis reddens.

2. Sp. nitri argentum solvendo amaricat, plumbum corrodendo dulcescit, stanni superficiem discontinuando mitescit, ferrum violentius imminuendo astrictorium, levi dulcedine permixtum, acquirit saporem, antimonium dividendo levioribus jungitur terris ramosis, post separationem terræ albicantis inertis, &c. Hæ omnes solutiones postea actiones proferunt diversificatas ex illis miscelis.

3. Oleum vitrioli, pleraque discontinuans metalla & mineralia, eidem forti subjicitur, sed, quod magis observabile, omnem amittit suam efficaciam ingressu in partes terræ fortius intertextas; in gremio etenim eorundem ita latitare cogitur, ut nullibi spiculis eminentibus procedere possit, ut patet in additione olei terebinth., antimonii crudi, sp. vini rectif.; cum hoc enim fere totum in massam insipidam, picis instar nigricantem, post abstractionem spritus diversi odoris & saporis transit, cum creta vertitur in aluminosam substantiam.

4. Sal. alcalia volatilia dicta, ab inteſtino tumultu partium producta, omnem ſuam differentiam terris oleoſis debent, quibus privata diverſitatem illam deponunt, poſthac in omnibus fere actionibus una facta. Idem de alcalibus fixis, ignis violenta tortura comparatis, eſto judicium. Terras enim fere uniformes cum obtineant poſt vehementiſſimum illum motum & receſſum particularum, figuram & ordinem, neceſſario vix differentem in ſuo ſitu & nexu, ſalium puncta aſciſcere queunt. Hæc autem ulterius juncta variis terris, diverſificationem ſui motus, & operationis præbent, quod plurimis experimentis confirmare poſſem, ſi opus eſſet; ſaltem variæ actionis eorundem ſalium in corpora diverſa, argumenta aliquot proferam ad diſtinctiorem perceptionem.

1. Solutionem Veneris, in aq. forti paratam, turbat & præcipitat ſal tartari, eandem turbatam mixturam excipit & diluit ſp. ſal. ammoniaci, ad ultimam diaphaneitatem uſque.

2. Roſarum infuſio ingrata & turbida fit, oleo tartari per deliquium addito, decoctum vel infuſionem ligni guaiaci maxime diluente.

3. Macis, nux moſcata, cort. pom. aurantiorum, &c. per ſp. vini alcaliſatum, ſc: ſale fixo impregnatum, optime extractam proferunt tincturam, quam in eodem menſtruo negant deponere cinamomum, gariophilli, &c. Sed ad rem; nam mihi audire videor objicientem & rogantem; quid commercii ſit inter ſalia fixa & ætherem velociſſimum; huic breviter reſpondeo, ſalia ſtrictè ſumpta nulla poſſe dici fixa, niſi ratione terræ illius molis & figuræ, cui illa ſpicula intimius juncta fuere, unde citiſſime avolant, quamprimum moleſta incarceratione liberata fuerint.

Nunc tranſeo ad aerem, magnum illud expanſum humidum, moleculis infinitis refertiſſimum exiſtens, undique luſtratum tenuiſſimis effluviis ſalinis, qui nullibi non offert diverſo ſitu & ordine gaudentia corpuſcula, preſſione in poros & hiatus graviorum intrudenda. Hæc ibidem excepta ſuas abſolute peragunt operationes, inſenſiles, ſi tantæ exilitatis fuerint, ut libere permeare poſſint, motum propulſivum & dilatationes neceſſarias continuantia; ſenſiles vero, ubi mole ſuæ figuræ, & copia accedentium corpuſculorum, ipſæ ſolidæ texturæ, quoad ſuperficies & cavitates, fortius agitantur, comprimuntur vel dilatantur. Hinc innumeræ benignitates aut malignitates aeri adſcribuntur non immerito; ſcatet enim halitibus diverſiſſimis terræ noſtræ durioribus, omnibus poſtmodum obviis communicandis. Craſſities itidem & tenuitas ejuſdem, miſcelis illis halituoſis debentur, utpote quæ noſtros humorum motus

vario

vario modo diſponunt, ad tardiorem nempe aut celeriorem progreſſum. Hic denuo repetendum videtur, illas diverſificationes, ſeu differentes actionum denominationes, tantum aliquibus, non omnibus corporibus, competere; ſic enim hiſce aeris levitas & tenuitas noxia, aliis proficua exiſtit; frigora hyemalia aliis placent, aliis diſplicent; eadem eſto ſententia de ſyrio æſtu, &c. Prout enim convenientia aut diſconvenientia partium, ſibi mutuo occurrentium, fuerit major aut minor, ſtatim inde reſultat effectuum differentia, quod ubique obſervandum. Hæc autem diſſimilatio partium non poteſt incidere in ſalia; nam mediante ſumma illorum exilitate nullæ poſſunt obvenire tantæ viarum anguſtiæ, per quas ipſis non concederetur liber tranſitus, multo minus adhuc, cum ſint unius figuræ.

Aquis non tanta penetrandi vis, ut divortium inter ſolida & denſius unita corpora terreſtria procuraret, unde quietam & inconcuſſam viciniam admitterent, ſine ulla partium miſcela abſolute neceſſaria ad mutuas actiones. Terris igitur debetur, per ſalia imminutis, & aquæ communicatis; omnis ſcenæ mundanæ apparatus, & ordo cujuſvis notæ. Haſce etiam in aereis moleculis primarias ſedes occupare, nemo, ut credo, dubitat, pulveris copioſiſſimi inſipidi &c. depoſitione illud ad oculum demonſtrante, ut & accretione vegetabilium in rupibus &c.

Aqua, teretes ſuas particulas, facillime cedentes, cuivis externo impetui ætheris & aeris, inflectendo, prorepit, eaque ratione fluit. Hæc fluiditas, ejus mixturâ, communicatur ſali & terræ, quoniam ejus ope nectuntur levi & molli partium minimarum ſitu, haud magnam niſui aliorum externorum corpuſculorum reſiſtentiam præbentium. Pleraque aut fere omnis fluiditas igitur debetur aquæ, Mercurii aut argenti vivi fluiditate huic hypotheſi parum aut nil contradicente; nam mediante deſtillatione ſemper aliquid humidi aquoſi fundit. Plurima inſuper dantur ſolida ex aqua producta, quæ per ſe aqueum humorem inſipidum non exhibent, ut ſunt oleum vitrioli rectificatiſſimum, ſp. nitri rectif., ſp. vini ſubtiliſſimus, &c. quæ tamen recluſa, per aliorum corporum terreſtrium, omni aqua privatorum miſcelam, maximum aquæ conſortium evomunt.

Imo ſulphur commune per ſe ſiccos in flores elevatur in vaſe clauſo, in aere autem aperto per flammam eructat acidum phlegmaticum liquorem. Oleum ſuam debere fluiditatem aquæ, teſtantur deſtillationes ejuſdem repetitæ, ſingulis vicibus, pro diſcontinuatione texturæ, magnam aquæ copiam fundens. Non autem hic præſupponimus, aquam ſolam

solam ad fluiditatem sufficere, sed insuper, prout superius, requiritur texturæ dispositio sphœrica, vel ad sphœricam inclinans, cui figuræ inducendæ aqua aptissima existit. Nam oblonga & flexilis cum sit, incurvatas terræ levioris superficies ad se invicem appropinquare finit, postmodum levi nexu componendas. Hoc passim in oleis occurrit, ubi maxime cribrosa & porosissima visitur terra, undique minimis spiculis refertissima, ope aquæ & motus in fluidas concatenatas massulas redigendis. In has enim partes resolvi posse oleum, infinita redarguunt experimenta, per destillationem nempe & ignem facta, unde illud inter primarias corporum texturas & mixturas non immerito reponimus, ubicunque maxime obvias.

Hæ in motu celerrimo constitutæ particulæ oleosæ, tanto potentiores sunt aqua, quanto ipsam præcellunt in admixtione salis & terræ; salia enim illic contenta lubentissime auscultant æthereo motui etiam congeneri, quæ simul agitata claustra terrestria violento modo perrumpunt, superficies superficiebus validius allidere, & motu progressivo fricare, ut & circumrotare faciunt. Hinc duo resultant phœnomena; 1. lævitas seu planities, circumrotatione & fricatione superficierum producta, reflexiones luminosas exhibens; 2. calor, resultans ex validiori partium motu, in pluribus particulis se invicem prementium & atterentium, ut patet in igne. Notandum autem est, eo majorem illius calidi motus esse productionem, quo partes ipsæ motæ diutius persistere queunt in mutuo contactu & pressione aucta; sic enim fricatione & attritione diutius continuata duriorum corporum inter se colluctantium, prosiliunt infinita salina effluvia, nostros spiritus & humores vehementius in sensibilem actum deducentia. Illa etenim insinuatione pori solito magis replentur, vasa hæc distenduntur, alia comprimuntur, ac tandem omnes externæ superficies magis ad se invicem approximantur, accedente instigante augmento motus particularum progressivo, attritione etiam illis in locis extricationem salium festinante, unde caloris perpetuatio. Hi motus calidi tam diu observabiles autem sunt, quamdiu terrestris perdurat nexus; illo enim plenarie soluto cessant etiam igneæ actiones. Ratio mihi videtur consistere in exilitate & mobilitate salis, citissime disparentis post disruptionem vinculi illius, unde non amplius unita vi feruntur plurima simul spicula, sedècontra nunc insensibili modo agunt, more & modo, nobis ab ineunte ætate consueto, ubi singula seorsim vagantur per chaos aëreum. Adde, quod armata spicula duris & solidis terris, fortiori & magis perceptibili nisu & ferociori impetu agant, quam iisdem privata, ut

patet in spiritu salis, particulis antimonii saturato; in solutione Lunæ, seu inde facto lapide corrosivo infernali dicto, &c.

Spiritus ardentes ejusdem videntur esse indolis; nil enim aliud repræsentant, quam tenuissimos & exilissimos tales contextus ramosos, conflatos è tenuiori sale, aqua, & terra, in suam mechanicam figuram per motum intestinum coadaptatis; perstante attamen textura rotundiori; de quibus alibi latius. Hi eo majorem mobilitatis gradum obtinent; quo eorundem copula ex aptissimè divisis, & rarissimæ texturæ particulis conflata est; ideoque multum in fluiditate oleum præcellit, magis crassa terræ compage oneratum. Spiritus salini sunt spicula diversos in ordines redacta, mediante terra, nexus varios & theculas fabricante, receptui & nidulationi eorum inservientes. Hoc interventu distinctiones actionis salini spiritus emergunt; nam, prout illæ terræ magis minusve proportionatæ sunt ad poros corporum solvendorum, inde statim variat reactio eorundem, ut nunc sæpius innuimus.

Solida corpora percurrere immensi esset laboris, sufficiat dixisse, nos ad soliditatem, seu solidam texturam semper debere animadvertere, etiam in ipsorum fluidorum actionibus rite eruendis & elucidandis; alias enim incassum procedit Medicus-Physicus. Determinata igitur structura alicujus corporis involvit ejus figuram solidam, quatenus inter se particulæ conjunguntur ad certum contextum; illæ autem subordinationes nexus partium ad quietem aut motum declinant, prout nempe ad longum aut circularem situm pertigerint. Insuper, quamvis in longitudine aut rotunditate aliquali conveniant, non tamen inde sequitur, easdem fore actiones; hæc enim denso superficierum nexu arctam unionem ineunt, illæ vix in extremis aliquibus particulis se tangunt, aliæ superficie plana, aliæ aspero & scabro partium inæquali situ procedunt, &c. Quis enim omnes numeret dimensiones angulosas, æquales vel inæquales corporum? saltem illas differentias adesse æque in fluidis dictis, ac in solidissimis statuimus, eaque omnia mota absolute opus suum perficere vi illius figuræ. Unde facile liquet, distinctionem istius ordinis concomitari mutationem, aut cessationem pristinæ actionis: Quæ destructio duplici obtinetur modo:

1. Solutione ipsius contextus, & coordinatione ad alium situm.

2. Incarceratione in alio corpore, ubi nempe undique hæc aliis superficies occupantibus cinguntur corpusculis.

Corpora sunt mixta, & certa ratione per terram solida: Quæ soliditas in uno eodemque corpore diversos obtinet gradus raritatis aut densitatis, respectu salis admixti & aquæ. Cor-

Corpora nulla dantur perfecte homogenea in omnibus suis particulis.

Corpusculorum nexus nunquam tam arctus, quin plura intermedia relicta conspiciantur interstitia, majora sub nomine cavitatum, canalium, nobis nota, &c. minora, pori, tubuli, &c. nobis audiunt.

In illis hiatibus & cryptis quasi subterraneis nidulantur tenuissima corpuscula ætherea, aërea, &c. ibidem motum promoventia, communicatione sui cum externis levioribus prementibus.

Ætheris aerisque insinuationes effluvia procurant innumera, unde rarius solus æther procedit, sed potius mixtus aliis atque aliis moleculis, altiùs cavitates illas variis modis afficit.

Corpora eo magis sunt constantia in suis actionibus, quo arctius unita sunt salia terris durioribus, consortio aquæ minori debilitatis.

Activitas corporum multifaria existit per multiplicitatem variorum corpusculorum, nexum constituentium.

Actio corporum multiplicatur divisione superficierum, pristinam figuram conservantium, eamque illæsam aliis obviis communicantium.

Actiones, cœteris paribus, sunt eo violentiores, quo moles corporum majores exstiterint. Eæ enim magno nisu rem simul ac semel agunt, pluresque superficies simul afficiunt.

Motus superficialis corporum propulsivus semper minores profert alterationes situs & nexus; Abradit enim tantummodo minima ramenta terræ, multiplices cohæsiones & juxtapositiones obtinentis, permanente exteriori adhuc textura attenuata. Quo igitur illæ accumulationes terrestres plures fuerint, eo diutius resistit illud corpus motui.

Motus intestinus, quamvis etiam tantum sit propulsivus, majores & maximas in campum prodire facit corporum metamorphoses, quoniam ab omni latere non solummodo impugnantur superficies connexæ, sed simul etiam in cavernulis & cellulis istis nidulantia.

Aqua inconstantiæ corporeæ est author, lubricis, glabris, & flexibilibus suis particulis, superficies terræ emollientibus, & in diversas longas circumflexiones reducentibus. Hinc aqueo humido externo orbata maxime durabilia sunt.

Hinc aquæ pleræque debentur generationis, alterationis & corruptionis corporeæ phœnomena; illa enim in fluorem reducit salia & terras, semper in situ & nexu variegandas per transpositionem localem partium.

Hisce præsuppositis ad rem ipsam progredimur, nempe ad differentias actionum specificas. Corporum dispositio varians, necessario eo plures

diversitates effectuum & apparitionum profert, quo plures, figura inter se differentes, particulæ seorsim agere incipiunt. Laxior autem prodit textura, faciliusque è suis vinculis & carceribus excidunt corpuscula, hic illic casu fere tantum non agglutinata, copiosa aquæ mixtura solvente unionem, & magis segregante superficies à superficiebus, vix extrema tangentibus.

Hic gravis naturæ lusus facilitatur accessu plurimi salis, discontinuantis terræ glebas & moles in minima ramenta, ita ut illius dein ope haud difficulter aquæ innatare, & ejus conquassationem subire possint. Ex ea concussione partes terrestres, diversimode hic illic jactæ & agitatæ, differentes ineunt secessus & nexus, prout nempe hamosam, ramosam, asperam, aut æqualem superficiecularum formam sibi comparaverint partes minimæ, Prôthei instar mutabiles. Impossibile enim est, in tanta confusione ut unæ eædemque elaborentur series & ordines, præsertim cum illæ se mutuo premant, fricent & atterant, fere ab omni parte hic aliquid corpusculis decutientes, illic aliquid apponentes, donec stabiliorem sibi obtinuerint partium conformationem, ætheri facilius cedentem.

Hæc ut clarius intelligantur, necessum est considerare, in omni corpore composito esse secessus excavatos, ad quos rarius, nisi minutissimis corpusculis, conceditur penetratio. Prout igitur porositas illa magis minusve concessa fuerit, influentia externorum majores minoresve turbas excitare solet illi corpori alterando. Resistentia igitur corporum, gravitas & durabilitas, hisce debetur arctissimis viarum claustris; eo enim copiosiori quieta materia instruuntur, non ita facile, nisi in extremis aeri maxime objectis superficiebus divellenda; nam approximationes terræ quò densiores fuerint, eo constantia ordinis & figuræ in corporibus est longior, ut patet in metallis: Ubi vero porositate maxima instructa sunt, in patulas magis vias ore aperto quasi hiantes, non soli ætheri, & aeri levissimo conceditur introitus, sed etiam majori mole gaudentibus corpusculis. Incommoda plura, inde ortum sumentia, temporis tractu sese manifestant, quæ toti corpori ruinam minitantur, duobus plerumque maxime observabilibus circumstantiis:

1. Violento progressu ad penetralia intimiora adactæ crassiores solito moles, in principio obstruunt orificia, intercipiuntque, pro illo tempore, consuetum aerei ætheris ingressum, quem ulterioribus in poris comprimunt; dein à tergo pressæ, procedunt ad interiores vasculorum porosas ramificationes, Dædalæum sæpius opus, intricatissimis, & valde

tortuosis sinubus & ambagibus superantes, ubi dilatationes cavitatum procurant suo & aeris copiosi, in angustias hoc modo redacti, ingressu; tandemque attritiones varias superficierum plurium majori allisione & collisione continuante, læsionesque insuper texturæ corporeæ inducunt. Iis præterea ramentis inconditæ figuræ avulsis, vires, copia nempe & mole aucta crassiorum & heterogenearum partium, acquirunt motus illi feroces intestini, adhuc multum exaltandi per decarcerationem spiculorum, è singulis moleculis prosilientium. Hi motus eo majori cum exæstuatione, calore & vehementia procedunt, quo figura aptior ad celerem aut tardam suæ viciniæ mutationem sese obtulerit, & quo copia spiculorum ubivis irrumpentium, & vi sibi vias parantium major fuerit; tandem etiam, quo texturæ singulæ exstiterint tenacius cohærentes; unde sæpius cum sonitu explosiones, & calidissimæ fricationes partium, se mutuo diutius atterentium, fiunt, imo non raro ipsæ etiam flammæ conspicuæ emicant.

2. Lentiori passu repentes particulæ, mollioris oblongæ texturæ existentes, fibrosas coalitiones admittunt, & cuticulæ instar undique supremam superficiem cingere & obducere videntur, in cujus reticulari figura plurima excipiuntur & retardantur corpuscula salino-terrestria, per motum abrasa. Hinc maligna resultat corporis illius novi concatenatio circa summitates, tamdiu successivo motu aliis atque aliis ibidem alluentibus corpusculis communicanda, donec mediante continuato intestino motu ima summis & summa imis permisceantur, cum interitu pristini ordinis particularum. Fluida enim à motu progressivo ut cessent, impossibile est, perstante ad illum motum apta figura; ubi vero intercapedines meatuum ab aliis obsideri incipiunt particulis, statim inde resultat lentor & viscositas, id est, in longum diductæ apparent series corpusculorum, quibus incarcerata aqua, effluviis salinis (à fuga ulteriori prohibitis per cuticulam superiora occupantem) prægnata, ultimum opus absolvit, ruinam nempe illius massæ corporeæ accelerando.

Hæ duæ operationes admodum tritæ sunt & familiares in resolutione varia corporeitatis; ita ut exinde fere omnes motuum & actionum explicationes, præsertim in solido-fluidis, explicari sat clare & distincte queant. Quomodo autem diversificationes variæ oboriantur è lucta differentium talium pugilum, posthac latius exhibebimus, saltem monebimus, omnes hasce particulas posse dignosci è suis effectis, & figuris inde resultantibus sub finem luctuosi motus. Externa accidentia, motum

tum ipſum concomitantia & ſubſequentia, determinatam, certiſque limitibus & nominibus circumſcriptam, partium modificationem ob oculos ponunt, & proinde ſufficientes demonſtrant ſpecificas, & differentes, ad hunc aut illum ſcopum tendentias. Sic ex gr: coloris apparitio, dependens à certa ſuperficiecularum mere terreſtrium majori mole, ſuo modo variegata, diverſimode luminis radios reflectente, repercutiente, intercipiente vel tranſmittente, ſtatim arguit texturæ hujus gradus alteratos. Quod ulterius proſequi, mihi brevitas propoſita vetat; obiter tantum in aurem; color albus planiorem & longiorem ſuperficiei nexum indicat, minus in plurimis mobilem; color flavus & ruber à ſphœrica, aut valde gibboſa, vel ſemilunari ad minimum figura producti, corporum ad motum promptitudinem denunciant: color niger & lividus, laceram & valde diſcontinuatam ſuperficiei ſtructuram proferentes, ſeceſſum partium exiſtentem aut futurum declarant in fluidis, &c. Diaphaneitas rectitudinem pororum perhibet, & conſtantem refert corporum ſitum & motum; antequam enim transferantur ad alium ordinem particulæ, inter ſe poros, ut audivimus, irregulares reddunt acceſſu molecularum obſtruentium. Sapor & odor extricato ſali ſua debent incunabula; inſuper non minimam præbent diſcretionis anſam; prout etenim differentiæ odorum & ſaporum adſunt, extempore nexuum ſalino-terreſtrium variationes ſeſe offerunt. Omnis motus à ſale cum incipiat, in ſalem etiam deſinit, fluida ſi remanſerit corporis conſiſtentia. Hac utplurimum prodire ſolent cum differentia. 1, Omnia unita in majori nexu puncta præbent acida aut muriatica dicta ſalia, guſtui & olfactui non admodum ingrata, ubi diluta fuerint in aqua. 2, Diviſa ſpicula, tenuiſſimis terris ſociata, ingrato ſapore & odore vellicantia, & pungentia nervos linguæ, narium, urinoſa & lixiva, ſeu alcalina volatilia & fixa nominata. Conſiſtentia corporum quo mollior evadit, hiſce reactionibus, & permanet, eo continui ſolutionem eſſe validiorem deprædicat, partiumque tranſitum magis conſpicuum reddit.

Præcedentia nobis explicationem facilitant mutationum, ab igne & aere dependentium, quæ duo maxima alterationis ſunt inſtrumenta. Ignis movendo & concutiendo, ſpiculis rapidiſſime ruentibus, volubiles corporum texturas perpetuo inter ſe atterit & decutit, altiuſque effluvia ſua ingerit, unde hic illic ad latera impulſa irregularis ſitus corpuſcula, vibrationes valde inæquales, forti cum niſu, proferunt; tandemque inſtar cuneolorum, ſi acutæ figuræ fuerint, læſiones texturæ inducunt. Sic plumbum multo citius calcinatur in calcem, ſi ei calx plumbi, cre-

ta, sulphur commune, &c. admisceantur in ipsa fusione violenta ignis: Sic addito antimonio pleraque metalla, calcis pulverulentum subeunt statum: Sic addita calce viva cineribus alcalinis, &c. animalium & vegetabilium partes citissime disiunguntur. Interim quis dubitat, ipsum ignis focum, durationem & pabulum authores agnoscere moleculas majores, cum viderit, liberum requiri, ad ejus alimentationem, aeris commercium, quo semel excluso per vasa arctius undique clausa, tollitur motus igneus?

Aër, refertissimus moleculis & effluviis cujusvis indolis & texturæ, quantum ad corporum mutationem faciat, testantur omnia, liberiori aeri exposita, quæ ocyssime percelluntur à crassioribus corpusculis, satis attamen tenuibus, ut ipsos subire queant poros eorum ope alterandos. Experientia sufficienter ubivis demonstrat, ea esse citissime mutabilia, quæ non exacte clausa, id est, ab aeris injuriis immunia servantur. Omnes etiam intestinos motus aeri deberi, nemo sanæ mentis inficias ibit. Sic enim certis temporibus aër hisce, aut aliis, figuratis moleculis copiosius ingravidatus, sua defert effluvia, poris illis sese insinuantia, ibidemque postmodum turbas varias excitantia. Sic, ut illos sæpius motus præcaveant intestinos, præcipitantia talia contraria in usum trahunt corpora, quæ terrestria illa onera è poris deturbent & eliminent, ut posthac latius. Ut in aere, sic & in aqua, innumerabiles tales moleculæ cernuntur, vel ab aere communicatæ, vel à salium rosione, circa terras minerales & cujusvis figuræ alius corpora, ibidem delatà. Ideoque non mirum, si hæc duo concurrant ad alterationes indefinitas procreandas; sed unum absque alio nil aut parum posse, demonstrant sequentia.

Includatur quodcunque fluidum inconstans Hermeticè sigillato vitro, per annos plurimos illæsum in sua figura perstabit.

Antlia pneumatica aerem extrahens, incorruptibilitatem promovet.

Olei crassioris superfusio, aeris ingressum arcens, à putredine & corruptione diutissime corpora arcet.

Additio salium acidorum & spiritus vini, molecularum terrestrium secessum & coalitionem impedientium, tam diu præservat, quam diu extravasationem talem irregularem præcavere potest.

Aquæ evaporatio in eundem conspirat finem; nam tali modo arctius unitæ solidiores evadunt texturæ etiam densiores, impetus externos eludentes.

Facile inde patet, quare minimæ molis corpuscula attenuata, & à crass-

crassiori fæce optime segregata, ægerrime motus concipiunt intestinos; ut sp. vini, olea stillatitia, sp. salium, & ipsa salia; in hisce enim obstructiones quam diu locum non habent, necessario etiam illi excluduntur motus.

Hæc nobis viam sternerent ad inquisitiones varias, & ad elucidationem majorem requisitorum diversorum, ad stabiliendam mutationem & transmutationem plurium corporum, ope particularum talium, quæ ipsos poros, & minimos meatus aliorum subingredi possunt. Verum hæc nimis nos à proposito detraherent; obiter tantum, veras claves & moderatores, naturalis vel corpuscularis thesauri locupletissimum & maxime admirandum gremium aperientes, in hisce salino-terrestribus miscelis latitare, audacter profitemur. Ubicunque enim Chymici corpuscula corporibus intrudere possunt, salva permanente fluiditate utriusque ad debitum temporis spatium, ibi statim amœnissimas, & sensibus plerisque jucundissimas, producere potuerunt variegationes corporeas, pluribus numeris inter se differentes sæpius in uno eodemque subjecto.

Prædicta insuper nobis ob oculos ponunt circularem corpusculorum circumvolutionem, & serios naturæ, ita loqui liceat, conatus, ex una amissa figura plures gignentis, serie & textura sibi invicem non similes. Latissimus hic pateret campus differendi de alimentis, medicamentis, & venenis, ut & de vegetatione, quæ omnia præcipuè promoventur, & ferè unicè absolvuntur per leviora salina terrestria coagula, & secessus partium, in diversimodum situm & nexum dispositarum, postea amplexibus fibrosis aut gaudentium, aut ulteriori activitate pertinaci motum suum persequentium. Sed, quoniam de hisce ex professo posthac divino illud concedente Numine, agere animus est, nunc generaliores corporum prosequi tantum lubet actiones diversificatas, è quibus bene perceptis reliqua specialiora sponte quasi elucidabuntur phœnomena. Sicco igitur pede hæc transeo, festinans ad maxime decantatos intestinos motus, in omnium ore & animo tantum non versantes, quibusvis fere motibus adscriptos. Hic autem non diutius me detinebo in descriptione motus propulsivi, stricte ita sumpti, minimas sensibiles offerentis mutationes in contextu solidiori globulorum aut sphœrularum, quam diu circumrotationibus blandis lenem absolvunt corpora volubilia cursum: Ideoque perstare dicuntur illa in suo motu & figura, donec à fortioribus interruptam cavitatum & superficierum concatenationem naturalem pati coacta fuerint. Illud vitium autem ætheri soli non imputandum esse probare conati fuimus, imo vix

æthe-

ætherem ullum incuſari debere, in ſubſequentibus demonſtrare tentabimus. Æther enim una cum aere premere & pellere non ceſſant omnia corpora obvia, ſed hæc non niſi, ut ita loquar, defæcatiſſima, id eſt, craſſioribus inquinamentis liberata, poros permeant, in ſtatu perſiſtentes naturali. Quamprimum vero majoris molis corpuſcula eorum ope intra poros adiguntur, continuata à tergo preſſione non æther, qua æther, ſed materia illa craſſa vitiatum profert motum. Adde quod diviſione nexus, immediate præcedentis, plurimis aliis ſubſequentibus moleculis aditus & ingreſſus permittatur ab aere & abraſis corporis ipſius ramentis prolatis. Hæc poſtmodum determinatam ineunt motus ſui modificationem, perſeverantem ad conformem denuo particularum unionem & miſcelam uſque, liberam permeationem ætheri dein ad tempus aliquod concedentium, ut in ſequentibus patebit.

Fermentationis vocabulum tam lato ſenſu apud plurimos patet, ut omnia in motu conſtituta, fermentantia illis dicantur corpora fluida. Defectus autem verborum, rite pleraque motus accidentia, & attributa explicantium, huic ſententiæ anſam præbuiſſe veroſimile eſt, ut & plurimæ apparitiones, aliquibus modis convenientes, inter hunc & alios motus. Recte autem & ſerio oculo rem intuenti, manifeſtiſſimæ occurrent diverſitates & effecta, toto, ut ajunt, cœlo differentia. Nam ut modi diſcontinuationis & diviſionis corporeæ varii, diverſa ſortiuntur nomina pro inſtrumentis adhibitis, & corporibus inde reſultantibus, ſic etiam hi agendi modi non minus ſuam nobis protrudunt differentiam, tam cauſa, quam effectu ab aliis motibus ſecretam. Illud eo magis aſſeverare licet, quo producta inter ſe, illo nempe motu, in certo gradu maxime convenientia conſpiciuntur, ex omnibus, illi motui ineundo aptis corporibus. Quæcunque enim ad unum tendunt finem motus, ea inter ſe in præcipuis conveniunt ratione figuræ, nominis, & actionis, atque hoc modo ab aliis in pleriſque attributis per effecta diſcernuntur. Unde non deliranti ſufficienter palam fit, hoc vocabulum inditum fuiſſe præſertim à Chymicis, denominationis hujus autoribus, ſpeciali alicui corporum motui, tendenti ad præſcriptam quandam limitationem effectus corporei.

Ad majorem & clariorem præcedentium notionem obtinendam, ſequentia examinanda veniunt:

1. Motus progreſſivos minima ætheris ſubtiliſſimi influentia poſſe continuari in corporibus exilioris molis & figuræ rotundioris, circum-

rotationi facillimæ aptis ob independentiam superficiecularum: Quod patet in liquoribus cristallo naturaliter inclusis, ut & in vasis Hermeticè sigillatis, in quibus claustris perseverant non solum cum fluiditate, sed etiam cum diaphaneitate, quæ arguunt eorum constantiam immutabilem.

2. Intestinos motus tantum differre à mero progressivo motu per ingressum alius heterogenei corporis, transversim ipsas texturas solidas permeantis, ibidemque quamplurimas alterationes procurantis, mediante sua figura, nunc ad illum, nunc ad istum statum, corpus deducente.

3. Eosdem motus necessario dependere ab aquosa dilutione, & aeris liberiori insinuatione & compressione in angustatos & obsessos tubulos, violentius hasce superficies dilatantis, vicinas vero coarctantis, unde inæquales prosiliunt fluctuationes, & attritiones diversæ, pro natura tam agentis, quam patientis.

4. Omnem diversitatem, oriundam ex illâ interiori corporum lucta, respicere tam ipsum motum, ejusque tunc temporis conspicuas apparitiones, quam præcipue quidem, ejus productum ultimum, à quibus denominationes inditæ fuere. Hæc differentia eo magis dignoscitur ex juvantibus & nocentibus mixturis addendis, motus illius augmentum, aut decrementum, exhibentibus.

5. Cognitionem illorum motuum admodum necessariam esse, præsertim Medicis, ne inscitia sua talia præbeant medicamenta, quæ ipsi sano statui contraria sint; tum etiam Chymicis, ut rite discernant suas operationes & directiones modificationum corporearum.

Hinc concludere licet, non bene intellexisse & interpretatos fuisse plerosque Philosophos, & ex iis Medicos, ipsam fermentationem, nec fermenti notionem claram, multo minus, quod admodum necessarium erat, satis distinctam proposuisse, quoniam omnes motus intestinos confuderunt, verbaque usu recepta ad alium sensum detorserunt. Exinde contraria phœnomena & effecta uno nomine suis auditoribus obtruserunt, à tramite recto postmodum deviantes in absurdissimos errores, ubivis obvios, sed non alibi æque noxios, quam in fictitiis commentis circa humorum nostrorum statum & motum, ut clarius posthac ex ipsa descriptione subsequente palam fiet.

Fermentatio est motus intestinus liquidorum corporum, ad extricationem & exaltationem salis acidi ramosi, levioris aut gravioris, progredientium.

Hic

Hic motus plurimis circumstantiis stipatus prodit, in plerisque ab omnibus aliis separatus, in aliis vero cum iisdem communia quædam possidens phœnomena. Requisita huic motui necessaria, sequentia sunt: 1. Fervor partium sonorus & spumosus, 2. rarefactio & dilatatio tumultuantis liquoris, 3. halitus tenuissimus corpusculorum effluentium sine fœtore ingrato, 4. secessus in partes plane differentes, 5. diaphaneitas & tenuitas liquoris sub finem residui, 6. productio vini subacidi aut aceti.

Quoad primum, illud commune videtur esse cum effervescentia, etiam spumosos & sonoros edente fluctus, sed valde cito evanidos; hic autem admodum durabiles sese offerunt, ut ad mensem unum alterumve, imo aliquando ulterius pro re nata. Sic etiam secundum & tertium: cum enim in utrisque motibus observentur mutuæ penetrationes, necessum est, ut pressa latera, aura ætherea ingravidata, dilatentur, unde tumefactio & inflatio totius liquidæ massæ; Verum magna cum differentia spuma, halitus, effluviaque sese offerunt; in hoc enim motu fermentatitio non tanta, nec tam subitanea, cernitur effluctuatio; lente enim utplurimum incipit, dein accrescit, postea statum induit intermedium, tandem declinat & cessat, satis magnis cum intervallis; idem de effluviis observari potest lentius procedentibus, & multo magis de expansione liquidi. Hæc autem innumeris modis variare queunt, prout nempe conditio fuerit distincta corporum, ideoque nimis anxie has non prosequemur differentias. Obiter tantum insinuabimus, hasce apparitiones fere contrarias esse in putrefactione, valde dissimiles esse in digestione, infusione, maceratione, & aliis levioribus corporum discontinuationibus. Reliqua tria huic motui soli videntur esse pecularia; secedunt enim partes in varios nexus, divisibiles inter se absque ulla fere violentia, ita ut singulæ partes quasi integrum denuo corpus, ad suos inserviens usus, conflasse videantur. Sic inde emergit vinosus diaphanus liquor, dein tartarus acidus, in majori aut minori copia semper reperibilis in fœcibus subsiduis; tandem etiam fœces abrasæ terrestres, è poris & superficieculis attritis amandatæ. Hæ particulæ insuper ulteriori suo nimis protracto motu acetum fundunt, cujus elaborationem & causas postea investigabimus. Hæc igitur producta, omnibus modis differentia ab aliis motibus, fermentationem distinguunt à reliquis. Nullus enim datur motus vinum præbens, & ex illo vinoso liquore spiritum ardentem tenuissimum exhibens in destillatione, nec conversiones in acetum absque ejus ope cernuntur ex insipidis farinaceis & dulcibus, multo minus diaphaneitas

grata obtinetur ex ullis liquoribus ſine præcedente aut ſubſequente fœtido & ingrato odore: Quod manifeſte declarat, certam & determinatam eſſe & requiri figuram, actionemque in corporum fermentatitio motu acquirendo, & abſolvendo, quod clarius apparebit è ſequentibus.

Fermentationi ancillatur ipſamque promovet fermentum, quamvis talis ſæpiſſime conſtitutionis dentur corpora, quæ abſque ulla additione, niſi ſolius aquæ dilutione, promptiſſime ad illum motum tendunt, modo tales ibidem è textura dilatata excidant aut confiant moleculæ convenientes. Quod ſæpiſſime contingit ſola agitatione liquoris, calidiori aeris motu, effluviiſque è vegetabilium germine & effloreſcentia emanantibus. Sic liquores vinoſi iterativum ſuſcipiunt motum fermentatitium, vitibus in florido ſtatu exiſtentibus, &c. Fermentum omne illud nominatur, quod exiguis ſuis ſalino-terreſtribus moleculis ſubintrare poteſt alius corporis poros, eorumque ſuperficies, & latera ita concutere, dilatare & tandem diſponere, ut inde emergat liquor ſpirituoſus, ardens, ſubacidus, ſeu vinoſus, vel plane acidus. Fermenta hæc aliquo modo diverſa dici queunt; ab hoc autem ſcopo ſeu fine aberrare omnimode nequeunt, niſi mutato nomine cum ejus actione. Tribus modis fere omnis varietas abſolvitur:

Primum volatile ſeu tenue eſt fermentum admodum raræ texturæ; quod in recentibus fœcibus, ſeu effloreſcentiis cereviſiæ occurrit, ut apparet in pleriſque à principio turgeſcentibus, ſpumam craſſiorem edentibus. Hæc detracta ſpuma ſufficit dein aliis liquidis hoc modo agitandis; nam eandem cum acquiſiverit diſpoſitionem ſuarum particularum, illam etiam ulterius communicat & imprimit obviis, aptis natis illi motui & figuræ acquirendæ. Debitam hic conſideramus figuram illarum molecularum, non autem merum ſalem, ut aliqui volunt; nam hæc fermenta recentia cum ſint validiſſima in propagando motu, nec acida, nec alcalia dici queunt; ab utriſque enim ſalibus dirui poteſt vis fermentabilitatis, ſi ex. gr. addatur ſp. nitri, vitrioli, ſalis, &c. velècontra ſal volatile aut fixum alcali. Quovis enim modo alterata figura deſiſtit ab actione, quod etiam per ſe contingit, deſtruendo per proprium motum ſuam ſtructuram & modum agendi. Illud ulterius patefit, quod ſoli nexui & ordini partium debeatur; ſi enim fœces cereviſiæ ſicciores aſſerventur in loco frigido, diutiſſime, imo per annum integrum incorruptæ perſeverare queunt, alias intra aliquot dies corruptioni obnoxiæ. Volatiles aliquo modo has eſſe particulas teſtantur ha-

litus

litus inde ascendentes, præsertim coctione in majori numero tenuem spirantes odorem, sed paucissimum, & vix ullum ardentem liquorem offerentes in destillatione, privantur sua activitate ante ipsam ebullitionem, tam ob effluvia fugacia, quam ob jacturam pristini situs. Hæ fœces nullam visibilem ineunt luctam cum salibus acidis vel alcalinis, quod manifeste demonstrat, illam partium scindentium & pungentium seriem specifico huic motui parum aut nil adferre, sed illas agitatione intestina & mechanica sua figura ad hunc modum disponere & cogere corpuscula, ut semper ad acidum pergant fluorem salia contenta. Quamvis fermenta talem requirant partium dispositionem, ut in uno tertio conveniant, sc: in effectu; attamen eorum diversitas satis magna est pro minimis mutationibus situs & ordinis terræ salinæ. Succedanea fermentabilium fœcum illud demonstrant, nempe nuclei persicorum, cerasorum, prunorum, fructus immaturi, ut mespila, poma, pyra, uvæ, cerasa, ribesia, &c. quæ subamaricante, dulci, aut subacido levi ramoso instruuntur succo; abripiendo & diluendo in aquîs; pleræque enim fermentativæ particulæ illis insignitæ prostant moleculis. Hæc omnia fortius aut debilius agunt, partesque fermentandas aut fermentatas diversimode in suo contextu superficiali alterant, unde insignis oritur mutatio quoad odorem & saporem subacidi liquoris; in hoc omnes illæ modificationes conveniunt, ut spiritum præbeant ardentem vel acetum, quemadmodum in experimentis dilucide constabit.

Secundum fermenti genus est acidum fixius & densioris texturæ, quod in pastis farinaceis, diutius asservatis ad acorem usque, sese sistit. Hæc aciditas ut eo magis promoveatur, liquores adduntur acidi, ut armata hoc modo fermenta majori nisu procedere possint, præsertim in liquoribus crassioribus. Non magnam inducunt partibus tenuitatem, sed molem potius densam & gravem relinquunt, quoniam nexus corpusculorum arctior redditur insinuatione & retentione majori fœcum & exuviarum tam salinarum, quam terrestrium, rigidiorem in statum dispositarum. Hic partium mutatus situs tantum respicit meras salino-terrestres texturas, aquæ innatantes, quod ubique monitum velim, non autem ipsam aquam, nisi quatenus intertextam illis tubulis; illa vero ambiens & circumfluens aqua, vehiculi locum supplens, immutata permanet, denuoque separari ab aliis particulis potest. Eodem igitur modo condensant illas viscoso-ramosas partes hæc fermenta, ut acida fixiora oleis juncta, ea reddere solent minus fluida, magis rigida & solida, sua intricatione in illis poris & meatibus. Acida enim

 cum

cum existant corpora oblonga è combinatione & serie punctorum, in suis terræ rigidæ theculis deducta, necessario sphœricam, porosissimamque illorum corporum pro magna parte infringunt vel alterant figuram. Huic sententiæ non contrariatur vis & efficacia magna acidorum, non solummodo discontinuantium, sed insuper etiam retinentium, imo quasi absorbentium plurima corpora in satis magna copia: quoniam porositas imminuta conspicitur, illam comparando ad vinosum & spirituosum statum, unde totaliter nunquam sublata dici potest; adde quod hæc corpusculorum textura rigidior facta, undique spiculis eminentibus armata, intermedias possideat aquas valde porosas, in quas dispescuntur valde imminuta & disparentia ob exiguitatem ipsius molis. Actio horum fermentorum multum facilitatur & augetur mediantibus acrioribus aromatibus, v. g. pipere, zinzibere, pyretro, cubebis & similibus, stimuli loco cum tenuissimis suis corpusculis inservientibus. Horum textura, admodum salina existens, facillime aquæ communicatur, ejusque ope vicinis corporum poris impertiuntur salia, unde tandem accelerato cum impetu, viribus quasi unitis, reliqua obvia agilitate summa percelluntur, claustra terrestria disrumpuntur, alium in ordinem redigenda. Fœces, in liquoribus fermentatis subsidentes, acido fixiore sale nobilitatæ, crassioribus oleosis & mere terrestribus particulis fœtæ, huic scopo etiam inserviunt. Iis enim corpusculis, violentius cum liquore agitatis, saturantur postmodum pori & superficies, acuminatum rigidiorem situm acquirentes. Calor, & vehemens liquorum turbatio eosdem accersunt motus per ramosi nexus dissolutionem, quam subire coguntur partes, perpetuo agitatæ & concussæ in omnibus suis lateribus. Sic tonitrua, fulgura, hypocausta & Syrii æstus, ut & vasorum commotiones, vel liquorum cum bacillis conquassationes, ad acidi productionem conferunt. Hisce enim inquietudinibus lacessita spicula salina, aereæque particulæ ibidem latitantes, fortius primo in actum reducuntur, effluviaque copiosiora præbent, ut videre est in omnibus, allisione & frictione validiori instructis, dein attrita segmenta terræ, incondite per liquorem vagantia, illas postea turbas insignes proferunt. Aciditatem meram, fermentativi motus authorem non esse, superius innuimus; quousque autem hæc conferat ratione terreni nexus, illud sufficienter palam fiet per experimenta inferius tradenda. Omnia enim, acido copiosius obruta, & maxime condensata corpora, alias fermentationi obnoxia, resistunt fermento omni; sic etiam mera acida illam agitationem intestinam denegant, nisi prius diluta mixtaque, copiosiori

terrâ fermentabili impraegnata fuerint, tunc, quamvis sat tarde, motui illi obediunt.

Tertium fermentum improprie ita nominatur, constans è particulis fixis alcalinis, in usum adhibendis, ubi densior & intricatior ramosorum corporum est nexus, & penuria aquæ, aeris ingressum sufficientem prohibet; per alcalina enim fixa humidum aereum copiosius accersitur, pori magis dilatantur, tandem etiam levis inducitur lucta cum acidiusculis absconsis salibus, unde latera interiora illius massæ sensim distenduntur continuante postmodum intestino motu semel indito. Idem etiam observabile in austero-acidis liquoribus, eorum ope fermentationem obtinentibus, ut in succo cydoniorum, omphacio & similibus. Verum absque illis additamentis melius succedunt illi motus per acerbos immaturos fructus, imo superflua additione alcalium statim tollitur intestinus partium fervor; alcalia enim fermentationi esse contraria demonstrabimus. Per accedentem igitur concursum duorum pugilum, alcali nempe & acidi, ut & per solubilitatem vel dilutionem aptiorem in aqua, subsequitur ille motus aliarum particularum, debita ad hunc finem textura præditarum, neutiquam vero ratione alcalium.

Plurima sunt, quæ inserviunt fermentatitio motui promovendo vel diminuendo. Primo enim requiritur aptitudo corporis, secundo, dilutio ejus in sufficienti quantitate aquæ, tertio, ingressus aeris, quarto, temperata caliditas. Quibus bene se habentibus procedunt ad optatum finem corpora fermentantia; secus si faxint, nil minus fermentatione est expectandum; extempore enim prodeunt planè alius notæ & motus particulæ, alio nomine insigniendæ.

Aptitudo corporis nullibi æque magna conspicitur, quam in corporibus viscoso-ramosis, id est, talibus particulis, quæ nec exacte sphœricam, nec nimis duram obtinent consistentiam dissolubilem in aqua communi. Hic partium situs videtur respondere globulis seu perlis, filamento longiori concatenatis, ita, ut flexibiles existant particulæ molles, fibrosa concatenatione cohærentes, adeoque oblongam aliquo modo figuram exhibentes. Mixtum igitur est genus corporis, quod non plane est ramosum, nec plane viscosum, sed de utroque participans, ita tamen, ut utræque figuræ unam eandemque texturam componant. Fibrillæ, combinantes ipsas minores sphœrulas, iis non solummodo adimunt regularem & homogeneum situm & motum, sed insuper sunt tot quasi tubuli dilatati, receptaculo aquæ inservientes, unde facillime tumefiunt, & turgidæ postmodum ulteriori motui aptæ evadunt. Hæ

fibrillæ ſunt tanquam tot involucra & membranulæ, cingentes & connectentes inveſtitas particulas ramoſas, quarum ſpicula ſalina hoc modo enervantur, ita ut vel inſipidum, vel ſubdulcem proferant guſtum, ut patet in pleriſque farinaceis, fructibus, & ſuccis.

Quoniam vero textura illa ſæpius admodum gravis exiſtit, involucraque denſiora impedimento eſſe poſſunt, ideo in uſum vocantur talia artificia, quæ nexum illum craſſum aliquo modo attenuare & rareface-re poſſunt. Sic enim magis diviſa corpuſcula facilius cedunt impetui aëris & aquæ.

Hinc hordeum primo ad germinationem reducitur, ut ipſius nexus ſolutus magis pareat illi motui, imo ut horum corpuſculorum ope magis craſſa & gravia facilius eleventur & diſcontinuentur. Sic hordeum germinatum miſcetur cum aliis è frumento paratis farinis. Inde etiam obſervabilis eſt illa cautela, ne farinacea coquantur in aqua, vel aqua bulliente obruantur. In priori enim caſu nimia viſciditas & lentor impedit fermentationem, in poſteriori extractio admodum difficilis eſt, quoniam fibrillæ nimis corrugantur, ipſaque materia ſolidior & pultacea redditur pertinaci cohæſione ſubſiſtens.

Olea mera tam volatilia, quam fixiora, fermentationis notam nunquam ſubeunt, niſi poſtquam intermedia craſſiori viſcoſa materia illæ partes nimis ſphœricæ in longum magis diducantur & atterantur. Illud etiam in plurimis maxime odoriferis, & oleo tenuiori nobilitatis occurrit, quod fermentatio multo melius procedat poſt levem illius olei abſtractionem, quam ubi adhuc vigent illis corpuſculis repleta, vel, ſi extempore fermentatio inſtituenda videatur, neceſſum eſt illam adjuvare particulis oblongis dulcibus, ut motus & niſus velocior ſeſe extricantis olei tenuioris impediatur, vel retardetur, ubi nempe interceptum fuerit illis viſcoſis & hamoſis corporibus, glutinis inſtar, velocitatem illam, & nimiam independentiam coercentis.

Omnia acida eatenus exiſtunt fermentabilia, quatenus illis fibrillis viſcoſo-ramoſis ſcatent, quæ tamen rarius, & valde difficulter ad illum motum inducuntur, niſi acceſſu mere craſſiorum & fibroſarum terreſtrium partium, ut hoc modo intercipiatur immediatum divortium corpuſculorum terreſtrium, ope illius ſalis fluidi copioſioris productum. Niſi enim fiat approximatio & attritio ſuperficierum, & in omnes partes propulſio circumrotatoria, illum motum augens, nunquam obtinebitur fermentatio, nec ſufficiens ſeceſſus craſſiorum fœcum, quod admodum neceſſarium eſt requiſitum fermentationis finitæ, ut nempe dia-

diaphaneitas conspicua sese offerat in liquore. Hinc acidiusculis liquoribus injicimus ipsas fœces, vel ipsos fructus integros, ut irregularis, & intestinus procedat exinde motus. Sic nempe ad succum limonum fermentandum injicitur crassa pulpa ipsorum limonum ad extemporaneam obtinendam fermentationem : Sic omphacio injiciuntur uvæ integræ aut mespila immatura, quatuor fissuris divisa. In hisce additionibus etiam latitant encheireses rite uniendi plura corpora, & disponendi ipsum liquorem fermentantem ad nutum artificis. Hæc enim additamenta non solummodo inserviunt promovendæ fermentationi, sed etiam quasi intimius molendis & triturandis crassioris texturæ corporibus, in aqua per se non dissolubilibus. Sic enim butyrum, oleum, quæcunque crassiora seva, hoc modo dissociantur, ut in minimas moleculas redacta pro maxima sui parte liquori fermentanti uniantur, præsertim, si sequenti modo procedatur in experimentis exhibendo. Tandem ope addendorum corpusculorum sæpius variat totius liquoris crasis, ubi nempe ipsæ salino-terrestres particulæ sese jungunt superficiebus & poris corporis, discontinuandi per fermentationem : Ex. gr. immatura adstringentia, & maxime terrestria austera, admodum conducibilia sunt in æstate, quoniam poros & meatus densiores retinent & constringunt, ne terrestris nexus totaliter dissolvatur, & plane ad alium situm transeat : hinc conducunt rasura ligni salicis, mespila immatura, in pulverem grossum redacta, triticum immaturum, imo plurimi cortices adstringentes, levis quantitas aluminis, aliquo modo calcinati cum bolo armena; omnia insuper amaricantia, &c. quod ulterius prosequemur, ubi de calore, circa fermentationem necessario, agemus. Reliqua fermentationi apta corpora hisce nexibus annumeranda tantum veniunt, quod præsertim patet in floribus, eatenus tantum fermentabilibus, quatenus rorido melle copiosiori scatent, matutino tempore externas superficies occupante sub forma guttularum, quod gustu & visu observari potest. Hinc, ubi spiritus ardens è floribus & foliis expetitur, nunquam æque copiosus obtinetur, quam, ubi horis matutinis rore adhuc deciduo existente colliguntur, extempore ad fermentationem reponenda.

Obiter hic etiam monendi veniunt Medici & pharmacopæi, ut omnes flores laxantes aut alterantes, pro conservis, succis, aut syrupis inde rectius parandis, primo mane decerpant & colligant; perit enim eorundem vis fugato rore, particulas fermentabiles secum in fugam abripiente, restantibus particulis minus succulentis magisque austeris. Nam

catenus corpora ſunt purgantia ; quatenus vel ſunt fermentabilia vel ad fermentativum motum proxime accedentia ; ut poſtea in fermentatione putatitiâ ſanguinis noſtri & humorum declarabimus. Hinc difficultas ſæpiſſime eluceſcit fermentandi flores, quorum tenella textura citiſſime alterabilis exiſtit & corrumpitur, antequam ad fermentationis notam pertingant, amiſſo odore & ſapore, quæ utraque alias non admodum læduntur per fermentationem.

Ubi vero de die flores decerpti fuerint, additione ſacchari aut mellis ad motum inteſtinum reducendi ſunt, ne corruptelam contrahant nimia partium ſtagnatione.

Corpora hæc oblonga motui illi ineundo inepta eſſent, niſi prius mediante aqua diviſas acquirerent ſuperficies, nunc ad ſe invicem acceſſuras, nunc denuo receſſuras à ſe mutuo, adeoque ad inconſtantem ſtatum reducendas. Aqua, intermedias occupans ſuperficies, non ſtatim ipſos ſubingreditur poros ſingularum texturarum, ſed eoſdem primo permeare, & excavari ſinit per propria ſpicula, ſuis terris unita, unde magis patulæ redduntur cavitates, imo plurimæ procuratæ motu progreſſivo abraſiones ſuperficiales hic illic irregularem interſtitiis & meatibus inducunt ordinem, unde prima ſuccedit turbatio liquoris à coalitione & ſubſidentia illarum molecularum, aquæ innatantium, indeque major ſuccedit fricatio ſuperficierum, & tandem, per inſinuationem illarum molecularum in poros, plurimæ ſuccedunt ſegregationes priſtini nexus; quod ſequenti modo clarius intelligendum veniet. Aptitudinem corporum diximus conſiſtere in concatenatione fibroſa plurium ſphœrularum, articulato ſuo nexu flexibilium, craſſiori contextu ad inſipidum aut dulcem guſtum declinantium. Singulæ hæ catenulæ, ut ita loquar, diviſæ poſtmodum jacent in aqua, nunquam ceſſante à propulſivo motu aëris & ætheris acceſſu, præſertim cum illa ſit valde poroſa. Hic autem aër, ſeſe inſinuans ſubtiliſſimis ſuis effluviis æthereis, per omnem dimenſionem aquæ penetrat, ſingulaſque ſuperficies volubiles & flexiles de loco premit ſemper ad ſe mutuo & ſuper ſe invicem, præſertim ab externo aëre craſſiori incumbente compreſſæ. Hinc ſuprema infimis, & infima ſupremis perpetuo miſcentur & communicantur in circulari motu. Hic autem progreſſivus motus non poteſt fieri abſque continua alliſione, colliſione & fricatione partium, utplurimum aſperiori ſuperficie dotatarum, unde innumeræ ſubſequuntur attritiones, vel abraſiones ſuperficiales, tamen nondum fermentationem inducentes; tali enim modo omnia fluida ſeſe exercent. Sed, quamprimum tenuiſ-

nuiſſimæ moleculæ abraſæ tranſverſim per poros & fibroſos contextus adiguntur, tunc ſtatim aër ibidem intercipitur, & humidum tenuius, aëri ſociatum, in ventiformem expanſionem rapitur, omniſque maſſa turgeſcere incipit tumultuante admodum motu. Ibi enim copia major adeſt aëris & ætheris inſinuati, fortiuſque retenti à corpuſculis inconditæ figuræ interſtitia obſidentibus, ætheriſque preſſioni rectilineæ contranitentibus, ut neceſſario ad obliquum tendant motus progreſſivi. Hoc motu duo obſervantur & producuntur phœnomena: 1. fit centuplo celerior attritio per mutationem viciniæ acceleratam ope copioſiſſimi intromiſſi ætheris & aëris, unde etiam ſeceſſus partium abraſarum ſub nomine fœcum tanto major & numeroſior exiſtit, quam in motu vulgari progreſſivo. 2. cum partes ipſæ oblongæ obliquo modo percellantur ab aëre, ideo circumrotationes validæ & vehementes interſtitialem nexum fibroſum disjungunt, præcipue adjutricibus ſalinis moleculis, illos contextus dividentibus; unde ſingulæ ſphœrulæ, involucro craſſiori externo denudatæ, & cohæſione illa liberatæ, ſeſe poſtmodum diſpergunt per totum liquorem, & tandem diſpoſitione debita acquiſita, nexuque liberiori exiſtente, exiliſſimis nempe tantum ſuperſtitibus ſphœrulis, ipſæ fœces terreſtres ad fundum deturbantur, totuſque liquor limpidus evadit.

Fermentata quare ſemper acida evadant, hic inquirendum eſſet, cum plerumque è dulcibus & inſipidis farinaceis fiant maximæ fermentationes. Obiter autem hic tantum obſervabimus, illam acidi productionem nil aliud eſſe, niſi certam diſpoſitionem ſpiculorum ſalinorum, antehac præexiſtentium in ipſis corporibus, & partim etiam ex aëris ingreſſu ibidem depoſitorum. Prout in principio obſervavimus, motum primario competere ſalibus, adeoque ætherem & aërem componi ex illis, ad ultimum diviſis punctis, unde neceſſario objecta motui aëreo ſalſuginoſa evadunt inſinuatione illorum effluviorum. Hinc, ubi terreſtria vincula rariora fiunt, eminentia illa ſpicula conſurgunt, & ſuas actiones, à terra modificandas, præbent. Quodcunque autem acidum in vinoſis eſt liquoribus, illud non debetur ſpiritui, ſeu corpuſculis minime ſphœricis, ſed potius aquoſis, ſalium fluore nobilitatis. Impoſſibile enim eſt, quin mediante præcedenti motu plura corpuſcula terreſtria oblonga admodum, per ſalia diviſa, interſtitia illa non occupaverint, quæ, copioſiori ſali unita, & in longiores ſeries diſpoſita, acidum noſtris nervis imprimunt guſtum ſua vellicatione & punctura. Hinc etiam ratione illius nexus & combinationis intermediorum corpuſculorum vina

plurimum inter se differunt, quæ etiam corpuscula non minimam affricant labem & mutationem particulis exilioribus sphœricis: nam eorum ope vina & omnes liquores fermentati, mutabiles & inconstantes existunt.

Caloris gradus multum prosunt, aut obsunt motui fermentatitio, utpote qui celerem vel tardum promovent partium cursum, illas dilatando vel angustando secundum superficies & cavitates, ingressu aucto vel imminuto aerei ætheris. Per calorem intelligo celerrimam fricationem corporum, æthere copiosiori nobilitatorum. Fricatio hæc optime succedere cum soleat in corpusculis oblongis in angustiis retentis, ideo potissimum hunc adscribendum censeo motum talibus fibrosis & teretibus, interstitia partium sphœricarum replentibus, ibidemque in statu blandiori lentiori passu procedentibus, facillimeque sphœrulis illis cedentibus. Solæ autem lentæ oblongæ illæ particulæ calidum non inducunt motum, sed, ut diximus, permixtæ sphœrulis & imprægnatæ æthere salino. Hæc corpora, in plurimis superficiebus se diutissime tangentia, ab omni parte compressa, pertinacius effluvia salino-ætherea, id est, salium puncta majora & minora, in uno loco retinent, ut eò longius eorum actiones nobilissimæ ibidem perstare cogantur. Hæc accumulata, extricatione perpetuo continuante, salia spirituosa vires motus augent, ita ut vicinis etiam corporibus ideam illius motus imprimant, sensim exhalantibus per discontinuatam tandem texturam subtilissimis illis punctis. Nam fricatione illa attritæ & abrasæ superficies, texturam suam cum calore amittunt, à motu attamen non desistentibus halitibus tenerrimis, inde resultantibus.

Æstivi caloris ratio hinc petenda venit: aër enim, innumera molecularum crassiorum farragine repletur per irradiantes emissas lucidas salinas particulas, superficiem terræ nostræ violentius divellentes. Hæ pressæ, &, ut ita loquar, compressæ circa nostram versantur atmosphœram, diutiusque hærent & vagantur: ad altiora enim loca sua gravitate rarius pergere queunt, nisi valde ulterius attenuatæ fuerint. Gravius autem descendere coactæ per incumbentes nubium moles, ulteriusque fœcundatæ repercussione radiorum in nubium superficiem, ad has aut illas regiones calorem immoderatum ferunt; hisce ubi supervenerint fulgura & tonitrua, fortius hæ moleculæ ubi fuerint concussæ, omnes inter se partes arietantur, & fragore illo magno dissolvuntur nexum pristinum amittentes. Hinc infinitis turget corpusculis salino-terrestribus aër, haud difficulter ejus ope fermentantibus liquoribus imper-

pertiendis, & ad nutum eorundem disponendis. Concussione enim violentiori partium liquidarum, fœces crassiores ad fundum depressæ iterato in altum elevantur, per totam massam disperguntur, in hiantia motu illo interstitia & poros vi adiguntur, tandemque ad motus violentiores solito intestinos trahuntur. Ex hisce patet citissima in acorem acutum fixum reductio; spicula enim augentur salina ab aëris ingressu; corpuscula à ramoso & sphœrico nexu liberantur, oblongis crassis fœculentiis infarciuntur, quibus spicula longiori in serie annectuntur, ab utraque præcipue parte eminentia, scindentia postmodum & pungentia.

Calor immoderatus in principio adhibitus, mediante igne tollit motum intestinum: corpuscula enim debitam aut amittunt figuram, aut tenuiori textura salino-terrestri fugata insinuandi se & agendi vi destituuntur. Ignis effluvia insuper rigida salina, alius figuræ quam aeris existentia, magis æqualiter illas partes movent, exhalationes aquæ promovent, partesque ita disponunt & agitant, ut majorem acquirant lentorem & cohæsionem viscidam. Hinc cocta utplurimum difficilius fermentantur, quam cruda, diutiusque perseverant integra, id est, sine acidi productione, quod præsertim de farinaceis dictum esto, ubi nexus alias sat inconstans apparet; diluta nempe ubi fuerint in aqua communi. Reliqui succi vegetabilium magis aquosi, etiam majorem induunt suarum partium constantiam, ubi lenta exhalatione orbati fuerint superfluo humido: Cujus præparationis excellentiorem methodum in experimentis tradam, ad quam methodum etiam mustum recens fortificari potest.

Restant inquietudines fermentatorum liquorum, in vel circa æstatem observabiles, perscrutandæ. Aqua, unicum fermentativi motus vehiculum, aerem non solum copiosius admittit, sed etiam ejus moleculis, hiantibus in suis interstitiis, abundanter imprægnatur, omnisque generis terrestria corpuscula, præterfluendo per varios alveos, secum vehit. Illis particulis variæ notæ referta immensis modis variat, tam in fermentatione, productione, quam in apparitionibus plerisque corporeis eruendis, ut in colore, odore, sapore, constantia vel inconstantia, & cæteris obviis phœnomenis, eo citius in actum deducendis, & ad instabilem situm redigendis per calorem, humidum aereum. Facile enim, dissoluto partium nexu, illa differentia inter se corpuscula, inæquales subeunt motus, ad ruinam texturæ tendentes. Verum hæ vicissitudines non tantæ reperiuntur sub finem autumni, in hyeme, & principio veris,

ris, quoniam illis temporibus per defectum irradiationis salinæ plurima graviora secessum facere coacta fuere ad fundum deturbata, unde magis defœcatæ tunc visuntur aquæ, Idem observamus per coctionem & refrigerationem aquæ; quamvis enim limpidissima appareat cocta, attamen refrigerata, cum non tanto nisu & impetu protrudantur spicula, nec adjuventur spirituosis acutissimis effluviis ignis, subsidentiam fœcum majorem admittit. In urinis limpidis per calorem, turbatio & hypostasis per frigus etiam observatur. Hisce segregatis igitur particulis, nec rite mixtis, nec sufficienter motis, multum differentiæ accedit maturis corporibus. Insuper non tam agitatæ inter se invicem particulæ, blandiori tantum motu procedentes, exactiorem ineunt miscelam & texturam, adeoque ordinem sui situs constantiorem servant, præsertim, cum ipse aer tunc temporis magis rigidis & muriaticis scateat salibus, poros liquorum aliquomodo constringentibus. Ob hasce etiam rationes admodum conveniens est, si temporibus æstivis aquæ primo coquantur, coctæ subsidere permittantur, ut omnis crassa materia fœculenta rite secernatur, dein in aliud vas transfusæ aquæ, iteratæ coctioni committendæ, sequens sal admisceatur:

Sal mundificans, & corrigens aquarum mixturas.

℞. *Aq. fortis.* ℥xij.
Tartari crudi Rhenani ℥x.
Nitri purissimi ℥ij.

Ebulliant simul in MB, donec intime mixta sint, solutio coletur per linteum, & postmodum per subsidentiam ulterius clarificetur ad usum.

Hoc sal inservit defœcandis ulterius aquis, & à corruptione præservandis, si pro re nata in majori aut minori copia illis admisceatur; utplurimum autem sufficit ℥j. pro libris 80. aquæ.

Præter inconvenientia supra scripta, restat incommodum maximum vernale & æstivum, nempe mixtura fœtificantium animalium, & ovulorum eorundem, ut & spermatis viscosi, ubivis fere conspicui.

Hac enim mediante mixtura peregrina lentæ & viscosæ redduntur aquæ, ipsaque animalcula minima, cum ipsorum ovulis invisibiliter ibidem innatantia, defœdant suis inquinamentis & exuviis omnes aquas, ulterius alterandas per coctionem. Hac enim mediante agitatione violenta, ovula & pisces indurata, non cessant innatare recenter coctis aquis, ad ultimum sæpius lentorem reducendis extractione farina-

naceorum. Unde ineptæ evadunt hæ miſcelæ ad fermentativum motum ſuſtinendum, potius in putredinem declinantes. Animalium enim partes, & præſertim inſectorum, nunquam ei motui parent, ſed potius copia ſua prævalendo reliqua ad nutum ſuum perverſum diſponunt, unde fœtor non raro obſervatur in talibus æſtivis cereviſiis. Ideoque zytopœis convenientiſſimum eſt præcedens ſal; ſed, ut magis aquarum præcaveatur miſcela incongrua, præſtat, naves aquæ ductores, ſequenti mixtura optime expurgare:

℞. *Calcis vivæ lib.* x.
Alumin. crudi lib. iß.
Salis communis lib. ß. Miſce.

Hac mixtura interiora navium rite expurgentur, addita nempe aqua communi: ſic nempe primordia putredinis, à fœculentiis ibidem depoſitis, optime tolluntur, ita ut multo minus poſtmodum periculum immineat.

Imo admodum conducit, ſi parietes interni navis dealbentur hac mixtura: ſic enim corruptela per inſecta, ibidem latitantia, præcavetur.

Addi etiam poteſt ſuperiori ſali, ubi maxima progenies viſitur inſectorum & ovulorum, aliquid aluminis ad medias calcinati, v. g. ℥ij. vel ℥iij. Nec eſt, quod inde quis ſibi metuat: nam non ſolummodo inſerviunt hæc ſalia necandis & præcipitandis inſectis, ſed inſuper ope motus inteſtini fortius nectuntur corpuſculis terreſtribus abraſis, quibuſcum pleraque ſalia fundum petunt, & limpidiorem cereviſiam derelinquunt.

Fermentationis ſcopus eſt varius pro intentione artificis & additamentis diſcrepantibus. Addenda ſunt, aut fermenta dicta, id eſt, quæ ſpecifice motui illi inducendo appropriata ſunt, aut miſcelæ differentium mediante illo motu uniendorum, ut in unum quaſi confluant liquorem homogeneum.

Fermenta ſunt directores ſimul & authores in hoc motus genere, nempe tales exiſtunt particulæ, quæ in fervorem ſpumoſum ciere queunt particulas fluidas. Dirigunt haſce partes per diverſitatem ſuæ molis & figuræ, nunc in ſpirituoſum, nunc in fixius acidum. Ad ſpiritualitatem vergere faciunt leviores fœces cereviſiæ recentis, in minori tamen copia addendæ, ne concitato nimis motu diſcontinuationes ramoſorum corporum validius accelerentur, ſpiculorum eminentiæ nimiæ promoveantur, & fluor acidus in apricum prodeat. Depauperantur enim textu-

turæ ramofæ diutina fermentatione vel maxime aucta; involucris enim levioris terræ fpoliantur falia, quibus denudata fuas proferunt vellicationes, nervis noftris moleftas: Ideoque convenit talia addidiffe, quæ involvere ulterius illa poffint puncta, ut feva, olea, butyrum, & reliqua fimilia craffa ramofa, motum illum partim compefcentia, partim illis fpiculis fepimenti loco infervientia. Multum etiam confert, fi fluctus vehementiores leniter fedentur, præfertim in æftate, per talia, quæ aerem copiofiorem arcent, ex. gr. fumo fulphuris locum, vafa continentem, replendo. Sic enim duplex commodum obtinetur, minor nempe aeris ingreffus, & miafmatum, illi interfperforum, correctio. Idem tentari poteft cum fequenti mixtura aromatica, halitus fuaviores exhibente:

℞. *Bacc: juniper* ℔. j.
Cort. Winteran. ℔ß.
Thuris vulg. ℥ij.
Benfoes ℥ß.
Sulph. comm. ℥iiij.
M. f. pulv. groffus.

De hoc pulvere ℥j. ad fumigationem cameræ, aut cellæ, recipiatur; fic maxima aeris malignitas præcavetur, æftufque partium ferociores compefcuntur. Notandum vero, me hic non intendere totalem fermentationis fuppreffionem, fed tantum leniorem progreffum; hinc loca, non vafa ipfa, interius fumo funt obnubilanda. In hyemis gelido frigore etiam cellæ, non admodum gelidæ tempeftati refiftentes, fumo, è lignis aut cefpitibus facto, præfervantur, ne inclementia aeris fermentativum tollat motum. Glaciei injectio æftivo tempore fummopere convenit augmento indebito motus compefcendo. Sal ammoniacum huic ufui etiam infervit, frigus intenfius illi liquori inducendo; fic etiam plura terreftria; inter plurima vero fequens liquor conducit:

℞. *Silicum albicantium* ℥xx.
Minii ℥ß. *vel cretæ* ℥ij.
Tartar. crud. ℔iß.
Sal. nitri ℥x.

Mixta optime calcinentur in crucibulo candenti, calx aqua pluvia eluatur, feu elixivietur, lixivium, ad pelliculæ apparentiam evaporatum, ufui fervetur.

Hic liquor caute adhibendus; nam integram fermentationem fiftere poteft, maiori copia fi infundatur dolio, ut demonftrabitur, ubi de no-

nocentibus & juvantibus agemus. Paulatim igitur, & parca dosi instillandus est, ut sensim acidum domet, & motui resistat. Sufficit uncia una integro dolio.

Amaricantia & astringentia iisdem usibus prodesse indigitavimus, unde plurimæ egregiæ compositiones fieri queunt, pro cerevisiis rite parandis & conservandis, inter quas sequens pulvis palmam præripere videtur:

Pulvis astrictorius pro cerevisiis.

℞. *Terræ de catechu* ℥iiij.
Mespilorum immaturor. ℔j.
Tritic. immatur. ℔iij.
Nucleor. cerasor., vel defectu ejus, prunor., aut amygd. amarar. ℔ij.
Fol. lauro-ceras. ℔ß.
M. f. pulv. grossus.

Hic pulvis, præter adstringendi vires, & compescendi vehementiores motus seu dilatationes corporum, etiam gratum præbet saporem, durabilemque reddit cerevisiam, si debita dosi in prima fermentatione liquoribus admisceatur.

Reliqua superius nominata fermenta minori semper cum exæstuatione liquores procedere faciunt, præcaventque sua amaritie astrictoria acidi salis proventum, præsertim, si immatura sint; ea enim rarissime, aut nunquam, in perfecta acida degenerant ob terræ copiosioris præsentiam, salium spicula obtundentem. Sic uvæ immaturæ omphacium præbent leviter tantum acidum, subausterum, & facillime alterabile; ubi vero maturuerint uvæ, statim inde producitur vinum, & exinde fortissimum acetum.

Fermenta, acidis liquoribus inservientia, debent esse admodum acria, mixta acidis fixioribus, unitaque fermentis ita dictis acescentibus, id est talibus particulis, quæ motum intestinum inducere queunt, simulque ad nutum suum disponere ipsum contextum liquorum. Aciditas autem cum producatur ex texturæ ramosæ divisione & dispositione in longiorem ordinem, cum prominentia spiculorum intertextorum, ideo requiritur, ut fermentum instructum sit talibus aculeis & cuspidibus, ut armatas offerre possit particulas, ipsi divisioni commodas. Hinc acria miscentur acidis, ut oleosa rigidis permixta magis penetrantia & activa reddantur in motu intestino. Additio fermenti gra-

vioris seu subacidi necessaria est, ut debitus procuretur motus: nam eo mediante optatus finis impetrari tantum potest. Insuper hisce addi queunt talia, quæ sale tartareo & muriatico fœta nobilitare queunt præcedentem mixturam, præsertim, si illa corpora calidos subiverint, attamen tantum incipientes, intestinos motus. Sic enim fervore igneo concitata salia ubivis sese expandunt, postmodumque extempore suum fluorem communicant liquoribus immediate superfusis. Debet tantum per brevissimum tempus ille calor continuari; alias enim ipsa corpuscula plane invertuntur, & figuram debitam amittunt, inutiliaque evadunt corpora ad motum fermentatitium acidum subeundum. Pleraque vegetabilia, acido-dulci sapore imprægnata, huic usui inservire queunt, ut & sæpius eorundem stipites tenerrimi, vel caules circa fructus hærentes, quorum partes interiores acido-austero sale scatent, ex. gr. expressæ uvæ, expressa poma, pyra, caules uvarum passarum &c. quæ omnia facillime acetum sat copiosum fundunt secundum artem tractata.

Acidorum productio facilitatur copia aquæ & calore; aqua enim, diluens texturas corporum, easdem distendendo debiliores reddit, quam ut resistere possint motui illi intestino. Hinc salia facillime prosiliunt è suis tubulis, aliosque in ordines disponuntur, terrestrem mixturam quasi invertendo. Calor illud opus festinat, quoniam eo magis adhuc distenduntur ipsa corpuscula densiora, saliumque fluores maxime accelerantur, posthac acidum fixum præbentes. Ille calor autem debet esse moderatus, ne nimis patulæ factæ viæ divortium salibus spirituosis concedant. Nam falsum hoc est, acida spoliari oleosis & spirituosis particulis, sed econtra in doliis, spiritu vini turgescentibus, duplo melius præparatur acetum; imo additio spiritus vini præcedentibus mixturis pro fermentis acidis convenientissima est, ut patet in sequenti descriptione:

Fermentum acidum.

℞. *Fermenti panis acidi* ℔ij.
Fœcum vini, quantum possibile, recentium, Belgicè wijnmoer. ℔iij.
Aceti acerrimi vini generosi ℔j.
Piperis Brasiliensis ℥j.
Piperis longi,
Zinziberis,
Pyrethri aa. ℥vj.

Misceantur exacte simul; dein ad usum serventur sequentem:

Com-

Comminuantur in minores partes, & liquori, ad acescendum destinato, in debita dosi admisceantur optime commovendo materiam singulis quinque aut sex horis per dies 2. aut 3, donec ad motum intestinum reducatur. Nota: si ad aliquod tempus reservare lubeat hoc fermentum, eo validius futurum, præcedenti massæ admisce ℔iv sacchari plane vulgaris; sic excellentissimum acidum producet, quamprimum illud saccharum dulcedine potissima spoliatum observabitur. Plurima simul jungi queunt corpora mediante fermentatione, ita ut plane coalescant, unitis viribus postmodum agentia.

Præcipua autem admiscenda vel intendunt bonitatem & spiritualitatem liquoris, vel respiciunt odorem & saporem, vel tandem ipsas vires alterandas pro intentione habent.

1. Quoad constantiam & spiritualitatem, illa perficiuntur saccharo, melle, butyro, medulla ossium, aut similibus; quæ involvere possunt ipsa salia, & iisdem suas communicare queunt particulas divisas. Hæc tamen, præsertim ramosa, in mediocri quantitate sunt admiscenda, præsertim si liquores sint valde tenues, quoniam non ita facile in iisdem disjunguntur. Saccharum vero, & mel, optime fermentationi obedientia, circiter ad singulas ℔ij. vel iij. liquoris in una libra adduntur, aliquando & ad ℔v. vel vj. una tantum recipitur libra pro intentione artificis.

2. Pro sapore & odore plurima possunt addi, sed inter reliqua palmam præripiunt semen dauci vulgaris, semen petroselini, vel apii Macedonici, Belgicè Zelriisaet, cardamomi, coriandri, radices iridis, basilic. &c. sem. fœniculi, carui, cortices arantiorum, citri, pomorum Chinensium, cortex Winteranus, cassia gariophillata, lignum sassafras, rad. contrajervæ, è quibus seq; 2. mixturæ fieri queunt:

℞. *Florum sambuci* ℥ij.
Gemmarum ribesiorum nigrorum ℥iv.
Sem. dauci vulgaris ℥iß.
Coriandri ℥ß.
Cardamomi,
Cassiæ gariophillatæ,
Cortic. Winterani aa. ℥iij.
Aurantior.
Ligni sassafras aa. ℥ij.

Misce fiat pulvis grossus, cum sacculo in doliis, fermentante liquore plenis, per aliquod tempus detinendus.

Altera ſpecies.

℞. *Herb: baſilicon.* Miv.
Menthæ criſpæ Mj.
Folior. myrti Brabant. M. ß.
Flor. lavendulæ ℨiij.
Cort. citri,
Pomor. Chinenſium,
Radic. contrajerv. aa. ℥ß.
Irid. Florent. ℨv.
Angelicæ ℨj.
Sem. Coriandri ℨij.
Carui,
Fœnicul: aa. ℨiß.

Miſce, fiat omnium pulvis groſſus, ut ſuperius ad uſum adhibendus. Nota, ſi hæ ſpecies primo conſpurcatæ aut humectatæ fuerint ſpiritu vini, eo melior procedit extractio & exaltatio.

3. Ad vires diverſas obtinendas è fermentatis liquoribus, illud ſedulo notandum venit, omnia ramoſa & viſcoſa, per fermentationem extrahenda, primis tribus aut quatuor diebus ſuas potiores vires effundere.

Ideoque, niſi adſtrictoria vi pollere debeant illa ſimplicia, ab ipſo liquore ſunt amovenda; nam poſtmodum terreſtres craſſiores moleculæ, per fermentationem abripiendæ, particulas ſubtiliores retardant in ſua activitate. Idem de purgantibus eſto judicium, quæ etiam maximas deponunt vires in fermentato liquore, ad acidum degenerante. Unde præſtat, talia in generoſis liquoribus fermentantibus exponere, diutiſſime ſtatum integrum ſervantibus. Sic enim perſeverat etiam actio. Ubi meræ terræ, v. g. mineralia, metalla, & ſimilia, fermentativis liquoribus annecti debent, ea præcedentem requirunt ſolutionem in tartaro crudo, aut in ſpiritibus acidis, ut præcaveatur fermentationis detrimentum, & liquoris fermentati ſubitanea corruptio. Nam, ubi terreſtria ſeſe inſinuant in acidos fermentatos ſuccos, ſitum & diſpoſitionem eorundem valde alterant, ut patebit in experimentis circa nocentia & juvantia fermentationem. Omnia additamenta præcedentia ſunt addenda in ipſa fermentatione ſequenti modo: ramoſa craſſa in principio fermentationis, & in maxima æſtuatione partium addantur. Sic etiam reſinoſa purgantia. Sedata fermentationis maxima ferocia o-

dori-

dorifera & aromatica in iis suspendantur, alias nimis evanida futura. In medio fermentationis liquores & solutiones addi queunt mineralium & similium. Ad finem perductæ vix ac ne vix quidem fermentationi tincturæ aromaticæ, spirituoso vehiculo extractæ, affundantur spiritus vinosi, meri spirituosi liquores, ut spiritus nitri dulcis, & similia, etiam sub finem fermentationis addantur, attamen eadem non plane finita: sic enim rectissime omnia uniuntur sine jactura virium, & dignotione odoris aut gustus.

Omnia dulcia, farinacea, fructus subacidi ramosi, &c. in aqua dissolubilia, eo citius fermentantur, quo magis aqua obruuntur, agitantur, & calido in loco foventur, prout superius innuimus. Impetuosior autem redditur fermentativus motus, si jam fermentato liquori spiritus salis communis sensim ac sensim addatur. Hoc enim modo acidiusculi liquores, ut omphacium, succus limonum, ribesiorum &c. ad majorem constantiam & gratam aciditatem reducuntur sequenti modo:

Omphacium.

℞. *Succ. uvar. immaturar.* ℔v.
Uvar. immaturar. ℔ß.
M.

Reponantur in loco calenti ad fermentandum: dein adde
Sp. salis comm., cum ol. vitriol. parati ℥ij.
cum hac observatione, ut secundo ab inceptæ fermentationis die drachmæ duæ adjiciantur, idque continuetur singulis diebus. Sic limpidissimum & præstantissimum producitur omphacium, durabile ad aliquot annos. Idem cum aliis debilioribus acidis obtineri potest, aucto vel imminuto sp. salis pondere pro intentione varia.

Reliqua acida, sapore aut odore non tam grata, rejicienda sunt. Muriatica fermentantibus addita, illa etiam instigant, ut sal commune, nitrum, sal ammoniacum. Hæc autem non ante inceptam & aliquot diebus continuatam fermentationem sunt injicienda, ne motus intestinus impediatur per illa additamenta rigida, porositatem & mollitiem partium imminuentia. Tartarus insuper crudus spiritui salis artificiose permixtus, miris modis exaltat & intendit omnem fermentationem. Hinc vina Rhenana, & tartaro acido scatentia, tumultuosius reliquis motum illum prosequuntur, quam vina Hispanica, & dulcia quævis.

Exceptis acidis & muriaticis, nulla huic agitationi conducunt; oleosa autem & ramosa crassa, motui intestino huic diutius fovendo & prolongando apta nata sunt, non autem intensiorem eum reddunt, sed potius aliquo modo citatiorem retardant cursum, sine totali attamen destructione ejusdem. Alcalia vero omnia salina & terrestria corpora fermentum omne & fermentationem necant, quantum in se est, nisi ubi salia illa, inter densiora ramosa irretita, ab immediata actione prohibeantur, & in minima copia, ob rationes sonticas superius allatas, in usum trahantur. Vix ulla observabilis datur differentia inter volatilia & fixa salia quoad motum hunc sistendum; utraque enim saturant acidum & præcipitant ramoso-viscosas particulas. Hinc alteratio magna succedit circa poros & superficiem illarum texturarum; aer etiam validius exprimitur cum subsidentia & approximatione majori superficiecularum, moles densiores ineuntium. Massa igitur liquoris detumescit, spuma & bullulæ sonoræ cessant, quamprimum alcalia accesserint, insuper fœculentiæ ad fundum deturbantur, negata postmodum omni liquoris fermentatione, potius ad putridum motum transeunte, prout sequentia confirmant experimenta:

1. Infunde liquoris fermentantis ℔j. olei tartar. per deliquium facti ℥ij. & protinus post concussionem cessabit motus.

2. Spiritus salis ammoniaci ℥iij. libræ uni liquoris affusæ, extempore motum eundem tollunt. Multo autem citius & fortius illum mortificat, si cum calce viva, quam cum sale tartari præparatus fuerit spiritus. Idem peragunt salia volatilia quævis, ut C. C:, urinæ &c. Solum excipitur sal volatile succini, utpote muriaticum, ut & urina recens, non autem vetusta, in majori copia affusa, ob ejus salis alcalini extricationem post motum intestinum.

3. Calx viva, oculi cancrorum, corallia, & quævis conchylia, testaceaque citius dissolubilia post levem effervescentiæ notam, immediate exoriundam, illum sistunt motum, & præcipitationem manifestam inducunt. Idem etiam contingit in vinis, & liquoribus fermentatis, citissime post illam miscelam corrumpentibus.

4. Limatura ferri, cupri, plumbi, & reliquorum mineralium solubilium, fermentanti succo injectorum, ejus fervorem compescunt, excepto Mercurio, & omnibus exinde paratis, utpote ad acidum vergente, acidaque nullatenus mortificante.

5. Infecta sale, volatili referta, fœtidum odorem exhalantia, illum enecant ob easdem rationes, & præterea, quoniam crassos & viscidos nimis

mis tenaces reddunt ſuccos, fermentationi poſtmodum ineptos, ut experiuntur zytopæi in mucilaginoſis nimium farinaceis extractis, ut &, ubi per æſtivas tempeſtates aquæ turbidæ redduntur.

Ex hiſce ſufficienter patet, alcalia eſſe inimica fermentationi, nec illam poſſe continuari eorundem acceſſu, primo, quoniam fluorem liberum ſalium impediunt: ſecundò, ob condenſationem craſſiorem partium ramoſarum: tertiò, ob præcipitationem heterogeneæ mixturæ, poros inæqualiter & irregulariter antehac obſidentis & prementis. Nam hæc requiruntur ad haſce fluctuationes rite peragendas & proſequendas.

Fumigatio ſulphuris, acidam flammam eructantis, ebullitionem turgidam liquorum ſedat & tollit pro tempore, non ratione ſui acidi, ſed per fumum ipſum, aeris ingreſſum & egreſſum, pro maxima parte, prohibentis. Preſſa enim liquoris ſuperficies in dolio comprimit reliquam maſſam, ſenſim aere copioſiori exantlandam, & ad detumeſcentiam quietam reducendam. Eadem operatio, ſæpius multo citius, cum aromaticis, plumis, oſſibus, ungulis, & ſimilibus alcalinis, abſolvi poteſt, ſed liquores ſqualidi & turbidi utplurimum fiunt ab extricato præcipitante ſale alcali, & odore haud grato inficiuntur. Ideoque ſulphur præ aliis ad hoc opus accerſitur, primo, ne odor fœtidus communicetur; dein, ne acidum vini infringatur; tertio, ut omnis turbatio præcaveatur. Ad tempus illum tolli motum dixi fumo ſulphureo; æque enim illa vina, & quivis liquores proni ſunt ad fermentationem, quod non contingit in additione alcalinorum: inepta enim redditur maſſa ad hanc agitationem ulterius ſubeundam, niſi aciditas aliqualis recuperata fuerit dulcedini permixta.

Tranſfuſio liquorum fermentatorum in alia vaſa depurata, & fumo ſulphureo obducta, multum infringit hunc iterativum motum. Nam hoc modo fœces turbulentæ, fundum vaſis occupantes, ſegregantur, unde ulteriores turbæ præcaventur; Aer etiam purior, & latera dolii, illis fermentabilibus fœcibus & ſuccis deſtituta, pabulum tollunt.

Dolia repleta non ita facile, ac partim exinanita, motibus illis parent, quoniam aer excluſus impedit fluidorum corpuſculorum ſeceſſum in varias partes, adeoque neceſſaria pororum irregularitas, inæqualis preſſio & turbatio tumultuoſa mixturæ totius præcavetur.

Expoſitis iis, quæ fermentationem ſpectant, ad efferveſcentiam pervenimus, magnum motus inteſtini & maxime conſpicuum ſignum, ubi nempe omnia inter ſe commixta acrem aut luctam, aut amicitiam inire videntur. Effer-

Effervescentia est subitanea aeris explosio, orta ex duorum aut plurium corporum, poros mutuos vehementer occupantium & replentium, arctiori miscela.

Hinc corpuscula mobilissima, quibus innatant solido-fluida corpora, celerius de loco in locum pelluntur, præsertim cum externo accessu duriora & rigidiora evadunt eorundem latera, & quoniam ingressu seu infarctu atroci pori & tubuli coarctantur, unde æther & aër locum non sufficientem obtinentia, primo validius ibidem impinguntur, postmodum impacta vi locum cedere faciunt solidioribus, irregulari situ nexis, corporibus. Hæc ut magis distincta offerantur, antequam ad intrinsecam differentiam fermentationis, & effervescentiæ, ut & putrefactionis transgrediamur, præmittere lubet sequentia, absolutè necessaria effervescentiæ requisita:

1. Ut corpus effervescat, requiritur occursus alius corporis ad intimiores recessus violenter penetrantis.

2. Illud corpus agens debet esse salinum, ad acidam indolem pertingens, ut simul pungere & scindere queat.

3. Corpus patiens durum & solidum ut sit necesse est, quod in gremio suo, non sine tumultuosa partium avulsarum iactatione, excipit & fovet illum motum.

4. Aquæ minimus accessus sufficit, sive illa adjiciatur, sive illa in poris fluidi aut solidi corporis lateat, sive tandem ab humido aereo illuc deposito lente affluat.

5. Calor, haud attamen necessarius, admodum incitat hunc motum, utpote qui actionem salinam valdopere promovet.

6. Diutius rarissime hic existit motus; quamprimum enim pororum regularitas successerit, cessat.

7. Effecta non semper una post effervescentiam visuntur, sed pro varietate corporum diversificantur.

Hæc sufficienter demonstrant, cujus naturæ sit effervescentia, modo hasce hypotheses ad experientiæ lancem examinemus. Ubi duo corpora inter se miscentur, quamvis se mutuo recipiant, attamen extra effervescentiæ notam illud fieri potest, ut patet, ubi calx Saturni ab oleo olivarum absorbetur, ubi sulphur in oleo lini dissolvitur, ubi resinæ in oleis aut spiritibus disiunguntur, & ubi sal alcali olei expressi aut stillatitii poros subit, pro sapone conficiendo. Multo minus observatur effervescentia, ubi metalla inter se copulantur, quando v. g. stannum & cuprum compactam ineunt miscelam. Ea, quæ sola juxtapositione partium

ſuperficialium gaudent, illam luctam nunquam permittunt, unde plures terræ, aquæ & olea confundi queunt ſine ullo ſenſibili motu inteſtino.

Alcali & Acidum pro maximis efferveſcentiæ principiis apud plurimos habita fuere, ſed qua ratione nunc examinabimus. Si hæc eſſent neceſſario corpora ad hunc motum obtinendum, illa ubivis mixta efferveſcerent, ſtatimque ſeſe proderent acida aut alcalina in corporibus deliteſcentia, tanto cum fervore, quanto acidum aut alcali eſſent potentiora in illis, quod tamen falſum aut dubium ſaltem eſſe ſequentia comprobant experimenta:

1. Sal tartari permixtum, imo coctum cum ſulphure, non efferveſcit, quamvis potentiſſimum incluſum contineat acidum. Siquis autem dubitet cum quibuſdam Medicis, de acidi exiſtentia in ſulphure communi, illud præparet ex acido vitrioli & antimonio, vel ex oleo terebinthinæ & oleo vitrioli, ubi nullus dubitandi locus ſupererit; idem poſtea obſervabit, efferveſcentiæ nempe nulla adeſſe ſigna per alcali additum.

2. Sal commune & ſal nitri acidiſſimo ſucco perfuſi ne minimum quidem fervoris inteſtini ſignum proferunt alcalinis affuſis. Si autem quis oggerat, hæc eſſe muriatica, id eſt jam ſuo alcali ſaturata ſalia, quare tartarus crudus, ejuſque criſtalli, hanc actionem cum alcali permittunt, quamvis ex eo acidum ſal per deſtillationem erui nequeat, fortiſſimum acidum eructantibus ſuperioribus ſalibus?

3. Humores fere omnes noſtri corporis, ſale alcalino volatili extra omne dubium gaudentes, renuunt cum acidis plurimis efferveſcere; imo ſolum fere acidiſſimum, omni phlegmate privatum, oleum vitrioli, & reliqua olea Chymicis acida dicta illud fortean ob alias rationes agunt; nam ea cum aqua communi etiam motum calidum ineunt.

4. Si diagnoſtica ſigna Chymicorum circa efferveſcentiam proſequamur, nempe ſtrepitum ſpumoſum & ſibilos, ſpiritum ſalis ammoniaci, cum viva calce paratum, reperiemus eludere efferveſcentiæ notam, ubi acidis illum admiſcueris. Nulla etenim ſpuma, nec alia violenti motus ſigna apparent, quamvis fugaciſſimus & maxime alcalinus ſit ſpiritus. Hiſce autem requiſitis ſatisfaciet idem ſpiritus, cum ſale tartari, aut quovis fixo ſale alcalino, deſtillatus, unde hac methodo optime innoteſcunt horum ſpirituum differentiæ. Sic etiam urina aut lympha recens haud efferveſcit cum acido, reſoluta autem per putrefactionem textura immediatæ exurgunt luctæ.

5. Crocus Martis respuit effervescentiam cum acido, illum celerrime admittente limatura Martis: sic Mercurius vivus auri, argenti, aliorumque metallorum superficies penetrat sine ullo caloris effectu, quamvis secundum Chymicorum sententiam acidum & alcali adsint.

Plurima insuper à Chymicis pro alcalinis pulveribus habita cum acidis nullatenus effervescunt, ut antimonium diaphoreticum, calx Saturni pleraque, ossa, & ungulæ plurimæ animalium &c. Sic etiam vegetabilia, sale alcalino, tam volatili quam fixo, nobilitata, rarius effervescunt cum acidis, ut opium, camphora, absinthium, cochlearia, scordium &c. nisi exceperis acidissima, cum aqua fervorem concipientia. Econtra acidis succis manifeste dotata, vix sensibilem offerunt motum cum alcalinis, ut acetosa, tamarindi, cerasa, ribesia, berberes &c. Utroque autem modo paulatim invertitur mutuus status, actionesque alteratæ figuræ & molis pristinæ haud minimam inversionem denotant, ex immediata copula oriundam, sine qua omnis motus intestinus aut debilis, aut nullus est.

In hisce igitur & similibus motibus, violentæ progressiones non manifestæ redduntur, quæ necessariæ sunt ob duas præsertim causas:

1. Ut frictio & concussio superficierum validissima igneum proferat rapidum motum, id est, ut ætheris salini influentiam & actum promoveat in angustiis illis, ex coalitione mutua resultantibus.

2. Ut torrentis instar huc illuc deferantur corpuscula decussa, nunc ab æthere ibidem copiosius admisso, pressa, jactata, abrepta.

Hinc, rigidiora si fuerint corpora apta nata ad effervescendum, pertinaciora existunt in sua perseveratione motus semel concepti, ferventioraque facta caloris insignis, etiam nos non raro lædentis, effecta exhibent, imo sæpissime in ignivomas flammas & fumos atroces tandem convertuntur, ut infra latius. Ubi autem molliora extiterint fluitantia in maxima aquæ copia, cæteris paribus facile cedunt illis motibus corpora, in quævis latera flexilia, impetusque eludentia. Hoc patet in lignis dissecandis aridis & humidis, ut & in limatione ferri & stanni; quo enim sicciora duriorave fuerint, eo major incalescendi vis observabitur; sic etiam clavus ferreus, quamdiu ulterius ac ulterius ei conceditur facilis in ligna ingressus per mallei ictum, calore vix aliquo dotatur; quamprimum autem resistentia major observatur, statim caloris indicia sese produnt manifesta. Circumrotatio valida lignorum tunc sui ignei effectus apparitiones præbet, ubi exteriores superficies exiccatæ superfluum dimiserint humidum, rigidæque duriores particulæ factæ tunc sulphureas ter-

terras in actum violentum educunt, quod duplo citius obtinetur in arido, quam in recenti humido ligno. Ideoque non mirum, si quævis maxime diluta, debilem tantum concipiant fervorem, ut acetum destillatum, spiritus vitrioli phlegmaticus &c. quæ rectificata salia ferventissimos edunt motus. Aliqualem requiri attamen mixturam aquæ ad fluidam miscelam & reactionem obtinendam ulterius patebit. Insuper asperitas inæqualis angulosæ figuræ decuplo festinantius eadem signa proferet, quam planities æqualis sphæræ, quod abundè testantur instrumenta mechanica, & agitatio baculi lignei in angulosis cavitatibus aliorum lignorum.

Nullum absque mutua pororum penetratione talem intestinum motum posse oriri, palam fit in omnibus experimentis; sic oleum vitrioli purissimum quævis pinguia oleosa cum æstuanti motu perforat; idem aquosius redditum, quietam viciniam permittit: Sic aqua fortis omnimode dephlegmata vix ac ne vix quidem aggreditur argentum: Sic pulveres acidi & alcalini mixturam exhibent nullo cum effervescentiæ apparatu, quamdiu sicci manent, prout etiam in calcis vivæ particulis notatur; quamprimum vero ad fluorem & penetrationem pertingunt salia, statim reactiones edunt violentas.

Aptitudo seu convenientia figuræ corporeæ utriusque, mutuis effectis obtinendis, apprime observanda venit; secus enim frustra hunc motum venatur artifex: Sic spiritus nitri cum oleo gariophillorum valide effervescit, non autem cum oleo ligni sassafras, quamvis utrumque oleum subsideat in aqua, & acria extiterint aromatica utraque: sic fervidum igneum vaporem dimittit sp. nitri super limaturam Martis fusus, blando tantum motu procedens in stanni & plumbi discontinuatione, ne attingens quidem aurum, vel antimonii regulum, quæ ab aqua regia dicta facile cum fervore solvuntur. Minimæ circumstantiæ prout variant maximas sæpe res, ita in hoc casu, nisi cautus circumspectusque fuerit Artista, infidos experimentorum successus augebit, frustra posthac inanes rixas materiæ peregrinæ movens, ubi propriam circa Physicam corpuscularem inscitiam incusare debuisset. Corpora enim cœco impetu ab æthere mota, ratione figuræ diversificatæ, post mutuum occursum, miscelam, progressum in aut extra mutuas superficies, (quod semper ac serio naturæ indagatori, præsertim Medico, est perpendendum) effecta sua offerunt, nunquam rite delineanda, ob innumeram eorundem variegationem.

Salibus motum excellentiorem antehac inesse diximus, unde illis

destituta corpora inertia & immobilia evadunt. Hinc effecta ignis, lucis, luminis, iisdem attribuere expertus haud vereor, ignota aut saltem hucusque obscura permanente causa primaria, Deo ter Optimo Maximo Authore excepto. Salia autem non simplicia, sed composita nobis oblata, ad nutum illius compositionis, suas tradunt reactiones, prout hæc alibi notavimus. Moles corporum igitur maximopere conferens ad impetum, concussionem, arietationemque promovendam in vicina loca & corpora, hic consideratu dignissima est. Si enim ab omni latere cavitates violento modo occupatæ afficiantur, miris modis hi motus incitabuntur ad fervidum calorem, per frictionem indefessam. Illud manifestum redditur in omnibus instrumentis maxime extensis, longis & latis, sensibilem calorem, reliquaque violenti motus phœnomena proferentibus, in tantum aucta, in quantum moles & pondus exsuperant progressivo motu instructorum.

Apud Chymicos decantata duo, maxime differentia, prostant salia, acidum nempe & alcalinum. Alcalina sunt minoris molis puncta maxime divisa, acida sunt majoris molis puncta, admodum in una serie continuata. Hæ subdivisiones & copulæ terrestri nexui adscriptæ à nobis fuere, unde ortum deberi suis inde emanantibus actionibus etiam declaravimus, non autem, quod summopere observandum, ipsi alcali, qua alcali, vel acido, qua acido, in corporibus delitescentibus. Ut reactio sit violenta, moles, ejusque dispositio omnem legem imponit, concessa semel perterebratione valida. Acida prævalentia in mole alcalina hinc necessario aptissima ad effervescendum existunt, utpote quæ fortius meatus replent, subeunt & atterunt, quam alcalia. Hæc quamvis plurima subeant interstitia, eorumque contextum diruant, attamen nunquam observare licuit effervescentiæ notas in illa corporum reactione; sed sine murmure procedentia divisionem procurant sat magnam, imo sæpius majorem acidis. Corpora eorum ope resoluta ad vicissitudines maximas tendunt, haud expectandas ab acidi corrosione, utut violenta, de quibus in putrefactione latius.

Acidorum figuræ differentes non unam admittunt actionem super corpora afficienda, nec placidam semper mutuam relinquunt miscelam, sed effervescentiæ saltem signa depromunt. Colluctationes insignes inde derivatæ spirituosissimos proferunt halitus, maximum emolumentum proferentes in re medica, si rite hi excipiantur modo sequenti:

Sp. Vitrioli volatilis excellentissimus.

℞. *Olei Vitrioli rectificati* ℥vj.
Sp. Vitrioli phlegmatici, subtilis sulphuris odore adhuc impregnati ℥viij.

Misceantur lente simul in cucurbita; sic incalescit liquor, statim per M. B. destillandus, ut, quicquid ascendere possit, abstrahatur. Si autem majorem copiam illius liquoris desideres, per arenam fiat distillatio; sed caute procedendum, nam tenuissimus ascendit liquor, facile vasa disrumpens.

Oleum vitrioli denuo rectificatum iisdem usibus semper inservit. Si spirituosior expetatur liquor, sequenti modo procede:

℞. *Olei Vitrioli optimi* ℥vj.
Phlegmatis sp. salis ammoniaci ℥xij.

M. ut artis est, & subito commissuris lutatis ad destillationem reponantur in B. M. lento, ne tumultuosius liquor & vapores agitentur. Sic tandem emanat spiritus, ventriculo convenientissimus, gratus, animales nostros liquores refocillans, tam in frigidis, quam in calidis morbis conveniens, præsertim, si cohobando super proprium oleum rectificatum ulterior exaltatio calida facta fuerit.

Eodem modo cum aliis spiritibus acidis, semper autem exactissime dephlegmatis, ut calidus fervor emineat in miscela; intentionem suam assequitur Medicus. Hi autem spiritus ubi desunt, ad sequentem confugit effervescentiæ encheiresin Chymicus.

Spiritus Acidus fugax.

℞. *Silic. albicant., ad maris littora collector.* ℔j.

Hisce in minora frusta redactis, cucurbitæ aut retortæ tubulatæ Hassiacæ intrusis, substrue ignem, ut optime calefiant, sed non candeant; dein per vices infunde spiritum acidum; sic cum ebullitione insigni spiritus nebulosus ascendet, multum differens à pristino statu.

Hujus insignes sunt operationes in calculosa saburra, in quavis corporis parte delitescente; exinde etiam acidulæ gratissimæ parari queunt. Martialem autem reddere deoppilativum hunc spiritum siquis velit, recipiat loco silicum mineram Martis; sic tenuissima ferri ramenta, per luctam illam avulsa, liquorem volatilem nobilitabunt, viribus eximiis beatum.

Hoc modo acida attenuata nullatenus noxia existunt, sed naturæ ami-

ca blandas proferunt miſcelas, lymphæque noſtræ ſine præcipitatione aut coagulatione manifeſta intermiſcentur. Hæc inſuper ſi rite præparata fuerint, cum acido fixiori & cum alcali effervefcunt, plurimaque peragunt, toto cœlo ab acidis vulgaribus differentia.

Quomodo ex muriatico ſale communi & oleo vitrioli fiat acidus ſpiritus in Chymia noſtra tradidimus. Nunc autem libet ſpiritum dulcem fugaciſſimum, per effervefcentiam parandum, proponere:

Sp. Salis dulcis volatilis.

℞. *Salis communis, recenter decrepitati*, ℥xij.
Sp. Vini recenter alcoholiſati ℥iiij.

Mixta per dies aliquot in fimeto recondantur, ſingulis diebus bis aut ter materiam agitando, dein ſuperfunde
Ol. Vitrioli rectif. ℥vj.

Deſtillentur ſimul blando igne lampadis, aut per balneum in principio tantum calens, ne tumultuoſi ſpiritus, torrentis inſtar rapti, vaſa diſſilire faciant; ſic nobiliſſimus inde exſurget liquor. Recentes omnes has præparationes expeto, ut materiæ æthereæ commoratio facilitet & adaugeat fervidum motum, eo inſigniorem futurum, quo feſtinantius ab igne remota corpora liquida ad congreſſum mutuum coacta fuerint, quod ſemper in effervefcentia notandum. Quamprimum mixta luctam immediatam iniverint, excipiendi liquores; exiliſſimi halitus inſtar aſcendentes, alias conamina hæc fruſtranea eſſent; pereunt enim poſt illam reactionem fugaciſſimæ particulæ, multo ſubtiliores illis, per fermentationem paratis liquoribus.

Sequenti etiam modo ſpiritus nitri ſubtiliſſime dulcificatus parari poteſt:

Sp. Nitri dulcis volatilis.

℞. *Sp. Nitri* ℥x.
Nitri puriſſimi ℥iij.

Deſtillentur leni igne per arenam circiter ad medias, dein ſenſim refrigerentur vaſa ad levem calorem uſque. Mutato dein recipiente, leviter tantum agglutinando roſtro alembici tubulati, aut in ſummitate perforati, ſenſim & ſucceſſive infunde
Alcohol vini, ſuper ſal tartari deſtillati, ℥vj,
vel, quamdiu vaporum ſanguineorum aſcenſus deſignet luctam, ex illa affuſione inſignem oriundam. Singulam poſt affuſionem operculo

claudenda superior apertura, ut in vas recipiens sese transferre possit vapor rubentissimus.

Tartarus crudus, aceto destillato, ut artis est, imprægnatus ad satietatem usque, cum oleo vitrioli, vel cum oleo sulphuris per campanam rectificato, etiam tenerrimum humidum fundit, quod ex effervescentia blanda aceti destillati & salis tartari etiam, cum mutatione attamen aliqua, assequi licet.

Menstrua salina acida pro solutione metallorum & mineralium adhibita, in ipsa actione evomunt spiritus non solum volatiles, sed insuper nobilitatos ramentis exilissimis eorundem corporum duriorum, quorum ope miras subeunt actionum metamorphoses, in solutiones aliorum corporum ulteriores postmodum si evocentur. Hi liquores extempore evocandi ipso solutionis tempore durante, quæ actio adjuvanda moderato igne, ut copiosiores ascendere queant halitus excipiendi. Exinde aquas gradatorias dictas, & tincturas metallicas nobiliores præbentes, parare licet, sulphureis nempe corpusculis una elevatis. Quanti autem hæc usus sint, passim in Chymicorum vulgaribus & obscurioribus scriptis exhaurire licet, ad quos L. B. remittimus. Præter enarratam spirituum horum reactionem cum acido & alcali, etiam multo placidior succedit duriorum solutio, tantopere laudata, inculcata, proposita ab Adeptis Chymicorum filiis, menstruique separatio, maximi insuper momenti, à corpore discontinuato haud difficilis existit, difficillime fixiore acido sale divortium concedente.

Omittimus vulgares effervescentias butyri antimonii cum sp. nitri, spiritum regium acerrimum fundentes, neutiquam convenientem aquæ regiæ vulgari, quoniam in eo sulphur tenue antimonii delitescens diversificat ipsam actionem; ut & plurimas alias, quas hic accersere possemus. Lubet solummodo unum subiungere spiritum, ab Authoribus decantatum, haud contemnendæ operationis.

Sp. Esurinus, seu Acetum Philosophicum.

℞. *Calcis Lunæ* ℥ij.
Stanni ℥vj.
Æruginis ℥viij.
Sulph. communis ℥iiij.
Sal ammon. ℥ij.
Aceti destillati ℔v.

℞.

Abſtrahatur acetum ad remanentiam quintæ circiter partis. Reliquiis adhuc leviter calentibus ſuperfunde olei vitrioli ℥v. committantur deſtillationi in arena primo lento, dein fortiori, igne materiam urgendo, donec omnis tranſierit liquor, floribus ſulphuris inquinatus, per rectificationem ab iis ſeparandus, ſuper recentes metallorum calces, aut ſuper æruginem.

Mira præſtat hic ſpiritus in metallorum ſolutionibus, tincturis, modificationibuſque variis. Interne optimum eſt antepilepticum, omnibus convulſivis motibus ſuccurrens, & memoriam labilem confortans.

Si hoſce ſpiritus defœcatiſſimos, excellentioriſque proſapiæ in lucem proferre animus ſit, breviſſima hæc dicta reconde ſemitam hanc calcans: Salia debitis terris imprægna, ea humido univerſaliſſimo hujus mundi objice, radiiſque ſolaribus tamdiu imprægna, donec motum inteſtinum concipiant, in flores tenerrimos circulatorio motu aſſurgant; fœces craſſas deponant, tandemque inverſam figuram aliquo modo acquirant. Hæc ita diſpoſita appropriato ſtimulo fove & incita; ſic beneficio blandi ignis, hucuſque Medicis & Pharmacopæis ignotos theſauros ſeu liquores ſalinos obtinebis, nullis ſecundos.

Salia alcalina fixa & volatilia, modo acidis aut muriaticis jungantur ſalibus, ſpiritus inſignes proferunt diverſimodæ notæ. In his autem plures cautelæ obſervandæ, ſi animas egregias ex orco trahere ſatagat Medicus; quo diuturnior & blandior ſucceſſerit effervefcentia, eo melior prodit ſpiritus, nobilitatus moleculis oleoſis, ſenſim ſeſe ſalinis effluviis intermiſcentibus, ut demonſtrat ſequens.

Sp. Tartari alcalinus.

℞. *Tartari crud. Rhenan* ℔iiij.
Aq. comm. ſtill. ℔j. *vel meri phlegmatis, poſt deſtillationem ſp. ſal. ammoniaci prodeuntis*, ℥x.

Stent in aere aperto in loco ſolis radiis leviter illuſtrato per 14. dies, poſtea huic magis reſerato tartaro adde per vices
Liquoris tartari, è ſpiritu vini ſubſidui poſt ejuſdem rectificationem, ℔ij.
Sp. ſal ammoniac debilioris ℥iiij.
vin. vulg. ℥vj.

Foveantur ſimul levi hypocauſti aut balnei calore tepido, ut tandem poſt reactiones lentas ſpiritus ſalinus prodeat haud infimæ notæ.

Si ullibi, ſaltem in hac operatione, valet proverbium magno Paracelſo adſcriptum, Omnis feſtinatio à Diabolo. Lente enim procedere debet, quicunque ſibi finem expetit optatum; nam motus hic inteſtinus tardiori pede procedit.

Si fœcibus in fundo remanentibus poſt deſtillationem admiſcueris calcem vivam, ſal volatile inde ſat copioſum prodit, aut potius fugaciſſimus ſpiritus, facile in ſal volatile cogendus. Hoc itidem modo ſal volatile tartari obtinetur magnæ efficaciæ; verum, an ea omnia, quæ de ipſo apud celeberrimos Authores deprædicantur, poſſideat, multum dubito, imo pleraque hyperbolicè dicta de ejus etiam veriſſimo & maxime ſimplici ſale volatili haud trepide expertus pronuncio, niſi forſan methodi ſecretiores me lateant.

Eodem modo alumen, vitriolum, ſal commune, nitrum &c. muriatica ſalia tractari queunt, habito ad eorum naturam reſpectu, ſcilicet pro varietate fixitatis aut volatilitatis ipſius acidi interni, terræ magis minuſve poroſæ ſociati, unde reſultant amiciſſimi & familiariſſimi noſtris humoribus halitus ſalini admodum tenues.

Humidum & Calidum ad motus omnes inteſtinos procreandos & incitandos maximi ponderis ſunt inſtrumenta, ideoque in hoc caſu, quid humidum aquoſum valeat, ubivis occurrit. Calx viva quietam viciniam interni admittit ſalis, ſuperficies quaſi exteriores terræ ambientis; verum quænam inde reſultant luctæ poſt affuſionem aquæ? Sic tartarus crudus, & ſal tartari, ut & cremor tartari, cum oculis cancrorum, coralliis &c. ſiccum in pulverem redacta & mixta, nulla efferveſcentiæ ſigna proferunt, ſtatim manifeſtanda per aquam aut vinum affuſum: Sic ſpiritus acidiſſimi, phlegmate ad ultimum nobis conceſſum punctum privati, cum metallis vix aut nullatenus congrediuntur, quæ ſtatim ab ipſis cum impetu devorantur acceſſu aquæ paucioris. Calor indicia leviora vix perceptibilia motus inteſtini in apricum profert; pulvis enim tonitruans quid aliud, niſi efferveſcentiæ ſummus gtadus per calorem productus, ubi ſal tartari poros ſubit acidi nitri & ſulphuris? ſic etiam aurum tonitruans. Spiritus vini præcipitatus alcalinus cum acido ſpiritu nitri in frigore vix colluctatur, inſignem vero fervorem init, ubi calido ſpiritui nitri admiſcetur: Idem obſervamus in ſp. vini rectificato & aqua forti optime dephlegmata calida &c.

Obiter hic aliqua de ventis, terræ motu, ignibuſque violentis annectere libet, quæ præcipuas ſuas vires ab hoc inteſtino motu videntur mutuata eſſe, ubi nempe poſt mutuum occurſum violentam in miſcelam

rapiuntur corpuscula, eo vehementius actiones suas proferentia, quo magis coacta in angustioribus exstiterint subterraneis cryptis, cum fragore & tremore horrido discontinuandis. Hanc sententiam mihi extorquent phœnomena seu effecta effervescentiæ, semper & ubivis in ea observabilia, ut sunt

1. Valida dilatatio solidi & fluidi corporis.

2. Ventiformis expansio celerrima, eructans quasi è gremio dilatato eorum corporum

3. Halitus sulphureo-salini, immediate cum illo vento prosilientes diversi odoris, coloris &c.

4. Subitaneus & fulmineus progressivus motus, citissime apparens, & plerumque, nisi tenacior exstet materia, disparens.

5. Disruptio omnium vasorum clausorum, etiam maximorum, in quibus hæ contingunt effervescentiæ.

Quoad primum, necessario, ubi hiatus majores derepente fiunt, torrentis instar non solummodo influere videmus externam materiam, sed insuper eandem illic loci coagmentari, ita ut tandem copiosior illic colligatur infarcta, largiusque hausta, non diu in tam angustis terminis coercenda. Hæc armata salinis illis terrestribus particulis materia peregrina nobis facta, unita vi procedit, omnia obstacula dura dimovens, mollia aquosa partim attenuans, horrendasque partium concussiones inducens, unde tumultuosi motus corporei extraordinarios in sudores coguntur flatulentos, centuplo & plus fortiores iis, quos in fermentatione conspicimus. Hæc agitatio corporum, turbinis instar raptorum, æthereas particulas accersentium, magnetismum quendam exercere videtur; summa enim vi aerem attrahit, attractum postea, una cum corpusculis exspirantibus, aliis vicinis communicat fortius de loco pellendis. Plurima autem cernitur differentia inter hunc & vulgarem ventum; hic enim extensionis activæ notam, quam concepit, retinet; ille autem non solummodo perseverat, sed insuper crescit vires eundo acquirens, forsan quoniam distantia scaturiginis major est in uno, quam in alio; quo enim remotior est violentus ille halitus ab ejus corpore effervescente, eo remissior in sua actione existit. Hisce accedit salinorum effluviorum copia, mobilitatem penetrationemque illius venti summopere adaugens, quod experiri licet per injectionem salis, in igne valdè se expandentis ad rarefactionem ventriformem; sic etiam in æolipila leviter salsa, duplo majorem & subtiliorem ventum offerente.

Una cum hisce tenuibus crassiores ascendere coactæ, hos vapores nobili-

bilitant; reactio etenim corporum adiutore externo æthere, aere, reliquisque miasmatibus ibidem interspersis, decutit tenerrimas moleculas, easque secum rapit in suum chaos. Hinc nulla conceditur effervescentia, quæ non exhibeat diversissimæ indolis halitus, nunc gratos, nunc ingratos &c. sic gratum offert halitum butyrum antimonii cum sale tartari effervescens, ingratum præbet lixivium sulphuris cum aceto congrediens: sic rubrum dimittit vaporem spiritus nitri colluctans cum ferro, quem albicantem projicit, ubi calci vivæ superfunditur idem spiritus nitri; sic liquores inde excepti mirifice in gustu variant, prout nempe miscela terræ hujus illiusve notæ sese intermiscuerit vaporibus.

Quanta cum violentia quævis obstacula diruant hi velocissimi immediatè nati vapores, sufficienter demonstrat fermentativus motus, respectu hujus admodum debilis. Vorticem enim extempore constituunt, torrentis rapidissimi instar in omnes partes vagabundum, ita ut in angustiis detenti halitus, etiam maximi ponderis moles in remotiora loca abigant quasi è tormento bellico expulsæ. Solidissima etiam vasa primo tremula redduntur, postmodum, nisi exitus liberior concedatur, discontinuata in partes plures dissiliunt summo cum fragore. Aëris enim interna dilatatio & irruptio externi aeris, vehementer undiquaque materiam prementis, ab omni parte in ruinam vicinorum corporum conspirare videntur, illa undique ac undique agitando, jactando, propellendo, communicatione sui motus.

Eadem plane phœnomena terræ motus exhibere videtur, ortum sumens ex interiori ejus gremio, sulphuris acida flamma, ut patet in Vulcaniis montibus, scatente. Violenti hi ignes, in diversa mineralia incidentes, partim illas calcinant, partim concamerationes solidas leves & porosas, per diutinam combustionem, factas, evertunt, & in horridas illas flammas inextinguibiles decidere cogunt. Miscela extraordinaria admissa, horribiles ut luctæ inde emergant necesse est, cum intumescentia totius seu utriusque corporis, & pertinacissimo intestino motu inde emergente, quod sufficienter patet, ubi mera terrestria, nempe creta, calx, limatura ferri &c. sulphuri candenti injiciuntur. Ex hac ebullitione turgidæ partes factæ aditus varios obstruunt, vaporibusque summa cum velocia inde prosilientibus exitum liberum præcludunt, unde eo tumultuosior succedit particularum turba, compensando celeritate motus angustiam loci. Halitus igitur ventiformes, pernicissimis alis instructi, per tubulos, occlusos à tergo, progressivo motu pergunt, tyrannicum imperium ubivis exercentes, tremulumque motum omnibus lo-

locis, quos peragrare coguntur, inducentes tamdiu, donec ſpatia ampliora nacti ſeſe in chaos acreum diffundant non ſine murmure & vaporibus ſulphureis fuliginoſis.

Scaturigines aquarum, ex improviſo per avulſam terram ſimul ad illa loca defluentes, lateribus nempe canalium & alveorum decuſſis ac deturbatis, vehementiam illius fervoris mirifice promovent, quod patet ex infuſione aquæ in ſulphureas & oleoſas ardentes particulas, ubi omnia ſuſque deque commoveri ſummo cum fragore videntur. Hinc etiam poſt immenſas pluvias circa autumnalia tempora terræ motus frequentiores & majores obſervantur. Eo autem majores inde reſultare debent motus, quo illæ aquæ magis minuſve imprægnatæ fuerint corpuſculis tenuibus ſalinis, acriorem in luctam tranſeuntibus cum craſſioribus ſulphuris particulis. Aer utplurimum quietior illo temporis puncto in vicinis locis obſervatur, ob ingreſſum ſubitaneum maxime mobilium miaſmatum &c. antehac per aerem obvolitantium, motumque ſenſibiliorem illic inducentium, unde aer quaſi expurgatur in illo momento. Voragines autem hæ abſorptæ, magno conatu maximas dein proferunt viciſſitudines, vi unita velut conſpirantes ad omnia nutui ſuo ſubjicienda.

Haud admodum diſſimilia phœnomena in tonitruoſis tempeſtatibus in aereis locis cernere dantur, ubi ſulphureæ flammæ fulgentiſſimos diſpergunt radios, ventis utplurimum intermixtos, per intervalla ſonoros motus fulmineos eructante materia inter nubes deliteſcente, igneam efferveſcentiam concipiente, in obſtantia corpora cum fragore illidente. Quod eo magis confirmant pyrites, ſilices, corporaque ſolidiſſima, ſæpiſſime ex alto dejecta. Reſtant enim poſt efferveſcentiam induratæ moles corporum, præſertim ubi igneus acceſſerit iis motibus vigor. Effluvia tenerrima idem redarguere videntur, necantia ſuo ingreſſu violento animalia ſine magna externæ cauſæ apparitione, utpote quæ citiſſime ſpiritibus noſtris unita deleteriam illis figuram imprimunt, nervis & cerebro funeſtam. Idem teſtantur fuſiones extemporaneæ metallorum; ſalinæ enim exiliſſimæ & impetuoſiſſimæ factæ, per celerrimum hunc inteſtinum motum, particulæ, fortius ad intima penetralia adactæ, in quaſvis ſuperficies ſine intermiſſione arietant, corpuſque ſolidum concutiunt ictu oculi omnes & ſingulas ſuperficies de loco dimovendo, unde fluor à retenta ibidem, vix obſervabilem moram ineunte, materia. Hæc in fuſione metallorum duriorum ſat demonſtrabilia exiſtunt, ut & in ſolidiſſimis lapidibus, mineralibus &c. liquandis apparent, ubi duplo

& decuplo citius funduntur, si duo hæc requisita accesserunt, ventus & salia. Ventus fluorem maximum conciliat igneis corpusculis oleosis salinis, iisque vires ita adauget, ut undique arietare possint in duriores terras, includentes, seu incarcerata abscondentes non raro diversæ indolis salia oleosa, cum quibus postmodum vehementior collustatio succedit. Salia externe addita mirifice hunc generant, fovent, augentque motum; cuneolis enim illis armata oleorum acies exæstuat, torret, candet, ultimumque impetus ferocis fastigium assumit. Effervescentiam autem omnino hic non abesse, patet ex ipsa dilatatione violenta ignis, è ventiformi copiosissima exhalatione assurgente post reactionem immediatam corporum, ex ebullitione subitanea liquantium mineralium post additionem salium, tandemque ex strepitu sonoro omnium particularum, se mutuo afficientium. Plura circa hanc materiam tractanda omittimus, nempe, quare per vices tantum fulgura & tonitrua oboriantur, quod ulterius sententiæ nostræ ancillatur, nempe ob miscelas non una vice totaliter peractas, sed diversis vicibus & modis reiterandas, ut in effervescentiis passim observant Chymicorum filii; unus enim vix sufficeret orbis illi impetui sustinendo, adeoque, si aliquid de mundi ultima combustione conjecturare licitum sit, hæc è copiosissima illico confusa hac materia ortum sumere possit, in omnes mundi plagas simul ac semel sese diffundente, & ad interiora subterranea sese insinuante, omnia hoc motu latera unica vice afficiente.

Ventos ex hac miscela inquieta originem trahere, haud absonum videtur; nam solum calorem aquas resolventem hisce producendis sufficere vix credibile videtur. Experimentum per æolipilam huic firmandæ sententiæ nullo modo sufficit ob calorem nimium, ibidem requisitum, qui circa terræ superficies saltem non visitur. Adde quod æstivo tempore ventorum multitudo & ferocia minima sit respectu anni tempestatum reliquarum, ubi gravissimi eorum sunt insultus, quod etiam in calidioribus locis observabile, ventos nempe in pluviosis, temperatis, frigidioribusque temporibus illic produci. Recurrendum igitur ad illas causas, quas in terræ motu adduximus, nempe miscelam graviorum colluctantium corporum, congestam auram ætheream summa cum vi explodentium. Hæ miscelæ quo tenuiores sunt, eo citius evanida proferunt effecta, ideoque aëreæ effervescentiæ breviores vorticosos proferunt ventos & motus ex effluviis variè figuratis inter se concurrentibus, subterranei graviores ac diuturniores, aërem simul & tellurem afficiunt diris sæpius effectis, ut diximus. Hinc in æstate, lo-

ciſque calidioribus multo minus frequentes ſunt venti, quam in autumno, locisque frigidioribus, quoniam in prioribus facilis conceditur partium fuga, attenuatio, & diſparitio è poriſſima terra in hiatus immenſos aëris, inſenſibiliterque hoc modo abripiuntur, in poſterioribus non ſine moleſtia viam ſibi parare coguntur per obſtantes denſiores terræ & aeris craſſioris catervas, unde ſenſim acuuntur, vireſque acquirunt eundo, alia atque alia corpora impellendo, concutiendo, decutiendo, tamdiu, donec diffractis plurimis carceribus, aqueo-ſalinas in occurſus ad ſuum etiam nutum diſponant, poſtmodumque ſat magna cum vehementia ruant. Non mirum igitur, ſi omnes venti de ſalina & humida ſubſtantia participent, effectaque iis convenientia plurimis obviis corporibus inducant, imo aëris conſtitutionem pro magna parte mutent, allatis ad illa loca effluviis innumeris, & ablatis inde aliis antehac ibidem commorantibus, unde, ſana aut morboſa ejuſdem reſpectu noſtri aliorumque animalium & vegetabilium corporum, deduci debet conſtitutio.

Effervescentia quamvis auctum ſemper præſupponat motum, non ſemper calorem præſentem indicat, verum dantur calida, frigida, & intermedia. Hæc differentia dependere videtur à mera partium diſpoſitione & concurſu. In genere quo rigidiora magiſque ſulphurea illud mobile exercitium ſubeunt, eo caloris gradus intenſior exiſtit: quo molliora, aquoſioraque ſeſe pugilum illorum certamina offerunt, eo remiſſiora in calore obſervantur. Frigus autem non raro prodit ex effluviis conſtringentibus noſtros poros, ſpirituumque irradiationem ſufficientem pro tempore moderantibus aut prohibentibus. Sic ſal ammoniacum cum ſale tartari congrediens, frigoris gelidi manifeſta indicia præbet; idem ex aceto, tartaro & ſale tartari contingit: ſic nitrum, ſal ammoniacum, & alumen, in aqua diſſolvenda, in ipſo reactionis puncto frigus intenſum exhibent. Hæc omnia in aqua nivis probè collecta, majorem frigoris notam infligunt. Econtra ſp. ſalis ammoniaci, infuſus oleo vitrioli, ardentiſſimum caloris ſtigma inurit; aqua fortis ſumme pura cum ſpiritu vini ſuper calcem vivam & ſal tartari accuratiſſime rectificato, ex improviſo calidum ſummopere concipit motum, imo, ſi cum oleo quodam ſubtiliſſime uniatur, flammam evomunt lucidam. Eodem etiam modo è diverſorum concurſu ignei lucidi motus ſurſum educi queunt cum admiratione aſtantium.

Finis effervescentiæ ſemper tendit ad coalitionem ſalis agentis & terræ patientis ſeu excipientis, cum expreſſione ſuperflui humidi aquoſi, facile divortium poſthac admittentis. Hinc ea corpora, quæ omni aqua

privata

privata credebantur, post effervescentiam peractam largiter aquam intrinsecam effundunt. Sic concentrare sua solent acida Chymici ingeniosi, superfundendo spiritus acidos, nulla amplius rectificatione per se instituta, aquæ superstitis signa exhibentes, terris mineralibus, unde post imbibitionem fervidam salium, terræ divortium parant aquis pertinacioribus, illas plane insipidas, aut, si caute processerit artifex, subtilissimis fuliginibus refertas, dimittendo. Sic oleum vitrioli etiam omni arte depuratum, ut & immediate tradita acida concentrata, cum oleo terebinthinæ lege artis sociata, copiosissimam stillare sinunt aquam. Sed ne quis putet, hasce olei terebinthinæ admixtas partes aqueas has præbere partes, idem experiri poterit cum oleo vitrioli & antimonio crudo mixtis. Ex hac mollium flexibiliumque particularum jactura durior ac solidior ut emergat textura coaliti corporis necesse est, eorumque intimior mixtura neutram figuram è duobus concinnans, neutram, id est, ab hisce duobus differentem, actionem introducere debet. Sic spiritus, qui nunquam non indè prodeunt in ipso colluctationis puncto, adiaphori sunt, vel cum utrisque salibus maxime celebratis apud Chymicos congrediuntur, blandiori quamvis modo. Solida autem in fundo remanentia omnem posthac renuunt motum intestinum violentum cum alcali aut acido, nisi plane alterius indolis assumantur, nempe quæ poros vi subire possint. Sic enim, prout declaravimus, acidorum cum acidis pugna visitur atrox, ut in antimonio, à spiritu salis corroso in butyrum glaciale redacto, cum aqua forti aut spiritu nitri, neutiquam autem denuo cum spiritu salis communis.

Spiritus, quem effervescentia ministrat, est semper subacidus, aut alcalinus sulphureus volatilis, semper tamen aliquali aciditate instructus. Fixa enim acida irretita permanent in terræ gremio, levissimæ etiam tantummodo avulsæ terræ, vehiculis salinis elevatæ, illis permixtæ manent, ut superius monuimus. Nunquam inde resultat ardens liquor, nisi oleosas visibiles contineant guttulas, nec in fixius acidum inclinantem salem profert, sed potius fugacissimum, facillimeque evanidum. Hinc spiritus acidi tali modo parati contra naturam aliorum acidorum post solutionem corporum terrestrium peractam denuo pro magna parte, integris viribus adhuc instructi, avocari possunt, unde Mercurii Philosophorum nomine insignitus apud celeberrimos quosdam Chymicos prodit. Spiritus huic fere similis prodit in ipso fermentationis vehementioris primo tempore, qui odore penetrantissimo sese manifestat.

Putre-

Putrefactio est motus intestinus particularum, tendentium ad solutionem continui, cum annihilatione pristinæ figuræ, molis, & motus. Hæc reactio unice igitur videtur intendere, omnium & singularum superficiecularum, in varios secessus transeuntium, ruinam, separando quævis obstacula duriora, eaque in pulpam reducendo molliorem. In putrefactione sequentia observatu digna occurrunt phœnomena, distincta à præcedentibus intestinis motibus:

1. Omnia animalia & vegetabilia molliora, id est, humido copiosiori scatentia, per se huic motui obediunt.

2. Fluiditas aquosa etiam levis sufficit ad putrefactionis notam acquirendam, modo illa ad exteriores æque ac interiores superficies devehi queat.

3. Alcalia, præcipue fixa, admodum huic motui fovendo conveniunt.

4. Efflorescentia levis & tenuissima minimorum corpusculorum plerumque præcedit, vel immediate illi reactioni connectitur, quæ efflorescentia situs, Belgice *Schimmel*, nominatur.

5. Intumescentia nulla observatur rerum in putrilagine existentium, sed potius detumescentia visibilis adest.

6. Calor sæpius insignis, imo aliquando flamma, emergit in ipso exæstuationis violentæ puncto.

7. Odor, color, sapor ad fœtidum, lividum, ingratum transeunt, etiam incipiente putredine, nullis attamen extraordinariis seu turbulentis motibus ibidem, quoad sensum nostrum, conspicuis.

Ut hæc perfectius deducantur plurima essent repetenda, sufficiet autem breviter indicasse ea, quæ strictius hunc motum respiciunt. A salibus motum intestinum derivavimus, eaque activitatem diversificare ratione terræ & aquæ, quarum consortio sese alligavere pro illo tempore. Terrarum mollitiem & flexibilitatem aquæ intermixtæ deberi, fusius demonstravimus, eamque mixturam inconstantem reddere superficierum nexum tunc indigitavimus. Salia fluorem suum ab hisce aquis mutuari, largiter satis inculcavimus. Reactionis autem, seu motus intestini directionem, ab aliquibus suo modo figuratis moleculis, maxime salinis terrestribus, dependere, clare, ut credo, & distincte tradidimus. Restant igitur hæc ulterius hoc loco rimanda ac experimentis confirmanda.

In vegetabilium & animalium familia aqueum prædominium maximum est; hinc eorum præ aliis major inconstantia, mollities, porositas,

tas, levitas &c. Salia illic sat diluta, sed etiam in plurimis frequentia adsunt; varia autem ac diversa in uno eodemque corpore existunt pro varietate ac magna sæpius differentia partium solidarum, in quibus nidulantur. Imo olea, quæ nil aliud sunt, nisi terræ salinæ, in hisce cavernulis diversis nidulantes atque oberrantes, toto cœlo, ut aiunt, inter se, in uno eodemque subjecto, differunt. Terræ continuo irrigatæ humidis salinis particulis, vesicularum mollium instar, cellulas præbent, non diu impetus majores sustinentes, facile ècontra cedentes, læsionemque salium acutorum permittentes, unde solutionis continui initium producitur. Multi & magni inde facti pori laceram proponunt texturam, terrestrium vinculorum discontinuationem validam significantem. Mineralium, familia densiori structura gaudens, incarcerata fortius compescit salia & aquas, in multo minori abundantia ibidem existentes. Penuria etiam mobilium harum particularum non raro tanta adest, ut non nisi copiosissimis externis miscelis obediant salinis aquosis, antequam superficialia crassa tantum permittant divortia, sine ulla continui interiori solutione, hactenus in Chymia peritissimis obiter solummodo notâ.

Ut hic motus initium ac progressum obtineat, necessum est, partes internas quasvis salinas sensim proprio intestino motu confundere, oleosisque particulis irregularibus altius lente intermiscere, donec turbida tandem ac limosa reddatur mixtura. Confusio peragitur motu proprio repentis aquæ per angustissimos limites & cavitates, tubulos ac poros constituentes, secum vehentis abrasas inæquales fœculentias terrestres, non amplius in cadaveroso illo motu segregandas, unde cœno ac limo conspurcatam hanc aquam merito dixeris putrefactionis authorem. Prout in omnibus fœcibus exiliora visuntur salia, ut in fermentatione exhibuimus, sic etiam in hoc luto sordido sui generis corpuscula latitant salina, huic motui propagando faventia. Effluvia etiam, subtilissimas hasce fœces è putrescentibus corporibus sursum ferentia, non minimam præbent ansam corruptelæ vicinorum corporum. Extimas occupans superficies aqua, aut compressione expressa, aut sponte extravasata, palustria loca sibi parans, aut externe superfusa, fluidiora reddit salia circa corporum eorum cortices seu involucra densiora, quæ simul ab ipsa molliora porosioraque fiunt. Hæc fluiditas, non sine aliquali abrasione & alteratione procedens, ulterius ad intimiora adigitur loca, ibidem malignam figuram ac motum suum communicans particulis utplurimum alius notæ, unde sæpius internæ resultant effervescentiæ salium

oleoſorum, cum validiſſima partium oblongiorum ac rigidiorum frictione, præſertim, ſi paucior aquæ, plurima olei fuerit mixtura. Hinc ergo flammæ, ut in efferveſcentia indigitavimus, ut & calores inſignes, ex illa miſcela luctuoſa in apricum prodeunt. Ubi vero defectus olei adeſt reſinoſi, parteſque aquæ multum exſuperant reliquas, ibi non tam acris lucta, ſed plerumque frigida in limum ſordidum converſio locum habet. Ex hiſce patet, quare oblonga ſtraminea corpora cœteris paribus ſemper vehementius hunc ſuſtineant motum, ut fœnum, ſtramen fimo equino intermixtum, folia & flores recentia, fœces animalium plerorumque, fœno aut ſtramini conſciſſo intermixtæ, quoniam ſecundum longiores lineas progreſſivi motus tendendo, unum idemque corpus diutiſſimè afficiunt, deradunt, atterunt, fricant, unde vorticoſi ſalium extricatorum motus circa illas partes diutiſſime hærent, tandem rapidiſſima circumgyratione igneum motum inducentes.

Acida aut elaborari in fermentatione, aut neceſſaria pro efferveſcentia obtinenda, declaravimus; in hac autem operatione inteſtina vix aliquid acida conferunt, niſi in quantum reactiones illæ ad fervidum motum quam proxime accedunt. Nullum vero datur animale aut vegetabile, quod non de utroque ſale, certo nempe reſpectu, participet, quoniam ſunt tantum denominationes aliquæ deſumptæ à coordinatione varia ſpiculorum ſalinorum, facile deturbandorum ab illo nexu & ordine, poſtmodumque nomen cum figura mutantium. Hinc in pleriſque inteſtinis motibus incipientibus fervidæ illæ luctæ conſpiciuntur; minimæ autem, cœteris paribus, in putrefactione. Irregulares autem avulſæ hic illic depoſitæ particulæ, lentorem contrahentes ob minorem ætheris externi impetum, arietationem ac admiſſionem, ſalibus gravem difficilemque concedunt progreſſum, ubivis in latera dura, mollia, inæqualia terræ limoſæ impingentem. Sic tandem ac tandem majores illi nexus molium ſalinarum, decopulationem admittere coacti, vim ſcindendi deponunt, relictis minoribus moleculis diviſis tantummodo pungentibus alcalinis dictis. Impoſſibile autem cum ſit, ut omnia corpuſcula in maximis & minimis particulis ita diſcontinuentur, ut omnimode pereat ordo nexus priſtini, aliquæ aut de novo creatæ, aut leviori aut graviori læſione vulneratæ particulæ, utplurimum ramoſæ leviores, in apricum prodeunt, ſalis motum ſequentes, unde ſalia emergunt oleoſa volatilia alcalina. Volatilia enim fiunt per illum motum inteſtinum ac miſcelam olei tenuioris, quamvis antehac fixiora exiſterent in ſtatu naturali.

Ubi

Ubi prævalent acida, ibi hujus corruptelæ nota lucem tamdiu fugit, quamdiu terræ densiores redditæ molem firmiorem constituunt, eludentem posthac ingressum & progressum limosæ materiæ salinæ. Condita igitur ac in acido sepulta integrum pertinacius retinent statum ob duas causas: 1. ob salis subtilioris retardationem seu fixationem, ut patet, ubi fœtidis, graveolentibus, ac sale volatili copioso præditis, affunduntur acida fortiora, omnem fœtorem & maximam volatilitatem tollentia: 2. ob olei seu partium ramosarum incrassationem; hac enim condensatione plurimus expressus aer, minus auxilium externum accersere permittit poris angustatis, salia ac olea mobilia arctius incarcerata retinentibus. Hac etiam ratione ipsæ putredines incipientes ab ulteriori motu præcaventur, muriaticis nempe acidisque salibus additis ac intermixtis. Si autem acida mutationibus hisce unquam obnoxia reddantur, illud omne debent terrenis limosis particulis, sensim ac sensim acida enervantibus, moleculasque salinas ramosas illuc intrudentibus, tandemque concussiones & decussiones varias inducentibus, quod patet in vappescentibus liquoribus. Hæc corpuscula partim ex aere, partim ex insectis, utpote illum motum facillime adjuvantibus, in liquida corpora sese insinuantibus, colliguntur, depositione suorum miasmatum, ovulorum, excrementorum &c. unde turbationes liquorum subsequentes, prima corruptionis exordia inferunt. Aere igitur haud libero, vel omnimode negato, hæc motus intestini signa pro maxima parte cessant; omnes enim reactiones illi præcipuè debentur, ut antehac monuimus. Siccitas etiam admodum obstat; illa enim salium fluori ac extricationi è suis cellulis terrestribus contraria, nec ita facile illa limositas tantopere necessaria acquiritur.

Alcalia, blandiori modo corpora perterebrantia, ab omni parte illa porosissima reddunt, viam aquis & aëri sternentia in mucagines illas copiosius posthac nidos suos figentia. Ramosa enim æque ac viscosa & mere terrestria ab alcalinis solubilitatem tandem obtinent aqueam, id est, in mera aqua aut disparent, aut quasi in turbidam aquam convertuntur, lentore autem aliquo semper persistente viscido, huic motui promovendo aptissimo; pleraque enim, antequam putrescant, lenta evadunt. Efflorescentia hisce lentis debetur particulis, sursum una cum salibus tenuioribus elevatis, circa superficies tenerrime dispositis, prout in fermentatione fœces observantur supernatantes. In mere liquidis cuticulæ, è viscidis coalitis oriundæ, apparentia præcedit cum subsequenti liquoris turbida confusione, putrescentiam prægrediente, præcavendam olei expressi superfusione. Intestinus enim hic, omnesque alii mo-

tus, fugam plurimis ſalinis particulis feſtinantes, reliquias fœculentas copioſas promovent putrefactionis & vappeſcentiæ authores, quæ fuga oleo mediante craſſo prohibetur, ingreſſu & egreſſu aëris ſpirituumque ſalinorum pro maxima parte negato. Hæc ulterius confirmantur ſigillatione Hermetica, aëreos impetus eludente, antlia pneumatica, aërem ipſum exantlante, & hoc modo liquores ibidem commorantes à corruptela prohibente. Idem etiam contingit, ubi ſpiritus copia, aut ſalium redundantia cernitur, ſeceſſus partium mere terreſtrium, earundemque craſſiores ſubordinationes interpellans, irregularem inſuper progreſſivum motum eatenus arcens.

Intumeſcentiæ nulla ſigna occurrunt ob plurimos magnoſque poros in admodum lacera hac textura factos, ulterius ac ulterius augendos continuante motu; vi enim ſemel viis magis patulis redditis, nullibi ferè materia cohærente ſubſidere cogitur limoſa terra aquæ intermixta, aërem, ventiformeſque expanſiones nullatenus coercens, nec in gremio ſuo fovens, prout in fermentatione ac efferveſcentia fieri ſolet, veſiculis ramoſis integro adhuc nexu copulatis, materia ſubtiliori turgidulis. Rimarum etenim plena hæc corpora undique diffluunt. Si autem ulla obſervetur materiæ elevatio, illa in principio, nondum plenarie diviſis moleculis, aliquatenus concedi poteſt, ubi recens congreſſus diverſorum ſalium atque oleorum luctuoſus cernitur, ut patet in cadaveribus, calido partium motu &c.

Inſecta cujuſvis figuræ in putreſcentibus ſeſe manifeſtant, forſan ab ovulis aut animalculis minimis, pabulo majori nunc inſtructis, ibidem jamdudum latitantibus. Hæc microſcopiis armato oculo obvia ſeſe offerunt in vividis ac integris liquoribus, quibus ſæpius copioſiſſime innatare conſpiciuntur, exilia manentia, quamdiu celerrima ſalis tenuioris influentia hoſpitium incommodum relinquit, valdopere excreſcentia, ubi ſepimenta aqueo-terrena turbida ipſa tuentur à nimium depaſcente ſale ſpirituoſo. Illud in fermentatione etiam obſervabile; in principio enim fœculentiori adhuc liquore exiſtente congeries innumera vermiculorum obſervatur, ſenſim ac ſenſim pro maxima parte diſparentium, ubi ſpirituoſa emicare ſalia incipiunt. Idem inſuper teſtantur acida debiliora, repleta vermiculis, evaneſcentibus, aut ſaltem non ita apparentibus in fortioribus acetis. Acida ſtillatitia, ſpirituſque chymice prolecti, ut & omnia ſalia iiſdem privata ſeſe ſiſtunt, illis attamen facile imbuenda dilutione aquæ, aëriſque impregnatione liberrima.

Odor,

Odor, ſapor, color, à modificato ſale & terra dependentia, miras ſubeunt viciſſitudines per hunc motum, utpote in hac laniena valde alteratis. Vellicatio ſenſibilis nervorum, à ſale derivata, odori & ſapori prima incunabula præbuere, eo ingratioribus futuris, quo vellicandi hi modi atrociores fuerint. Spicula autem hæc copioſiſſime ac catervatim procedentia, ſubtiliſſimiſque particulis dotata, in quævis latera ſimul ac ſemel delata, atrocius pungunt, acieſque ſuas infligunt penetrantiſſimas, ſenſibiles nervaceas fibrillas moleſtius afficientia, unde pro varietate modificantis oleoſæ terræ exſurgunt fœtores ingrati, & ſapores magis minuſve nauſeabundi, tamdiu perſeverantes, quamdiu motus putrilaginei indicia perſtant; nam eo ſublato tollitur etiam illud effectum, ut patet in corporibus abſumptis. Color dependens à diſpoſitione terræ, in ſuperficies varias concatenatæ, arcentis immediatum luminis progreſſum liberum, differentes in reflexiones & refractiones cogitur pro differenti ſitu, ordine, nexu &c. illorum corpuſculorum terreſtrium. In hoc igitur corpore dilaniato, nullibi fere permiſſa ſuperficiei copula planiori, nullæ aut pauciſſimæ reflexiones vel refractiones prodeunt aciem noſtram afficientes; ſubmerſi autem radii nullibi non labyrintheos receſſus offendentes, tenebricoſas colorum ideas ob oculos ponunt, id eſt, nigredinem exhibent funeſtam.

Effectis hiſce ſufficienter elucidatis, tranſeundum nobis reſtat ad producta chymica haud minimi momenti, è plurimis putrefactis reſultantia, præcipue ad hæc tria reducenda, oleum fœtidum copioſum, ſal volatile alcalinum, phoſphorum.

Oleum in abundantia è corporibus leviter putrefactis eruitur, fœtidum attamen, una cum aqua aſcendens, inſtar olei eſſentialis à Chymicis dicti. Sic omnia vegetabilia, pauciorem olei copiam præbentia, macerantur in aqua, ut quam leviſſime initiatos illos ſubeant motus, repagulis durioribus ſolvendis, ſalibuſque oleaginoſis, in actum deducendis. Continuata hæc maceratio, donec fœtoris indicia prima appareant, reſolutioque limoſa mollis conſpiciatur, non minimam olei extricationem promovet; verum ſummopere alterati per inteſtinum motum, quod patet ex odore ſaporeque mutatis. Hinc incertæ eorum oleorum vires ſunt, ſaltem reactiones cum acidis & alcalinis in diverſa miſcela eaſdem rarius aut nunquam conſervant, quas obtinent olea, ſine protracta admodum maceratione in lucem edita; imo ſtatus eorundem ſæpiſſime variare ſolet, ut demonſtrat oleum aniſi, è, leviter ad putredinem macerato ſemine productum, æſtate ac hyeme fluidum permanens, ut &

oleum baccarum juniperi, eodem modo tractatarum, semper album, nunquam viride prodiens &c. Hæc igitur olea, viribus suis nativis insigniter spoliata, non magis easdem proferunt vires, quam empyreumatica olea, maximopere à suis simplicibus aberrantia. Nullum autem dubitandi locum esse credimus, quin iis excellentissimæ sint vires in hypochondriacis affectibus, ex acido-austero oriundis, ut & in pertinacissimis morbis frigidis, chronicis, epilepsia &c. ob salis penetrantissimi inexistentiam. Dolendum attamen, quod lucri gratia sordida hujus olei copia promoveatur, destructa indole nativa simplicium: Illud insuper monendum, fugacissimo sale dotata hæc inconstantiori nexu prædita olea, ocyus vires suas amittere pro maxima parte, nisi accuratissime obturata reserventur, ut patet, ubi situm contrahunt, rancida fiunt, & balsamicam crassitiem induunt, quod plerumque in talibus obvenit. Duriora vegetabilia, absque tali maceratione minimam aut nullam olei copiam præbentia, optime pro suis oleis stillatitiis ut firmior restituatur partium copula, densiorque naturalis structura redintegretur, rectificationem implorant super sal commune, spiritu salis communis fortificatum, adjectis recenter contusis, rasis aut conscissis vegetabilibus sui nominis. Hæc rectificatio si repetatur, omnibus notis absolutissima offert olea essentialia, nulli secunda. Idem circa plurima olea empyreumatica tentari potest, hac cum differentia, quod olea hæc aliquantisper fœtentia essentialia semper in rectificatione aquam largiori manu affusam requirant, ne empyreumatis notam incurrant; olea autem empyreumatica in prima rectificatione mera salia acida muriatica expetunt ad graveolentiæ aliqualem jacturam obtinendam, & ad fœces crassiores deponendas, dein in iterata absolute ad hunc scopum necessaria rectificatione salia, aquæ & propria simplicia commiscentur, ut inde prodeat essentiale æmulans oleum magnarum virium.

Salia volatilia, empyreumaticas destillationes si exceperis, sola putrefactione in lucem prodeunt, præcedentia ipsas aquas in prima ignis tortura, aliàs subsequentia, ut patet in urina recenti & putrefacta. Vegetabilia, rarissime salem in forma solida exspirantia, hoc modò decenter elaborata, evomunt salia tenuia, diversificata tantum pro varietate olei illic nidulantis. Encheiresis igitur secretior pro obtinendis salibus volatilibus unicè à putrilaginea eorum simplicium resolutione peti debet. Nam acida tartareo-nitrosa corpuscula fortius agitata, concussa, divisa, tandem moleculis sociantur oleosis, volatilem simul naturam induentibus. Ut autem copiosior proventus salis volatilis emergat, sequenti modo procedendum:

Sal volatile Vegetabilium.

℞. *Herbæ cujuscunque recentis* ℔xx.
Fæcum vini vetustiorum, aut vappæ ejusdem,
cerevisiæ, in fundo vappescentis cerevisiæ collectarum aa. ℔j.
Calcis vivæ ℥iiij.

Comprimantur simul in cado, reponantur in cella, aut loco humidiori per tres quatuorve septimanas, donec in pulpam crassam fœtentem redacta sint; dein adde

Salis tartari ℔ß.

Dein simul destillationi commissa oleum graveolens, sali volatili permixtum præbebunt sat copiosum, si putrefactionis tempus rite absolutum fuerit, quod summopere notandum.

Sal volatile Tartari.

℞. *Vappæ crassioris vini, circa siphunculos collectæ*, ℔iij.
Fæcum vini subnigricantium ℔v.
Tartari crudi Rhenani ℔x.

Mixta, ut artis est, reponantur ad putrifiendum, donec teterrimus fœtor designaverit destillationis necessitatem.

Sal volatile, una cum spiritu prolecto, misceatur cum vini adusti partibus æqualibus, quibus adde tartari crudi quartam circiter partem respectu salis volatilis, digerantur per 24. horas, dein aut per se destillationi, vel potius sublimationi, committantur, si gratius expetatur & candidius sal, aut addatur media circiter pars salis tartari recenter calcinati, respectu tartari crudi, ut copiosius sal emergat altum petens.

Præstantissimas exerit vires tam in Chymia, quam in Medicina, præsertim si bis aut ter cum recenti spiritu vini in sublime cogatur post leves præmissas digestiones; sic enim saturatur tenuissimo sulphureo acido corpore vini, admodum spiritus nostros animales roborante. Tincturas metallorum ac mineralium potentissime extrahit, volatilisat, nobilitat. Dosis à gr. v. ad ℈j.

Urinæ, ac excrementa animalium, summopere conducunt pro vehiculis putredinis obtinendæ, inter quæ excellit simus vaccinus, ejusque urina, utpote minus graveolentia, maximeque vegetabilium familiæ appropriata. Hinc, ubi sicca vegetabilia in usum vocare libet, ea primo per aliquod tempus in hac urina, aut in defectu ejus in extracto

per

per aquam calentem fimo, macerari, posteaque putrefieri debent, sic mediante reactione corpuscula salina, in hisce liquoribus delitescentia, oleosis junguntur, unumque posthac constant sal volatile.

Phosphori generatio ultimæ quasi horum corporum resolutioni debetur, post fugam maxime volatilium apparens. Sal & oleum postquam fugam paraverint è corpore putrido, restant ficciores terræ, à Chymicis capita mortua, & terræ damnatæ dictæ; insciis, ibidem nobilissima fixiora delitescere olea salina, non nisi violentissimo ignis ferocioris prælo evocanda. In his igitur terris latitant ignea lucida corpuscula; quæ antecedunt, muriatica magis, volatilia salia, oleaque crassiora, post fugam nempe salis alcalini & olei tenuioris; Hæc potius acidæ sulphureæ sunt naturæ, quam alcalinæ; restantque post omnem reactionem finitam, ut fixa alcalia & acida in cineribus post ignitionem absolutam. Corpora enim intestino motu se mutuo aggredientia, infinitis modis junguntur & disiunguntur in minoribus colluctantibus moleculis, donec ad alias atque alias coordinationes transeant, sub finem illius conspicuas. Terræ graviores una cum salium majoribus punctis unitæ, secedentes à levioribus, diversa postmodum loca occupant, gradus varios fluiditatis & soliditatis ineunt, fixiorem aut volatiliorem statum acquirunt pro hac miscela, quam per hunc motum acquisivere. Imo salia, fortius adacta in densioris terræ penetralia, ibidem sistuntur à motu ulteriori, quamdiu illarum superficierum firmior cohæsio perseverat, id est, tamdiu, donec ab aliis salinis terris, alias motus leges subeuntibus, alterentur in suo ordine, situ ac nexu, figuram, molem & motum pristinum pro magna parte immutantia. Sic tartarus in fœcibus vini delitescit, oleaque incrassata per acida mediante effervescentia durum sulphur constituunt. Hi phosphori igitur non ex uno, sed ex omnibus rite putrefactis eliciuntur, ut spiritus vini aut aceti è quocunque fermentato liquore; illæ enim corporum dispositiones propriè competunt hisce mortuum speciebus. Notandum autem est, in omni reactione corporum duas specificas occurrere alterationis facies; prima, ubi tenues, ad ultimam illius modi exilitatem reductæ particulæ prodeunt fugaces per excellentiam, id est, aeris & ignis impatientes; secunda, ubi crassæ, intricatam majorem superficiei plurimæ connexionem habentes partes, fixiorem occupant retinentque in aere & igne locum. Prioris generis sunt spiritus & olea subtiliata salina; posterioris sunt acida, terrestria, & alcalina fixiora, irretientia in suo gremio graviora olea, plane ad nutum illius motus disposita. Idem in naturalibus sæpissime observatur per analysin

lysin Chymicam examinandis, ubi duo Spiritus, duo ſalia in forma ſolida, duo olea exhibent valde à ſe invicem differentia. Non mirum igitur ſi putrefactio tale quid etiam proferat, modo abſolutæ reactionis internæ gradum exſpectaverit Artiſta. Ex omni corpore eam produci poſſe dixi, præſtant autem Urinæ equorum & hominum, ut &, eorundem fimi vetuſtate conſumpti & exiccati. Pulveres aut maſſæ evaporatæ quo magis odorem graveolentum, poſt ſummos fœtores depoſuerint, eo ad hunc uſum meliores exiſtunt. Miſcela in ipſa deſtillatione, non fiat cum alcalinis ſed potius cum fixioribus acido-ſulphureis, ne contextus neceſſarius denuo diruatur. Carbones igitur lignorum apprime hic conducunt, ſilices circa maris littora collecti, arenæ majoris notæ, Criſtalli omnis generis &c. Hæc rite mixta in recipiens capax aqua ſemiplenum, deſtillantur adhibito diuturno æque ac candentiſſimo igne, donec nebulæ lucidæ denuncient phoſphori egreſſum decidentis in aquam, qua mediante igneus ejus vigor extinguitur. Liquidior ſed in minori copia obtinetur ſi lignorum cineres intermiſceantur carbonibus & putrido corpori. Vires medicas, hucuſque mihi incognitas, proferre vix licet, plurima autem ſat curioſa Phænomena, meteora ac fulgura oberranteſque ignes inde offerre licet. Unde non immerito ex halitibus rerum per putreſcentiam conſumptorum flammeas ignivomaſque illas apparentias oriri ſtatuimus, in aëris regione collectas, coacervatas, poſtmodum accenſas. Illud Coronidis loco addere placuit, è pure collecto ex empyemate etiam Phoſphorum prolectum fuiſſe, ſphacelo & gangræna conſumptæ partes eundem etiam præbent. An ulla inter phoſphoros obſervabilis detur diverſitas, obſervare mihi non licuit, niſi quod recenter parati ardentiſſimi ſint, adinſtar omnium ſalium recenter ex ignis tortura deſumptorum, fluidioremque unum præ alio vidimus.

Differentiam nunc ſpecificam horum motuum proponere libet breviſſimo modo, ut eo evidentius diverſitas imo contrarietas eorundem eluceſcat, ad omnem confuſionem circa hæc phænomena præcavendam. In quibus rite proponendis, opus erit retroſpicere ad ipſas motuum inteſtinorum luctas varias, viſibili conſpectu ſeſe nobis offerentes. Hiſce rite obſervatis ac dijudicatis, effecta diverſiſſima proſequi, abſolute neceſſum erit, ut fines illius naturalis luſus accuratius hauriamus. Tandem receſſum particularum gravem introſpicere dabitur occaſio, ita inter ſe differentium, ut nullibi eaſdem ſedes ac natalitia eas obtinuiſſe jurares. Antequam vero hæc clare & diſtincte delineata exhi-

 bea-

beamus, sequentes generales offerre libet hypotheses:

1. Dari quosdam speciales corporum, hisce, non autem omnibus, competentes.

2. Effecta eorum motuum, esse sibi, non aliis, multo minus omnibus motuum generibus, propria.

3. Illa effecta dignosci, ex secessu vario corporum, in plane differentes nexus, ordines & situs suarum particularum, abeuntium.

Speciales motuum differentiæ, ab ipsis corporibus, motum inducentibus ac ineuntibus, hauriendæ veniunt. Inducunt motum salina quævis oleosa, terrestria levissima, & spiritus exilissimi, sive illa in corpore ipso, pro maxima parte, lateant; sive ab extra vi illuc impellantur; sive potius utroque modo illud fiat. Ineunt hunc, seu potius eundem lusum continuant graviora corpora, mole majori instructa; tamdiu, donec eorundem moles, in varias minores moleculas distracta, aliam partium coordinationem acquisiverint, à se invicem libere secedentium, aut inter se debite coalescentium, absque ulteriori arietatione in mutuas superficies. Hæ corporum reactiones mechanicas subeunt leges; quas ubi ad determinatos dirigunt fines, ratione resultantium inde, constanti modo ac motu, corporum, pro illo tempore, modificatione & puncto, varia sortiuntur nomina, quæ sibi propria vindicat ille motus.

Prout corpora hæc figurata fuerint in principio, seu in statu naturali, statim aptitudo aut ineptitudo apparet, hunc illumve motum admittendi aut negandi, quoniam illa dependent ab eorum diversa structura, ac præcipue à spiculis salinis, diversimode dispositis in variis terræ nexibus. Ideoque dantur innumeræ classes corporum renuentium hunc, supple fermentatitium, motum, recipientium vero quosvis alios motus; sic etiam de effervescenti motu pronunciari potest, quem non omnes miscelæ corporeæ admittunt. Difficillimum insuper, aliqua corpora, si non pro maxima parte impossibile existat, ad plenariam corruptelam deducere, ob difficillimam penetrabilitatem pororum angustissimorum, sine qua penetratione violenta, suum pertinaciter tuentur ordinem superficies junctæ. Nullus hic mihi sermo de Materiæ Æthereæ ingressu, utpote insufficienti ad magnas, easque visibiles, alterationes producendas, nisi auxiliantibus majoris molis corpusculis mobilibus externis & internis. Hoc patet in quibusvis fluidis in vitro aut cristallo sepultis, in aeris exantlatione &c.

Aptitudinem fermentandi, observavimus in ramosis, in aqua dissolubi-

fubilibus, dulcibus vifcofis ac farinaceis corporibus, blando interno acido vigentibus. Effervefcendi facultatem exhibuimus, in congreffu acidi cujufcunque cum alcalina porofa terra, unde mutuæ exoriuntur luctæ, breves quidem fed horridæ, cum variis phænomenis & obfervationibus ibidem traditis. Putrefaciendi conatum vidimus delineatum in quibufvis mollibus, fluido interno vario fcatentibus, in fe mutuo ad lanienam ufque arietantibus. Hæc, fub motus inteftini nomine comprehenfa, omnem mutuari diximus diverfitatem & actum, à preffione varia ac mifcela aeris circumflui, ab additamentis diverfis, difpofitione ac dilutione ipforum corporum, huic aut illi motui offerendorum, unde ad præfcriptos fines tendere coguntur corpora, illis motibus objecta.

Corpora rarius quieta effe abfolute dici queunt, præfertim fluida perpetuo circumrotantia. Hinc finem, motui femel admiffo, velle adfcribere plenarium, effet cum recta ratione infanire, ideoque fub nomine finis, hic intellectum velim, ceffationem vifibilis illius anteacti motus, difparentibus nempe phænomenis, illi motui propriis. Hunc finem corpora fluida aut folido-fluida obtinere dicuntur, poftquam magis æqualem denuò iniverint figuram moleculæ diverfiffimæ, olim in fe mutuo impingentes, ob afperas, inæquales, fcabrafque falino-terreftres particulas, mutuos poros ac fuperficies indefeffe lædentes, variifque modis permeantes, non fine magno feceffu ab hac, acceffu ab alia parte, corpufculorum; donec ritam ut fupra, ac legitimam obtinuerint focietatem, poft illos tumultus. Hæc quies oborta, pacifice juncta, at fuo modo fabrefacta, nobis offert corpora falina; per motus enim hofce inteftinos falium decarcerationes egregie refultant, diverfis fub figuris fefe offerentia. Fermentatio tenerrime divifum aquoleum, fub nomine fpiritus ardentis, ut & falem fluidum acidum depromit, poft fpumofos fluctus & intumefcentiam fui liquoris, ceffantes in liquido magis diaphano ac quieto reddito. Effervefcentia, craffiorem terreo falinum apparere facit contextum duorum corporum, poftquam feroci lucta fudoriferos fubacidos infignes ventiformes halitus dimiferint, unde volatilia & fixa refultant muriatica acida. Putrefactio, exilium corpufculorum alcalino-oleoforum fabrefacit volatilem ordinem, fulphuraque ignifera excellentiora, poft cruciatus inteftinos quafi purgata ac referata, ex cadavere corporeo educit.

Terras plerumque damnatas à Chymicis, etiam miris modis immutari, mediantibus illis motibus, verofimillimum eft, utpote in quarum

claustris crassiora abscondita latere coguntur salia & olea. Hinc mediante destillatione, ipsæ siccissimæ fæces terrestres, evomunt salina oleosa corpuscula, non contemnendarum virium. Imo hæ terræ, omnibus ignis examinibus excruciatæ, aëreo humido objectæ, eoque quasi revivificatæ artificiosa proferunt salia, variis figuris instructa. Circa metallorum ac mineralium resolutiones, admodum hæ terræ, suo modo per illos motus variegandæ, exaltandæ, impraegnandæ sunt, tandemque ad salinam æthercam auram deducendæ & vivificandæ, ut admirandis in medicina usibus postea inserviant, omni violentia suarum particularum hoc intestino actu insuper spoliandæ.

De Aquis idem esto judicium; nam ut ut salis ac olei consortium exuisse videantur, attamen copula semper aliqua permanet, qua mediante actionum diversificatio obtinetur. Insulsæ vix dari queunt terræ, multo minus aquæ; fluidis enim oblongis illis particulis implicita irretiuntur salina puncta suæ terræ sociata, nunquam ex illis loculis deponenda, nisi accessu aliorum corporum inde deturbentur. Aquæ è diversis corporibus, motu vario agitatis, prolectæ, quamvis insipidæ, ac fere inodoræ esse videantur, inter se mutuo confusæ alterantur, cum jactura sæpissime totius diaphaneitatis, & apparitione mirifica diversorum colorum, lente in scenam velut prodeuntium. Eadem phænomena in terris hisce differentibus cernere licet, solutione varia fluidioribus redditis. Præsertim autem hæ apparitionum species eo manifestiores fiunt, quo major aquæ & terræ societas inita fuerit; tunc enim reactiones serias ob oculos ponunt, à pororum ac superficierum variegatione dependentes. Quæ omnia me etiamsi invitum traherent ad sequentem conclusionem, in hisce blandis particulis, à plurimis hactenus rejectis, magnas naturæ nostræ amicas vires medicas latere.

Hosce motus se mutuo non raro destruere, aut eosdem ad plane alios fines spectare demonstratu facile est. Putrida corpora fermentanti liquori injecta, fermentationem tollunt, vel eandem ad putrilaginem cogunt. Fermentata acida putrefactionem de medio tollunt, præsertim si fortiora extiterint acida. Fermentationi subjecta effervescentiæ motum recusant, imo corpora muriatica copiosius ante fermentationem, per effervescentiam in liquore fermentabili unita, fermentatitium auferunt motum. Alcalina, effervescentiam, cum liquore fermentante ineuntia, eundem etiam ab ulteriori progressu desistere cogunt. Colores & consistentiæ, innumeris insuper modis discrepant, ut & sapo-

pores ac odores. Unde concludimus, hosce motus, alias agnoscere singulas causas, & plane in diversa tendere effecta, nunquam uni motui adscribenda, nisi quis tam fatuus existere velit, ut credat, pro Medicina, cæterisque artibus excolendis, sufficere hoc axioma generale Physicum; Motus est viciniæ corporum mutatio.

Hæc tria maxime visibilia motuum Phænomena, suis effectis diversissimis stipata, insignes naturæ operas haud omnes absolvunt; stat quippe suus etiam generationi ac vegetationi honos, aliisque corporum modificationibus, vix uno designandis vocabulo; gressus enim non interruptus hisce mediantibus perseverat in mundana hac machina. Hasce mobiles ludi naturalis scenas ulterius igitur persequi necessarium erit, antequam ipsius Medicinæ exquisitam notitiam eruere nobis permittatur; eadem enim est disquisitio nostræ ac universæ corporum œconomiæ.

Corpora motus leges subeuntia, concussiones decussionesque varias non solummodo sibi mutuo parant, verum in fasciculos, massulas ac massas differentibus texturis figuris ac molibus dotatas, transire coguntur. Hæ proles, luctuoso è gurgite emergentes, mutuos in amplexus festinant, diversificatos attamen pro situs ac molis diversitate, quam inire coacta fuere corpuscula lege illius specifici motus. Exinde omnia corpora existunt composita, post illam coalitionem & adaptationem partium. Sic salia in suis morantur nidulis & manubriis, aquæ suas latebras & crypta subterranea minora petunt, ipsæ terræ fluctuationes innumeras atque dilaniationes infinitas subeunt, per salia & aquas, illaque se mutuo indefessè exercent alterationibus manifestis.

Ut in motibus violentis intestinis observavimus, causam aliquam externam requiri, ad illos excitandos & quasi vivificandos, ita etiam in generatione & vegetatione illam absolute necessariam statuimus. Hanc causam agnoscimus corpoream suo modo figuratam; id est, illam præsupponimus esse corpus externe accedens, poros & meatus alius corporis penetrans ibidemque, lentiori tamen quam in præcedentibus modo, aliisque plane cum effectis, actiones exhibens. Prout vero mechanica requiritur aptitudo seu dispositio corporum excipientium, ad motus ineundos & continuandos, eadem ratione in hisce proceditur, ut vitales suas offerant mobilitates alterationesque non unius notæ nec nominis. In genere igitur concordant rerum primordia in suis incunabulis, postmodum in differentes fœtus discedentia, ubi vires eundo acquisiverint.

Hæc ut distinctius appareant, sequentia præmittere libet serio perpendenda in hoc motuum genere, ab aliis distincto.

1. Corpora oviformia, aut huic figuræ respondentia, sola apta nata Generationi & Vegetationi, quæ duo hic pro uno motu statuimus.

2. Hæc solida necessario consideranda, suis sepimentis munita, seu cortice externo duriori instructa, in quorum meditullio coerceri pro tempore fluida possint.

3. Interno succo salino-oleoso suo modo figurato gaudere debent; aqueis particulis commiscibili, ut in motum istum reducantur.

4. Plures debent adesse molles ac flexiles particulæ, in tenellam structuram fluido-solidam, illi generationi proprie seu specifice inservientem, jam redactæ, stabilique veluti cohæsione pro tempore gaudentes, ut effectum illius motus, ad suos determinatos, non ad alios vagabundos, deducat atque dirigat.

Semina oviformem obtinere figuram, passim testantur experientiæ. Contrarium videretur redarguere, externa aliquorum triquetra, angulosa, vel alia oblonga asperave figura. Verum interna series corpusculorum, huic motui auscultantium, semper ad illam tendit figurationem, ut patet in talibus seminibus discontinuatis. Hinc externæ superficiei aut corticis densioris dispositio, à duabus aliis videtur causis derivari; primo, ab angustatione loci, seu matricis in qua illa semina compressa elaborantur; secundo, ab nutritivo succo, seu corpusculis alibilibus primigeniis, apprime huic motui inservientibus, ibidem hanc in causam modificandis. Ipsa igitur forma substantiæ vegetabilis, si monstrosas exceperis naturæ declinationes ovulorum, semper in oviformi situ nobis obvenit, ut duobus effectis respondeat. Primo, ut circularem quodammodo inire queant motum particulæ fluidæ illic oberrantes, ita tamen, ut circa extrema latera illius oblongioris sphæræ, major conatus, arietatio ac pressio subsequatur levem per vibrationem, irradiationemque particularum mobilium. Hac enim via modificationes fiunt majores partium salino terrestrium, se mutuo atterentium, fricantium, attenuantium. Calor, ob has rationes invocatur, ad fluidi motus facilitationem atque activitatem illarum particularum exaltandam; sic enim in omnes dimensiones pergunt, quævis crypta subterranea alluendo. Hic autem moderatus esse debet, ne læsionem continui, aut fugam fluidioris vehiculi inducat; alias enim post figuræ inversionem, actionis illius moderamen tollitur, quod in fermentatione & reliquis intestinis motibus

bus observatur. Secundo, ut liberius extendi possint moles vegetandæ, plerumque oblongam in figuram sese extricantes; alias enim in situ suo turbationes incommodas subire possent fætus tenelli, nec ita commode excrescerent nimis compressi, in suis matricibus.

Vegetatio alicujus corporis, generationis præcipuum instrumentum, requirit specialem contextum corpusculorum, separatorum ab aliis externis corporibus solido-fluidis, idque præsertim ob tres causas sequentes:

1. Ne tenera structura partium diruatur, aut nimis commoveatur, ab Æthere, Aere, Aqua &c. copiosius illuc allidentium.

2. Ne incongruæ vel heterogeneæ accedant particulæ, aut mole gravantes, aut acie lædentes, aut quovis commercio peregrino formam requisitam destruentes.

3. Ut corpora ingredientia proprias illi corpori leges acquirant, & tandem quasi mechanicam obtineant quietem, seu juxtapositionem plurium corpusculorum, unas quasi in superficies conspirantium, quod non contingeret, si confusiones inæquales promiscuè concederentur.

Inservit igitur involucrum illud defensioni & modificationi leviori partium internarum. Impossibile enim est, quin ab extra advenientia, seu irrepentia fluida, per mæandros illos densos sese insinuantia, nonnullas secum deferant ad interiora penetralia particulas abrasas usui futuras. Nam solidissima, etiam sua exhibent effluvia, noxia vel proficua. Quamvis autem fluida interne contenta appareant, illa pro solidis suo more figuratis retinenda & eatenus examinanda veniunt, utpote tantum ratione aquæ fluitantibus. Hoc demonstrant lentor & visciditas mucaginosa illorum fluidorum, quæ mediante concussione valida sublata, omnem denegant vegetabilem generationem, id est, sublata figura tollitur actio. Moram trahere coacta corpuscula in illis abditioribus locis, sensim ac sensim in suos ordines, situs ac nexus disponuntur, mediante multiplici reactione superficiecularum se mutuo prementium. Contrarium hic observabile in campum prodit, ab aliis nempe motibus intestinis maxime differens effectum, circa salia, eorumque motum excellentiorem. Salia etenim exaltata prosiliunt, in prioribus exercitiis intestinis, hic vero illa irretiuntur, retardantur, & cellulis crassis ipsius terræ aqueæ adaptantur, donec instar cultrorum in vaginis reconditorum sese sistant mitigata.

Oleosæ terræ salinæ, quam absolutæ necessitatis sint, demonstrant omnia semina, iis particulis gravida. Imo quamvis miscelæ fluidæ insul-

fæ

ſæ appareant, attamen illis non deſtitui, ad omnes ſenſus, obvia olea per deſtillationem & expreſſionem elicienda, ſalia per motum inteſtinum fœtida & empyreumatica, palam faciunt. Aptitudinem inſuper ad vegetandum, ab hiſce particulis dependere coarguunt emarcida ſemina, oleo interno ſpecifico ſpoliata, illi motui nunquam auſcultantia. Imo vegetativi motus effectum, in eo à præcedentibus motibus haud parum diſtinguitur, quod oleaginoſarum partium ut, ſive illas ſub mucaginoſa textura deliteſcere dixeris, ſive reſinoſam duritiem eas induiſſe conſpexeris, ſive gummatis mollem ſoliditatem offerant, ſive lachrimarum inſtar, balſamicam fluiditatem eas exſtillare videas, omnes iſtæ partes ex oleoſo contextu oriundæ, vegetationi debentur, quæ in Animalibus, ſub adipis, pinguedinis & ſevi nomine, in Mineralibus Sulphuris vocabulo occurrunt.

Prout in omni motu inteſtino, commercium aquæ ſummopere expetitur, ſic & in hoc, aqueum vehiculum abſolutæ neceſſitatis eſt. Illius enim auxilio oleoſæ partes oblongæ fiunt, molliorem ac teretem figuram adipiſcuntur, omnibuſque alterationibus magis obnoxiæ redduntur. Ipſa etiam puncta ſalina cicurantur, ne ſuo niſu lædant molles contextus; adde quod viſcidior olei conſtitutio, lento greſſu illa procedere ſinat, vehiculo terraqueo undique ſtipata. Aquæ neceſſitas ulterius eluceſcit, ex communicatione obtinenda totius individui, ita ut ab una extremitate ad aliam deferri queant corpuſcula vegetationi inſervientia, quæ alias duriora facta quieta ſtarent. Tandem illius molle & flexile connubium proficuum exiſtit, ad ipſa ſolida cavitatum ſuo modo figuratarum latera, ad mollem extenſibilitatem adaptanda, unde incrementa, illorum vegetabilium corporum reſultant, quo nomine etiam ipſa animalia, utpote vegetantia, comprehendimus. Certa autem miſcelæ aqueæ portio requiritur, reſpectu oleoſæ ſalinæ terræ, ne aquoſiora facta corpora, progreſſivum enervem languidumque motum, ſubmerſa quaſi, inferant, etiam ſolidioris cohæſionis ruinam minitantia. Aqua igitur debet eſſe oleaginoſa, id eſt, particulis levioribus ſalinis terreſtribus, non autem acribus, referta, ut motui illi faveat.

Omnia præcedentia inutilia eſſent, niſi in ipſis oviformibus illis corporibus exiſterent aliqua rudimenta, ſtructuræ ſeu delineationis mechanicæ corporis vegetandi. Illa enim fluido-ſolida contenta in ovis, quaſvis inirent figuras, moles & motus, niſi legitimas cogerentur inire coalitiones mechanicas, id eſt, niſi reperirent nunc fabrefactas maſſas, qui-

bus

lis sese annectere, & quarum legibus sese subjicere deberent. Moderamina illa alibi quærere non licet, nisi in situ intrinseco illius ordinis particularum. Hasce formas, in mere fluidis vix posse dari, confirmant eorum inconstantia; facillime enim hæ labiles redduntur, a levissimis injuriis obvenientibus. Si autem tales formæ illic oberrent, sub ovulorum classem annumerandæ veniunt, omnia requisita comprehendentes, ut patet in spermate vario, aquis intermixto. Ubi vera conceditur sententia fluidorum, animalculis scaturientium, per microscopia comprobata; de qua multum adhuc dubitare liceret, an revera omnes illæ nobiliores particulæ animalium nomine insigniri deberent, attamen nihil illa conferret ad animalem generationem vegetativam, sed potius eandem destrueret, aut infinitis modis multiplicaret. Concludimus igitur materiam ipsam nunc formatam, artificioseque constructam, in ovulis præexistere, vivificandam per accedentia corpuscula, illos poros, meatus & canaliculos aperientia, ut apta nata evadant admissioni ac motui requisitis.

Blandiori progressu sese offerunt vegetationes, in quibus a præcedentibus multum discrepant, saliumque feroces insultus respuunt; ideoque lente fovendi sunt hi motus, per accessum molliorum corporum, sese in illas cavitates ingerentium. Vascula dixeris, retinentia fluidos liquores, illic loci modificandos per miscelas varias salino-terreas. Hinc, ubi fluida copioso salis blandi, id est, per terram domati, commercio nobilitata sunt, exquisitum maximopere menstruum præbent vegetationi seu alimentationi idoneum. Sic etiam semen proprie ita dictum in animalibus, fœtificationis vires possidet ab illis ramosis particulis attenuatis per validam frictionem.

Ovulorum vices secundarias supplent gemmæ in vegetabilibus, & glandulæ in animalibus. In hisce liquores latitant & ulterius elaborantur convenientes modificationi humorum, per corpus jam oberrantium, aut externe accedentium; qui hisce destituti a debita aberrarent figura & actione. Hinc ubivis disseminatæ sunt, ut perpetuo inserviant ministerio. Leves enim concussiones per suam fluidi exstillantis miscelam, decussiones varias proferunt, moleculasque pedetentim alterant, ac in secessus diversos transire faciunt. Exinde proportionatæ offeruntur figuræ, levissimo præcipitationis & exaltationis motu diversimode constructæ, suis postmodum tubulis, poris & meatibus subeundis aptæ natæ. Sic olea se invicem leniter præcipitant; ita differentes terræ & aquæ, ad externum sensum insipidæ, se mutuo deturbant; sic salia & spiritus,

aut inter se colluctantur, aut cum mucaginosis congrediuntur. Illud apparet, in liquore Myrrhæ, turbando per spiritum vini & per aquam, in albumine ovi cum spiritu vini, cum liquore salino-tartari, cum levissimis acidis; graviora enim fortius coagulant &c. Hoc insuper manifestatur in ventriculo nostro, lacte repleto, statim coagulato rejiciendo per vomitum, ut & in jusculo carnium, gelatina Cornu Cervi, & in mucagine varia assumpta, postmodum per os ejectis, crassioribus ac lentioribus extempore factis. Hæc enim redarguunt, per mixturam alius corporis alterationem manifestam esse inductam, ad utilitatem ipsius Oeconomiæ animalis sustentandæ. Quæ autem in tales miscelas cogi nequeunt, inepta existunt, vel sub medicamentorum, vel sub venenorum classe recensenda.

Reliquos motus intestinos silentio involvo, ut digestiones, macerationes, coctiones, omnesque alios, caloris ope elaborandos. Hi enim inserviunt extricationi integrarum partium fluidarum, in cellulis durioribus delitescentium, sine manifesta illarum mutatione, nisi in quantum molecularum imminutio, superficierumque divisio, hisce motibus accelerentur. Ejusdem fere notæ est hæc operatio ac corpora mutua frictione attrita, quæ subtiles exhibere solent halitus avulsos, decarceratis salibus innatantes, aerisque nisui illis mediantibus parentes. Quo major igitur extricatio tenuium, eo major dispositio crassioris involucri, instar limaturæ seu segmentorum abrasorum terrestrium conspicitur.

Hæ motus species in omnibus fluidis conspiciuntur; pressa enim ab Æthere & Aere corpuscula, independentibus superficiebus instructa, insigniter circumrotari coguntur, vi de loco in locum à fluidissima hac penetratione agitata, unde superficies se mutuo tangentes atteruntur, deraduntur, & sensim teneriores redduntur, imo tandem totaliter destruuntur sine aliorum crassiorum accessu. Quamdiu aliqualis permittitur texturæ, quamvis teneræ, cohæsio eadem, tamdiu perstant actiones eædem in minus & majus redactæ, id est, gradu tantum differentes; sed quamprimum omnis diruta connexio, statim cum figuræ annihilatione, succedunt alii motus & actiones diversificatæ. Ubi hæc segmenta, placide ex illis tubulis sese subtrahunt, fundum propria gravitate petentia, ob defectum nempe salis spirituosi ibidem non amplius nidulantis, perstant illæ modificationes corporum digestioni commissorum; verum ubi hic illic suspensa per fluidum vagantur, in poris aut meatibus excipiuntur, una cum fluido irretita quasi circumvehuntur, statim rerum facies mutata, violentis motibus ansam præbet.

Differt ergo vegetatio, ab hisce motibus, quatenus illâ partes magis connectuntur terrestres, majorem in molem accrescentes per juxtapositionem particularum ramosarum, aqueis fibrillis intertexendarum & quasi filamentoso modo consuendarum; in hisce autem secretiones leves illum solidiorem nexum imminuunt, ramosasque agiliores moleculas ab reticulis illis liberant, magisque salinas reddunt. Ultimi hi motus, etiam discernuntur à primis, quatenus figura integra remanet, mole tantum diminuta eorum corporum, ad majorem independentiam transmigrantium. Accedit libera insuper circumrotatio superficierum, non autem violenta permeatio aliorum corporum, poros, meatus & superficies variis modis ac viis immutantium, alterantium, disponentium.

Hisce rite prælibatis, ad ipsam Medicinam festinamus, in qua tria præcipua investiganda occurrunt, Primò, machina humana ejusque œconomia: Secundo, illius sanitas & morbus: Tertio, ejus medela & extinctio. Hæc succinctè tantum proponere in præsentiarum mihi injunxi, posthac, si tempus & otium faverint, latius ea de re dicturus.

Machina humana, solida ubi sese offert, in diversas massas ac massulas distincta est, diversa figura instructas, fibroso nexu, oblongis quasi filamentis nervaceis, concatenatas, & hoc vinculo continuas ac contiguas redditas. Præter canales innumeros, quos formant longo ordine dispositæ vasculorum tunicæ, &c. dantur magnæ cavitates, & minores pori, ut reliquas taceam areolas, in minoribus massulis existentes. Singulæ hæ massæ ac massulæ suis ministeriis destinatæ, functiones proprias absolvunt, duplici modo, 1. respectu cavitatum & pororum; 2. respectu dilatationis & contractionis earundem. Hæc autem munia perficiuntur ope fibrosarum nervacearum partium, per totum corpus disseminatarum, ex uno principe loco, Capite nempe, ortum trahentium. Solidissimæ partes, columnarum & arcuum instar totam machinam suffulcientes, sunt ossa, ab injuriis & collapsu molles partes defendentia, stabiliendis insuper atque firmandis actionibus inservientia, undique ac undique principes partes circumcingentia, majoris libertatis ergo in suis officiis exequendis.

Hasce solidas civitates permeant fluida, diversificat a pro ratione locorum, in quibus diutius oberravere. Hæc fluida corpuscula elaborationis, per suas motus leges, differentias eodem modo acquirunt, ac reliqua in mundo hoc occurrentia; Natura enim ubivis eadem, vi coacta suas

O 2 in-

induit metamorphoses, ubi angustiæ viarum & miscelæ, eam has illasve suscipere figuras ac formas efficaci modo persuadent, sit venia verbis. Solida è fluidis orta esse nemo inficias ibit, qui ipsa fluida consideraverit tanquam solida, ratione figuræ levioris sphæricæ & independentiæ superficierum ab iis distincta, quæ facile inverso aut alterato illo particularum ordine ad nexus arctiores inclinant. Totam igitur humanam machinam qua solidam, ex fluida & tenella mobili partium congerie oriundam, ovorum interiora demonstrant, motu vegetativo quasi arctius conglutinanda. Ex iisdem autem motus legibus corpora conservari, ex quibus primævum suum obtinere statum extra dubium versari videtur, præsertim in iis, ubi influentiæ veloces circumflui ætheris aerisque, multum damni & jacturæ inducere queunt. Hæc vero rapidi torrentis vehementia, non alibi æquè pernicissimis alis involare videtur, quam in animalia, succulento copiosissimo humido instructa, & calore illarum particularum insigniori nobilitata. Hinc valido nisu pressæ ab omni latere superficies, maximeque in angustatis vasculis conquassatæ, perpetuam mixturæ illi fluidæ alterationem offerunt varias in partes secedenti. Intestinus igitur motus absolute in his fluidis cernitur, sine quo nunquam nobis occurrit; imo rarissime ulla reperiuntur liquida hoc motu destituta, quamdiu naturali in statu versantur, id est, quamdiu diversimode figuratæ crassæ illis innatant terræ, salis Ætherei liberum progressum in obliquas lineas impedientes.

Intestinos motus esse varios, ex effectis dignoscendos ac rite distinguendos, superius demonstravimus, eosque semper ad extricationem salinam, quantum in se est, tendere, terrestribus nempe compedibus aut depositis, aut alio ordine dispositis. Modificationes etiam à crassioribus derivari particulis, commercium aquæ & salis præbentibus, ac in suo veluti gremio foventibus declaravimus. Alterationes autem inductas, ab externis corpusculis terreo-salinis, quovis modo sese in alios poros, superficies atque interstitia insinuantibus & exercentibus, in campum prodire designavimus. Omnes insuper motus intestinos ætheris auxilio, aere graviore stipati, indigere, clare satis, ac, ut opinor, distincte deduximus. Hosce motus corporum, pressione, circumrotatione, attritioneque, segmenta crassa simul cum exilissimis corpusculis, ætheris aerei impetum sequentibus, præbere, oculis quasi subjecimus; unde non amplius illis immorabimur, sed omnia hæc phænomena in nostra machina conspicua ratiocinando super hasce experientias prosequemur.

Cibi

Cibi ore aſſumpti, ibidemque imminuti, pro conſuetudine varia (hoc enim parum ad rem ipſam facit, dum modo illi ſucculenti ſint; vel ſaltem in liquidam ſubſtantiam, ſine magna difficultate, convertibiles, & quorum partes ita figuratæ ſunt, ut œconomiæ noſtræ ſuis balſamicis particulis conveniant,) ſalivali humore lymphatico inſtruuntur. Hæc ſaliva in ſanioribus inſipida haud inſulſa exiſtit, particulaſque leviter viſcidas ramoſas complectitur, apto modo diſpoſitas, ad primam liquidi alimenti disjunctionem obtinendam. Hæ in ventriculo diſcontinuandæ alibiles partes, muſculorum ope conquaſſatæ, ibidem ulterius lympha perfunduntur craſſa & tenui, ad exactiorem colliquationem non ſolum, ſed modificationis gratia; ſic enim humidum illud in alimenti formam convertitur, per alimenta jam elaborata; Lympha enim ipſiſſimum eſt alimentum. Acceſſus illius lymphæ, ſummopere inſuper neceſſarius exiſtit, ut motuum inteſtinorum violentia & progreſſus ſiſtatur, qui alias ad aciei ſalinæ extricationem pergerent, nunc domandæ per balſamicas lymphæ particulas continuò affluentes. Duæ igitur apparent actiones ſæpius contrariæ; primò, ipſe motus inteſtinus, & quidem calidus, ſecundo, mixtura leviter præcipitans, ſeu potius coagulans. In priori caſu, multi elaborantur ſeceſſus partium ſubtilium à craſſioribus; in poſteriori, amandatis fœculentiis inutilibus, tenuiores ad fluiditatem magis aptæ, lymphæ connubio nobilitatæ, ad ulteriores pergunt vias, Oeconomiæ ſuſtentandæ dicatas.

Fermentatio igitur dici nequit, calidus quoniam eſt motus, nec alimentis libertas conceditur ſuo more agendi, nec ad ſalinam oleoſam ardentem deducuntur ſubſtantiam, nec ad acidum fluorem, evehuntur, tandem ad illum fluiditatis gradum non pertingunt alibilia ingeſta. Effervеſcentiæ nomine etiam indigna alimentatio; nullæ enim tales violentiæ obſervabiles in ſtatu ſano, niſi quis non erubeſcat flatus violentos ſanitati adſcribere; blandæ autem aeris agitationes ac aquæ interceptæ leves expanſiones hic proferre ſolent motus, preſſioni non raro conducentes. Putrefactio hic omnino exulat; abſunt enim fœtores graveolenti, ſaliumque extricationes incommodæ, colorem lividum aut nigrum inducentes. Quamvis autem alcalia ſalia ex animalibus & eorum excrementis proliciantur, attamen illa non præcedunt in deſtillatione, prout fieri ſolet in putrefactis, ſed ſubſequuntur aquas. Reliquæ motus ſpecies ſupra nominatæ, ut digeſtio, maceratio, coctio, &c. huic non reſpondent; nam illæ corpora ipſa non variant ſecundum figuras

specificas, sed secundum moles; hic autem moles & figura cum motu alterantur. Hinc concludimus, hunc motum esse speciem vegetationis; ubi corpora externa ope succorum internorum modificata, illi corpori vegetando seu nutriendo tandem adaptantur, rejectis superfluis inutilibus.

Ut corpus disponatur ad modificationem certam & determinatam; necessario indiget corpore alio inducente mechanicam aliquam partium coalitionem, in qua reliqua, aut contineri aut saltem coerceri possint, sive illud fiat plane in cavitatibus sive in extremitatibus superficierum. Lympha mucagine balsamica undique imprægnata, hisce scatet particulis, admodum pronis ad involutionem blandam, imo ad retentionem petinaciorem. Ideoque non mirandum, quod illa exilia, volatilia ac velociori fluiditate per excellentiam dotata corpuscula, sese irretiri sinant, in illius hamulis & ramulis. Hæc quamdiu, in suo integro nexu, ordine ac serie versantur, tamdiu infallibilis perstat illa modificatio, cum sanitate pari passu ambulans. In lympha tales contineri partes, ejus coctio patefacit, præcipitationes insuper coagulorum per acida factorum illud monstrant, lentiorque in frigore fluiditas, de illius præsentia nullum relinquit dubium.

Lymphæ diversitas, dependens à corpusculis hisce balsamicis magis minusve mucaginosis vel salinis, plurimas inducere debet differentias circa hasce modificationes. Prout enim investiuntur, per motum intestinum subtiliatæ partes, exinde aspera aut æqualis, oblongior aut rotundior, porosior aut densior, subsequitur compages. His non minimam alterationis ansam præbent, ipsæ partes fluidiores recentes, ut ita loquar, fabrefactæ; nam secundum illarum nutum molles ac flexiles illæ vestes accommodantur, imo sæpius valde perverso situ disponuntur. Utrisque modis, prout in præcedentibus innuimus, variant corpora, tam respectu agentis, quam patientis, præsertim in fluidis motibus, idcirco lymphæ constitutio bona, æque ac alibilium coporum motus debitus requiruntur, quæ si aberrent, in devios tramites deflectunt actiones & figuræ. Salsedo, illis terrestribus particulis, quamvis non ita manifesta, attamen absque illa totum opus collabasceret, ob penetrationem negatam, ætherisque aerei salini commercium prohibitum, quæ omnem fere notam absolvunt. Quamvis enim corpora ad gustum, insipida appareant, attamen illa salibus scatere Chymica docet analysis, imo aerem illis corpusculis pungentibus ingravidari, nemo sanæ mentis negabit, ubi operationes ejus attento respexerit animo, ad Scepticismum

non

sion ultra metam prono. Ratiocinia enim Celeberrimi, ac Doctissimi alias Viri valde ficulnea videntur, ubi suos provocat antagonistas ad demonstrandum, quomodo Salia Londino Lutetias vehantur, &c. Nam ipsi incumbebat, contrarium per experientiam evincere, quod, non minorem difficultatem involveret. Si enim per obvias particulas, salium ordines & mechanicæ dispositiones ita alterentur, ut nunc instar fluminum & instrumentorum scindentium lateant, nunc vero nos ita fugiant, ut sensibus etiam acutissimis subtrahantur, actionesque sublatas pro illo tempore veluti offerant, cur non eadem concedi ratio possit in salibus aereis, per diversas regiones diversis effluviis armatas petentibus? Parum stabilire etiam videtur hujus Clarissimi Viri sententiam, illa hypothesis labili pede procedens, scilicet salia ista debere esse acida, alcalina aut muriatica, alias Physicum esse insulsum. Ibi enim nimis temere confundit Physicas speculationes; cum chymicis operationibus. Salia enim nominata sunt congeries punctorum, suo modo in theculis seu manubriis terrestribus ita collocatorum, ut hanc illamve figuram repræsentent, nomine suo indigitandam. Eodem modo, ut instrumenta scindentia & pungentia, quæ omnem mutuantur actionem & differentiam, à situ & ordine illorum punctorum eminentium, circa extremitates obtusi alias corporis. Tolle autem puncta, simul tolles cum illis figuram & actionem requisitam. Salia esse puncta quis negabit? ea certo modo connecti in corpore alio obtuso, omnes Chymiæ periti norunt. Hæc igitur secreta, ab illa potiori mole, tenues in auras redacta, quis acidum, quis alcali aut muriaticum nominare auderet, nisi talis qui puncta, aciem gladii antehac constituentia, avulsa, gladium perfricta fronte statueret. Concedo, ætherem esse purissimum ac spirituosissimum corpus, sed tale quid nihil denunciat, nisi verbis contenti esse velimus. Salium exilissima corpuscula sunt puncta, quibus minora corpora, ut credo, non conceduntur; ea sunt fluidissima & spirituosissima, eaque sunt purissima ac mobilissima; ergo cum æthere una illa esse quis dubitaret? Si lædendi vires, &c. illis adesse particulis, quis nimis anxius sibi & aliis proponeret, ei nimius hic scrupulus facile extorquebitur, ubi viderit, minimas moleculas mobilitate veloci quidem multum præcellere, sed nunquam lædendi viribus. Poros enim non ita lædi, à minimæ molis corpusculis, quam à magnis, illud manifestatur in Vitro negligentius contuso, & in pollinem ultimum lævigato, &c. Ridiculus esset metus ejusdem efficaciæ punctorum minimorum, ac gladii illis punctis adhuc armati. In ea autem haud versor sententia, ut tantam Salium copiam
Aeri

Aeri adſcribam, quæ ſufficiat ſalſis illis productis elaborandis, ſed potius hæc ſalia in latibulis terræ delituiſſe, & ex iis per humidum inteſtinum motum, Aeris ope, educta fuiſſe cum eodem pronuncio.

Hæc corpuſcula acuta, poroſam fluiditatem procurantia, commercium cum Æthere ac Aere fartum tectum ſervant, nam abſque illis hic & ubique motus non conceduntur inteſtini. Preſſio gravis, mediantibus iis, ſeſe offerens circa omnes fluidi ſuperficies, illas utpote independentes, continuo locis ſuis dicidere faciunt, inſtar pulviſculi minimi ventis agitati. Hinc omnes ſubſequuntur effectus ſæpius nominati, nempe coordinationes ſolido-fluidorum migrationesque nimis ſubtilium, & depreſſiones craſſæ fœcum, quæ omnia quadrant cum reliquis inteſtinis motibus. Fluidum vehiculum aqueum, tantopere neceſſarium in hiſce requiſitum, non minorem locum ſibi hic vendicat, utpote cujus miniſterio pleraque phœnomena emergunt.

Maximi autem ponderis exurgit inveſtigatio, quomodonam in una continuata Machina, tot ac tam diverſi liquores viſantur, colore, ſapore & conſiſtentia differentes? Revera in admirationem ſui rapuit omnes fere inſpectores, illiſque tanquam tot capita tot ſæpius ſententias inculcavit. Hi enim facultates ſpeciales cum temperamentis, &c. non tamen abſque omni ratione, advocarunt; Illi formas ſubſtantiales, Atomos, &c. obtruderunt; Iſti ad fermenta varia, ſingulis partibus propria, recurrerunt; Tandem Alii poros diverſificatos, magis minuſve patulos, tanquam authores agnoverunt. Ut medium in diſcordantibus hiſce ſententiis, teneamus, & ut maxime demonſtrabiles effectus ob oculos ponamus, poros, maſſarum, glanduloſa figura inſtructarum, & humorum inibi contentorum, diſtinctas modificationes, ſeu mechanicas ſtructuras perſpicere operæ pretium eſt; ſic enim ipſas naturæ actiones facilius dignoſcemus.

Maſſas minores ac majores dari, cuivis patet. Eas figura differre, ſufficienter Anatomici docent, plerumque autem in oviformem, vel illi proximam ſtructuram, redactas. In hiſce tubuli, canaliculi, cavitates & areolæ diſſeminatæ, meandros ſeu crypta ſubterranea repræſentant, undique ſuis tunicis ac fibrillis, denſioribus poris inſtructis circumveſtita. Hoc fibroſum veſtimentum, forſan iiſdem minimis glanduloſis ovulis ornatum exiſtere, non abs re conjicimus, quoniam microſcopiis oculi armati, tale quid repræſentare videntur, præſertim in membranulis, &c. Tanto magis huic ſententiæ favere cogor, ubi maximas ſæpiſſime corporum moles, in ſuis minimis particulis eandem fa-

faciem repræsentare observo. Humores igitur, tanquam solidas texturas vehentes, ceræ instar mutabiles, illis vasorum orificiis primo accommodari debent, antequam ingressum liberum obtineant, quod de viis angustioribus dictum esto; alias enim cujusvis figuræ liquida ingeri possunt in vasa maxime hiantia. Dispositio hæc per se fieri nequit, nisi meras superficierum extensiones hic concesseris, derelictis tantum crassioribus fœcibus, ad vasa majora amandantis. Hisce enim positis, ramificationes vasculorum, porosæque eorundem cribrationes, filtrationem, ut more Chymico loquar, depurati liquoris exhibebunt, ad fluiditatem tandem diaphanam transeuntis per illa colamina, sed idem præstabit liquor attenuatus, ut solent omnia liquida, etiam per diversa filtra destillata. Unus igitur si adesset liquor in nostra Machina, illeque plane limpidus si existeret (diaphaneitatem enim acquirunt liquida percolata) tunc hæc ratio sufficeret. Contrarium vero nostri humores redarguunt, in multis discrepantes quoad fere plurimas qualitates externas; imo illud evincunt læsiones, obstructiones, jacturæ talium partium, statim actiones alteratas instituentium. Parum incommodi sentiret enim nostra œconomia, si hæ aut illæ etiam remotæ partes abessent, si sola percolatio porosa sufficeret; nam numerosissima tubulorum & pororum series superstes colamini illi abunde sufficeret pro iisdem Phœnomenis eruendis, quod tamen Experientia negat. Castratio barbam calvam, vocemque debilem reddit, uterus sexui suo peculiares infert motus, quemadmodum testiculi mares animalium feroces efficiunt, ut de aliis taceam partibus. Figuratio insuper illarum glandularum quantas vel commoditates vel incommoditates, omnibus Animæ ac Corporis functionibus addant, ii norunt, quibus practicæ & anatomicæ observationes plures adsunt. Quod non per meram colationem fieri, abunde testantur corium, pannus, linum, charta, &c. pro filtrandis etiam tenuissimis liquoribus inservientia. Imo ne filtrationis nomen deterreat, hæc supranominata ubi succos etiam contentos in circularem motum vi elastica Aeris per tubulos suos cogunt, in varios ascensus & descensus sese exercentes, unum tamen eundemque constituunt & relinquunt liquorem, leviter attenuatum. Unde alius corporum accessus & miscela investiganda venit, ut illis apparitionibus satisfiat.

Contractio vasorum, liquida continentium, primam quidem offert nobis investigationis causam. Fluida enim solidas vehere texturas dixi; imo congeriem esse minimorum independentium solidorum, facile quis assentietur, ubi illa fluida ad soliditatem quam maxime properare animad-

vertet, & conspexerit solutiones gravissimorum metallorum in tam parva salis fluidi copia. Hæc solida arctius compressa, violento modo circa suas superficies & cavitates afficiuntur, indeque in plurimis suis texturis minoribus læsiones admittunt necessarias ad alterationes situs & nexus. Læsæ illæ texturæ excidere sinunt; (nam homogenea in omni parte corpora vix unquam reperias) particulas inclusas, aut superficies derasæ per frictionem hanc, plurimis privantur oneribus crassis, unde fluidiores magisque salinæ evadunt, penetrationi postmodum aptiores. Hæ agitationes in majoribus non solum observabiles, sed etiam in minoribus & minimis vasculis & tubulis sese offerentes, in omibus locis suas præbent modificationes. Sinuosæ quo magis viæ simul angustæ existunt, eo validior elaboratio succorum in omnia latera impingentium, eorundemque exaltatio fluida salina succedit, ita ut motui propter imminutam molem admodum conveniant, suamque propriam figuram & actionem eo exactiorem adipiscantur, quo diutius moram in illis locis trahere coguntur. Hi succi ergo qui in fibrosis illis contextibus hærent, ad ultimam perfectionis notam ibidem evecti, stillicidiis suis in majora, tandem in maxima vasa opus metamorphoseos humorum absolvunt. Mixturæ enim hæ, quamvis simplices appareant, quamvis minimum addere videantur magnæ humorum massæ paucissimis hisce particulis, attamen mutationum vices ille non admirabitur qui observaverit liquores Chymicos extempore immutatos, minimis etiam guttis, unciis alius liquoris infusis, ut patet in aqua regia, &c. Diversitatem humorum è præcedentibus colligere licet, eam nempe derivari à concussione forti vasorum contractorum, & ab influentia humorum tenerrimorum, exilissimas glandularum moleculas & cellulas antehac occupantium, quæ ad mechanicas suas congeries, texturas & motus posthac deducuntur. Hæc indefesso naturæ lusu exercitia sua absolvunt, vicissitudinibus innumeris suam activam figuram mutantia, pro nutu occurrentium locorum, humorum, motuum. Leves inde præcipitationes succedunt, moles accrescunt & diminuuntur, aspera aut æqualis redditur texturæ superficies, sapor amaricans, insipidus, subdulcis eruitur, color nunc ruber oleaginosus, nunc albus viscidus, nunc aquosus apparet, odor graveolentus aut inodorus sese sistit, tandem uno verbo pleraque nostræ machinæ phænomena ex illo sinu prodeunt. Hoc confirmant morbosi status; quamprimum enim liquida in una massa non bene figurata existunt, tota humorum massa inde notabilem suscipit alterationem in mole,

le, motu & figura. Hoc insuper concludunt mulierum impraegnationes, è miscela subtiliati seminis lymphatici utriusque sexus, ovula subingredientis & faetificantis. Tandem illud evincunt, vasorum galactiferorum in mammillis repletio ac intumescentia, munia sua post illam ingravidationem tantum suscipientia, non ante, nisi in extraordinariis casibus, ubi nempe aliquae partes ita disponuntur, ut talem subeant figuram & motum; attamen non sine illis miscelis, quae inter raro contingentia numeranda sunt.

Ubi haec rite perspecta fuerint, finem admirationibus ac quaestionibus imponere licebit; methodo natura monstrante, sui ipsius fido interprete in omnibus hisce Phoenomenis enucleandis. Humores namque continent particulas solidas crassas, spiculis salinis refertas, aqueis mollibus oblongis ac inconstantibus corpusculis undique concomitatas, aeris aetherisque illustratione perpetuo agitatas, in diversas angustias duriorum limitum ac parietum premendas, conquassandas, propellendas, tandem infinitis miscelis subjectas. Quid aliud inde exspectandum, nisi inconstantiam illarum partium maximam, in horas non solum, sed in minuta temporis mutabilium? Alimenta etiam non unius nominis, potulenta admodum variantia, quibus in dies utimur, eundem in scopum collimant, quibus omnibus non minimam ansam praebent diversissimae aeris inquinationes, effluviorum corpuscula vel miasmata constituentes, per inspirationem nobis communicanda, in miscelas postea distribuenda, ad maximas alterationes saepissimè inducendas. In Chymicis experientiis, circa leves corporum mixturas, insignes imo suspiciendas apparitiones cernimus; naturae vilissimi enim lusus gravissima aliquando effecta, sensibus nec ratiociniis nostris comprehendenda eruunt. Idem in humorum dispositione mirifica observamus, mera tantum transpositione, vix perceptibili motu emergente, colores, sapores, odores, & consistentiae variant, modo concedantur diversae miscelae.

Divortia, quae inter particulas humorum observantur, iisdem parent legibus motus & miscelae. Fluida etenim abrasiones praebent foeculentas, in majores utplurimum moles combinatas, ob irregularitatem partium & gravitatem earundem mutuos in amplexus descendentium. Haec solidiorem figuram nacta, angustos meatus ac poros subintrare nequeunt, ideoque instar limi una cum majori humorum torrente abripiuntur, tandemque ad majora vasa amandantur, nempe ad intestina. Quantum terrae crassae discontinuatur, tantum etiam aquae & salis tenuioris segregatur, texturam seu figuram illi machinae appro-

 priatam

propriatam amittentia. Hæ aquæ subtiliores salinæ, ætheris motui ulterius obedientes, ad ambitum corporis amandantur, ut cutim retineant mollem, & transpirationi fluidæ inserviant, & particulas fluidas ibidem oberrantes in motu ordinario conservent. Crassiores aqueæ partes, ad renes, vesicam, vasaque urinaria destinantur, præterquam quod in singulis hisce viis & vasis, suo modo figuratæ blandæ, salinæ, lymphaticæ, particulæ resideant, illis elaborationibus destinatæ, quod de omnibus glandulis dictum esto. Hæ inutiles quamvis appareant fœces, attamen ut in plerisque, si non in omni secessu & præcipitatione, oleosæ salinæ interceptæ particulæ ibidem connectuntur, leviter saltem alteratæ, quibus aqueum vehiculum semper adest; ut lubricæ & molles permaneant, alias nimis indurandæ fœces. Prout autem salia acria oleosa, terræ incrassatæ, aut aquæ vappidæ, in hisce prædominantur, statim deflexiones ad vitia, ut & Virtutes varias, respectu sanitatis occurrunt.

Actiones, quibus tam integra Machina, quam ejus pars aliqua, viget, ab hisce lymphaticis præsertim dependent. Sanguis qua sanguis, id est, qua liquor existit rubicundus, albo chylo permixtus, præparationi illius lymphæ, ejusque oleaginosæ conservationi, inservit, cui etiam intentioni Medullæ in ossibus & pinguedines in suis adiposis vasculis depositæ, collectæ, reservatæ succurrunt. Hæc lympha in tres præcipue classes dividi potest, 1. in lympham crassam, 2. in tenuem, 3. in volatilem. Lympha crassa sua perreptat vasa majora, instar glutinosi liquoris, proxime accedentis ad albumen ovorum. Hæc præsertim inservire videtur; majoribus vasis consolidandis in suis crassioribus partibus, ut & ad ossa, cartilagines &c. conservanda ac refarcinanda. Præ omnibus autem necessaria est, ut aeris saliumque feroces impetus eludat, sensuumque exquisitum aut molestum nimis acumen moderetur. Hæc corpuscula, natalitia prima ciborum assumptorum haud immerito dici merentur, crassioribus adhuc balsamicis particulis scatentia. Tenuis lympha redditur in angustioribus tubulis nervosis, membranaceis, &c. eorumque glandulis minimis. In hisce locis magis ac magis exercitio fruitur mobili, insuper à crassis fœculentiis optime segregata existit, quibus accedit subtilior modificatio per miscelas. Nervorum siccior constitutio huic sententiæ non obest; quamvis enim humores liquidos non exstillent, attamen ea copiosè satis illis instrui destillationes evincunt, maximam fluidi copiam exudantes. Sic plurima dantur solidissima pariter ac siccissima externo sensu apparentia, quæ abundantes liquores fundunt salinos; testes sunt cornua, ossa, ungulæ, calculi hu-

mani, & quorum pori in ipsa vegetatione absque dubio magis patuli & pervii existunt, quam post mortem. Hæc lympha, tenuibus partibus dicata, principibus ministeriis inservit, sensui nempe & motui, omnibusque fere actionibus mechanicis auxiliandis convenit. Modificationis etiam primarium existit instrumentum, ut suas acquirant dispositiones mechanicas legitimas. Volatilis obtinetur lympha, ex mera intestina lucta partium fluidarum se mutuo afficientium, unde mediante calore halitus elevantur aquei, suis balsamicis particulis instructi, ulterius in aliis vasculis ad majorem perfectionem elaborandi. Hæc plurimos in usus necessaria est; ejus enim adjumento tumida perstat Machinæ facies, partes vasorum exteriores blande humectantur, calidisque illis vaporibus foventur, subsidentiæ ac coalescentiæ partium intergerinarum præcaventur, fluiditas volatili motu illo major redditur, crassities impeditur, tandemque lymphæ tenuis cursus & ministerium augetur & facilitatur.

Hæc munia quamdiu integra perstant in nostra Oeconomia, tamdiu sanitas perfecta nos beat, sed iis collapsis, auctis, alteratis, sub morbosum cadimus statum. Morbus est figuræ & per consequens actionis læsio, in Oeconomia nostra. Hæc læsio competit solidis texturis, tam fluidum quam solidum constituentibus, unde motus alterationes innumeræ prosiliunt in talibus Machinis. Hæc alteratio ab aliis derivatur causis, motum, molem & figuram conturbantibus. Causa igitur morbi, est, omne illud quod vitiatam pororum & superficierum formam inducere potest, illi Machinæ inconvenientem. Vitiantur corpora duplici modo, læsione acuta, vel infarctu. Acuta læsio debetur pungentibus, scindentibus, acribus, asperis, angulosis, simulque velocibus particulis. Hæc omnia quadrant in acuta salia, diversimode fabrefacta, olea cujusvis notæ, acria & tenuia, ut & instrumenta lædentia. Sub classe salium etiam venena, aculeos insectorum, & insecta maligna, serratis uncis instructa comprehendimus, utpote sale plurimo gravida. Oleis, resinas, mucagines acres & quævis inflammabilia tam crassa quam spirituosa annumeramus. Terris autem quoniam competit modificatio, iis tanquam solubilibus, salinis & oleosis intermiscemus, in quantum noxias producere vires queunt post ipsam solutionem.

Hæc mobilitate penetrabili gaudentia, ad intimiores recessus migrant, superficies discontinuant, ac variis modis afficiunt, perstante nempe eorum corporum activitate. Læsionis effecta post terrestrem alteratum nexum subsequentia plerumque sunt tria, sensus molestus, elevatio tu-

mida partis læsæ cum inflammatione; elaboratio perversi humoris. Sensatio dolorifica nos molestat, ubi salini cuspides agitati fortius in nervosum genus arietant, illudque perpetuo pungunt, vellicant, corrodunt. Hinc vigiliæ ob easdem rationes præsto sunt, tam ob illam nervulorum concussionem, quam ob effluvia acria salina, ipsum caput infestantia, unde cephalagiæ species plerumque tales concomitantur dolores. Jactationes corporis ex eodem fonte prodeunt, ubi nempe tendines, membranæ, &c. nunc hoc nunc illo motu excruciantur. Imaginationis turbæ exinde hauriuntur; nam effluvia celerius & inconcinno modo sursum elevata, ideas rerum confusas cerebro offerunt, easque citissime dimittunt; in diversas cogitationes pronis Ægris. Hisce si lymphæ tenuis exæstuatio accedat, eaque validius musculos moveat, porosque eorum torrentis instar permeet; convulsiones aut furibunda succedunt deliria. Æstus nimis salinæ acris redditæ lymphæ; partes oris ubi exiccas reddiderit, siti inextinguibili divexantur Ægri. Divisio violenta solidarum partium ubi apparet, post graves inflammationes abscessus & ulcera prodeunt varia, pro dispositione illorum corpusculorum. Hæc ulcera, interno pure madentia, si interna fuerint, ab omni latere suos dimittunt halitus malesanos, miscelam admodum infestam reliquis vicinis humoribus præbentem, unde maxima resultant incommoda, præsertim ubi acris puris abundantia prævaluerit, sua tenui effusione vicina loca inquinans. Si externam magis superficiem corporis occupaverint, ita ut ab una tantum parte miscelas internas permittat, mitiora sunt symptomata, & effecta minus maligna majorem salutis spem offerunt, quoniam ipsum pus extra corpus eliminatur per aperturam. Constitutio ipsius puris, eo pejor, quo fluidior & salsuginosior, eo melior, quo crassior ac aquosior. In priori casu, acerrima salia intimius penetrantia, figuras invertunt, & in pessimum constituunt ordinem humores, illa miscela contaminatos, quod experimenta chymica per salia facta evincunt; nam violentæ & quasi extemporaneæ sunt corporum concussiones mediantibus hisce acutis particulis; lentæ autem & successivæ procedunt alterationes per aquosa & terrestria. Symptomata præcedentia plerumque concomitatur appetitus prostratus, aut potius oblivio illius appetitus, à defectu salivæ in ore, & lymphæ nimia acredine, præcedente ex aquæ penuria, salis vero oleosi prædominio. Hujus effecti causam assignamus, tensioni nimiæ omnium nervacearum & glandulosarum partium, unde pro maxima parte cessant officia minimarum glandularum, in fibroso tenerrimo contextu membranaceo existentium; humores

mores

mores enim ex illis latibulis tanquam per torcular, expressi, acida illa reddunt loca, modificationibus tantopere necessaria. Ramificationes vasorum angustatæ huic effectui immediatè conferunt, in quantum celeritate motus compensatur viarum angustia. Hinc allisiones sensibiles fiunt; mucus enim illas vasorum interiores superficies antehac obducens, tam ad sensum & motum mitigandum inserviens, quam ad miscelas modificantes inde obtinendas, derasus, nudas fibrillarum nervacearum superficies porosiores objicit aciei mobilissimorum corpusculorum. Mucus enim in illis vasis, idem esse videtur cum salivali humore, circa os fluente, saltem in plurimis usibus eadem præstare officia haud incredibile est, nempe quoad modificationem humorum, quod patet, ubi ficciora illa latera sese sistunt mutationibus debitis extempore inepta facta; effluit enim hic mucilaginosus liquor è glandulis illis minoribus, expressione blanda per vasorum contractionem veluti expressus.

Febres in hisce extraordinariis motibus palam fiunt, ubi lacessita vasa eorumque involucra nervacea irregulari modo concutiuntur, corpusculaque fluida actiones mutant cum suis figuris multum alteratas. Eventus motuum, ad sensum contrarii, maximopere medicos detinuerunt Authores, in diversas sententias discedentes. Hi enim motui imminuto partium fluidarum, alii eidem aucto assignabant causas, &c. Priores frigus; Posteriores calorem respiciebant. Sed quoniam utrique sententiam fovebant eandem, experientiæ non omnino consentaneam, ideò male ratiocinari visi sunt, qui calorem & frigus opposita statuebant in motu. Frigus enim quies non est, nec imminutus motus, sed validissime mota corpora intensum proferre queunt frigus, ut testantur mixturæ ex oleo vitrioli & sale ammoniaco, ut & ejusdem olei cum sale communi, &c. quæ celerrime agitata vapores nebulosos in copia dimittunt, perstante eodem frigore. Calor etiam non à celeritate motus denotandus, quoniam minor motus insignem calorem sæpissime profert; sic enim sphærica corpora circumrotatione validiori rapta, vix ac ne vix quidem lentos caloris gradus proferunt; ubi eadem oblongiora reddita, frictione levi attrita, in calorem vix tolerabilem assurgent. Dispositio igitur eorum corporum investiganda venit, ut aliquid certi de iis pronunciemus, quæ omnem notam absolvit in apparitionibus effectuum naturalium. Ubi læsio accidit, absolute per aliud corpus illa inducitur, inducta superficies alterat, quas terrenis domiciliis ascripsimus. Hæ terræ, divortium aliquod passæ, salia & aquas, ejus ope li-

ligatas sui juris esse sinunt; unde salsuginosæ fiunt aquæ, balsamicis seu obtusis involucris destitutæ. Hæc salino-aquea nondum ita constructa sunt, ut à terræ irregularis consortio liberata omnino suos insultus possint proferre, sed pro tempore iis adhuc impedimento est, unde lentiori passu procedere videntur. Adde quod recenter è latibulis prolata salia, aquæ innatantia, terris crassioribus aliqualiter intricata, nondum ad tantam tenuitatem pervecta sint, quam postea ab illis tardis corporibus liberata adipiscuntur. Quibus omnibus accedit figura eorum salium, magis ad muriaticum acorem, quam ad salinum oleosum fluorem tendentium; unde frigoris effecta utplurimum resultant. Sed postquam partes terreæ hic illic depositæ fuerint, aquæ pro maxima copia profligatæ exstiterint, porique & vasculorum ramificationes obsessæ fuerint à crassioribus inconditè depositis particulis, tunc illa salia, levissimis terris stipata, armata quasi manu illas angustias perfodiunt, unde sensim spicula majora attenuantur, expoliuntur, acuuntur, id est, in minores aciei suæ congeries, majori motu & penetratione gaudentes, dispescuntur, calido motu postmodum procedentes in nostra machina. Frigus igitur à muriatici acidi salis præsentia, calorem ab ejusdem salis alcalisatione oleosa deducimus. Hoc confirmant experientiæ in putrefactione & in effervescentia; oleosa enim quò magis fiunt ad alcalinum statum reducta salia, eò magis ad calorificum motum prona, ut patet in spiritu salis ammoniaci cum oleo vitrioli; ut & in omnibus salibus volatilibus alcalinis, urinæ, cornu cervi, &c. cum eodem acido colluctantibus. Idem in densioribus observatur corporibus, se mutuo fricantibus, longe excellentiorem caloris gradum producentibus, quam porosioris, seu rarioris, texturæ particulæ. Sic Stannum & Plumbum limata vix calorem procreant sensibilem, præsertim si limæ grossiores exstiterint; Chalybs vero & Cuprum, ut & metallum, fusione mixtum, gravem calorem proferunt. Unde non immerito concludimus, per miscelam alteratas ita figuras sese offerre, ut pro diversitate illorum, motu quamvis eodem permanente, illa mutentur accidentia & qualitates.

Quam graves inde oriantur sequelæ, cuivis notum esse potest, in Chymicis leviter saltem versato. Solidæ namque partes, poris majoribus ac minoribus instructæ, modificationes suas amittunt: Fluidæ figuris ac molibus inconcinnis dotatæ, actiones sui motus illi Oeconomiæ contrarias enituntur, vasa in suo nexu læduntur, & chylificatio acquisita hoc modo cessat, è qua resarcinatio integri status exspectanda venit.

venit: aquæ & terræ avulsæ, oleoso-salinam reddunt lympham, ulterius vitiata illa figura peccantem. Hinc tales morbi calidi & acuti denominantur, quoniam calore acuto procedunt corpuscula, in omnes partes sævientia. Hi in duas iterum classes à Medicis discernuntur, quarum prima continet mere acuta pungentia ac scindentia corpora; secunda insuper uncinata & aculeata comprehendit, in omnes partes punctis eminentibus instructa, diris modis corpus infestantia, omnemque fere consensum partium abolentia, truculento suo ingressu nullibi non dilaniante. Hæc si per aerem sparsa miasmata in una regione nobis communicentur, morbos producunt pestilentiales & contagiosos: Si eadem diversa in diversis occurrant regionibus, pro dispositione effluviorum, in illis locis commorantium, & conformatione illarum minimarum exhalationum, varii prodeunt morbi, non uno nomine, nec actione, designandi. Hæc enim per respirationem admissa, salivæ nostræ permixta, lymphæ communicata, tandemque partibus solidis circa viarum angustias oblata, & vi illuc intrusa, suas cudunt formas & qualitates suspiciendas in lucem edunt, tamdiu durabiles, quamdiu aut illa perstat figura independens in suo motu, aut ab aliis à tergo particulis ejusdem figuræ succurratur illa actio. Effluvia è contaminatis, cum morbo illo colluctantibus, malignitatis specimina manifesta exhibent, quoniam rigida sicciora existunt illa corpuscula, resinæ acris more vagabunda, per intestinum illius corporis motum expulsa, aerem vicinum replentia, unde aliis vicinis easdem læsiones inferre solent modo consueto.

Differunt ipsi morbi in suis accidentibus, pro massis ipsis in corpore obsessis. Nam prout elaborationes humorum variæ, in variis illis massis fiunt, sic pro diversitate ipsius humoris magis minusve tenuis aut crassi, ut & pro ministerio nobili aut ignobili illarum partium, accidentia omnia diversificantur in his morbosis vitiis. Hinc denominationes morborum, eorundemque symptomatum, origines ab illis effectis sumpsere, resultantibus ex hisce, non ab aliis, partibus solidis infectis & motu seu actione materiæ morbificæ, quæ duo omnem absolvunt notam.

Corpora, torrentis instar rapta, circumrotatione pertinaci agitata, ætheris motum una cum læsione partium sequuntur. Salina-oleosa, spiritualitatis, id est, tenerrimæ molis fastigium assecuta, qua data porta ruunt, per corporis ambitum porosum, alis æthereis adiuta, eliminanda. Crassioris molis immobiliores partes, hic illic inertes jacere coguntur, adminiculo tenuium spirituum privatæ, moles sensim magnas

ineuntes. Gravitate sua postmodum se mutuo prementes terræ abrasæ, densiorem ineunt texturam, materiæ æthereæ minus perviam, cujus auxilio destitutæ stagna constituunt limosa ac paludosa, una cum vappidis aquis. Hinc secunda Morborum generalium classis exsurgit, ex infarctu incunabula sumens, longo tempore miseram vitam Ægris obtrudente.

Corpora fluida, tenuia ubi existunt ratione minimarum texturarum sphæricarum, tamdiu agilia, velocia, ac mobilia in excellentiori ordine existunt, exilissimisque punctis leviores terræ adjunctæ, rarissimè subsistere ullibi possunt, nec aliquas subsidentias crassas dimittunt: Sed ècontra, fluidorum graviorum vehicula sunt, quorum ope mobilitatem conservant, quamprimum igitur iis privantur subtilibus particulis, statim minus commercium cum Aere, majorque superficierum nexus gravis conceditur, unde è fluidis solida evadunt. Illud patet in oleis destillatis, aeri expositis in vitreis phialis, sensim de fluiditate remittentibus, primo balsamicam, dein resinosam duritiem acquirentibus. Quod etiam testantur omnes liquores spirituosi, negligentius servati, paulatim crassescentes & vappescentes. Datur etiam altera species fixationis, ut Chymicorum vocabulo utar, ubi per intestinum motum corpuscula oleosa tam densa, aut alio modo crassiori combinata evadunt, ut interstitiis quasi intercepta, sese extra carceres suos extricare nequeant, ut patet in aceto & vino parato, in salibus volatilibus, acido intricatis; in oleis ac spiritibus, per acida ligatis.

Quovis modo considerata hæc ad quietem vergentia corpora, ad tres classes reduci queunt. 1. ad mera aquosa. 2. ad mera terrestria. 3. ad acida fixiora. Hæc attamen non tam exacte separata proponimus, ac si aquosa sola existerent, terris & salibus destituta, & vice versa. Sed prædominium hujus aut illius corporis hic consideramus, ita tamen ut in illis aquis crassiores sint terræ, acidis sæpius austeris corpusculis internis instructæ. Sic etiam terræ ipsæ suis austeris instruuntur acidis; salia terras rigidas secum vehunt. &c.

Ubi aqueum prædominium adest, corpus tumefit mollitie quadam permanente, colore ad pallidum vergente. Lympha ipsa, serosior reddita, suas dilatat fibrillas, onere illo pressas; diutius enim ibidem moram trahentes aquæ, ipsa fibrarum stamina replent, tonumque viscerum infirmant. Exinde Hydropis species omnes resultant, variantes pro locis obsessis, tam in aquarum differentiis, quam in motibus specificis. Si ullibi lunæ phasibus regimen aliquod concedendum, saltem in talibus

libus morbis notabiles eventus, plerumque mutationum viciſſitudines conſpiciuntur, communes cum lunæ incremento ac decremento. Hæc effecta, ab effluviis, aerem illo, non alio, tempore contaminantibus, dependere, credibile eſt; maritima enim loca, illis temporibus æſtu inſigni affecta, abſque dubio halitus offerunt illi malo inſtigando convenientes, qui forſitan muriaticæ acidæ figuræ ſunt, utpote aptiſſimæ ad ſeri aquoſi generationem, & ſpiritus oleoſi ſuppreſſionem. Aquas haſce admodum differre inter ſe, teſtantur urinæ hydropicorum, nunc per acidum, nunc per alcali, nunc per utraque ſalia, diſſolubiles & coagulabiles, nunc ab utriſque intactæ remanentes, jucundo ſatis ſpectaculo etiam colores & conſiſtentias mutantes. Corpuſcula enim oleoſa-ſalina, terreſtribus viſcidis intertexta, diſpoſitionem variam aſſumunt, primo ab iis, quæ ibidem adhuc, languido quamvis modo, elaborantur; ſic hydrops hepatis flaveſcentes præbet aquas, hydrops thoracis viſcidiores, albicantes, hydrops abdominis magis diaphanas ſalinas, &c. Secundo à motu inteſtino diverſo, ſcilicet à particulis, motum illum dirigentibus ac modificantibus, ut & à concuſſione nervorum, &c. diverſimode ab animi pathematibus, aut humoribus violenter agitatis producta. Sic Catharrus limpidiſſimas ſalinas profert aquas in principio; Chronicus morbus limoſas magis reddit, nulla reflexione gaudentes; Morbi acuti poſt exantlatas vires vappidam turbidamque aquam poſt ſe relinquunt; Lienis & abdominis præcipuæ glanduloſæ maſſulæ lividas obſcuras fabricantur aquas, eaſque, ſi inteſtinorum etiam tunicæ inquinatæ fuerint, vermiculis, ſeu inſectis non raro refertas; Ex renibus, vitio hydropico affectis, aqua profluit, coagulis plurimis obſita, forſan ex ipſius coagulante & præcipitante ſucco, ibidem hoſpitante, oleoſas partes indurante.

Terræ ubi prævalent auſteræ, durities ſumma parti intumeſcenti communicatur. Lympha ipſa hiſce miſcelis acidis terrenis induratur, per arctiorem pororum repletionem, & balſamicarum partium approximationem quaſi congelata. Olea ſpirituoſa motu inteſtino ſuam compoſitionem corpoream deſerentia, terras haſce non ita derelinquunt, ut omnimode privata illis unquam obſerventur, ſed ſufficit verbi gratia unum ad centum reſpectu jacturæ, ſed ſtructuræ mutatio & approximatio illius vinculi terreni omnem poſtea notam abſolvit. Sic integra lympha induratur addito Spiritu Nitri, Vitrioli, Salis & cæterorum graviorum acidorum, pauco aqueo humido expreſſo. Sic albumen ovi, ſic gummata dura fiunt acceſſu terreſtrium, acido-ſalino connubio gaudentium; inde enim la-

lapidis duritiem æmulantur tractu temporis. In iis igitur locis facilius contingunt tales infarctus terrestres, ubi copia conspicitur acidi austeri, à quacunque etiam levissima causa sese manifestante, ut circa regionem lienis, Uteri, &c. Impeditus motus partium Ætheris, aeris, salium &c. omne ministerium in illis locis cessare facit, unde sensim mortificantur, id est, privantur vita illa vegetativa, machinæ illius conservationi appropriata. Sin vero inclusæ lateant aquosæ particulæ lymphaticæ, extra miscelas & propulsiones debitas sepositæ, propria in viscera ut ajunt sævire coguntur illæ particulæ, ad solutionem continui tendentes, & hoc modo putrilaginem cadaverosam ac fœtidissimam concipientes, ut patet in plurimis dissectis Scyrrhis, lethiferum odorem dispergentibus. Hæ terræ, prout ad solubilitatem magis pronæ, catenus minus duræ existunt, sed etiam magis noxiæ, quatenus nempe ab alluentibus salinis particulis, aliqua semper avelluntur corpuscula, vicinis postmodum contagio futura. Porositas, cum aliquali fluiditate interna oleaginosa acri, pessima est; ea namque halitibus ac miscelis suis perpetuo vicina infestant loca, tandemque malum lethiferum ulterius serpere sinunt propagando suas figuras & actiones de glandulis in glandulas, ubi plerumque stagna prima prodeunt insultuum malignorum, ut patet in cancro, gangræna, &c. Perstant enim hæ figuræ, ob id constantiores, quoniam duriori involucro vel manubrio, sit venia verbo, instruuntur, ideoque actiones earum sunt metuendæ. Cachexia originem hisce debet austeris terris, utpote enervantibus debitam salivæ nimis crassæ, vel sæpius aquosæ, figuram & actionem, unde appetitus prostratus, Chylique crudioris elaboratio, emergunt. Hoc patet in virginibus chlorosi laborantibus, ab nimio terrestrium usu, ut & in omnibus, durioribus ac solidioribus cibis utentibus; facies enim pallescit aut flavescit, omniaque Oeconomiæ animalis opera languescunt, ipsæque fœculentiæ aquosæ, & excrementa retenta illud testantur, ad soliditatem nimiam vergentia.

Acida muriatica sese manifestantia, lymphæ serositatem augent; oleosamque muccilaginem multum destruunt, catharris locum parantia. Acida enim sunt moles majores punctorum salinorum, solidiori oblongæ terræ adaptatorum, in qua ita disponuntur cum suis eminentiis pungentibus, ut scindendi simul facultatem acquirant, suo punctorum numero, unam in actionem simul conspirante. Muriatica ex hisce conflata, acidi debilioris vices quodammodo subeunt, ita tamen, ut puncta undique quidem leviter eminentia, sed obtusa seu planori in superficie

ficie adaptata. Hinc penetratio non tanta illis conceditur, nec tam violentæ ſunt eorum actiones, ſed radendo & corrodendo ſuperficies aliorum corporum, inſtar limarum, opus ſuum abſolvunt. Acida muriatica igitur, haſce nomino particulas, quoniam acidum perfectum unquam in corpore noſtro dari vix credibile eſt, ob oleaginoſas & alcalinas particulas ibidem præpollentes, etiam ad mortem uſque. Attamen externum ad guſtum, fluore acido inſigniuntur hæ particulæ, in deſtillatione ne minimum acidi ſalis offerentes, quod etiam in tartaro acido obſervatur. Ubi primo catharri hi, ſeu potius lymphæ ſalſuginoſior elaboratio, in lucem prodit, contractiones vaſorum notabiles perſentiuntur, ſuffocationis periculum minitantes, ob acidi illius terreſtris copiam, oſcula vaſorum obſidentem ac contrahentem, ut & ob fluiditatem lymphæ negatam. Urinæ limpidiſſimæ, inſtar vini generoſi rutilantes, in principio ſeſe dejiciunt, aqueæ attamen, id eſt, omni colore ſpoliatæ, plane tamen differentes in omnibus motibus & miſcelis à præcedentibus urinis. Copioſiſſimæ etiam excernuntur per veſicam, quoniam lympha ſeroſior facta, nulla aut pauciſſima ſaltem immutatione opus habet, ut per renes, ureteres & veſicam tranſeant, imo patula magis facta illa vaſculorum orificia, copioſiſſimum tranſmittunt liquorem urinoſum, præſertim ubi ſuperiora vaſa admodum conſtricta, vi quaſi ad illa amandant loca lympham hanc vitiatam. Scorbutus huic lymphæ ſalſuginoſæ ſua debet natalitia; omnia enim effecta hunc morbum conſtituentia, ab illa dependent. Glandulas ſubtiliare lympham declaravimus eamque eſſentialiter modificari in ſuis tenerrimis loculis, innuimus, unde ſemper fluidior evadit & per conſequens ad ſalino-oleoſum contextum tenuem vergit. Hinc non mirum, ſi eadem loca, patentiora facta, aliove modo diſpoſita, per haſce corrodentes particulas, non tenuem, ſed gravem, ſalinum, minus oleoſum, fundant liquorem, motui minus aptum: Quod patet in glandulis ſalivalibus male figuratis, ſalſuginoſum acidum acrem humorem lymphaticum copioſiſſime præbentibus, ut non ſemel in praxi mihi videre contigit. Illud etiam patet ex roſione gingivarum, dentium ſtupore & calcinatione, ut ita loquar, ut & in podagra nodoſa, arthritide varia, & ulceribus cacoethicis ac phagedenicis inde productis. Hæc quamvis generali nomine acida-muriatica appellentur, attamen non unas eaſdemque figuras moles & motus præ ſe ferunt corpuſcula hæc vitiata, ſed, prout nunc ſæpius inculcavimus, pro natali ſolo ac miſcelis variis, mutationes occurrunt actionum. Sic exempli gratia, è Catharro ſcorbutus inſultans,

 tans,

tans, quamproxime ad salis communis naturam accedere facit lympham; quod testantur saliva salsa & mercurius dulcis in minima quantitate tali in casu adhibitus, salivationem quantocius inducens, ut & omnia purgantia, maxime tunc temporis activa, eodem modo ac si salino stimulo externo concitata essent. Ex obstructione lenta prodiens salsedo, magis austera & astringens permanet, terrestribus crassis stipata, unde repræsentat aceta bolo, coralliis aut cretæ sociata, multo minus activa, verum potius retardantia actiones medicamentosas. E morbis violentis lympha vappidior remanens, illis scatet muriaticis particulis, sed nimium involutis & obsessis viscidiori mucagine, restante ex balsamico lymphæ agitatæ statu; hinc omnia torpida fiunt, tunc primum salutis spe affulgente, ubi circa os salini amari, salsi, aliique gustus sapidi, id est, salini extricati apparent. In capite, pectore, liene, hepate, renibus, seminalibus vasculis, utero, & cæteris partibus vitiatis sua extorquentur corpuscula, differentia in plurimis effectis ab aliis, unde statim reactiones suscitantur variæ in miscelis medicamentosis, quamvis in aliquo tertio convenire videantur. Illud in causa est, cur purgantia in his fortius alvum moveant, in illis vix aliquid dejiciant, in istis vomitum, sudores, urinam solummodo producant, cum in aliis nihil agant. Sic enim possunt disponi, per leves miscelas in corpore nostro, ut hanc illamve qualitatem agendi respectu illius acquisitæ figuræ adipiscantur, eodem modo ut pleraque corpora Animalium, vegetabilium & mineralium, quæ levi additione malignas aut benignas induunt vires; sic Antimonium crudum emeticum redditur per vinum, diaphoreticum per acetum, fixum per nitrum, volatile per Sal commune: infecta cicurantur per acida, exaltantur per alcalina, intermedio modo disponuntur per acido-sulphurea, differentes plane actiones producentia.

Symptomata, frigidos hosce morbos concomitantia, sunt somnolentia, tardior functionum motus, insensibilitas, frigus. Somnolentia è crassitie & aquositate lymphæ prodit, qua nervosum genus obsessum, non tam cito pede tenuiores dimittit particulas, nec, instar mollioris factæ chordæ, sufficienter tensum, tremulas suas vibrationes languide tantum exhibet. Hinc cerebri subsidentia major, aut repletiones illorum vasculorum nimiæ cernuntur, gravantes illas eximias Animæ sedes, spirituosarumque partium motum progressivum intercipientes. Functionum motus ab iisdem causis dependet, utpote à nervaceis partibus sustinendi. Hinc appetitus aut varius, aut depravatus, aut prostratus semper inconveniens exoritur, ob lymphæ crassitiem, aquositatem, vel

per-

perversam malesuadamque figuram. Hinc urinarum retentiones, ubi terrestres nimis fiunt copulæ, ipsa orificia vasorum, imo ipsa non raro majora vasa obstruentia & replentia, vel ab acido austero vasa contrahente & lympham ipsam incrassante, ut patet in calculo, ictero &c. Dolor omnis abest in morbis frigidis, nisi scorbuticas salinas rosiones exceperis. Si nullus accedat dolor, ille in principio visitur, ubi læsiones accedunt cum mutationibus primariis, vel partes quamproxime adjacentes parti correptæ, dolorifico divexantur motu, à compressione & gravedine tumidarum partium, ut & ab effluentibus miscelis, ibidem actiones suas offerentibus. Quamdiu etiam nervuli integri perstant, rodendi à sale illo, vel à terra infarciendi; aqua enim sensum ita hebetat, prout salium puncta ac cuspides diluit. Calor abest, ob negatam oleaginositatem, motus salinos languidiores, & ob præsentiam muriæ acidæ, calori adversæ, ut superius notavimus. Melancholia hisce omnibus supervenit, id est, lenta & pertinax cogitatio, unam sibi ideam plerumque imaginariam proponens, eamque diutissime fixatam quasi retinens. Hæc partim vitiatæ, corpusculorum, ideas illas describentium, figuræ est imputandum, partim lentissimo gressui spirituum diutissime in unis locis, præsertim circa cerebri loca commorantium, unde imaginationes perstant. Horridæ sæpius evadunt, ubi hæc obscuras referunt figuras, fumi seu fuliginis instar nigricantia corpuscula, ad situm perversum reducta per illum intestinum motum, unde nomen à nigredine desumpsisse videtur hic morbus. Cogitationes autem nostras, à corporeis figuris & actionibus modificari si quis dubitet, illud experiri poterit assumpta datura, opio, mandragora, cicutaria, vino diverso, imo ipsæ aeris moleculæ sub differenti Cælo variæ idem evincunt, unde nationum ac populorum illic loci degentium discrepantes inclinationes & vitæ ac morum consuetudines deducendæ. Hisce etiam conferunt constitutiones vasorum, quatenus nempe elaborationi humorum inserviunt, alterandorum secundum illas dispositiones mechanicas, quas ibidem acquirunt, quod patet in fatuis, &c.

Externa corporis vitia, ab internis oriunda non multum prosequar, nisi quatenus ad hypothesin meam confirmandam faciunt, nempe per mixturam & motum corporum omnium diversificationes prodire. Inflammationem ab acribus particulis ortum sumere nemo dubitat, ubi læsiones, dolores, intumescentiæ, rubores, &c. cernuntur. Eam statum humorum alterare ac invertere observamus, in puris creatione, in lim-

limphæ vappeſcentia reſidua, in acerrimi fœtidi ac maligni humoris apparitione, quod ad oculum patet in ulceribus, Eryſipelate, Gangræna & Sphacelo. Hæc omnia inter ſe differre ipſa puris collectio denotat, colore, odore, ſapore, & conſiſtentia differeutis. Malæ vaſorum conformationes, quantum contribuant hiſce effectis, demonſtrant partium male conſtitutarum extirpationes; illis enim ſublatis commercium & actio ceſſant. Idem reſultat eventus poſt puris evacuationem totalem, nam extempore mitigantur aut abolentur omnia accidentia. Eadem eſt ſententia de connaſcentiis vaſorum, vel de excreſcentiis variis, ubicunque enim præternaturalia viſuntur loca ſolida, ibi humorum collectiones & elaborationes contribuunt miſcelis ac motibus extraordinariis, & per conſequens actionibus præternaturalibus anſam præbent. Violentæ læſiones ſeu vulnera, contuſiones, fracturæ, diſlocationes, &c. quoniam conſpirant in humorum extravaſatione, vaſorum compreſſione, corundemque mala figuratione, ideo ad eandem claſſem ſunt referenda, ſcilicet ad læſionem figuræ & actionis, tam in his quam in aliis locis. Hæc eo violentiora proferunt ſigna, quo partes læſæ nobiliores & ſenſui miniſtrantes extiterint, ut nervi, tendines, membranæ, &c. ut in morbis diximus, ob tenuem magis lympham, & communicationem cum ſenſorio communi. Gangræna & Sphacelus, peſſima mortificationis ſigna præ ſe ferentes, ſalino extricato fætente humore dotati, copioſiſſimos acerrimoſque evehunt humores nervoſo generi funeſtos, unde citiſſime extinguunt hominem, niſi extirpatione aut ſeparatione ſubitanea hæ deleteriæ partes tollantur.

Reſtitutio ſtatus collapſi, per medicamenta, id eſt, per miſcelas corporeas perficitur, quæ alterare queunt ipſam vitiatam materiam qua ſolidam qua fluidam. Hæc quovis modo applicata, exhibita aut ingeſta, motum ſuum imprimunt inteſtinum, moleſque & figuras ſimul cum actionibus enervant, in illis corpuſculis exiſtentes. Tria nobis occurrunt corpora, machinam noſtram diverſimode afficientia, alimenta, Medicamenta & Venena. Alimenta exhibuimus, in ſucculentis particulis ſuis, humorem cum ſaliva fluidum Chylum dictum offerentia, vegetationi ſeu nutritioni dicata. Ea blanda, mollia, balſamica, oleoſa, in aquis diſſolubilia eſſe debere tunc innuimus, ut nempe limpha exinde formetur Oeconomiæ ſuſtentandæ apta nata. Medicamenta vero, alitis indolis ut ſint, neceſſum eſt, ad ſopiendas turbas humorum nimis exæſtuantium, aut ad ſegnitiem languidam humorum magis ad motum excitandam, &c. ut nunc fuſius declarabimus.

Si-

Signa diagnostica ex accidentibus variis petenda, utplurimum respiciunt partium infectarum munia diversa. Deliria caput seu cerebrum potius affectum denunciant; tussis pulmonum vitia simul cum respiratione læsa designant; flavedo cutis hepatis obstructiones revelat; acutus dolor punctorius membranas affici demonstrat; &c. Eadem indicia aliqua etiam ex miscelis hauriuntur, sic color ictericus, sanguini communicatur per Sp. Salis communis, sic pectoris vitia, urinam edunt cum acido solubilem, cum alcali vero coagulabilem, è contra abdominis plerique morbi per alcali limpidam sistunt urinam, mediante acido coagulabilem. Renum inquinationes, albæ crassæ designant urinæ, super ignem indissolubiles, nec cum acido, nec cum alcali facile congredientes, nisi cum Spiritu Nitri in certis casibus. Ea signa ratione motus intestini corporum variant, & accurato Medico eventum non semel præsagiunt.

Diagnostica insuper aliis multis modis haurienda, præsertim motus & figuras corporum fluidorum respiciunt. In hisce accurate perpendendi status fluidi, declinantis ad nimiam tenuitatem, vel ad nimiam crassitiem utroque enim modo peccare solent fluida devia. Ea quæ fluiditatis incrementa obtinent, salina oleosa evadunt, postmodumque acredinis notam acquirunt. Hinc post muci abrasionem dolores oboriuntur, acuti morbi ardentes vel maligni evadunt, periculosa etiam symptomata molesta admodum inducuntur, abscessus fiunt, & inflammationis omnia signa manifestantur cum vigiliis, &c. Hæc si loca solida nondum occupaverint, sed in fluidis solis hæreat vitium, facile transitorium est, si vero tumido rubore seu partium infarctu obsessæ appareant partes solidæ, male exinde figurandæ, diuturnius malum existit. In iis enim locis nidulantur corpuscula, secura ab aliorum fluidorum alluviis, illa autem in minori copia accedentia fluida, ad nutum ibidem commorantium disponuntur, unde mali effecti propago continua perstant, integra existente illa parte solida affecta.

Colores à fluidis qua solidis oriundi, magnas æque in diagnosi quam in prognosi exhibent effectuum apparitiones. Color ruber, concomitante calore, signum est exæstuationis salinæ-oleosæ, ac per consequens rosionis manifestæ circa illa loca, unde plerumque metus abscessuum resultat. Color hic ad lividum declinans, signa præbet solutionis continui, cum mortificatione partium omnium. In tali enim casu eadem contingunt, quæ in putrefactione observabilia sunt, salia nempe sui juris facta, ubivis sæviunt in texturas terræ balsamicæ, eamque ab omni

parte dilaniant, vi sibi vias parantia. Hinc multi magnique pori admissi, nullis fere vinculis spirituosas illas acies, maligne figuratas, cohibent, sed fætore manifesto aerem vicinum inquinantia nervos narium vellicant & pungunt. Idem observatur in pure collecto, semper eo magis acri-salino, quo illud tenuitate majori gaudet, ad lividum aqueum præsertim ubi vergit fluorem. Color enim ex omnibus oleosis obtineri potest utut antehac coloris omnis expertibus. Sic olea calore mediocri digesta, addita salis acidi volatilis, quod notandum, levi quantitate, rubicunda evadunt. Eadem per motum intestinum resoluta, quod fit cum calce viva, optime ac sæpius cum spiritu urinæ impraegnata, postmodum in ventre equino digesta, nigrorem concipit, imo plurima putrefacta obscura evomunt olea fœtentia. Ulterius confirmatur resolutio illius salis, sphacelo enim consumpta fætida membra, sal volatile præcedens ipsam aquam in destillatione offerunt, quod ab aliis non fit, nec solidis nec fluidis, idem etiam contingit ex pure graviter fœtente, quod idem est cum urina putrefacta, &c. cæteris putrilagine mediante resolutis. Rubedinem ab oleosa, sanguinea nempe, Chyli parte oriundam, testantur venæsectiones, in talibus morbis ordinariæ, multo enim minorem feri partem admittit in destillatione etiam majorem olei ac salis volatilis copiam præbet. Hæc intellecta velim ubi in vigore existit morbus, non autem in declinationem ubi vergit, nam eo tempore plane alia rerum facies occurrit, tunc enim spiritus illi tenues oleosi plurimum profligati, exhaustas de relinquunt vires, vappidiori remanente limpha, quod patet in urinis agonisantium, nullum fere sal volatile vel oleum, per destillationem extricantibus, præsertim si diutius decubuerint, morbis acutis detenti. Non mirum igitur quod in omnia vasorum latera arietent, illa rodant, distendant, ubique infarciant, tandem ad lethiferam ruinam totam cogant machinam sua mobilitate & acie violenta instructa fluida.

Color albus consistentiæ crassioris signa profert, in hac enim terrestres superficies magis connexæ & æquales apparent. Albedinem ab acidis induci experientia demonstrat. In omnibus muccilaginosis aquæ interceptæ copia visitur, partes enim oleosæ rotundæ fiunt oblongæ, antequam muccilaginis formam recipiant. Hæc figuræ mutatio fieri nequit, prout passim hoc demonstravimus, nisi à miscela alius corporis. Corpus aptissimum est aqua constans oblongis, mollibus ac flexibilibus particulis, replens illas cavitates fibrosas. Hæc aqua per se, nimis enim obtusa est ac facilius cedens, illud perficere vix posset, nisi ipsi per sa-

lia,

lia, concussiones ac calores, poros magis pervios reddentes, auxilium adesset. Muriatica aut acida hæc salia ut sint necesse est, ad ramulos illos obliquos dilatandos, prolongandos rigidioresque reddendos, aquæ ingressum posthac permittentes, eamque quasi absorbentes. Illud testantur experientiæ Chymicæ, tam in digestione olei & aquæ, in maceratione oleosorum mediante aqua, in conquassatione forti eorundem corporum, in acidorum mixtura cum oleis, in destillatione viscidæ pituitæ, muriaticum enim præbet sal volatile, ammoniacum sal referens, cum maxima aquæ copia, pauciori oleo dotata. Acidis abutentes illud demonstrant, in generatione plurimæ visciditatis, albedine molli totius corporis, & exscreatione lentioris salivæ. Morbi inde oriuntur lenti, tardi, chronici, ab infarctu tardiorum humorum vasa replentium, æthereos motus eludentium. Minus autem dolorifici sunt, ob interclusa ac irretita salia & olea, nullibi incidentia, sed languido passu repentia; uno verbo frigidi inde nascuntur insensibiles morbi. Hæc albedo si deviet ad flavedinem, livorem, aut aquositatem, statim morbosum variare facit statum. Flavedo albo intermixta colori, designat intermixtas acres oleosas particulas sui adhuc juris existentes, quæ non cessant moveri. Exinde intestinæ agitationes succedunt, ad læsiones manifestas sæpius tendentes, in arctis enim hisce viis exercitium suum continuantes, situm ac nexum partium deturbant, malignitatisque indicia eo majora offerunt, quo magis ad virorem declinant. Hic namque color ex flavo & livido aut cæruleo compositus, designat solutionem continui internam, unde acres metuendi insultus. Hæc passim manifestantur in pure, Gonorrhæa, tussi, &c. Illud etiam patefit in albis motu intestino vigentibus fluidis, omnes ferme per colores transeuntibus donec in nigredine fœtida subsistant, tandem etiam post fugam volatilium, odore & colore illo spoliandis. Aquositas ubi apparuerit dilutiorum factarum mucaginum, duo produnt effecta, respectu salinæ nempe aut aqueæ terræ. Salia in fluorem aqueum reducta, acida muriatica antehac pronunciavimus, quæ pro diverso partium occupatarum situ ac ministerio, læsionem œconomiæ inferunt variam, imo rosiones circa nervaceum genus, calcinationes circa ossa instituunt, pertinacius utplurimum duraturas, abditiora enim sibi loca constituunt, oleosasque balsamicas partes invertunt, glandulasque duriores simul ac male figuratas efficiunt. Terrestrior aqua vappida in flatulentum dispescitur humorem, vigente adhuc corporis statu; aut ventiformem in expansionem redactus, ope celerrimi motus intestini, tunc etiamnum superstitis, fibrosum omnem

abdominis contextum, diſtenſione magna inflat. Ubi vero languidior eſt fluidi ſtatus, hæ aquæ incrementa ſumentes, oneri partibus fiunt, ibidem ſtagna conficiunt varia, tandemque omnes mollitie & immobilitate ſua enervant partes. Viſcidior exiſtens hæc aqua, acidiuſculis particulis refertiſſima, facile indurationes ſubit lapideas, in omni enim aqua ob terreo-ſalinam miſcelam calculi generari queunt, ubi inſtar mucaginis primo coaleſcunt, tandem cortice ſolidiori cincta indurantur. Hoc præſertim accidit, ubi acrium uſus adfuit, aut corpora motu interno validiori vigent, privata à molliori balſamico ſtatu, ubi etiam vita ſedentaria coaleſcentias illas adjuvat, aut retentiones ſeroſæ limphæ vel pituitæ hic illic circa glandulas viſuntur. Sin vero molles permaneant mucagines, non tanta ſalium acido-acrium caterva ſtipatæ, ob leves motus inteſtinos, quos perpetuo ſubire coguntur, inſectis nidulos derelinquunt ad myriades ibidem generandis, fovendis, alendis.

Linguæ eadem, ratione colorum, ſunt ſigna, alba enim mucagine obſita, viſciditatem limphæ denunciat, præcipue humidiori eadem perſiſtente. Siccior ubi fuerit, albedine infecta lingua, penuriam aquæ præſagit, rigidiore futura illius exſuccæ limphæ figura, poſtmodum ad atroces motus declinante, ſiccitas enim malignitatem quandam ſemper præſupponit. Duræ enim acie aliqua armatæ particulæ, eo fortius ictus ſuos vibrant, magiſque inſiſtunt, in læſione aliorum corporum non facile flexibiles. Flavedo materiæ ſiccioris linguam contaminantis, auctam malignitatem denunciat, illæ enim partes majorem fluiditatis gradum nunc obtinentes, figuræ ſuæ vitia tanto potentius in omnes dimenſiones exercent, ad deſtructionem plerarumque ſolidarum & fluidarum partium. Nigredo, funeſtas decarcerationes corpuſculorum ſcindentium & pungentium ob oculos ponit, poſt decuſſiones varias ſitus, nexus & ordinis requiſiti fluido-ſolidorum, vix ac ne vix quidem cohærentium. Hinc omnia metuenda graviſſima ſymptomata, hoc colore apparente, deliria, convulſiones, mors.

Pulſus, motu ſuo pulſatili indicia manifeſtat humorum bene aut male figuratorum, ſaltem in ægroto ſtatu, alias enim plurimæ ſunt pulſuum differentiæ in ſanis. Hæ autem ab iiſdem cauſis derivari videntur, quas in Ægris animadvertimus, multum enim variant corpora, in ſuis vaſis & vaſculis, & per conſequens in ſuis humoribus, unde prout conſtitutio varia fuerit ab ineunte ætate, in conſuetudinem actionum illi machinæ ceſſit, ſanas actiones attamen producenti, perfectiſſima enim ſanitate aliquem frui vix poſſibile videtur. Sufficit igitur pro

tene-

tenera & angusta constructione vasorum mediocris pulsus, ut & pro aquosiori mixtura humorum, ubi validus requiritur, in crasso contextu firmiori partium nervacearum, & salino-oleosa humiditate existente. Difficultas pulsuum designandorum exinde patet, quoniam ii deflectere possunt extra communes motus naturales illi machinæ, nobis attmen ignotos. Sic pulsus debilis in statu sano, si incitetur ad ordinarium motum, æstum febrilem illic denotat corpori, non autem Medico ignoto, &c. Ideoque pulsuum historiam, à plurimis descriptam non prosequemur, sed eorum maxime apparentes diversitates hic breviter recensebimus. In tres classes, pulsuum differentias specificas, reducemus, quarum prima celeres, secunda tardas, tertia inæquales continebit.

Celeres pulsus, motui vivido humorum tenuium debentur, unde magni conatus propulsionis in omnes partes oriuntur. Ii in quibusvis calidis cernuntur morbis, inflammationibus, febribus, &c. ob easdem rationes ibidem allatas. Graduum diversitates admittunt, pro constitutione humorum magis minusve exæstuantium, unde dignosci potest eorundem status, & per consequens, si cum aliis signis conferantur, præsagia boni vel mali vel dubii eventus edunt.

Tardi pulsus, motui humorum imminuto adscribendi, languidam in tubulos vibrationem denunciant. Morborum frigidorum effecta sunt, utpote in Hydrope, Cachexia, Schyrro, &c. obvia. Si autem aliquando celeres in talibus visantur, hoc fit ab intestino motu irregulari seu febrili vicinorum partium nondum contaminatarum. Gradus & in his existunt observabiles, pro materiæ aquositate, salsedine, viscíditate, & vasorum obstructione varia. Hi gradus lucem afferunt inquisitioni ulteriori constitutionis humorum, unde Medicus de crassitie fluidorum & de viribus Ægri dijudicare poterit.

Inæquales pulsus, semper suspecti sunt, nam heterogeneam partium fluidarum miscelam, aut angustationes viarum extraordinarias prognosticantur. Heterogeneitas humorum dependet à particulis inter se non bene mixtis, multo minus unitis; sed potius solutionem continui admittentibus, unde turbæ perpetuæ resultant. Particulæ enim salinæ extricatæ, suo jure utentes, nervosum genus molestant & pungunt, ita ut ad subsultus leves vel graves cogantur, omnes partes nervoso dominio obedientes, primordia convulsionum minitantes. Hinc irregulares & extraordinariæ vasorum contractiones prosiliunt, tam in corde etiam sensibiliter ab iis affecto, quam in pulmonibus, &c. unde sæpius respi-

rationes Ægrotantibus difficiliores fiunt illis temporibus. Reliquæ autem terrestres crassæ ab aliis derelictæ, obstructiones causantur, unde Oeconomiæ interitus metuendus.

Medicamentum omne illud dicitur quod humorum nostrorum statum alterare potest. Alteratio hæc mediante motu intestino fit, corpusculorum salino-terrestrium, limphæ nostræ sese insinuantium. Hæc dilui debent aqueis limphæ particulis, aut diluta propinari, si limphæ debilitas tanta sit, ut ei dissolutioni impar existat. Secundum illud proverbium tritum, Corpora non agunt nisi soluta. Terræ igitur densæ, medicamentosas nullo modo proferunt vires; si existant indissolubiles, vel in menstruis salinis; vel in limpha nostra quatenus salina. Dico quatenus salina, illud enim patet in morbis frigidis, à vappescenti lympha oriundis, ubi omnia ingesta solidiora ne hilum quidem proficiunt, sed eodem in statu dejiciuntur ut introsumpta fuerunt; ubi è contra eadem oblata calidiori morbo detentis, nimis sæpius violentas concussiones inducunt.

Illud autem observatu dignissimum est, quod Medicos etiam ad majorem ac certiorem Medicamentorum notionem deducere potest, eorumque actiones clarius patefaceret, nempe remedia agere pro modificatione illius miscelæ salinæ-terrestris. Hoc Chymia non solummodo edocet, sed etiam Praxis uberrime demonstrat, in remediorum mixtura & propinatione. Sic in Chymicis processibus, sal commune acuit purgantium vim, intendit efficaciam Mercurii & Antimonii, diaphoresin autem imminuit; nitrum, acetum, spiritus vitrioli & sulphuris, diminuunt purgantium robur, Antimonium & Mercurium cicurant, &c. Salia alcalina ferociam mitigant, terream in minores ac minimas moleculas reducendo, ut & omnia spirituosa, virium pristinarum violentia semota. Sic vinum & acetum, cotrarias videntur vires ex antimonio præparato elicere, quamvis illæ tantum deriventur ex illa miscela, partium minimarum constitutionem variante. Ideoque non mirum, eadem effecta in omnibus non respondere, ob limphæ ipsius diversitatem, salia modificata aut obtinentem, aut externa modificantem ad has aut illas figuras & moles, unde actionum diversificationes prodeunt. Summopere igitur incumbendum esset circa tales investigationes, utpote summæ utilitatis in re medica futuras. Sic in catharro salsuginoso incipiente, adhibita purgantia, valide purgant, itidem in acredine humorum incipiente, ut in Erysipelate, hinc dejectiones in talibus caute sunt administrandæ. In cachexia vappida humorum, vix purgantia vi-

vires exerunt, nisi salinis intermixtis adjuventur. Idem de sudoriferis esto judicium, non raro in aliquibus morbis ad purgandi vim declinantibus, aut vomitum cientibus. Ex hac ratione, investigandi etiam venirent, fidi & infidi antifebrilium, antiscorbuticorum, &c., successus. Horum enim eventus tantopere discrepans, in plurimis Ægris nobis obvenit, ut conjectura vel consuetudine potius quam ratione experientiis innitente, medicamenta plurima elaborentur & in usum vocentur. Experimenta etiam superius allata, in urinis diversis nunc per alcali, nunc per acidum solubilibus aut coagulabilibus, multum huic intentioni conferrent, ut firmiori procederet talo Medicina. Quamvis enim non credibile sit, nos ad supremum fastigium illius scientiæ & artis perventuros esse, saltem anniti debemus ut promoveamus gressus nostros, in experientiis illis perscrutandis & applicandis, ad humani generis vitam in terris beatiorem.

Medicamenta in tres distinctas classes dividemus, ratione prædominantium corpusculorum, in hisce aut illis texturis compositis.

Prima comprehendet aqueas, mucaginosas, & viscidas partes.

Secunda classis continebit salinas, oleosas, ac spirituosas particulas.

Tertia recipiet terrestres, minerales, ac solidas moles.

Hæc sufficient pro morbis enumeratis, eorumque alteratione varia obtinenda, si dextra adfuerit Artificis manus, & solidæ adhuc integræ remanserint partes.

Omnia hæc Medicamenta triplicem habent operationem, 1. diluunt, 2. condensant seu præcipitant, 3. exaltant seu attenuant. Dilutio mediante aqua perficitur, quovis modo considerata. Coagulatio & præcipitatio, plurimis tentatur modis, per acida, austera, mineralia fixiora & terras crassiores. Exaltatio seu attenuatio, salibus spirituosis & oleosis volatilibus competit.

Aquarum vires unæ essent, simplices si obtineri possent, sed nunc ob compositionem corporum variam, effecta non aquæ sed terræ salinæ abscribenda veniunt, si à dilutione recedant. In genere autem sub aquis, terras etiam molles comprehendimus ipsis innatantes, levi aciditate aut mucagine instructas. Sic aqua fontana differt ab aliis, per rupeas vel lapideas minerales terras iis admixtas; putealis aluminosa secum vehit muriatica salia, terrestribus utplurimum cretaceis, testaceis, arenosis limosis particulis refertas; mineralis nomen & actionem suam mutuatur à metallis & mineris ibidem latitantibus, palustris à limoso in-

intestino motu partium ibidem stagnantium, &c. Hinc ex contentis rite examinatis, aquæ illius vires sunt hauriendæ. Lubricæ enim partes aquosæ, facile per diuresin & diaphoresin amandantur, rigidioribus illis perstantibus in sua figura & actione, unde postmodum diversa prodit efficacia.

Aquæ igitur pluviales, nivis, puteales, destillatæ, julapia, decocta mere farinacea, muccilagines, gummata, ramosa crassa in emulsionibus contenta, potus dilutiores subacidiusculi, leviter austero-acidiusculo succo scatentes, &c. hanc formant classem.

Aqua pluvialis & destillata, simpliciores sunt, utpote minima terræ copia oneratæ, ideoque meram dilutionem procurant, partes salinas & oleosas disjungendo, rigiditatem tollendo, motumque nimium compescendo. Hisce adjungendæ sunt aquæ frigidæ dictæ, volatili acido taliter qualiter à Pharmacopæis impregnatæ, subtilissimisque anodynis effluviis impregnatæ, ut aqua endiviæ, lactucæ, portulacæ, plantaginis. &c. Aqua nivis, nitroso aut ammoniaco sale fœta, has sequitur aquas, in compescendis humorum motibus. Aqua putealis & fontana, biliosis motibus acribus sedandis dicatæ, magis terrestrem secum vehunt saburram, unde constipant poros fluidorum, salibusque oleaginosis repagula inferunt, ita ut eminentias acutas non tantas offerre possint. Insuper modificationes & præcipitationes varias offerunt, in sua miscela cum illis nimium salinis, unde citius atrocia tolluntur symptomata in morbis ardentibus. Hoc patet in solutionibus salinis, præcipitandis seu turbandis cum aqua puteali aut fontana, ut & in conquassatione oleaginosorum corporum cum iis aquis, crassior enim semper evadet mixtura, quam cum aquis pluvialibus & destillatis. Palustris aqua rarius interno usui destinatur.

Julapia sunt compositæ aquæ, ex levibus infusionibus & syrupis conflatæ, qua miscela etiam differunt à præcedentibus. Ad hunc usum grata adstringentia, & blanda muccilagine instructa sumuntur, ut Flores rosarum, violarum, borraginis, hordeum mundatum, radices scorsoneræ, lappæ majoris, &c. quibus syrupi limonum, violarum, rosarum, &c. affunduntur, post colaturam. Infusiones ejusdem notæ fieri queunt, si teneriores extractiones partium terrestrium expectamus.

Decocta fiunt, ubi graviores requiruntur corporum moles aquæ innatantes, mediante fortiori ac diutius continuata agitatione evehendæ ex carceribus suis. Hinc pro intentione Medici farinacea crassa, muc-

cila-

cilagineum corpus referentia, hæc ad ministeria invocantur, ubi nimia adest acutorum extricatio, læsiones plurimas inferentium, ut hordeum, millium, amylus, radix althææ, malvæ, tussilaginis; semina frigida dicta, lini, papaveris, portulacæ, &c. His etiam cum decoctis, emulsionum vires concordant, iisdem enim vitiis opitulantur, quæ ex supranominatis mediante contusione, cum aquis convenientibus parari queunt.

Muccilagines, Gelatinæ, & gummosa pleraque initiora, sedando motui ancillantur, inviscando illa olea spiculis maximopere armata, hisce oblongis mollibus particulis undique irretienda & incarceranda. Pro differentia mechanicæ texturæ, & contentorum salium maxime alcalinorum, variant eorum vires. Noxiæ autem cum non sint, sed partim potius in bonum convertantur chylum, ideo diutissime talium usus continuari potest, quod de aliis medicamentis ita pronunciari nequit. Imo in quibusvis, tam calidis quam frigidis morbis, sine ullo metu præscribi queunt, satis magno Ægrorum commodo. Salia enim volatilia cum in plerisque adsint, unita oleis crassis, semper proficiunt, nunquam obsunt. Sic in calidis morbis, motus sedatur, partes limphaticæ resocillantur, dolor mitigatur, per crassas aqueas mucagines, in frigidis, aciditas austera infringitur, balsamicæ particulæ redintegrantur, aquosa vappescentia præcavetur, per salinas oleosas molles terras. Sub horum vexillo etiam militari videntur anodyna, & opiata, utpote quæ dolores sopiunt, somnumque blandum inducunt, post moderationem limphæ acris extemporaneam. Ea namque subtili volatili mucagine salina nobilitata apparent, immediate limphæ tenuiori sese admiscenti, illamque in nervis ipsis modificanti. Illud patet in opii spiritu, effervescente cum quovis acido, instar spiritus salis ammoniaci. Hoc confirmant etiam spiritus volatiles sulphurei mineralium, anodina qualitate instructi, ut spiritus vitrioli sulphureus, spiritus martis, &c. Idem testantur effluvia rerum fermentantium, & halitus copiosi florum teneriorum, somnifera qualitate conspicua.

Subacida leviora hanc subintrant classem, ut & muriatica, quoniam salium volatilium motum & aciem refrænare solent. Acredo autem, unice oriunda à dispositione illorum spiculorum in levissimis hisce terris oleosis, optime compescitur, per coagulationes leves, quas inducunt hæc acida, unde obtusior, & ad motum minus apta corpora illa condensata redduntur. Multum differunt & hæc inter se, prout nempe astrictio, austeritas, oleaginositas, &c. compositiones hasce effecerint, huic aut illi motui ineundo aptiores. Sic mustum aperit, ea enim quæ in fermentationem prona sunt, aperiunt, id est, humores ad

inteſtinos motus & dejectiones varias diſponunt; vinum minus reſerat ſi acidiuſculum ſit, omnique fermentabilitate ſpirituoſa privatum, acetum adſtringit. Plurima talia poſſent recenſeri, quæ ex uno eodemque ſinu, contrarias proferunt actiones. Quo major adſtrictio expetitur, eo magis ad acidum vergere debent illi ſucci, ope motus inteſtini rigidiores facti. Hanc claſſem complent, ſucci ribeſiorum, granatorum, limonum, cydoniorum, berberum, omnium immaturorum fructuum, ut uvarum, pomorum, pyrorum, mororum, &c. qui diluuntur cum aqua, aut ſacharo edulcorantur ad uſus debitos.

Hæc præcedentia morbis calidis dicata, violentis nervorum motibus & doloribus ſuccurrunt. Vomitus & inflammationes ſiſtunt, & quamproxime ad naturales noſtros motus accedunt, ideoque rarius niſi in quantitate peccare queunt, præſertim ubi acredo limphæ concitatiori pede humores procedere facit. Aqua enim repere cogit particulas, in longum magis diductas. Terra tereti figura inſtructa, jungit corporum moles, illas quaſi conſuendo filamentis ſuis, vel irretiendo in ſuis cellulis reticulari modo cohærentibus. Sal debilius ac enerve ibidem latitans, pondus auget potius quam diminuit, in aliis oleoſo-ſalinis velocibus particulis, ſubacidæ enim plerumque eſt indolis in vegetabilibus; animalium autem partes mucaginoſæ, ſal alcali comprehendentes, ad muriaticam in ſtatu naturali accedunt indolem, nec ita volatilia in iis gelatinis reipſa exiſtunt, ut poſt deſtillationem decarcerata illa ſeſe ſiſtunt. Magnum attamen exinde emolumentum prodit, quoniam facile per illa interna ſalia tenuia dividuntur mucagines, eæque diviſæ limpham noſtram nullis modis turbant, ſed eam potius confirmant, imo in alimentum ipſi, æque ac in medicamentum cedunt, ut experientia in ſanioribus, gelatinis talibus utentibus, edocet. Hujus generis ſunt oſſa, ungulæ, cornua blandiora. Hæc pro re nata veniunt applicanda & præparanda, nempe vel diluta mediante coctione, aut in pulvere. Intentio enim ſi fuerit, ut diu perſiſtant in ſuis actionibus, ſub forma pulveris tenerrimè limati ſunt propinanda; ſecus autem debili exiſtente Ægri ſtatu ſub forma gelatinæ deglutiri debent.

Salina-oleoſa ac ſpirituoſa, ſecundam remediorum claſſem ſtabilientia, ſunt particulæ exiliores minimæque molis, maximi vero motus. Rariſſimæ inſuper ſunt texturæ, ad figuram ſphæricam tendentes, ac ſuperficiecularum independentia ſumma gaudentes. Hæc æthereis motibus obedientia, loca ſua indeſinenter mutare coguntur, ſimul etiam obvia graviora ita perterebrantia, ut in plurimis lateribus perviam ætheri

ac aeri ingruentibus concedant viam, posthac aqueis particulis crypta illa excavata subrepentibus, unde fluiditas. Calorificæ particulæ, primarium hic locum sibi vendicant, quæ in oleis sale tenui gravidis latitant, per motum intestinum egerendæ.

Salia alcalina, tam fixa quam volatilia, hujus farinæ sunt, non autem acida nec muriatica, nisi in quantum illa esse possunt oleosa. Alcalia fixa, luctam cum acido-muriatico in limphaticis humoribus oberrante, motus hosce procurant, ad sudoriferos halitus procedentes. Hæc terrestrem nexum discontinuando, ex meatibus illis reseratis educunt inclusa salia-oleosa, quæ sui juris facta & undiquaque æthere magis cincta, progressivos instituunt motus, tam in reliquas fluidi quam solidi texturas, non sine alteratione continuandos. Salia volatilia per se in motus prona, extempore limphæ succurrunt languescenti, eam mixtura sua beantia. Mucagines fluidiores reddunt, inflectendo illas fibras, & dividendo teretem illam cohæsionem, unde postmodum ad oleaginosum vergunt statum. Solidiores autem ubi existerint terræ induratæ nexus, salium volatilium usus minus proficuus observatur, quoniam mobilitate sua, instar pilæ in parietem jactæ, resiliunt, aliquid fluidi oleosi & aquosi in extimis superficiebus deradunt, & hoc modo illas duriores efficiunt. Fixa igitur in tali casu præferenda, diutius in arietatione sua persistentia ac instar cuneolorum agentia, donec vias idoneas aperuerint pro salibus volatilibus, postmodum in usum trahendis.

Inter hæc salia, unaquæque nempe in suo genere, paucissima observatur differentia, in viribus & dosi. Ratio est, quoniam omnes fere eodem motu & artificio parantur, terrestri mechanica structura ad idem redeunte. Calcinatione posse obtineri cineres, easdem herbas, flores, folia, &c. procreantes, credam ubi tale quid demonstratum fuerit, saltem mihi pluries illud tentanti non successit. Illud vero in eorum gratiam, qui suis delectantur erroneis inventis & opinionibus, proferam, me ex cineribus absinthii produxisse absinthium, sequenti modo. Recipiebam cineres absinthii in satis magna quantitate, eos humectabam rore ex absinthio collecto, tamdiu donec numerosissima absinthii ejusdem proles germinaret. Magnum ecce Chymicorum miraculum! Totum autem hoc germen, seminibus rori illi intermixtis debebatur. Aliorum inventa si meliora sint, manus illis dabo me, convincentibus. Aliqua si concedi deberet inter hæc salia varietas, illa diligentius quærenda esset in terra fixiori, quam hucusque paucam aut fere nullam observavi in fixis optime calcinatis. Volatilia omnem mutuantur modificationem ab oleis,

ſeu leviſſimis terris ; in pleriſque uſualibus non admodum diverſificatis. Olea enim, ut color ſubſiſtat albicantior, quantum poſſibile, à ſalibus ſegregantur per acida aut muriatica ſalia, aut per ſpiritus ardentes, unde ferme ejuſdem notæ ac valoris evadunt, in pretio attamen differentia. Sic fixa alcalina, primo elixiviata ubi fuerint, ob carbonum, non rite calcinatorum, tincturam ſulphuream haud ſemper contemnendam, virium admittunt diverſitatem. Illud etiam in hoc medicamentorum genere ſilentio non involvendum, acidum ab iis enervari, perſtante ſalina figura, in muriaticum volatile verſa. Hinc actiones ſalinæ, admodum neceſſariæ in regimine noſtræ Oeconomiæ, durant ; aliam tantum diſpoſitionem acquirentes, quod dici nequit de mucaginoſis multo, minus de terreſtribus alcalinis. Mucagines enim undique inveſtiunt illa ſalia, ita ut non amplius inſtar ſalium agere poſſint, ſed ut ſulphur commune, acido copioſiſſimo quamvis dotatum, Balſamico modo procedere neceſſitantur. Terræ à ſalibus corroſæ, aciem illorum hebetant, inſuper ſuo modo adaptant, donec ſecundum nutum terræ admixtæ, ſuas abſolvant operationes. Illud etiam hic & alibi notandum, alcalina quævis ſalia ad nutum acidorum diſponi, terras autem, quamvis aliquo modo alteratas à diverſitate acidi, maxime immutare ipſa acida, ut patet in experimentis Chymicis. Ex hoc fonte prodeunt omnes effectuum ſucceſſus, prout alibi monuimus. Hæc ſcientia maximi ponderis eſt, pro rita directione medica, ſi enim ſalia permanſerint, motus & ſenſus integri valent, tam in primis quam in ultimis viis ; ſi ſtupor nimius concilietur illis punctis, enervantur ſimul ac ſemel pleræque functiones.

Olea cum ſint terræ leviores ramoſæ, undique ſalinis ſpiculis armatæ, præſertim ubi recentia ſunt, multum conferunt fluiditati conſervandæ, ſua ſphærica figura, acie, ac tenuitate partium. Hic olea accerſimus ſtillatitia, & acria naturalia, ut & odorifera ſubtilia. Reſinæ, utpote olea indurata, huic etiam numero ſubjiciuntur, modo facile per motum diſſolubiles exiſtant, acri odore & ſapore conſpicuæ. Balſama volatili oleo gravida, ejuſdem notæ ſunt, in quantum lympham noſtram attenuare queunt, eamque inſtruere poſſunt extricatis illis oleis. Diuturnior eſt efficacia horum oleorum, quam ſalium ob duas rationes, primo quoniam non ita facile fugantur nec intercipiuntur, ſecundo quoniam reſpectu terræ artificioſe diſpoſitæ, modificationes actionum plurimas continuare poſſunt. Primum confirmatur per multiplices experientias, ſic ſalia volatilia millecuplo citius pereunt, in vaſe aperto detenta, quam olea, ſalia fixa à quovis acido aut terreſtri craſſo corpore abſorbentur &

per-

pereunt in sua activitate, quod ab acidis aliquibus & fortissimis contingit in oleis domandis. Secundum patet in actionum ipsis differentiis, quas non ita sensibiles nec obvias habemus in salibus, deinde ubi observamus cum una olei gutta, uncias aliquot liquoris odore, ac sapore posse infici, tandem illud distincte satis evincunt, oleorum activitates multiplicatæ per salia spirituosa, iis artificiose juncta.

Non mirum igitur si in tenuia effluvia redactum oleum, ubivis occurrens tenui limphæ, in nervoso genere oberrantis & salinæ extricatæ, per motum intestinum, materiæ, vires suas quasi redintegratas & exaltatas, semper de novo proferre videatur, quamdiu illius texturæ integra perstiterit figura. Hæc etiam est ratio, quare ad remotiora loca vehantur illa corpuscula illæsa, quod de aliis dici nequit, ut patet in diureticis oleis, etiam urinas inquinantibus. Duplici modo hæc agunt, 1o ratione tenuium salinarum partium, 2o. ratione crassioris residuæ balsamicæ terræ. Prima operatio, in ipso sese format motu interno incipiente, ubi exprimuntur fluidissimæ particulæ per calorem. Secunda fit post fugam vel expressionem illam, coalescentibus nempe terrestribus fluido interno potiori privatis.

Diversissimæ sunt actiones horum corpusculorum, diversis per vias & modos agentium. In genere movent, concutiunt, & decutiunt particulas agitatas. Hic motus si respiciat ipsam limphæ attenuationem, serique ibidem contenti exaltationem, transpirationes cutis copiosæ & sudores plurimi subsequuntur, per glandulas cutis nimium reseratas in suis poris. Limpha fortius in sero suo gravi depressa, vasorumque urinariorum tubulis patentioribus factis, diuresis frequentior enascitur, cum graveolentia ipsius urinæ. Balsamicarum partium limphaticarum contextus, ubi per hæc medicamenta multum destruitur, ob acredinem malignam, motum intestinum violentum inferentem ac nervos lacessentem, oriuntur vomitus & secessus, ex illis corruptis moleculis & salibus forti nisu amandandis. Hæ actiones gradu differentes, multum variant, pro constitutione ipsius remedii & corporis recipientis hasce miscelas. Quo enim limpha acrior, salsuginosior & fluidior existit, eo fortiori cum impetu hæc procedunt effecta, è contra languidæ magis actiones observantur in ejusdem insulsa, vappida & crassa consistentia.

Præter has visibiles operationes, dantur etiam quasi insensibiles reactiones plurimorum benigniori figura gaudentium, quæ nempe disjungere nexus non ita valent, ac præcedentia. Hæc variis denominationibus apud Authores prostant, quamvis unum in scopum fere collimantia, ut sunt cardiaca, stomachica, cephalica, uterina, & cætera singulis

fere partibus & morbis dicata. Si autem attentiori hæc profequamur judicio, fingula hæc remedia ore affumpta, mifcelas falivæ, limphæ & reliquorum humorum fubire neceffario coacta, plurimas hic illic mutationum vices fubire debent, antequam ad partem affectam pertingant, unde actiones admodum alteratæ fefe proderent, fi illa abfolutè, per illam quam nunc poffident figuram operarentur, quod impoffibile effet in remotis locis, ob remoras fupradictas. His incommodis accedit altera fufpicio, fi illis non aliis partibus benefica remedia, quomodo reliquæ partes aut immunes ab ipfis perftarent, aut non læderentur in progreffivo motu, nam fæpius fat violentæ funt in fuo motu & penetratione, ut olea empyreumatica, falia volatilia fœtida, olea effentialia acria, &c. Majori igitur cum ratione, fententiæ huic affentimur, hæc gradibus differentia, magis minufve in fua figura & actione conftantia, proferre levi cum varietate operationes, fibi invicem in plurimis circumftantiis convenientes. Limpha, princeps minifterium poffidens, noftræ Oeconomiæ fauftos vel infauftos offert fucceffus, ubi intra terminos fuæ mechanicæ conftitutionis partium balfamicarum retinetur, vel extra eofdem dejicitur. Hinc enim iliada refultant malorum, Pandoræ pixidem verius dixeris, ubi ad motum auctum, vel imminutum, vel, ut Medicum accerfam vocabulum, depravatum tendit, quæ fuperius breviter tradita, non opus eft ut hic repetamus. Hæc limpha, fi ab acribus benignis oleofis incitetur particulis, primis in viis actiones fuas incipientibus, nominantur ftomachica. Si blandiora fint corpufcula, lento fed grato motu procedentia, limpham fluidiorem effecerint, nervofumque genus balfamico illitu refocillatum exftiterit, per cardiaca & cephalica has operationes obtineri autumant. Si guftus & odor arriferint, in hifce blandis oleis, cardiaca nuncupantur. Si oleo penetrans adfit fal, fefe odore gravi manifeftans, acidas limphæ partes mortificans, craffioraque ejus coagula & obftructiones refolvens, uterina, antiepileptica, antifcorbutica, antiparalitica, antapoplectica, &c. dicuntur. His igitur non amplius immorabimur.

Spiritus ardentes, compofita feu mixta videntur corpora, ex fale tenui & oleo, fimul coalitis in unam quafi maffam fluidam, cum aquæ levioris magna portione. Hi igitur medium tenent inter olea & falia, ac pro diverfitate oleaginofæ mixturæ variare poffunt. Cito fugax eft eorum, ut & volatilium falium vis, ob teneram eorum molem concomitantem celerrimum motum. Hinc limpham valde exagitant, attenuant ac volatilifant, imo fi incaute adhibeantur, porofam nimis redditam limpham

pham depauperant, id est, spiritibus salinis necessariis privant, ut patet in vino adusto abutentibus.

Essentiæ, tincturæ & extracta subtiliora chymica; huic classi etiam inserenda veniunt. Liquorem si respicias, is debet ad hosce usus excellentiores, ex spirituosis ardentibus & alcalinis volatilibus parari, ut omnibus satisfiat requisitis. Tot sunt diversitates horum fluidorum medicamentorum, ut vix in parvum reduci possint catalogum. Sufficiat hæc differre inter se, pro terris aut quibusvis corporibus solidis, in fluiditatem ope liquorum reducendis, de quibus brevitati studens hic ulterius agere non est animus. Insuper notabiles occurrunt differentiæ, à liquoribus salinis adhibitis in eorum dissolutione. Dispositionem enim, quam obtinuerunt, hæc solida ab acutis fluidis dividenda, triplici modo esse alterandam observabit unusquisque, dummodo sequentes perpendat circumstantias, in hisce actionibus perpetuo obvias.

1. Omnia corpora discontinuanda, à salinis spirituosis ac fluidis divortium suarum superficierum admittere, unde moles eorundem semper minores fiunt.

2. Hasce moleculas divisas, instar ramentorum avulsorum existere, admodum inter se differentium. Nam ut differunt inter se instrumenta mechanica scindentia & pungentia, sic & salia acida, alcalia, muriatica. Sic igitur, ut securis, lima, serra, & reliqua, ramenta decussa maximopere discrepantia offerunt, ita etiam ipsa salia, moles magis minusve extensas præbent, hoc illove modo coordinatas.

3. Hasce divisas particulas compositas magis existere, tam ratione salis quam terræ. In salibus enim suæ circumvehuntur terræ, ipsis terrarum dissolvendarum poris adaptandæ, (alias enim ingressus ad solutionem necessarius prohiberetur) unde non minimi momenti alteratio succedit. Salia etiam annexa, illis per se immobilibus corpusculis, dissolubilitatem & motum eorum promovent, ita ut limphæ nostræ intimius communicentur, ad actiones ineundas, quas sine horum auxilio nunquam possent edere. Hæ autem actiones multiplicatæ visuntur, singulæ enim superficies ad independentiam reductæ, singulas exerunt figuras & actiones sui generis. Non mirum igitur soluta corpora, efficaciora esse solidis, quoniam actionum augmentum ex illis superficiebus auctis, singulis nempe suo jure utentibus, procedit. Hinc vires, usus & dosis admodum variant, pro dissolutionis modificatione, & reliquis apparatibus Chymicis, ut ulterius patebit in formulis remediorum præscribendis.

Aquas officinales simplices dictas, non proponemus, quoniam calidæ

dictæ,

dictæ, omnem mutuantur efficaciam à mixturis salino-oleosis, iisdem innatantibus, quibus si spoliatæ existant, viribus etiam calefaciendi exuuntur. Aquæ vitæ, theriacalis, antihysterica, &c. ad spiritus ardentes oleaginosos & ad tincturas referri possunt.

Mera terrestria quamvis rarius concedantur, quin aliquam saltem salinam contineant substantiam inclusam, hic tertiam classem componunt. Sub hoc vexillo militantur omnia corpora solida, flammam & solubilitatem in aqua negantia. Infinita est horum diversitas, situs enim nexus & ordinis ut variat, sic etiam pori & superficies distinctæ sunt, & per consequens actiones multifariæ inde proferuntur. Horum vires occultatæ tamdiu jacent, quamdiu à solubilitate arceantur, ideoque ex hisce salinis factis, potestates eorum manifestantur.

Præcipuæ agendi vires, tres sunt 1ò. deleteria aut venenosa qualitas, 2ò. purgatrix energeia, 3ò. inviscationis seu incrassationis efficacia. Veneni malignitatem obtinent ubi rigida hæc corpora, valde uncinata & acuta eminentia sunt instructa, constantia in suis figuris & actionibus malignis. Malignitas autem exinde palam fit, ex limphæ inversione in quibusvis humoribus, sese manifestante cum totali destructione balsamicæ figuræ & convulsionibus nervorum. Hæc quo magis incitata fuerint per salinas miscelas, eo vividius agunt in ruinam machinæ festinantia, quo magis salibus orbata, aut intricata exstiterint in crassiori involucro innoxio, eo minus venenosas exhibent malitias. Cujus exemplum, in arsenico oleis crassis involuto paucissimas vires proferente sat insigne ac sat magnum prostat, ut & in aliis venenis, per antidota oleosis stipata.

Proxima venenis, sunt ea quæ purgantia dicuntur, nam gradibus tantum ab iis differre videntur, destruunt enim contextum limphaticum, motusque ferociores inducunt. Hæc motu differre inter se, nullum relinquunt dubitandi locum, sed an specifice hos aut illos tantum purgent humores, valde ambiguum aut potius falsum est. Dejectionum mutationes, parum huic sententiæ stabiliendæ contribuunt, nam eadem quamvis particulas deponentia post miscelas, plurimis modis colores & consistentias mutata offerunt, denuo in easdem congeries, sublato nempe corpore modificante, reducibilia. Hinc pro constitutione activa purgantium, limphæ mucagines alteratæ sese sistunt, dejiciendæ per os & alvum. Terrestria indissolubilia quamdiu sunt, purgantia dici nequeunt, nimis crassa enim sunt quam ut intra poros limphæ subingredi, vel nervos ipsos afficere possint, ideoque ut assumpta sunt excernuntur. Testes sunt, mineralia plurima ac metalla intrò sumpta, in satis magna quan-

quantitate, nullas actiones proferentia. Particulis etiam tenuioribus, citissime salinis sese associantibus privata, & per consequens non solum alterata, sed insuper indissolubiliora facta, vires deponunt purgantes; ut patet in Antimonio diaphoretico; imo venenosa qualitas sæpissime talibus mediis tollitur, quod testatur arsenicum fixum. Liquores salini, admodum etiam noxii aut proficui in hisce viribus determinandis; nam prout superius inhuimus, moleculæ terrestres varias conformant texturas in sua miscela, æqualem aut inæqualem figuram, &c. exhibentes, unde actionum ideæ derivantur variæ. Sic Spiritus salis communis antimonium reddit corrosivum, idem vero spiritus dulcificatus per spiritum vini, tincturam benignam extrahit. Sic tartarus crudus, pulveribus purgantibus commixtus purgandi vim augebit, sal ex aceto vulgari confectus tartarum æmulans, purgationem sistet, præsertim si cum spiritu vini digestus fuerit.

Sudorifera vis nulla est in meris terris, nisi quatenus porosis & facillime dissolubilibus. Limpha, ad muriatici salis copiam accedens, per ingressum horum alcalinorum terrestrium corporum, fortius concutitur motu intestino, unde in halitus subtiliores partim resoluta, efficacius glandulas subcutaneas aperit, sero tenui exitum concedentes. Hinc sudores tamdiu eliciuntur, quamdiu illæ permanent luctæ intestinæ; illis autem sublatis, postquam muriatica acida sublata fuerint, sudorifera vis disparet, imo posthac molestiam creant terrestria oneri futura. Acredini etiam præsenti medentur hæc medicamina, in quantum illas nimis tenues & mobiles infarciunt particulas, acieique nimis extensæ & eminenti obducuntur. Diuresin eâdem ratione promovent, ubi nempe in sal muriaticum coguntur, una cum acido limphæ sero; graviori hac methodo facto, & ad renes amandando. Summopere igitur conducit, ut de solutionis modo certus sit Medicus, addere salia muriatica terris propinandis, hac tamen cum cautela, ut illa mixtio sicca permaneat, diluenda in ipsa administratione. Salium activitas, hac præcautione impedita, reservatur ventriculo recipienti immediate factam mixturam fluidam, tunc demum operantem, excellentiori motu & modo sese in omnes partes vibrantem. Prima enim illa, per blandam effervescentiam producta, effluvia, omnem fere notam absolvunt, quod nunquam post finitam illam agitationem ex spectandum. Hæc non solum in diureticis, sed & in diaphoreticis observanda, ut & in purgantibus, si ulli solutionum motus sese ex illis miscelis offerant. Mutatæ sæpius, imo contrariæ aliquando, prosiliunt operationes post illas pugnas sedatas, unde infidi dependent medicamentorum successus. Sic purgantia & diuretica

exhibita in liquore adhuc fermentante, duplo fortius vires suas proferent, post fermentationem finitam spirituosus liquor sedabit purgandi vim, ad acetum idem vergens liquor pro maxima parte tollet purgationem. Idem statuendum de salibus siccis, inclinantibus ad motus intestinos, aut abhorrentibus ab iisdem, quoniam in priori casu, tenues in moleculas fluidiores corpora reducuntur, in posteriori graviora & densiora minusque fluida evadunt, limpham vix in suis poris afficientia.

Astrictio vulgaris est in terris, crassiores enim reddunt mucilagines oleosas limphæ, unde lentorem adipiscuntur scabrum, vasorum contractionem fortificantem & secessum partium difficiliorem reddentem. Dantur autem varia simul aperientia & astringentia, quæ nempe salina austera existunt, oscula vasorum constipantia, superficiesque internorum laterum scabra & aspera reddentia, unde validius contractiones illæ subsistunt in hisce primis viis, in ulterioribus autem vasis pressa fluida contenta locum derelinquere coacta, fortius expelluntur, ut patet in solutione austera mineralium & metallorum astringentium & simul purgantium, ut & in plurimis vegetabilibus purgantibus. Ea autem quæ magis sunt crassa constipantia, terrestrem benigniorem seu obtusiorem figuram obtinentia, mere astringere dicuntur, quamvis in principio semper aliquid expurgare observentur, saltem in Ægris nondum languescentibus, ubi nempe spiritus salini subtiliores integri adhuc sese demonstrant, in functione œconomiæ observabiles.

Inviscantur salia, ubi terræ in ipsa solutione molles & mucilaginosæ evadunt, undique obtusam & planiorem superficiem exerentes. Hinc vaginarum obtusarum instar, illa corpora sunt, & ad modum in mucilaginosis & viscidis explicatum operationes efficiunt. Hæ prout coalescunt superficies, magis minusve incarcerantes ipsa puncta salina, mitigant, retardant, abolent, functiones omnes naturales & præternaturales. In æstu quovis, & salina præcellenti qualitate humorum, convenientissima sunt corpora, præsertim vigente eorum motu. Diu autem adhiberi, sine detrimento Oeconomiæ, non possunt, hac ratione differentia, à mucilaginosis & balsamicis strictè ita nominatis. Exempla præbent virgunculæ, pallorem affectantes, cretaceorum ac merè terrestrium abusu, menstruorum suppressione, alvo adstricta, appetitu prostrato & chlorosi laborantes. Moderatus igitur usus medicus est, statim enim ab iis desistendum, quamprimum observamus ferociam salinam in humoribus mitigari. Continuatio autem aliqua concedi potest, ad modificationem humorum obtinendam, ubi cum muriaticis aut alcalinis aut acidis levioribus mixta terrestria propinantur,

nantur; tunc enim non tantopere enervantur salini humores limphatici, sensusque perstat immunis nervorum, quibus accedit dulcificatio salium, machinæ nostræ magis convenientium. Quo diutius hæc terrestria in usum vocantur, eo semper dosis addendorum salium augenda, dosis terræ vero imminuenda venit. In morbis frigidis, ubi ad vappescentiam limpha transit, à terreis abstinendum, illa enim oneri non usui sunt, utpote indissoluta limphæ viscidæ permixta, in glebas majores facessentia, quod in miscelis terrestrium cum mucilaginosis aquis patefit. Acidis fixioribus associata terrestria, astrictionem semper aliqualem acquirunt, in morbis malignis calidis, exæstuatione summa nervos lædentibus utilem. Inde magisteria, tantis encomiis apud quosdam Chymicos celebrata, suos tunc temporis habent usus, præcipuè ubi diarrhæa funesta interitum minitatur.

Ex præcedentibus liquet, ipsam medicinam per miscelas absolvi. Illas remediorum adhibitiones, debere dignosci, ut inde resultent rationales experientiæ medicæ, nisi talparum more procedere malimus. Remedia suas proferre actiones, per motum intestinum, quem cum limpha nostra inire coguntur. Illum motum discrepare, pro dispositione ipsius remedii & limphæ, diversimode inter se concurrentium & colluctantium. Hosce motus præsertim à sale derivari, modificationem vero à terris, fluiditatem ab aquis impertiri. Restat nunc, ut ita determinemus remedia, in eorum præparatione & præscriptione, ut majorem agendi notitiam & meliorem usum inde obtineamus. Hanc methodum breviter nunc tantum attingam, ideam levem hic delineans, non perfectum systema tradens.

Remediorum vires, notiores nobis forent, simplicissima ubi remedia præscripta fuissent ægris, illaque rite examini subjecta fuissent. Sed aut inscitia, aut casus fortuitus, aut desperatio, aut pompa, magnificentissimos sesquipedales processus in usum traxere. Hæ remediorum formulæ, pretium non vires medicamentosas, multo minus scientiam medicam augentes, ludibrio passim Medicos exposuere, quævis sine ratione in suis proscriptionibus vel præscriptionibus miscentes, ut viderentur aliquid ardui tentasse, notitiam nominum non virium retinentes. Mixta autem non rejicienda, sed non temere tam larga manu confundenda, ut compilatam farraginem constituant, omnes inquisitiones medicas superfugientem.

Medicamenta simplicia, longo usu in plerisque comprobata, si rite disgnoscerentur in suis diversis effectis, multo majorem nobis lucem afferrent, quare in his Ægris hoc, in illis alio modo, in aliis neutro modo agant, ad quæ optime dignoscenda, limphæ accuratior notitia desideratur.

deratur. Hac etenim miscela, dispositiones mechanicas innumeris modis alterari diximus. Ideoque absque utriusque majori inquisitione, Medicina conjecturalis semper in plurimis circumstantiis erit.

Tandem stimulorum salinorum cognitio, quantum possibile clara & distincta expetitur, ad remedia optime modificanda ac ad motus varios disponenda. Sic etiam aquæ diluentis proportio, perspecta esse debet medico, ut suas dirigat actiones medicas. His diligenter observatis, rationalis methodus medica, experientiæ solidiori juncta, absque dubio celeberrimum constituet Medicum.

Ne quis hic omnes remediorum formulas, à me elucidandas exspectet, illas sequentibus nostris elucubrationibus committimus, ubi experimenta mea ad majorem lucem, hic succincte proposita, evexerint. Obiter tantum ea de re agere mihi proposui, ut ex familiaribus hisce & extemporaneis miscelis ad altiora progressus concedatur.

Duas intentiones medicas, hic tantum proponere libet, de reliquis omnibus mihi silentium erit altum. Prima, exaltationem partium medicinalium respiciet. Secunda, depressionem earundem proponet. Prior igitur motum respiciet, posterior quietem.

Movenda sunt pleraque purgantia, sudorifera & diuretica. In illo motu, insuper sunt modificanda pro re nata. Hi autem motus, semper debent proportionari ad constitutionem limphæ hujus, aut ægri, morbi, tempestatis, & durationis. Purgantia acria ubi nimis sunt & vesicatoria, optime cum acidis mitigata ut aceto, succo limonum, omphacio, succo granatorum, cydoniorum, &c. miscentur & offeruntur, ut euphorbium, granadilla, gutta gamba. Sic etiam diuretica ejusdem naturæ, ut cantharides, vermes majales, millepedes. Hac enim miscela mitiora evadunt, nec tam facile acredinis notam inurunt lateribus vasorum. Stimulanda sunt debiliora purgantia, salibus muriaticis facile solubilibus, ut Tartaro quovis modo parato, unico nempe & sufficienti stimulo, pro omnibus purgantibus lenioribus & satis gravioribus, quorum dosis tantum minuenda venit in hac miscela, ut in scammoneo, aloë. Pro diureticis alcalina fixa conducunt, diureticam acredinem instigantia, vel salia muriatica, ubi blandius procedere debent, ut tartarum vitriolatum, & salia enixa. Purgantia etiam resinosa, spiritu vini dissoluta, in minori quantitate ad usum tracta, citius & fortius purgant, præsertim si spiritus ille salibus armatus fuerit.

Diaphoretica oleosa, alcalinis fixis aut volatilibus incitari possunt, ad majorem energeiam, in morbis frigidis, & malignis convenientissima.

Su-

Sudorifera fixiora & terrestria dicta, muriaticis, aut fixis alcalinis admiscenda, ut motui ac miscelæ convenientiora evadant, minusque onerosa sint ventriculo. Tincturæ bezoardicæ & alexipharmacæ, cum spiritibus ardentibus alcali fixo & volatili nobilitatis, sunt conficiendæ mediante digestione, donec faciles non ineant præcipitationes in aliis liquoribus aquosis, sic enim limphæ nostræ intimius permiscentur. Idem de salibus volatilibus esto judicium. Temperatæ essentiæ & Elixiria, cum muriaticis volatilibus salibus, spiritui ardenti secundum artem copulatis, extrahantur, sic enim incitamenta egregia limphæ salivali adduntur. Antiscorbutica optima, ex hisce spirituosis ac oleosis elaborantur, antivenerea autem fixiores resinosas & balsamicas involventes particulas expetunt, & pro omni stimulo mercurium & antimonium requirunt, saltem in principio hujus morbi sævientis. Adstringentium vires acidis intenduntur, vel oleosis crassis permiscentur, vel anodynis junguntur, ad motum imminuendum, particulas inviscandas, & doloris acutum sensum obtundendum. Antifebrilia adstringentia, muriaticis aut acidis corpusculis jungenda ob rationes datas, stomachica oleosa acria antifebrilia, salibus fixis, muriaticis, & volatilibus alcalinis maritanda. Muccilaginosa quævis & crassa balsamica, salis ammoniaci vulgaris, aut ejusdem artificialiter parati ex spiritu nitri & sale volatili, aut quod optimum ex cristallis tartari & sale volatili confecti mixtura, excellentiora evadunt.

Medicamentorum formulas hic præteribimus, hæc aliis ut alibi dixi, temporibus reservantes, illud autem monebimus, pilulas in lymphæ vappescentia non esse præscribendas, nisi ubi cum spirituoso admodum liquore mixtas offerre lubet. Multa adhuc observanda circa materiam medicam restant, in mixtionibus ipsis, in extractionibus, in coloribus, odoribus, saporibus modificandis, in solidis & fluidis, quæ hic studio omissa sunt. Omnia autem prædicta ad hæc tria reduci queunt, colophonis loco subjungenda.

1. Medicinam institui, per miscelas corporum medicamentosorum, motum intestinum cum limpha nostra suscipientium, eamque diversimodè disponentium, tam ratione figuræ quam molis.

2. Corpora, remediorum classes constituentia, variari eodem modo ut omnia mundana, in omnibus suis accidentibus & apparitionibus, salium & aquarum ope activis, eaque tantum ratione medicamentosis.

3. Motus intestinos absolute dependere, in nostra æque ac in aliis machi-

machinis corporeis, & minimis etiam texturis fluidorum, ab immediato congressu corporum salino-terrestrium, se mutuo penetrantium, alterantium, modificantium.

Hæc ubi serio examinata, rite investigata, tandemque clare & distincte percepta fuerint, absque omni dubio Medicina ita tractata, Artificis successu felici pedem sistet firmum, ægrumque ad beatioris vitæ deducet.

F I N E S.

IN-

INDEX.

A.

Aceti philosophici Præparatio, 79 seq.
Acida ope diversarum Terrarum aliam plane Texturam induunt. 26
non sunt omnis Fermentationis autores. 52. 54
fermentabilia sunt eatenus, quatenus scatent fibrillis viscoso ramosis. 56
non spoliantur ab oleosis & spirituosis particulis. 66
quid sint. 76
prævalentia in mole alcalina aptissima sunt ad effervescendum. 76
quomodo operentur in putrefactione. 91
Acidi spiritus fugacis præparatio & vires, 77 seq.
Acidissimi spiritus cum Metallis non congrediuntur, sed affusa aqua cum impetu devorantur. 81
Acidis Liquoribus conveniunt Fermenta acria. 65
Aciditas ex quibus partibus producatur. 65
Acidorum figuræ differentes maximum præstant usum in remedica. 76. seq.
muriaticorum Vires quæ 124. seq.
Constitutio quæ. 124
partes constituentes. 53. seq
productio quomodo facilitetur. 66
Acidum ad producendum conferunt Tonitrua, fulgura, hypocausta, vasorum commotiones & liquorum cum bacillis conquassationes. 54
Acuta læsio quibus inducitur particulis. 117
Adiaphori spiritus unde proveniant. 87
Adstrictorius pulvis pro conservandis Cerevisiis. 65
Adstringentia quæ, eorumque modus operand. 146
Adstringentium Vires quomodo intendantur. 149
Aer Corpora varie mutat, & aliter quam ignis. 8. 9
magnum est molecularum infinitarum effluviorumq; salinorum recipiens. 39
Crassitie aut tenuitate sua nostros Humorum motus tardat accelerat. 40
quivis non cuivis convenit. 40
terra etiam levi insipida gaudet. 40
omnem intestinum motum perficit. 47
quid ad Fermentationem contribuat. 58. 60. seq.
quibus particulis scatet maxime certis Temporibns. 60. seqq.
Aerem cum aqua concurrere ad alteranda Corpora probatur multipliciter. 47. seq.
Æther vid. Materiam subtilem.
seu aër quomodo Corpora alteret. 108
insufficiens ad alteranda Corpora. 98
cum aëre non mutat Corpora nisi crassioribus corpusculis adaugeatur. 49
secum habet partes salinas, hæ cujus sunt usus? 111. seq.
Albedo ab acidis inducitur. 130
Alcalia quid sint. 76
quomodo operentur in putrefactione.

factione. 91
nunquam fermentantur, quamvis dividant Corpora. 76
Volatilia & fixa non nisi Terris oleosis differunt, aliis tamen terris sociata diverse operantur. 39
Alcalini pulveres à chymicis habiti non effervescunt. 74
Alcalinorum tam volatilium tam fixorum Vires quæ. 139. seq.
Alimentatio non fit per fermentationem, effervescentiam &c. sed species est Vegetationis. 109. seq.
Aluminosum sal oritur ex oleo Vitrioli & Nitro. 27
Analoga & homogenea s. amica quæ dicantur. 34
Animalia & vegetabilia præ mineralibus gaudent superficiebus terreis minus duris, & facilius per motum dividendis. 33
Animalia participant certo respectu de utroque sale. 90
Animalium Constitutio maxime aquea est. 88. seq.
Anisi Oleum & baccarum Juniperi per levem putrefactionem paratum prodest in Affectibus hypochondriacis & chronicis morbis. 94
Antimonii vires per leves miscelas varié mutantur. 126
Antimonium diaphoreticum mediante sulphure in Antimonium crudum reducitur. 25
Appetitus prostati ejusque oblivionis causa quæ. 118. seq.
Aquæ non dantur insulsæ. 100
gradatoriæ unde parentur. 79
Morbos inducentes sunt diversæ. 123
non possunt obtineri simplices, ideò earum Operatio adscribenda terræ salinæ. 135
quàm maxime inter se differunt, tam ratione contenti quam virium. 135. seq.
unde maxime defœcentur. 62
Aqua Motum corporum diversificat. 9
quomodo corpora mutet. 9
unam constituit differentiam corporum. 20
qua ratione in terram vertatur. 20
quomodo oriatur. 21
& terra salis motum modificant. 22
quid sit. 24
cur inconstantiæ sit organon. 34. 35
qua ratione fluat. 40
cur sphæricæ figuræ inducendæ apta sit. 41
causa generationis, alterationis & corruptionis phœnomenorum. 43
quomodo in fermentatione operetur. 58
Aquam purgandi ab Insectis modus. 63
Aquarum Mixturas corrigens & mundificans sal. 62
Aquositas Humorum quos producat Morbos. 131
Arsenicum cur durioribus corporibus intricatum sit inefficax. 33
Artibus potissimum tribus innititur vera Doctrinæ omnis Indagatio. 2

B.

Balsamicæ Vernicis Descriptio. 30
Balsamici Spiritus Descriptio. 30
Boyle locus de Chymiæ corpuscularis promotione laudatus. 4

C.

Cachexia unde proveniat. 124
Calcinatione Plantæ alicujus obtineri posse Cineres, hujus plantæ folia, flores &c. procreantes, falsum est. 139
Calidum Motum quæ particulæ inducunt. 60
Calor æstivus unde provenit? 60
quibus miscelis Corporum produci potest. 86
unde producatur Experimentis confirmatur. 120
non dependet à Motu aucto. 119
Cancer unde oriatur. 124
Carbonum fossilium calor metalla & mineralia alterat aliter ac lignorum, & cur? 8
Catarrhi unde poveniant. 125
Cerevisiæ quomodo bene præparandæ. 64
Chymia quid? 3
consideranda ceu succorum corporeorum exercitium mobile. 5
lucrifera quid? 3
Chymiæ intentio ut plurimum duplex est, Curiositas l. lucrum. 3
Circumstantiæ minimæ sæpe totam variant rem. 75
Coctio Corpora multum alterat. 13
Cogitationes à Corporeis figuris modificari testatur Opum, Mandragora &c. 127
Colores unde dependeant. 46
in diagnosi & prognosi sunt maxime notandi. 129
Colores ex omnibus oleosis obtineri posse probatur Experimentis. 130
flavus albo admixtus quid designet. 131
Condita duabus ex causis integrum retinent statum. 91
Corpora ad quietem vergentia reducuntur ad tres Classes. 122
cur quædam irresolubilia. 98
ætherem s. materiam subtilissimam corpoream quomodo constituant. 21
Composita unde emergant. 101
conservantur à quibus primævum statum obtinent. 108
destruuntur dupliciter. 42
maxime alterantur ab aëre & igne, & quomodo hoc fit? 46. seq.
rarò sunt quieta imprimis fluida. 99
vitiantur dupliciter. 117
semper ab aliis corporibus affluentibus moventur, & cur. 34
omnia sunt mixta. 18
nulla dantur homogenea. 43
Corporum actiones & conditiones sunt diversæ. 24. seq.
actio quid sit seu in quo consistat. 34. 36
actiones præcipue sunt triplices. 35
tarditate l. celeritate variant. 35
dispositio varia edit varios Effectus. 34. seq.
eorumque Actionum investigatio vera res est ardua & difficilis. 18
Philosophis saltem circa corticem hærentibus sordet. 18
investigatio quomodo instituenda. 19
figura & nexus terræ debetur. 25. 28
in quo consistat. 20. 28. 36
Textura in quo consistat.

stat. 21
â Motu oritur. 21
figura qua ratione fit Extensio. 23
variat juxta extensionis differentiam. 23
necessariò actionem determinata. 34
moles maxime confert ad impetum, concussionem &c. promovendam. 76
dispositio quomodo & quotupliciter resolvitur, unde varia phœnomena. 44. seq.
status est l. solidus l. fluidus. 29
solidus debetur mechanicæ crassioris oblongioris teretis terræ dispositioni. 29. seq.
status semper respicit figuræ alterationem. 34. seq.
Corpus in genere triplicis est differentiæ. 19. seq.
nostrum tria diversimode afficiunt. 128
quid sit. 19
quomodocunque tractatum suum servat statum. 20

D.

Decocta quæ simplicia ingrediantur. 136. seq.
Deliria unde deducantur. 118
Diaphoretica quibus junctis exaltentur. 148
Digestiones variæ Corpora successive alterant. 13
cotinuatur Effectus. 6
Diuresis unde fit. 145
Diuretica quomodo stimulentur. 148

E.

Effervescens Liquor nunc gratos nunc ingratos spirat halitus. 83
omnia obstacula maxima violentia diruit. 83
Effervescentia cujus Naturæ spiritus ministrat. 87
requirit aliqualem mixturam aquæ. 75
requirit aptitudinem & convenientiam figuræ corporeæ utriusque. 75
con semper Calorem præsentem indicat. 86
peracta Corpora stillant aquam. 86. seq.
quid relinquatur. 99
non fit, ubi tantum duo corpora miscentur. 72
Effervescentiæ Differentia unde dependet? 86
Effecta & phœnomena. 81
finis, quorsum tendat. 86
Definitio. 72
Principia maxima non sunt acidum & alcali, hoc probatur Experimentis plurimis. 73. seq.
Requisita plurima. 72
signum. 71
violentæ progressiones ob duas causas manifestæ esse debent. 74
Effervescentiam decuplo citiorem producit Corporum asperitas. 73
fieri non posse absque mutua pororum penetratione probatur. 75
majorem constituunt Corpora rigidiora, & calorem

rem nos lædentem excitant, imò sæpe ignivomas flammas eructant. 74
minorem constituunt Corpora molliora. 74
quæ partes subeunt. 99
quæ corpora tollunt. 100
Emulsiones ut fieri debent. 137
Experimentorum fidus l. infidus successus unde? 7

F.

Fæces quid sint, & quomodo operentur in Fermentatione. 52. seq.
f. excrementa quomodo fiant. 115
Farinacea non coqui debent in aqua, nec aqua bulliente obrui. 56
Febres unde oriantur. 119. seq.
Fermentata unde acorem contrahant. 61
Fermentatio plurimis audit omnis actio in motu constituta, sed malè. 49
quid propriè sit. 50
ejus requisita necessaria. 51
fit sola quandoque aquæ dilutione. 52
in quo primariò consistit. 58. seq.
exactum requirit Caloris gradum. 60. seq.
Fermentationem non subeunt mera olea. 56
quæ partes adjectæ promovent. 57
constituentia corpora quomodo comparata esse debent. 58
mire exaltat Tartarus crudus Spiritu Salis artificiose permixtus. 69
omnia alcalia fiunt salina & terrestria. 70. seq.
necantia Experimenta. 70. seq.
eo citius subeunt dulcia, farinacea, fructus subacidi ramosi &c. in aqua solubilia, quo magis aqua obruuntur. 69
subeuntia corpora quæ. 68. seq.
tollunt injecta putrida. 110
Fermentatione peracta quid relinquatur. 99
Fermentationi quando & quomodo additamenta sint addenda. 68
incipienti insecta insunt. 92
animalium & insectorum partes non parent. 63
Fermentationis requisitum necessarium est secessus sufficiens crassiorum fœcum. 56
Motus progressivus duo producit Phœnomena. 59
scopus varius. 63
Fermentativi liquoris aciditas unde oriatur. 59
motus quæ differentia præ aliis. 51
requisita quadruplicia. 55. seq.
vehiculum est aqua. 61
varius â Tempore anni deducitur. 61. seq.
quomodo sedentur 64
Fermentum cujus Usus. 63
quid sit. 52
Fermenti triplex varietas. 52. seq.
vis augetur aromatibus & fœcibus appositis. 54

acidi Descriptio & usus. 66. seq.
Figura sublata tollitur actio. 103
Flores quatenus esse possunt purgantes. 58
sunt teneræ structuræ cito alterantur & corrumpuntur. 58
quo tempore aptissimæ sunt ad fermentationem, & quatenus eam subeunt. 57
Fluida aerem admittentia duplex conjunctum habent phœnomenon. 32
facile sunt mutabilia. 6. 32
quandoque per mutuam miscelam solidescunt cum eorundem deductione. 31. seq.
quæ proprie dicantur. 33
Fluiditas á soliditate breviori partium intertextarum nexu differt. 31. seq.
requisita præcipua 41 cum eorundem deductione. 31
major est vel minor. 33
pleraque aut quævis debetur aquæ 40. concurrente tamen ad sphœricam inclinante Corporis Textura. 41
Fluidorum ad Constitutionem natura & ars multum conveniunt. 6
& solidorum figura & juxtapositio infinite variat. 32. seq.
medicamentorum genera sunt perplurima, sed differunt tantum pro terris aut quibusvis Corporibus solidis in fluiditatem ope liquorum reducendis. 143
Fimus vacinus l. equinus aptus ad putrefactionem inducendam Vegetabilibus. 95. seq.
Formarum origines sunt multiplices ob ortum suum. 17
Frigus hyemale quomodo mutet Corpora. 12
quibus miscelis corporum produci potest. 86
non est imminutus motus probatur experimentis. 119
unde producitur. 120

G.

Gallæ ferri solutiones nigrescere faciunt. 26
Gangræna unde ortum sumat. 124
Generatio vid. Vegetatio.

H.

Heterogenea & peregrina quæ dicantur. 34
Homogenea & analoga f. amica quæ dicantur. 34
Corpora vix dantur. 114
Humorum Circulatio quomodo in Corpore nostro perficiatur. 113. seq.
diversitas unde derivetur. 114
Analysis. 115
Alterationes unde dependeant. 115
Hydropis causa quæ. 122
Hydropicorum aquæ planè diversæ. 123
urinæ planè sunt diversæ. 123
Hydropicos alterare possunt Lunæ phases. 122. seq.

I.

Jactationes Corporis unde deducantur. 118
Ignes artificiales unde? 10
Ignis Corpora variè mutat & aliter ac aër. 8. 9
violenti & subterranei origo & phœnomena. 82. seq.
Imaginationes quomodo deducantur?

tur? 118
Infusiones ut fieri debent. 136
Inviscantium Medicamentorum modus operandi. 147
Julapium quid sit. 136
quæ simplicia ingrediantur. 136

L.

Læsio acuta quibus inducitur particulis? 117
Læsionis post terrestrem alteratum nexum Effecta sunt tria. 117. seq.
Latrinæ diu non apertæ aere l. candela accedente cur inflammentur. 10
Limonum Fermentatio extemporanea. 57
Lingua mucagine alba obsita quid indicet. 132
siccior penuriam aquæ indigitat. 132
flava quid denuntiat? 132
nigra quid designet. 132
Liquores arcanos & Tincturas eruendi secretior modus descriptus. 12
dantur diversi in nostro Corpore. 113
Lunæ phases alterant notabiliter hydropicos. 122. seq.
Lympha volatilis unde obtinetur. 117
quibus induretur miscelis. 123
princeps ministerium possidet, & nostræ œconomiæ faustos & infaustos successus offert. 142
in se habet particulas Corpus disponendi ad certam modificationem. 110
Lymphæ Virtutes, locus secretionis, ejusque in tres Classes divisio. 116. seq.
usus in Ventriculo quis. 109

M.

Machina humana diversos in se continet liquores, hi unde proveniant diversæ sententiæ. 111
Machinæ humanæ naturalis tumor unde dependeat. 117
quæ sit Constitutio. 107. seq.
qua solidæ, ex fluida & tenella mobili partium congerie ortus. 108
eosdem motus in se habet ac reliqua Corpora. 108
Massæ dantur majores minoresve, quæ semper ad oviformem structuram tendunt. 112
Massarum Constitutio. 112
Materia subtilis est Sal mundi spirituosissimum. 22
una & in quo consistat. 37
noxia cur esse nequeat. 37. seq.
quomodo fiat. 37
peregrina & inimica quomodo fiat. 37. seq.
actionibus salia æmulatur diversis terris copulata. 38
Medicamenta in tres Classes distinctas dividuntur. 135
hæc triplicia triplicem habent operationem. 135
ut rite dignoscantur requiritur lymphæ accuratior notitia. 147. seq.
suas proferunt Vires per motum intestinum cum lympha nostra initum. 147
agunt pro modificatione illius miscelæ salinæ terrestris, quod

quod prolixe experimentis probatur, 134. seq.
unde promoventur & absolvuntur. 48
quomodo operentur. 128, 134. 149
quid sint. 134
Medicamentorum operationum notitia generalis. 149
Medicina per miscelas absolvitur. 147
tria investiganda proponit. 107
Medicus sectæ spagyricæ adhærere non debet. 19
Melancholiæ natalitia. 127
Menstrua salina acida in solutione Metallorum & mineralium evomunt spiritus volatiles nobilitatos tamentis illorum Corporum, quos solverunt. 79
Menstruorum salinorum diversitas debetur diversitati contextus salino terrestris. 26. seq.
Mineralia ab aere variantur loci & temporis ratione. 7
maxime habent partes duras. 89
aeri exposita dimittunt gratum spirituosum liquorem, sæpius coloratum. 7
prius tamen pulverisata dant solutiones intrinsecus. 12
Miscelas Corporum ut probe sciat Medicus, necesse est. 145
Mixtorum Corporum Mixtio quomodo fiat. 28
Moles est terræ congeries. 25
Morbi Definitio. 117
Causa quæ. 117
dependent ab alteratione motum molem & figuram conturbante. 117
lenti, tardi, chronici unde oriantur. 131
Differentia unde dependeat. 121. seq.
contagiosi unde oriantur. 121
ex infarctu quomodo generentur. 122. seq.
Morbos frigidos nec dolor nec calor concomitatur. 127
Morborum generalium duplex classis. 117
frigidorum Symptomata quæ. 126
calidorum & acutorum causa, eorumque divisio. 121
externorum e. g. inflammationis, Eresypelatis &c. causa. 127. seq.
Motibus intestinis peractis relinquuntur salia. 99
Motui debetur Corporum compositio. 8
alteratio. 13
Motus specierum à chymicis annotatarum recensio & examen. 14. seq.
Motus specialioris indagatione spectantia præsupposita. 10
corporibus inducitur ab extraneis admissis. 7
differentiæ in certas classes dividi possunt. 13
diversitas unde fluat. 8
naturales & artificiales easdem motus leges observant. 17
quid sit. 20. 24. 34
effecta sunt innumera. 20
corporum semper fit cum attritu terræ connectentis. 32. seq 34
corporum in triplici potissimum actione consistit. 35
propulsivus & externus quis dicatur. 36
stricte loquendo semper est progressivus. 36
propulsivus quomodo se gerit

in mutatione Corporum. 48
intestinus & progressivus quomodo inter se differant & quomodo operentur. 49. seq.
omnes intestinos excitant humidum & calidum. 81
unde producitur? 98
Corporum mechanicas subeunt leges. 98
dependet â varia structura. 98
Corporibus semel inductus nunquam plenariè cessat. 99
est viciniæ corporum mutatio, hoc axioma generale non sufficit. 101
intestini in diversa tendunt effecta. 101
leviores mediante fluido quomodo fiant. 106
horum differentiæ specificæ. 97. seq.
nimios sedant muccilagines, Gelatinæ & gummosa mitiora. 137
maximos proferunt Salia & Ventus. 85
Mucagines in plerisque morbis maximi sunt Usus. 137
Muci Vasorum lateribus adhærentis Usus. 119
Mundus totus Corporibus abundat perpetuò motis & in se invicem agentibus. 37. 39
Muria post præviam in aëre Circulationem dat gratum volatilem spiritum acidum. 7
Mustum quomodo fortificari potest. 61

N.

Nitri Spiritus cum Limatura ferri vehementius quam cum aliis Metallis agitatur. 36

O.

Obtusæ particulæ quæ sint, cum earum Effectu. 17
Olea essentialia in rectificatione requirunt aquam affusam. 94
empyreumatica in rectificatione requirunt salia acida muriatica. 94
quid sint, eorumque vires. 140. seq.
duplici modo agunt. 141
Olei fluiditas duo phænomena producit. 41
Oleorum partes constituentes & constitutio. 41
motus calidus quamdiu observatur & ejus ratio. 41
efficacia diuturnior quam salium ob duas rationes. 140
Oleosæ terræ salinæ cujus usus in Vegetatione. 103. seq.
Oleum fluiditatem suam aquæ debetur. 40
Omphacii fermentatio extemporanea. 57
præparatio. 69
Ossium in Corporibus viventibus usus quis. 107
Ova in se habent structuræ mechanicæ rudimenta corporis vegetandi. 104. seq.
unde vivificantur? 105
Ovorum vices supplent Gemmæ in Vegetabilibus & glandulæ in animalibus. 105

P.

Peregrina & heterogenea quæ dicantur. 34
Pestis unde proveniat. 121
Phosphori Generatio & præparatio per putrefactionem. 96. seq.
phænomena quæ. 97
Phosphori diversitas vix ulla observatur. 97
Vires medicæ adhuc ignotæ. 97
Phosphorus ex omnibus putrefactis elici potest. 96
elicitur aptissime ex Urina & fimo exiccato, hominum & equorum. 97
parari quoque potest ex pure empyematis & partibus gangræna correptis. 97
Plumbi quævis in acido solutio subdulcis est. 26
Pulsus celer, tardus, inæqualis } in quibus existant Morbis. 133
Pulsuum designandorum Difficultas unde patet. 133
differentiæ specificæ referuntur ad tres Classes. 33
Purgantia quomodo stimulentur. 148
quibus associatis mitigentur 148
quod in hoc subjecto fortius in alio levius operentur, quæ causa? 176
simplicia maximas Vires deponunt in fermentato liquore ad acidum degenerante. 68
quomodo operentur. 144. seq.
Pus quod melius l. pejus. 118
Putrefactio quid sit. 88
quid intendat. 88
non eleborat acidum (nisi certo respectu) ut reliqui intestini motus, sed profert oleosa volatilia alcalina. 90
incipiens quomodo præcaveatur. 91
insectis gaudet cujusvis figuræ. 92
Putrefactionem quæ corpora subeunt? 99
tollunt fermenta acida. 100
Putrefactione peracta quid reliquitur. 99
Putrefactioni quid aqua inservit? 89
Putrefactionis motus obtinetur ex confusione partium salinarum & oleosarum. 89
observatu digna. 88
motus phænomena & modus Operandi. 89. seq.
cur vehemens in stramine & fœno. 89
motum salinæ partes maxime perficiunt. 89
unde odor ingratus, sapor nauseosus, & color tenebricosus oriatur. 93
producta sunt oleum fœtidum, Sal volatile alcalinum & phosphorus. 93. seq.
Origo. 35
Putrescens liquor cur non intumescit? 92

R.

Ratiocinia Experimentis non fulcita, sunt vana. 2
Reactio Corporum facit ad diversificandam eorum figuram & molem. 11

fit

fit dupliciter. 15.
ejus effecta. 16
duas specificas alterationis facies habet. 96
Rubor concomitante calore quales indicet Morbos. 129
ad lividum vergens quosnam indicat Morbos? 129

S.

Sal ammoniacum fit ex sale comm. mixto cum fimo equino. 28
constituit unam corporum differentiam. 20
in motu suo modificatur à terra & aqua. 22
qua ratione in terram vertatur. 20
quomodo oriatur. 21
Sal ia alcalina volatilia & fixa non nisi terris oleosis differunt. 39
fixa quæ stricte dicantur. 39
juxta Corpora s. terras, quibus sociantur, diversimode agunt. 38
quasvis viarum angustias penetrant. 40
unde prodeunt. 46
sunt puncta, eaque connectuntur in alio obtuso. 111
motum omnem perficiunt, ideoque salibus destituta corpora sunt immobilia. 75. seq.
Salibus debetur Corporum activitas. 22. 38
Salinæ partes quamvis non manifeste sunt, sunt tamen in omnibus corporibus. 110
Salinos liquores præparandi methodus brevissima & huc usque ignota. 80. seq.
Salino-terrestres miscelæ claves sunt naturalis l. corpuscularis thesauri. 48
Salium cum terra conjunctionem demonstrant præcipitationes per terrea. 26
diversitas & nexus moli, terrestri variæ dispositioni debetur 25. 27
Saliva quid sit, ejusque usus. 109
Sanus perfecte vix quisquam est. 132
Sapientia difficillimum habet aditum. 12
Sapor unde oriatur. 46
Scorbutus unde proveniat. 125
Semen proprie dictum in animalibus, unde fœtificationis vires habeat. 105
Semina oviformia esse testatur experientia. 102
quamvis interne fluida appareant, sunt tamen pro solidis habenda. 103
oviformis cur sint figuræ. 102. seq.
involucra habent, eorumque usus. 103
Seminum corticis densior dispositio â duabus causis derivatur. 102
Signa diagnostica & prognostica variorum morborum. 129
Simplicia v. Corpora.
Simplicium Dignitates æstimantur, juxta terram & aërem, ubi nascuntur. 17
Sitis unde deducatur. 118
Solares radii colorem vegetabilium intendunt. 13
solubilem substantiam Corporibus evocant. 13
Solida Corpora quomodo fluidescant. 32
è fluidis ortum duxere. 108

ab acutis fluidis dividenda triplici modo sunt alteranda. 143
Solido-fluida se invicem penetrando figura, mole & motu multum diversificantur. 6
Solidorum coagmentatio quibus particulis constituentibus fiat? 33
& fluidorum figura & juxtapositio infinite variat. 32
Soliditas Corporum â fluiditate oblongiore partium intertexrarum nexu differt. 31. seq.
variat pro arctiore l. laxiore superficierum terrearum sibi invicem approximatione. 33
â fluiditate quomodo magis minusve abscedat. 33. seq.
Somnolentiæ causa quæ. 126
Spiritus ardentes qui sint. 142
rectificati, præservant contextum corporum. 30
Spiritus balsamici descriptio. 30
unde constant. 42
Vitrioli volatilis excellentissimi præparatio & Vires. 77
Salis dulcis volatilis præparatio. 78
Nitri dulcis volatilis præparatio. 78. seq.
Tartari alcalini præparatio, 80. seq.
esurini s. aceti philosophici præparatio. 79 seq.
Vini præcipitatus alcalinus cum Spiritu nitri in frigore non congreditur, quamvis in colore faciat. 81
Spirituum ardentium vires. 141. seq.
salinorum partes constituentes. 42
Successus Experimentorum fidus l. infidus unde dependeat. 7
Succorum vegetabilium concentratio curiosa. 12
Sudorifera quomodo operentur. 145
Sulphur ex spiritu acido & antimonio producitur. 17
Sulphuri candenti si injicio Cretam, limatur. ferri &c. motus producitur ingens. 83
Sulphuris fumigatio quomodo sedet liquorum ebullitiones. 71
Stimulos salinos ut probe noscat Medicus, necesse est. 148
Stomachus quomodo digerit. 109
Syrius æstus miras in vegetabilibus & animalibus facit apparitiones. 11

T.

Tartari crudi Sal & Cremor cum oculis cancrorum non effervescit, sed affusa aqua aut vino. 81
salis volatilis præparatio usus & dosis. 95
sal vol. unde obtinetur. 81
sp. alcalini præparatio & usus. 80. seq.
Tempestatum tonitruosarum phœnomena & ortus. 84
Terra constituit unam corporum differentiam. 20
& aqua salis motum modificant 22
s. terrestre Corpus quomodo oriatur. 21
Terræ debetur Corporum constantia. 28. seq.
coalitorum differens figura & actio. 23. 25. 28. 37
diversitas diversificat salium actiones & figuras. 26. 29
damnatæ cujus usus. 99. seq.
non dantur insulsæ. 100
motus

motus origo & phænomena. 81. 83. 84
per salia imminutæ & aquæ communicatæ omnis mundanus effectus & ordo debetur. 40
meræ e. g. mineralia, fermentativis liquoribus annectenda, prius solvi debent in tartaro crudo aut spiritibus acidis. 68
Terrestria in acidos fermentatos succos sese insinuantia situm eorum & dispositionem valde alterant. 68
vix unquam dantur absque sale. 144
Terrestrium præcipuæ agendi vires tres. 144. seq.
Tincturas & liquores arcanos eruendi modus secretior descriptus. 12
Tincturæ metallicæ unde parentur. 79
Tonitruantis pulveris f. auri unde fragor. 81
Torpor superato morbo graviore quomodo superveniat. 125

V. U.

Vegetabilia & animalia præcipue demonstrant terræ deberi modificationem Corporum. 29
præ mineralibus gaudent superficiebus terreis, minus duris & facilius per motum dividendis. 33
certo respectu participant de utroque sale. 90
duriora tantum per putrefactionem præbent oleum essentiale, quod rectificandum super sal comm. 94
sal volatile rarissime præbent in forma solida. 94
ut sal volatile copiosum spirent, Methodus præparandi. 95
Vegetabilium aquea constitutio. 88
incrementa extraordinaria debentur accessui aqueo-terrestrium particularum. 10
Olea quid sint. 89
Vegetatio & generatio pro uno motu sumuntur. 102
requirit specialem contextum corpusculorum ob tres causas. 103
quatenus differt à motibus aliis intestinis, & quomodo fit. 107. 102
Vegetationes unde promoventur imo absolvuntur? 48
Vegetationi absolute necessaria est aliqua causa externa, & qualis. 101
necessaria est aqua, ea qualis esse debeat. 104
Venena unde absolvuntur. 48
Venenorum Constitutio eorumque modus agendi. 144
Venti unde proveniant eorundemque phœnomena. 81. 85. 86
participant de salina & humida substantia. 86
Ventriculus quomodo digerit. 109
Vernicis balsamicæ descriptio. 30
Vigiliæ unde deducantur. 118
Vinosi liquores cui acidum suum debent. 59. seq.
Vinum Rhenanum aptius ad fermentationem, quam dulcia quævis sive hispanica sive malvatica. 69
Vitrioli acido non debetur infusionis gallarum denigratio. 26
oleum cum oleo terebinthinæ multum, cum oleo petræ vix effervescit. 36

super corpora terræ fortius intertexta efficaciam suam amittit. 38
Ulcera unde deducantur. 118
Volatilia unde mutuentur Modificationem suam? 139. seq.
Urina quomodo secernitur. 116
Urinæ hydropicorum plané sunt diversæ. 123
agonizantium quales. 130.

FINIS.



JACOBI LE MORTII

M.D.P.E.C.

CHYMIA

MEDICO-PHYSICA,

Ratione & Experientia

Nobilitata.



CHYMIA MEDICO-PHYSICA,

Rationibus & Experimentis inſtructa.

CAPUT I.

De Chymia in genere.



Chymia eſt ars, corpora naturalia reducens in artificialia, mediante ſolutione, & coagulatione.

Artificialia corpora, nullam agnoſcunt differentiam à naturalibus, niſi quod hæc ſpontaneo quaſi motu univerſali conflata in macrocoſmo appareant; illa vero vi humana coacta, ope motus violentioris, varios ordines & ſitus ſuarum particularum ineant. Hinc Chymia eſt naturæ imitatrix, producens corpora novo ornatu incedentia, figura, motu & mole à priſtinis differentia, & per conſequens recenter natis actionibus conſpicua.

Objectum Chymiæ eſt *omne corpus mixtum*, quod manibus vel inſtrumentis comprehendi poteſt, quatenus nempe *Artem ipſam* & *Artificem* reſpicit: latius autem extenditur, quatenus *Phyſica Ratiocinia*, per Experimenta collata & elaborata, firmiora exhibere ſtudet *Chymicus*; hinc

 enim

enim à minoribus ad majora pergit, gradibus tanquam firmioribus aſcendens ad ea, quæ extra captum corporeum ſunt.

Finis ejus eſt varius, pro diverſis ejus denominationibus, quæ ipſius ſcopum ſæpius demonſtrant; *præcipui* verò *ſunt quatuor*:

Primus eſt merè *Phyſicus*, unde nomen praxeos phyſicæ meruiſſe videtur, diciturque plurimis Anatomia *per ignem*. Hinc Acutiſſimi plurimi viri, hac in Arte peritiſſimi, Philoſophos *per ignem* ſeſe nominare non erubuerunt, unice omnem ſcientiam ab hac Arte acceptam profitentes. Attamen *aerem*, *materiam ſubtilem*, reliquaque mobiliſſima corpora, ad hujus nobilitationem & perfectionem omnimode conferre, nullus dubitat, qui obſervaverit in iis igneos motus, alterationem corporum inducentes. Hac via enim Philoſophus inſiſtit, ut rationes & ſcientias rerum naturalium non ſolum *contemplando*, (quæ contemplatio ſæpius fallax eſſet ſolet) ſed ipſa etiam *manuali operatione*, & *intima partium eviſceratione*, nobis magis familiares, & quaſi demonſtrativas, reddat: unde, ſæpius repetitâ experientiâ, *Veritas* nuda nobis, quantum poſſibile, apparet, fundamentis firmioribus innixa. Hinc finis videtur eſſe generalior, quoniam ad omnes vel pleraſque artes ſpectare poteſt.

Secundus eſt *Medicus*, vel *Pharmacenticus*, ubi medicamenta abſtruſa in lucem edere, illaque diverſis modis alterare, gratiora, & majorum virium parare Artifex, vel ubi faſtidium magnorum hauſtuum ægris tollere ſatagit, illa in *minorem doſin* reducendo, diciturque *Jatrochymia* ſeu *Chymiatria*.

Tertius inſervit *ſubterraneorum* à fœcibus & lapidibus mineralibus *depurationi & ſeparationi*; præcipuè circa metallorum fodinas exercetur in mineralibus, metallis, eorumque ſuccis ſalinis & ſalino-ſulphureis, ut in vitriolo, ſulphure, arſenico, & ſimilibus, apparet: Hæc Ars *Metallurgiæ* nomen obtinet.

Quartus verſatur circa *metallorum* ignobilium in nobiliora *transmutationem*, ut e. g. Saturni in aurum, & *Alchymiæ*, ſeu *Artis Hermeticæ*, nomine venit.

Infinitis *aliis uſibus*, & ſcopis diverſis incumbit *Chymia*, quoniam mira *corporum jactatio*, & viciniæ eorundem mutatio, *variam ſuperficiei* modo aſperæ, modo lævis externam *figuram*, ab interno pororum diverſo ſitu & locatione procedentem, inducit. *Salia* enim inſtar clavorum & malleolorum ſunt, quæ fortiter à Materia ſubtili agitata, limites ſuos & repagula, quibus coercebantur, perfringentia, plane *aliam* ſæpius

sæpius à pristinâ *figuram* & formarfi *particularum* promovent. Eodem fere modô, ut inundationes fluviorum violentæ suos plerumque canales, lacus, & totum fere cursum faciemque solent immutare. Sic interna fluida *violentius* perculsa, quævis obstacula de loco removent, postea *quasvis figuras* & formas imprimentia. Sic pro intentione Artificis motus & miscelæ hæ modificatæ & temperatæ, suos assequuntur fines & effecta, variis etiam Artibus inservientia. Hinc *pictoribus* ad pigmenta, *tinctoribus* ad colores, & *nulli non Artifici* in sua Arte utilis & jucunda esse simul potest, ut miranda naturæ perscrutari queat, ad ulteriores suæ Artis progressus ipsi, mediante hac, aditu patefacto.

CAP. II.

De Divisione Chymiæ.

Chymiæ Species sunt, *Solutio* & *Coagulatio*.

Hanc operationum divisionem à statu duplici corporum derivarunt, *fluido* nempe & *solido*. Cum autem corpora, sensibus nostris subjecta, raro vel nunquam *simplicia*, & per se *homogenea* sint, ingenium hnmanum, novitati studens, non solum *segregationem particularum* à se invicem promovere nititur, sed & integrum corpus *ab hoc in alium* reducit *statum*, ut intentioni suæ magis respondeat: quamvis non semper illud effectum sortiatur felici successu: *Primo*, ob aliorum heterogeneam mixturam, quæ sæpius officit: *Secundo*, quoniam vix ac ne vix quidem immutata illa corpora, nos deludunt: *Tertio*, alteratum corpus sæpe manifestis aliis qualitatibus & viribus agendi pollet: quod minorem non raro usum & energeiam præbet, tam in Medicina, quam aliis Artibus.

Solvere Chymici dicuntur, ubi superficierum quieta *juxtapositio* pro magna parte tollitur, aliaque coordinatio inducitur partibus; hinc utplurimum in tali casu vincula & compedes corporum, quibus partium *cohæsio* stabilis & firma perstabat, diruuntur, aperiuntur & infringuntur, ut nuda, & in *plures partes divisa*, *involucris* suis, quibus tanquam scuto tegebantur, *spoliata* appareant, sensibusque nostris ita subjiciantur: unde ad interiores aditus & penetralia ingressus patet particularum pro *exactissima* partium, totum corpus constituentium, analysi & *delineatione* exinde obtinenda, viribusque medicamentosis ad amussim ex uno eodemque corpore secernendis, & in suas classes distingvendis. Hinc

tantopere huic operandi modo inſudant *Artifices*, ut omnes fere operationes in hunc finem factæ videantur.

Solutio ergo *eſt corporis mixti in plures partes, vulgò Chymicis principia dictas, ope caloris diviſio.*

Solutio corporum eſt *duriorum*, & firmioris copagis, quam non ſemper aſſequitur *Chymicus*; *Fluida* enim non quatenus *fluida* ſolvuntur, id eſt, à ſe invicem ſeparantur, ſed quatenus *ſolida*; ſiquidem ſtricte loquendo *materiæ ſubtilis* numeroſiſſimus influxus *fluida* reddat corpora; quam fluiditatem promovet *ingreſſus* patentior *Aëris* abſolute *fluidioris* è *Mixtura copioſa materiæ deſcriptæ in rarefacta Aqua deliteſcentis*, compoſiti, leviſſimis corpuſculis ac hiatibus maximis inſtructus, ſalinis & terreſtribus circumcinctus. Subſequentem infimumque locum occupant *magis condenſatæ particulæ* rotundæ glabræ, obtuſæ & flexiles, oviformes, penuria vel carentia majori materiæ ſubtilis, etiam *ſolidam duram conſiſtentiam* induentes. Hæc *duo poſteriora*, quovis modo fluida, ſeceſſum & *diſcontinuationem nullam* admittunt, niſi acceſſu, vel receſſu rapidiſſimi *Ætheris*, in poros ſibi proportionatos irruentis, ibidemque irretiendi pro tempore retinendi, quamdiu *illæſa pororum ſtructura* permanet; Ejuſdem autem velox impetus & arietatio in quævis latera cum non ceſſet, ideo pro *majori aut minori ſuperficierum coordinatione* & conſtantia ſenſim illas magis ac magis *excavat*, diruit, & *lædit* per continuum tranſitum, parteſque ad motum aptas ſecum vehendo *ſolutionem corporum primariam* efficit ſub nomine *Alterationis*. Hac *Ætheris* affluentia validiori conceſſa, fugam partium læviorum accelerante, ſimul ab extra admittenda majoris molis corpuſcula, aut ab aere illuc preſſa, aut cum materia diverſa invecta, ibidem ſeſe ſiſtunt per juxtapoſitionem illis corporibus jungenda & accommodanda, unde non minima *ſolutionis* ſpecies exſurgit. *Duplex* enim in genere *ſolvendi* corpora *modus* eſt, *ſeceſſus* nempe *cohæſionis* viciniæque naturalis, per motum colliſionemque partium, & *repletio interſtitiorum* meatuumque per alia corpuſcula, illis ſeſe inſinunatia, ſuperficierumque hoc modo diviſionem procurantia. Reliqua duo corpora, *ſal* & *terra*, igitur *immutationes* tantum ſuſtinent *violentas* ab hiſce *fluidis*, ubi illorum *motui* parere incipiunt, & in diverſa ramenta, hic illic denuo inter ſe coapbanda, corpuſculaque poſtmodum toto cælo, ut ajunt, differentia, ſeſe dividi patiuntur. Hinc, *pro diverſitate ſalis, & terræ* miris modis exaltatæ, vel depreſſæ, per figuram pororum alteratam, magis minuſue concinnam & adaptatam Materiæ ſubtili, Aëri vel Aquæ trajiciendæ vel admittendæ, *principia Chymica*

mica eruuntur *diversa*, atque hoc modo *solutiones, seu potius modificationes, variæ* fiunt. Inde non mirum, si lusus naturæ etiam sagacissimos sæpius eludens, magnis ausis ac conatibus seriis excidere faciat *peritissimos Artifices*, ita ut magnis suis conceptibus & promissis minus respondentem finem quandoque assequantur. Sæpissime enim illa in *minores tantum particulas discerpuntur*, quæ tamen integrâ sua substantiâ (læsâ tantum viciniâ) permanent, ut apparet in *metallis*, & plurimis *mineralibus*, quæ, quamvis hoc vel illo menstruo *aliam* videantur assumpsisse *figuram*, & penitus destructa appareant, nihilominus, sublato *sale corrosivo*, interstitia occupante & replente, integra conspiciuntur.

Principia corporum, quamvis difficillime dignoscantur, saltem ita perfecta, ut in omni sua parte *homogeneas*, & ubique sibi similes, *particulas simplices* obtineant; ob tenuem & valdè exilem, ideoque *sensibus* nostris imperceptibilem, illarum constitutionem, ut &, quoniam *manus* & *instrumenta* nostra sæpissimè effugiant: attamen, ut texturam corporum notam habeamus, ad notiorem corporum, in partes *simpliciores* divisorum, statum recurrimus. Hæ partes quamvis valdè *simplices* videantur, *composita* è diversis particulis sunt; ut in analysi ulterius patebit. Imo nec ipsa fluiditas & firmitas partium sensibus nostris conspicua, (nisi plane in suo *primordio* considerata, in materia nempe subtilissima) unquam *homogenea* existit, sed, prout *fluidum* quodcunque *solidis* super vehitur, sic & *solida* (adinstar testudinum, propriam domum quasi circumducentium) secum vehit, *solidumque* admittere *fluidum* semper cogitur, rariusque sine *eo* conspicitur.

Principia Chymicis recensentur *quinque*, quibus licet non assentiamur, attamen, præmissa nostra opinione, illa, ut tantò clariùs appareat, quid sibi velint *Authores* hisce, obiter percurremus.

Omnia in genere corpora *duabus* constare *particulis*, ut paulo ante innuimus, extra dubium est, *fluidis* nmpe & *firmis*; unde duo illa principia Philosophica *motus & quies* ortum deduxere. *Fluiditatis* varii sunt gradus, unde *Aristotelici* ignem, aërem, & aquam pro elementis fluidis sibi assumpsere, *Cartesiani* materiam subtilem, & globulos diversi elementi, Helmontiani solam aquam, & subtilissimam materiam, aliqui *Neoterici* nitro-aëreas, aliasque iis similes particulas. Quoniam autem nihil aliud in Chymicis experimentis, nisi illud, quod *manibus* possimus comprehendere, præcipuè demonstrare intendimus, *particulas spirituosas, salinas, raras, volatiles*, easque *indivisibili nexu aquæ & terræ levissimæ conjunctas*, *pro principio movente fluido* statuimus. Hæ particulæ *diversam* obtinent *fluidi-*

ditatem ratione particularum, minus vel magis ſubtiliter expanſarum, *ſpiritu ſubtiliori impellente* repletarum, & prout *conſortio graviorum particularum* minus magiſve abundant, e. g. aqua vel terra copioſiori & denſiori : *prout* poſtea clarius patebit.

Sub *ſpiritus* nomine comprehendimus omnia *fluidiſſima corpora*, & quæ *materiæ ſubtilis* motum velociſſimum ſequuntur, ipſiusque actiones quam proxime imitantur, ſeu potius talia, quæ continuum impulſum & tranſitum *materiæ ſubtilis* recipiunt, & mediante *illa* pluſquam ſpumoſam, ſpongioſamque *rarefactionem* acquirunt, perpetua in volubilitate & circumrotatione leviſſimâ particulis, nullibi fere cohærentibus, conſtitutis. Sub illius numero igitur comprehendimus *ignem & aërem*, quatenus faciunt ad corporum diverſas alterationes & immutationes.

Ignis enim eſt *fluidiſſima congeries corporum ſphæricorum, è ramoſis, maxime per materiam ſubtilem dilatatis, & in gyros infinitos redactis, conflata*, è quibus ſphœrulis tenuiſſimis circumgyrantibus *ſalium puncta prominentia*, ſerrulas & rotulas acuminatas & dentatas efficiunt, ſuperficie, undiquaque inſtar *limæ rotundæ* acutâ & ſcindente, inſtructa. Vi igitur de loco pulſa & extricata *una* ſphœrula aſperis acutis ſuis eminentiis, ut *alias* etiam de loco pellat neceſſe eſt, unde ſenſim *omnes* per *mutuum contactum & levem intricationem*, ut rotulæ ſerratæ, in horologiis moveri debent. Non mirum igitur *Phyſico-Chymico videbitur* cognita hac *Ignis* figura & ſtructura, *Ignem* inſtar *ſalium* agere, illum *divortia corporum* accelerare, eundem ſeſe *interſtitiis* & meatibus jam à ſe excavatis in ſuo celerrimo tranſitu *inſinuare* & coacervare, ut augeat *pondus corporum*, & *immutet qualitatem agendi*, imo iſtum *diverſum* exiſtere pro *diverſa* figura ramoſorum corporum, in quæ imperium mobile *ætherea materia* exercet. Illud comprobant diverſa *calcinata* ac in *igne* vario *fuſa*, præfertim metalla nobiliora. *Aër* in plurimis cum Igne convenit, imo pleraſque actiones ſuas ab illo mutuatur, niſi quod *magis obtuſæ* ſint ejus partes, retardatæ per mixturam *Aquoſam*, ita ut gradu tantum differant; una enim eademque *Materia Ætherea*, ut antehac diximus, ibidem tenuem *rarefactionem* conciliat, adeoque *Ignis mollis* dici poteſt &c.

Firmitas, vel quies ſolidarum particularum, arctius ſuper ſe invicem decumbentium, tantum eſt *una*, nulloſque obtinet gradus, niſi reſpectu particularum *fluidarum*, in majori vel minori copia ſe ibidem inſinuantium: hæc in *terreſtribus* (*ſalia* enim ratione *terreni* conſortii etiam *duritiem* ſibi tantum compararunt) reperitur. In *excluſione* ergo particu-

larum

larum *fluidarum* consistit illarum *gravitas*, densitas, & ponderositas; *levitas* verò ècontra in viciniæ earundem læsione & *pororum laxitate*; quamvis fluiditatem possint admittere, *spiritu interno velocissimo* illas movente & imminuente, & tamen ponderosæ remanere, ob subsidentiam & viciniam particularum satis compactam, & pororum angustiam, ut in *Mercurio* & *solutionibus metallorum* patet, imò & in *ipsis salibus fluidis*, aqua seu phlegmate superfluo orbatis; sed de his postea latius in operationibus: attamen hæc respectu majoris & ulterioris *repletionis meatuum* & interstitiorum leviora existunt, quoniam hoc modo graviora reddi possunt, ut in *amalgamatione* & *solutione metallica*, & plurimis aliis experimentis patet.

Ex hisce duobus principiis, *fluido* nempe & *solido* oriuntur sequentia *quinque principia Chymicorum*, *Mercurius* seu Spiritus, *Sulphur* seu Oleum, *Sal*, *Phlegma & Terra*. Hæc, quamvis videantur externis nostris sensibus inter se invicem plane differre, attamen in hæc duo facili negotio concurrunt, & reduci possunt, nempe in *Spirituosam Aëream Aquam*, & *Terram spongiosam*. Notandum autem, *non* ex *omnibus* corporibus ulla arte produci posse præcedentia principia, imò maximum requirere sæpius artificium, ut *unicum* tantum ex aliquibus *principium* producatur, quæ potius *mimicam* utplurimum talem principii agunt speciem, quam veram, ut in pluribus subterraneis liquet, & præcipuè in metallis. Itaque hæc dicta *Principia*, variis torturis & mixturis, è corporibus *plerisque subterraneis* eruta, vel pro *compositis* sunt habenda, vel hæ particulæ differentes tantum *è plerisque Animalibus* & *Vegetabilibus* produci queunt, vel planè in plurimis, ut Chymicis ostentatoribus placet, sat artificiosis operationibus, sunt rejicienda, vel plane alio nomine in aliquibus indigitanda. Nam aut *adfuerunt*, aut *adsunt* ea principia in statu naturali *omnium* corporum; si *adfuere*, igitur non *adsunt*; si *adsint*, quare *additamenta* requiruntur, quæ jam per se *principia* ipsis sunt: forsan, ut magis simplicia corpora evadant per compositionem, ut opinor. Si omnia ex omnibus eruantur, quid obstet, quare non *tot principia*, *quot corpora* illis statuantur, non video. Si enim omnes *divisas à se invicem partes*, è quibus corpus aliquod mixtum & *compositum* fuit, respiciamus, magnam & in iis *differentiam* percipiemus; sic quædam *luctam* sat acrem, ubi *denuo confunduntur*, non raro ineunt, ut in operationibus variis manifeste demonstratur; sic *duplex oleum* è quocunque fere vegetabili, subtilius nempe & crassius, in lucem prodit; *duplex* itidem *spiritus*, aliquando *triplex*, aliquando *quadru-*

druplex Artificis perita manu ex uno eodemque ſubjecto elaborari poteſt &c. Sufficit ergo hæc obiter notaſſe, ut ab *Authoribus varia* de hiſce ſcripta & data æqua lance perpendamus, & Judicio Rationis & *Experientiæ* noſtræ ſubjiciamus, cum revera omnia illa *principia* & *luctam mutuam* ineant, & *ulterius* ſemper in partes plures *divelli* queant eouſque, donec in *aquam*, ut dicunt, *elementarem*, aut potius *ſalinam*, & *particulas* plane *fixas*, *inertes*, & mortuas ultimo reduces ſint, è quibus, plane mirando quaſi artificio mechanicum *canaliculorum ſitum* & *figuram*, naturali motu revivificatæ induunt, vita veluti nova nobilitatæ. Hæc ergo, ut eo diſtinctius à nobis percipiantur, *ſequenti modo* ſeſe habent, & intelligenda veniunt.

Mercurius ſive Spiritus eſt pars mixti, maximè ſubtilis, activa, & penetrans, *conſtans particulis tenuiſſimis*, *quaquaverſum mobilibus*, &, ut uno verbo dicam, *particulâ ætherea auræ*, omnibus corporibus ad eorundem actiones producendas infuſâ, utpote è qua omnis *generatio & motus* dependere ſolet, & quæ *anima mundi* vocitari poſſit. Hic variis, mediante arte, producitur modis. *Primus modus* eſt, ubi corpora integra, *ſoli motui vehementiſſimo* ſubjiciuntur, unde particulæ exagitatæ ſubtiliores, vincula ſua & clauſtra reſerare ſolent; è quibus in principio velociſſimus *impetuoſus humor flatulentus* prodit, qui in omni deſtillatione in vaſis clauſis obſervatur, à quo etiam maximum periculum Artifici imminet, quoniam non raro vaſa diſrumpit, & jacturas plurimas facit. *Ratio* videtur hæc eſſe, quoniam tubuli infiniti corporum ſolidiorum, plurimo *Aëre* & *Aqua* imprægnati, non leviter alterantur, concutiuntur, atque hinc & inde *comprimuntur*; unde *materia fluida* ibidem contenta, calore illo *ventiformem* acquirit *figuram*; expanſionem vero non ſat liberam obtinens vaſa diffringit, eodem modo, ut in Æolipila *Aquam*, quæ *Aëre* ſemper gravida eſt, videmus mediante calore per *exiguum orificium* in *ventum* degenerare. Hic *ventus* ergo, è corporibus variis productus, *differt*, tam in quantitate, quam in qualitate, *ratione corporum* è quibus prodit, & ratione *caloris*, in principio adminiſtrati. Ratione *corporum*, quò anguſtiores ſunt tubuli, in quibus materia Aëreo-ſalino-Aquoſa continetur, eo vehementia majori ſeſe manifeſtat, ut in ſalibus, & ſimilibus patet: Ratione *caloris* adhibiti, compreſſiones & concuſſiones turbulentæ exitum non facilem illis vaporibus admittunt, unde ſæpius *tota materia deſtillanda* in altum elevatur, & damnum ſat magnum affert cum periculo *Artiſtæ* incauti; dixi autem *in principio*, quoniam ſub finem, vel ulteriorem operationis progreſſum, *tu-*

tubuli jam sat *dilatati*, materiæ subtili ingressum & egressum sat amplum exhibent, qua adjuta illa corpora claustra sua perrumpunt, motuque ejus celerrimo rapta, partium viciniam, & *consortium graviorum subtiliora derelinquunt*, hæ postea exceptæ *spiritum* constituunt plerumque *duplicem*, *acido-volatilem nempe sulphureum* in mineralibus & plurimis vegetabilibus, vel *salino-volatilem urinosum* in animalibus.

Notandum est, non omnem hoc modo purum putum elici *spiritum*, sed plerasque particulas, nexu indissolubili *terrestribus ramosis* irretitas, vel *salinis* concatenatas, subsequi sub forma oleosa vel acida fixiore, ut in operationibus clarius.

Secundus modus est magis artificialis, ubi nempe mediante *fermentatione*, *effervescentia*, *putrefactione*, *& cæteris motibus intestinis*, *volatiles* copulæ satis curiosæ fiunt omnium ferme particularum leviorum; hi *spiritus* plerumque dicuntur *ardentes*, alcalini, subacidi.

Tertium & quartum genus spirituum impropriè ita dicitur, ubi scilicet, è *merè ramosis* corporibus leviores præmissæ particulæ, *spiritus* nomine veniunt, v: g: spiritus tereb. pro oleo tereb. subtili: sic & in *salibus*, subsequens *sal fluidum* minus rectè spiritus nomine venit, utpote quod contra naturam spirituum phlegma præmissum subsequitur, sed potius est *merum sal densum*, mediante aqua & materia subtili ibidem contenta in *fluore perstans*, ut spiritus vitrioli, salis. *Sextuplex* ergo est *Chymicis spiritus* 1. *Acido-sulphureus volatilis*, 2. *Salino-volatilis rigidus*, 3. *Inflammabilis*, 4. *Acidus subsequens post phlegma*, 5. *Acidus fixus & gravis*, *nomine olei indigitatus*, 6. *Oleosus subtilis*.

Sulphur sive *Oleum* constat *particulis ramosis crassis*, *solius materiæ subtilis*, *& spiritus volatilis salini plurimi ope mobilibus & fluidis*: Hoc *sequenti modo* producitur, tam in Natura, quam Arte: omnes *particulæ spirituosæ* per se nullo modo sunt stabiles, quæ, nisi in *corpore alio terrestri* coërcerentur, continuò vagabundæ existerent: unde *corporum origo* primaria è textura & combinatione diversa materiæ subtilis cum aëreis aquosis & terrestribus particulis dependet; hæ omnes, quoniam ramentis *terræ tenuioris* gravidæ existunt, quam in continuum consortium admittunt, illa, *rarioris texturæ* facta, non solum sese in gremio mobilium particularum abscondit, verum & cœteris *tegumenti*, *involucri*, & *ponderis* loco inservire solet, ne ab aliis occurrentibus statim in quasvis alias figuras & formas, instar alius Prothei, discerpantur: eodem modo, ut *navis* adversus ventos & maria tuta redditur *onere*, præter *merces*, inferiori illius parti imposito; quo deficiente *fluctuans*, & in

omnem partem vacillans conspicitur. Hæ ergo conjunctæ particulæ constituunt corpus *triplex*, pro copia nempe *Materiæ subtilioris*, *Aquæ*, vel *Terræ*: Quoad figuram oleosi & sulphurei corporis, hamata an sit, valde dubito, quoniam illa *quiescentiam partium* potius implicaret; verum, si *superficiei globosæ* & sphœricæ *interruptionem*, per suas cavitates plurimas considerem, sufficit, *cohærentiam* aliquam *levissimam* statuisse per mutuam juxtapositionem & parvam subsidentiam partium, se invicem aliquo modo *prementium* & pellentium, ut in plurimis experimentis patet; imo dubitandum esset, an *ramorum instar intricatæ* existant particulæ, cum potius *rotunda* sit figura instar globulorum, circumrotata circa minores suos axes. *Ramulos & Hamulos* igitur aliis relinquo, *verbis* potius, quam *experimentis* contentis, & pro *oleis intricatam sphœricam*, *multis hiatibus instructam terram* recipio, *spiritu*, *sale*, *& materia subtili plurima*, *aqua pauciori*, *respectu aliorum tardiorum corporum refertam*: Quo enim corpus *subtilioribus spirituosis* plus abundat particulis, immediatæ mixturæ *terræ levioris irretitis*, & intricatis, eo magis ad *ramosam* substantiam accedit: compositum autem corpus è *plurima aqua*, *minori copia spiritus & terræ gravioris gummosorum* numero ascribendum venit. Quæcunque vero corpora *privata* conspiciuntur, *pro maxima sui parte*, *spiritu & aqua*, *terrestrium* classi annumerantur. Hinc facile patet, è qua corporum serie præcipua *olei* copia eruatur: cum enim *resinosæ crassiores & subtiliores* particulæ aquæ & aëri nexu indissolubili inhæreant, quæ mediante *ignis* varia tortura eruuntur, necesse est, ut eæ in *corporibus minus densis & terrestribus* latitent; unde in prima & secunda classe plurimæ sese exhibent, vel mediante vehiculo *aquoso*, vel immediato *ignis* calore producendæ, meris *levioribus particulis terrestribus*, *pauca aqua*, *& subtilissimo spiritu combinatæ* in corpus *fluidum ramosum*, *oleum* dictum.

Duplex hujus nominis datur principium, *essentiale* nimirum, & *empyreumaticum*: *Essentiale* fit, ubi in maxima copia spiritus præpollent, unde *aquosum vehiculum* fat capax illis in altum evehendis evadit; exinde *plurimæ differentiæ macerationum* dependent: si enim spiritus sit tenuis & fugax, in consortio suo facillimè abripit illud *oleum*, levissima infusione aquæ, ut in *ligno sassafras* apparet; contrarium nobis præbent exemplum *cortices*, *radices*, *& ligna duriora*, pauciori spiritu scatentia, & durioribus involucris obducta, quæ *diutinam*, imo ad septimanas vel menses aliquot protractam *macerationem*, ut lignum Rhodium &c, requirunt.

Empyreumaticum sola ignis vi elicitur, ubi immediatè motui vehemen-

mentiori subjiciuntur corpora, quæ ob crassitiem particularum, & penuriam spiritus *vehementiorem* requirunt in destillatione *motum*: imò è plerisque vegetabilibus, & omnibus, è quibus *oleum essentiale* destillatum est, *empyreumaticum* elici potest.

Duo præterea dantur *olei* genera, improprio nomine ita à *Chymicis* celebrata: *primum* ob crassitiem & ponderositatem particularum, ut *olea salium*, seu salia *fluida concentrata*, id est, à phlegmatis consortio (utpote facilioris & levioris ascensus) mediante destillatione, quantum possibile est, liberata. *Alterum* unctuositate sua repræsentans *oleum*, ut *salia fixa per deliquium resoluta*: Hisce, quoniam ad alia principia pertinent, non immorabimur, cum unum & alterum ad salia fluida & fixa pertineant.

In genere autem notabimus, *Oleum* & *spiritum* & *salem* parum à se invicem *differre*, nisi *gradu* tantum. In *spiritu* rarior textura *salina*, exaltata, *terræ* maxime spongiosæ immixta, plurimæ *Aquæ* subtili modo intricata existit, unde penetrans est, sed facile evanida. In *Oleo* crassior *terræ* consistentia *salia* magis involuta retinet, quæ pro ratione densioris vel rarioris texturæ actiones suas diutius & efficacius reservant & promovent. Prior igitur constituit salem exaltatum & tenuem, posterius salem intricatum & circumseptum.

Salsum autem in corporibus *principium* ob maximam agendi vim, qua texturam omnium illorum corporum *rariorem* efficit, *Generationem*, *Alterationem*, & *Corruptionem* in iisdem producit, &, unico verbo, mira mutatione & transpositione partium, illa *innumeris figuris & formis* gaudere facit. Maximi momenti semper apud indagatores *Chymiæ* fuit, imò divinum quid ei adscribentes, *in Sale & Sole esse omnia*, deprædicarunt. Illius *originem è Materia subtilissima* desumendam censemus, quæ varia pervadens corpora, illorum particulis in majori vel minori quantitate *irretitur*: unde pro dispositione *illarum partium*, *pororum & meatuum* diversimode modificatur, & punctis *terræ acutioris* mixta, moleculas producit *salinas*; hinc mirâ vicissitudine juncta, & quasi unita *illis particulis*, alias partes subintrans, miro modo illas afficit, ingentique *colorum*, *odorum*, *saporum*, aliarumque qualitatum, tam manifestarum, quam occultiorum acervo, has in scenam producere solet. Naturam imitaturus *Artista* absque *sale* omnem operam & oleum perderet: vix enim a limine *Chymiam* salutanti notum est, plerasque *operationes* mediante *illo* peragi; & ipsis *medicinæ* tyronibus tritum est, vim seu agendi *efficaciam* omnium *medicamentorum* plerumque in eo delitescere. Hæc autem ita consideranda veniunt; *salia* æthereo motui

maxime obedientia, *terram* admodum divisam & exilissimam secum vehunt, eamque ad intimiores aliorum corporum recessus adigunt, ubi postmodum *mechanicas* suas proferunt actiones, nunquam exspectandas ab iisdem *insulsis terris*, crassam nimis molem constituentibus. In eo ergo ex omnibus corporibus naturalibus eruendo plurimum insudarunt: *Differentia* autem plurima manifestatur *secundum diversum scopum* & intentionem Artistæ, quam plenario examini subjicere non est hujus loci. Hic autem *salem* considerabimus tanquam principium, in ordine alia subsequens principia.

Sal igitur est *pars corporis*, *è particulis spirituosis & subtilioribus fixatis resultans*; hic pro solis *punctis*, & *acie* minima particularum *fixiorum scindentium & pungentium*, cum *terra retentis & fixatis* recensetur: *sequenti modo* in campum prodit: ubi corpora *vehementiori motui*, vase aperto, vel libero aëri objecta, *vehementissimo motu flammæ* urgentur, fugatis dein omnibus particulis *levioribus & fluidis*, restant solæ *terrestres*, quibus implicita hærent *puncta minima salina*, quæ illis retinaculis & compedibus ligata, fugam tentare non potuerunt, unde postea mediante *aqua* communi à consortio terræ liberantur: hæc solutio evaporata *salis fixi* seu *alcali* nomine venit, quod propriè principium est *salinum Chymicis*; cœtera *salia* vel sunt *muriatica*, vel *spirituosa*, ut *sal volatile*, quod sub nomine *spiritus salini volatilis* recensuimus: *salia* verò *muriatica duplicia* etiam dantur, *vel artificialia*, *vel naturalia*. *Artificiale* compositum quiddam est ex *sale fluido acido*, *& sale fixo alcalico*; ex hac mixtura videntur etiam dependere *salia muriatica naturalia*; ut postea in sale communi explicabimus.

Mira *Odorum*, *Colorum*, *& Saporum* diversitas, quamvis à *Salis* regimine unico dependeat, attamen ob *multifarios poros*, & situs corporum terrestrium, discrepantes à se invicem, quos *salia* ingrediuntur, non minimam causam *originis* suæ particulis *terrestribus* debet. Omnibus corporibus inesse *salia* diximus, quorum auxilio tam individuum *conservatur*, quam novum *producitur*, ubi motu externo vel interno partes solidæ locum & viciniam mutare coguntur: exinde *alteratio* vel *destructio corporis* in toto vel in parte, tam secundum statum integrum, quam in Colore, Odore & Sapore. Nervi enim nostri facillime afficiuntur à corporum statu *immutato*, cum *salia* regentia & dirigentia magis vel minus in campum prodeunt, & acie sua pungunt aut vellicant, ubi ante altius in particulis *terrestribus* involuta delitescunt, & blando illitu nervos demulcere coguntur. Immutato Colore mutantur utplurimum

etiam *Odor* & *Sapor*, quibus & de ſtatu priſtino declinantibus, *prioris ſuperficiei apparentia amiſſa* alio modo radios luminis ad oculos deflectere cogit *Color novus*. Hæc ulterius perſequi nimis longum & Lectori tædioſum foret.

Ferocia præcedentium particularum *ruinam* potius ſtatui corporum naturali minitaretur, niſi exceptæ & dilutæ *aquoſis* & *phlegmaticis particulis* in motu ſuo nimio coercerentur. Quidvis ex *Aqua* conſtare plurimi dixere, & Experimentis demonſtrare conati ſunt: verum, cum nulla detur *Aqua*, mere fluidis conſtans particulis, ſed *ſolidis* referta *viſcoſis terreſtribus* partibus ſemper conſpiciatur, ideo ab illis ibidem latitantibus, poſtea in *vegetatione* depoſitis & retentis, ſeminium & nutrimentum ſui præcipuum *Vegetabilia* ducunt. *Menſtruum* autem *naturæ univerſale* eſt, quod vehiculi loco in omnibus ei inſervit: Merum *inconſtantiæ* inſtrumentum; etenim, ubicunque *illa* prædominatur, brevem pollicetur & *inſtabilem ſtatum* præſentem; cum facile quoſuis impetus admittat, ſuumque corpus vacillans & fluctuans reddant. Eſt igitur *Phlegma mera aqua inſipida*, *conſtans particulis lævibus*, *glabris & flexibilibus*, merum vehiculum & inſtrumentum omnis *nutritionis* & *conjunctionis*, & matrix ſeu recipiens *ſpiritus* & *materiæ omnis ſubtilis*, qua gravida, *tenuitatem partium majorem* obtinet, & actionibus ſuis perficiendis non inidonea exiſtit: quamvis *Chymicorum* induſtria illam ubique ſeparare & rejicere intendat pro principio fere inutili. Plurima tamen experientia conſtat, *Phlegmata*, recenter à deſtillatione exhibita, *magnæ* eſſe *efficaciæ*, quoniam *ſpiritu & materia ſubtiliori* repleta ſunt, quæ facile exhalat, & pereunt poſt aliquod tempus, unde *inutile* dein reſtat *merum Phlegma*, quod in *ſpirituoſis volatilibus* ſubſequitur, in *acidis*ècontra præcedit, *olea* leviora *ipſi* ſupernatant, craſſioribus & ponderoſioribus illud ſupervehitur.

Ad *ſtabilem* corporibus *ſubſiſtentiam* inducendam provida natura *quietis* particulis illa inſtruxit, quæ motum cœterarum partium retardare, & pondus illis addere poſſent; imò ipſa corporeitas, ut ita loquar, præcipuè à meris particulis terreſtribus dependet; reliquæ enim particulæ fluidæ & *mobiles* in continua verſantur *agitatione*, neque *ſtabilem*, neque *viſibilem* locum diu occupantes *ſpirituoſam* eſſentiam imitantur, imperium motu & preſſione ſua in quævis obvia reſiſtentia, id eſt, immobilia, rigida, acuta, & terreſtria corpora exercentes, quæ de loco pulſa *moveri* dicuntur, & per conſequens aliqua *vita* frui. Ubi vero hæ agiles particulæ ſenſim minimis, etiam facile *diviſibilibus* corpuſculis aſſo-

associantur & copulantur, sensibiles & visibiles per incrementa illa, non ratione *motus* sed ratione *terræ* evadunt; itaque hæ solæ *firmæ solida* & *quieta receptacula* sunt, in quibus medium quendam sibi asciscunt statum *fixo-volatilem*. Infinitus pororum & meatuum, in *Terris* diversis existentium, numerus, toto cœlo differentium, *primordium* præbet omnibus generibus & speciebus corporum. Ille *situs* valdè alteratur ab injuriis *aëris*, diversimode *terram* afficientis, perforantis, & motum suum illi imprimentis. *Aër* enim, præcipue circa nostram *Atmosphœram*, tanquam magnum receptaculum existit, sudoriferos halitus *terreo-salino-aquosos*, è terræ nostræ superficie, & gremio expellendos, admittens; *Hæc* ibidem ulterius per motum *ætheris* elaborata corpuscula, pro diversitate *reflexionis*, & repercussionis *radiorum solarium*, super nostram terram sese maxima cum efficacia vibrantium, infinitis modis disponuntur, & *figuras* suas acquirunt, cum jam *recto*, jam *obliquo* tramite in se invicem ruere, & collidere cogantur à variis *ætheris* per ventos, nubes &c. fluctuationibus, non semper *radiorum lineis rectis* respondentibus. Hinc facilis ratio patet, quare *vegetativi* motus differentibus *temporibus*, & cœli *regionibus* diversis, *varii* existant, non propter materiam *ætheream peregrinam*, sed propter corpuscula *salina* & *terrestria*, mutua attritione & collisione immutata, & poris his aliisve magis minusve proportionata, vel in totum ab iisdem differentia: unde, si *acutæ* existant motæ particulæ, fiunt *læsiones*, si *obtusæ*, *obstructiones*, vel *defectus nutritii succi* procurantur. Corpuscula igitur in eo dispersa non raro *seminia* sola & vera existunt *producendis* & *alendis* plurimis magnæ molis corporibus; & forsan non multum à vero aberraremus, si *alimentorum* usum in *animalibus*, *ætherea aura vescendæ*, id est, aliquo modo *retinendæ*, & ritè *elaborandæ* gratia, tantum institui diceremus. Sed de his nunc satis. *Volatilem* & *mobilem* statum nunquam per se obtinet, nisi connubio juncta aliis *fluidis subtilioribus* particulis, à quibus non rarò ægre se divelli patitur sine totali *destructione* corporis. *Rara* ejus *textura* levitatem, *densitas* pondus, auget. Superficiei *æqualitas* reflectentes *lucidos* præbet colores: *inæqualis* & aspera superficies *obscuras*, hic illic abruptas repercussiones radiorum solarium exhibet: *intortus*, & gyri, seu labyrinthi instar intricatus, pororum & superficiei situs, aciei oculorum ingressum difficilem parit & quasi absorbet, unde *nigredo*. &c. Est *Longævitatis* instrumentum, si *densitate* sua penetrabilitatem *Aëris* & *Aquæ*, (*maximorum* ad *alterationem* & *immutationem instrumentorum*,) arcere possit, unde *collisio* partium, & per consequens omnis *læsio* corporum

porum præcavetur. Sed hæc fusiori & longiori satis calamo tractavimus. Quid vero *Chymici Terræ* nomine indigitent, inspiciamus. Hæc est pars corporis *gravior* & *quieta*, restans post omnem *fugam subtiliorum* particularum, quarum motum sequi neutiquam potuit; hac ratione *Chymici* illam *capitis mortui*, seu *terræ damnatæ* titulo insignierunt, quoniam in ipso orco, diris *flammæ* torturis excruciata, perstat.

Altius autem spicula *salina terræ* gremio & poris infixa hærent, quæ ab externo accessu humidi *aëreo-aquosi* diluta, *poros* & meatus *patentiores* reddunt, actionesque suas hoc modo non omnino obliteratas, vel deletas esse ostendunt, ut & de *phlegmate* diximus.

CAP. III.

De Solutione Chymica.

QUoniam lege naturæ omnia in suo statu permanent, ni à *fortiori* deturbentur, *Chymici* particulas mobiles & acutas scindentes in usum traxere; retinacula enim, ut ante diximus, præcipue in *quiete* particularum, id est, in *terra*, reperiuntur. Ideo *Ignem*, *Aërem*, & *Salia* frequenti in usu obtinent, quæ cultrorum loco corporum *dissectioni* perficiendæ illis inserviunt. Hæc *dissectio* si poros ipsos attingat, tunc *solutio*, seu *decarceratio* vera dici potest, *immutationemque* status nativi, quoad totam corporis essentiam, producit. Sin vero meatuum & *interstitiorum* cavitates tantummodo majores reddantur ab ingressu & insinuatione corporum, *superficieculas* à se invicem discontinuantium, tunc *divisio* tantum dici meretur massularum corporearum, integro tamen permanente statu *pristino* omnium particularum, *seorsim* jam existentium, quæ antea mutuum *contactum* admittebant. In *priori* utplurimum fit combinatio solventis & soluti, in *posteriori* superficialis tantum mixtura absque ulla unione exacta. Adhibitio autem *diversa* illarum particularum *denominationibus* variis insignivit ipsas operationes: hinc *Solutio* nil aliud est, nisi *viciniæ vel dispositionis particularum cujuscunque corporis læsio*, quæ maxime scopo hujus Artis necessaria: est enim tanquam *clavis*, referans alte latentia, unde in ipsum palatium arcanorum ingressus patefit.

Solutionis species variæ sunt, quarum *prima* & præcipua est *Calcinatio*.

Calcinationis nomen generaliter competit *divisioni corporum duriorum, solidiorisque cohæsionis in ramenta & pulverem minimum quocunque medio adhibito, vel calore, vel menstruis salinis. &c.* fitque aut *via*, quam dicunt,

dicunt, *ſicca*, id eſt, abſque liquoribus, aut *humida* cum iiſdem.

Primo, ubi res calcinanda v. g. minerale vel metallum exponitur *igni nudo*, ut *flamma*, vel *materia ſubtilis*, *juncta ſalibus ſulphureis, in igneo fomite latentibus*, in particulis illas impingat, viciniam & cohæſionem illarum disjungat, & figuram illarum lædat: adeò ut partes illæ, quæ *ſuperficietenus* ſibi invicem incumbebant, jam à continuo tranſitu corpuſculorum & materiæ ſubtilis, illas agitantis, *cohæſionem* mutuam *derelinquere* cogantur, unde in *pulverem* collabuntur, qui *calx* vel *crocus* illius metalli vel mineralis dicitur.

Secunda Calcinatio, quæ in ſolis vegetabilibus & animalibus conſpicitur, fit *aëre aperto*, plerumque mediante *flamma*, ubi nempe in celerrimum motum rapiuntur, vel *fumoſo halitu*, ita ſaltem, ut omnes particulæ *volatilas* fugatæ relinquant *terreſtres*, *ſalinis* punctis imprægnatas; hæc propriè *Cinerefactionis* nomine venit, ſeu brevius *Incineratio* dicitur.

Tertio Calcinatio fit mediante quocunque *ſale* cujuſvis figuræ & aciei, ſcilicet muriatico, acido, alcalino volatili aut fixo; ſufficit enim, ſi meatibus & *poris corporum* conveniant *ſalia* adhibenda, vel *intentioni Chymicæ* inſerviant. In hac *ſequenti* methodo proceditur: res calcinandæ, præcipuè mineralia & metalla, particulis *acutis* & *ſcindentibus* adjunguntur, ut illa punctis & acie ſua penetrent, dividant, & conſortium mutuum tollant, unde connexione diſturbata in *pulverem* minutiſſimum rediguntur, qui ſeparato *ſale* in uſum revocatur.

Hac induſtria generali utitur *Chimicus*; ubi *ſalia* dura & ſolida exiſtunt *fixiora*, ad Calcinationem feſtinandam & abſolvendam, *ignem* in uſum trahit, & non raro *aquam*, ut fluida, & maximè agitata *ſalia impetum majorem* efficere poſſint in ſubjecta corpora: Ubi *fluida* jam ſunt *ſalia*, per ſe aggrediuntur ipſas ſuperficies, materia ſubtiliori gravida, & *minori terra* circumſepta; hinc enim promtitudo actionum maxima dependet.

Non minimi momenti eſt *Calcinatio*, quæ mediante *alliſione Aeris*, rem calcinandam *immediate* attingentis, perficitur. Hac enim via *lentæ* ſuccedunt, ſed *intimiores* duriorum corporum reſolutiones inde obtinentur, ita ut poſtea *magis convenientia* omnibus liquoribus, & præſertim humoribus noſtris, ſeſe ſiſtant, quam *igne nudo* tractata, vel *menſtruis corroſivis* deſtructa.

Harum *Calcinationum* modi varias denominationes, ſecundum varia *menſtrua* adhibenda, vel *methodum operandi*, recipiunt.

Pri-

Prima eſt *Corroſio*, quæ fit per res *corroſivas*, cujus ſpecies ſunt, *Stratificatio*, ubi pulvis corroſivus, & metallum ſeu minerale, ſibi invicem ſuperſternuntur: hac tamen cautela, ut pulvis *ſupremum* & *infimum* locum in pixide obtineat. Ejuſdem notæ eſt *Cœmentatio:*

Immerſio eſt ſpecies *Calcinationis humidæ*, abſolviturque, ubi res calcinanda *ſali fluido*, ſeu *acido* immergitur, ſive illud *arte chymica* in fluorem redactum ſit, ſive mediante *aqua* ſal aliquod diſſolutum ſit, ut fluiditatem obtineat.

Fumigatio eſt corroſio metalli per *vaporem*, vel *fumum* aſcendentem è particulis *ſalinis* cujuſcunque notæ; ſuſpenditur nempe lamella tenuis ſuper quodcunque *ſal*, & leniſſimo calore ventris equini, vel Mariæ balnei, vel calore ſolari, ſenſim aſcendentes *halitus* ſuperficiem illius feriunt, lædunt, & temporis tractu in *pulverem* redigunt.

Ignitio eſt rei Calcinatio per merum *ignem*.

Reverberatio fit, cum materia metallica flammæ vehementiſſimæ, *repercutienti* in ſuperficiem, committitur.

Deſiccatio impropriè ad Calcinationes refertur, cum tantum ſit mera *ſeparatio*, mediante calore, particularum ſuperfluarum *aquæ*, in poris & interſtitiis corporum ſolidiorum exiſtentis: quamvis illarum privatione *rigidiores* factæ ſint partes remanentes illius corporis, quæ facile deinde in *pulverem* vel *calcem* redigi queunt, nulla tamen læſione facta ſubſtantiæ illius corporis. Hiſce ancillatur *Præcipitatio*, quæ eſt *rei diſſolutæ, menſtruoque ſalino innatantis, mediante contrario affuſo ſale, poros replente, ad fundum deturbatio*; ob anguſtiam nempe loci omnia, vel pleraque ſaltem contenta, propria *gravitate* ad fundum deſcendere coguntur: ſic &, vi præcipites inferiora loca petere particulas, ſal, confeſtim ſe liquori inſinuans, & interſtitia ibidem replens, facit: vel, ubi menſtrua debilitata *affuſione* alius liquoris aquoſi, contenta derelinquunt.

CAP. IV.

De Extractione.

Solutionis altera ſpecies eſt *Extractio*. *Extractio latè* ſumpta eſt *puri ab impuro ſegregatio* quacunque arte chymica, fitque *variis* modis. Illi ſunt

1. *Sublimatio*, quæ ſtrictè ſic dicta eſt *corporum in altum elevatio*

absque læsione proprii status, fitque in rebus, superficiem adeo *levem* obtinentibus, ut mutuam partium *collisionem* patiantur nullam, adeoque *cellulæ*, humorem aquoso-salinum continentes, in suo situ & figura quamdiu permanent, tamdiu nulla *extravasatio* conspicitur; nec *sudoriferi vapores*, nisi superficiales, in principio sese offerunt plane *aquosi*; quod vehiculum *aqueum* si deficiat, *expansiones* etiam *ventiformes*, maximi *diffractionis vinculorum Authores*, cessant. *Materia* igitur *subtilis*, seu potius *Ignis*, tanquam mixtus, eas particulas in motum reducens, illas, plumarum instar, à minimo vento impulsarum, sublimiora cœli Chymici loca petentes, *fundum* deserere cogit, quæ postea in capitello sub forma *pulveris*, ab ambiente *Aeris humido* condensatæ, conspiciuntur: qui pulvis *florum* nomine apud *Chymicos* insignitur, tam ob amœnam *colorum* in eo differentiam, quam ob *levitatem*, & spumosam, ut ita loquar, utrorumque *texturam*, ut & ob congruentiam *locorum*, in quibus conspicui apparent, nempe, quoniam cacumina plerumque ambo possident.

2. *Destillatio* est *corporis cujuscunque fluidi, vel solidi, quatenus in fluidam humiditatem reducibile est, in altum elevatio* sub forma liquidiorum *vaporum*, sensim sese in guttas majores condensantium, posteaque stillatim decidentium, fitque *sequenti* modo: rerum suprascriptarum, calori alicui subjectarum *tenuiores* particulæ glabræ facile una cum materia subtiliori, illas particulas movente, *in altum elevantur* sub forma *nebularum*, quarum ope *corpuscula salina* & *sulphurea* leviora facta simul altum petunt, quatenus nempe *rariori textura*, adeoque ad exaltationem faciliori insigniuntur; reliqua enim *densiora*, ad motum, & mixturam aquoso-salinam minus utilia, fundum vasis occupant damnata; quæ si *frigore* autem concrescant, in capitello seu recipiente condensantur in liquorem hujus vel illius nominis. Omnia *vegetabilia* & *animalia* facile huic operandi modo parent, utpote quæ in tubulis & canalibus suis plurimum *fluidi* admittunt *aquosi*, ubi ècontra mineralia pleraque *aëreas* vix admittant particulas, humidum vero *aqueum* pro magna parte respuunt, unde pauca tantum hoc prælo humorem exsudant. Quid de *salibus* sentiendum, postea in operationibus explicabimus.

Hæ *Destillationes* sunt igitur nihil aliud, nisi *sublimationes humidæ*, quæ per *ascensum* semper fiunt, quamvis vasorum & ignis structura exspatiationem liberam ad altitudinem aliquot pedum non admittat: Ideoque de *Destillatione ad latus* nullam hic mentionem facio, cum sit tantum

tum *minor aſcenſus corporum graviorum*, imo, quamvis *Deſtillatio per deſcenſum* videatur aliquid novi proferre, attamen cum *leviorum* ſit continuus ad *ſuperiora* niſus, hinc corporum illorum rarefactorum deſcenſus à mera *ſtructura vaſorum*, ut paulo ante, dependet, quæ, ſi roſtra vel *capitella* obtinerent, halitus ad *ſuperiora* emitterent *igne* etiam *ſuppreſſionis* adhibito, ut teſtantur experimenta plurima.

Hinc *duæ* præterea dantur *Deſtillationis ſpecies : Prima per deſcenſum*, quæ fit, ubi res deſtillandæ, *infra ignem* locatæ, agitatione caloris ob exitum ſuperius negatum ad *inferiora* deſcendere coguntur ſub forma *vaporum*.

Secunda ſpecies eſt *Deſtillatio per deliquium*, cum ſalia, *humido aëri* expoſita, in liquorem guttatim deſcendentem defluunt.

Hiſce ſubminiſtrant *Rectificatio*, quæ eſt *repetita liquoris deſtillatio per ſe*, inſervitque ad depurandos, & à *phlegmate* ſuperfluo liberandos liquores, ut tanto ſubtiliores & tenuiores evadant. *Cohobatio eſt iterata deſtillatio ſuper fœces*. Hæc inſtituitur ad *vincula* corporum magis reſeranda, & particulas *puriores* inde ſegregandas, quibus *vehiculum fluidum* imbutum poſtea apparet, multo majoribus viribus inde præditum.

Ultimo *Filtratio*, quæ eſt *liquoris per chartam emporeticam depuratio*.

Extractio ſtricte dicta eſt *partium puriorum corporis ſolidi ſeparatio* mediante earum receptione in meatibus & poris *debiti menſtrui* fluidi, cœteræ ibidem non admiſſæ *heterogeneæ* particulæ, id eſt, quarum *poris* & meatibus *ſalia ſpirituoſa* in naturali, vel artificiali ſtatu non rite mixta exiſtunt, (immobilis enim & inefficax talis *terra ſpiritu ſalino privata* exiſtit, *denſiorque* ejus eſt textura,) ſponte *fundum* propria gravitate petunt. Huic inſerviunt primò *Digeſtio*, quando partes omnes mixti ſimul in *calore leni* detinentur, ut *motu* iſto continuo particulis inter ſe invicem agitatis craſſiores partim ſubtiliſentur, & *menſtrui meatibus* innatare *aptæ* natæ reddantur, partim laxatis omnibus viis *terreſtres*, *craſſiores*, & *impuræ* particulæ ad fundum propria gravitate decidere cogantur, ſupernatante *tinctura*, vel extracto liquido claro & pellucido, ulterius ad conſiſtentiam debitam reducendo, menſtrui affuſi *evaporatione*, vel *abſtractione*.

Maceratio eſt *cujuſcunque rei ſolidæ in liquore convenienti infuſio abſque igne*, ut ejus vincula & clauſtra reſerentur, & vehiculum liquidum aptum reddatur in meatus illos ſe *inſinuandi :* unde ad abdita penetralia *ingreſſus liquor*, motu accedente vehementiori, ſimul abripit ibidem

latitantes particulas, easque secum facile volatilisat. Eam ob *causam* igitur præcipuè instituta est, ut *salia* altius latitantia è carceribus *terrestribus* in apricum producantur per liquores exterius accedentes, *salibusque internis* sese permiscentes, diutina morâ sensim mixturam ineuntes, quibus bene mixtis postea divortium ab aliis *inutilioribus* procuratur. Hac diutius continuata, sequuntur in dilutioribus aquosis *Putrefactio*, in ramoso-viscosis *Fermentatio*.

Putrefactio est *particularum & pororum interna dissolutio* continui, ubi nempe particulæ *subtiliores* perfractis omnibus viis sese à corporibus *terrestribus* crassioribus liberant, & inde qua data via undequaque ruentes corpus *terrestre immobile* seu *mortuum* deserunt. Particulæ *halituosæ salinæ*, ad nervos nostros delatæ, illos vellicant, & ingrato odore afficiunt, unde *fœtor*, cujus origo à particulis salinis acrioribus ramosis dependet hic illic nimis *patulis* & *diffractis*, id est, plane incongruè dispositis, ita ut *hic* salia cum immutato sulphure minimo, *alibi* sulphura ramosa cum sale minus copioso, & adhuc intricato existant, unde ingrata & pugnax mixtura tam in *odore*, quam *sapore* assurgit, eodem modo, ut *candela extincta fumum* ex semiadustis ejus partibus exhalat *tetrum*. Omnia enim corpora mixta cum sint è particulis *fluidis* & *solidis*, in statu naturali simul vinciuntur ita, ut fluidæ solidas secum vehant, iisque tanquam in canalibus & capsulis influant & *includantur*; hinc in tubulis suis *motum & pressionem* continuam ut obtineant, necesse est, tam, ut fricando & allidendo fœces suas huc illuc deponant, atque ita *exhalationem* admittant aliqualem, quam, ut *nutrimenta* ubivis deferre possint, quæ ex particulis ejus *solidioribus* deponuntur: quamvis non opus sit, ut innumeras figuras corpusculorum, partibus *hisce vel illis nutriendis solummodo* dicatas, nobis fingamus, cum ea *fluidorum* sit natura, ut particulas solidas etiam *durissimas* sensim imminuant, omnibusque alterationibus & immutationibus exponant, unde postea sese ad corporum aliorum *poros* & figuram submittant, *flexiles in omnes formas* & figuras, præcipue, si *aëris injuriis* expositæ, vehiculo mediante *aquoso*, *(quod tanquam princeps instrumentum in hisce naturæ phænomenis considerari ubique debet)* ulterius agitentur & subtilientur. Hæc ergo constitutio corporis naturalis facile corrumpitur à læsione illarum *capsularum & canalium*, *ubi continua series tubulorum* tollitur ex parte, vel totaliter, ut in subsidentia, obstructione, & læsione vasorum satis manifestatur; hinc enim *stagnatio*, quæ, *pressione* & propulsione *externa* de loco in locum cessante, *pressionem internam* particularum mu-

tuam producit, è qua collisio *duriorum*, quæ jam instar putaminum, hic illic in liquore natantium, oneri cœteris *subtilioribus* esse incipiunt, quæ tumultuoso postea motu ab illis *crassioribus* sese extricant, hasce partim ad fundum *deprimendo*, (unde in putredine, diluta semper primo fiunt corpora) partim alias leviores secum *rapiendo* in *fugam*. Ex hoc motu sat violento, particulæ subtiliores, acuatæ ob continuam affrictionem, *acres* evadunt, & infestæ nobis sunt, ejusdem farinæ cum sint, ut igne vehementiori *adusta empyreumatica*, quamvis illa non in tantum natura abhorreat &c.

Fermentatio est *particularum ramoso-viscosarum motus intestinus proprius, à particulis aëreo-aquosis ortum ducens.* Hic motus fit cum strepitu, bullis, & elevatione materiæ, ob *aërem plurimum receptum*, & particulas internas *salino-sulphureas* (*in ramosis* in maxima copia existentes) dilatatas, quæ integram massam quasi inflare & extendere solent. Hæc ita sese habet: Corpora suprascripta, crassis & *terrestribus* particulis, in quibus impliciti hærent plurimi *spiritus*, magna infusa *aquæ* copia, facilè subsidentiam in vehiculo illo debiliori admitterent, ni hæ *spirituosæ* ejus partes præcipitationem maxima vi prohiberent, quæ angustia loci pressæ *motum majorem & velociorem* concipere solent, ætherea mediante materia *leviusculum fluorem* adeptæ, & in ventiformem figuram quasi redactæ, omnesque *irregulariter* liquori innatantes particulas *terrestres*, porosque & meatus ex parte obstruentes, maxima vi de loco pellere satagunt. Continuante semel hoc suscepto *motu*, particulæ *crassiores*, motui minus aptæ, è meatibus illis *laxioribus deprimuntur*, & sponte subsident; ramosæ verò *leviores*, unà cum *subtilioribus salinis* unitæ, cum *aqua* consortium ineunt: hæ *tres* deîn *motu* illo *subtilisatæ* particulæ constituunt *spirituosum vinaceum liquorem*, qui postea mediante *destillatione* humorem exudat *inflammabilem*. Verum, diutius persistente hoc *motu*, *salia* omnia rigida & acuta, quæ antea latebant in particulis *terrestribus ramosis*, sui juris facta, & fluorem plenarium adepta, latibula sua facilè disrumpunt, *spiritus* superstites figunt, & omnia *acore* suo perfundunt. Quoniam enim *salino-oleosæ* particulæ, hoc nimis diu continuato motu, pleræque fugatæ sunt, quæ maximè necessariæ ad temperandam *acrimoniam salium fluidorum* sunt, ideo reliquus liquor *ingratus acidus*, *vel austerus*, redditur. Omnibus verò fugatis *spiritibus* in *vappam* degenerat liquor, apparente in supremitate liquoris *cuticula*, è particulis terrestribus, illuc mediante fuga delatis, orta; utpote quæ motum eorum ulterius assequi non potuerunt, & ad

fundum depressa *fœce è terra graviore.* Ut latius alibi, de fermentatione agentes, indicavimus.

Nemo igitur, hisce *motibus intestinis* ritè consideratis, negare poterit, *extractionem*, & *extricationem partium* variam in *fermentatione* fieri, præcipue, ubi effecta ulterius mentis & corporis judicio sensibusque rimatus fuerit; *Primò* enim in ipso motu plurimæ expelluntur *tenuissimæ* particulæ, nervos nostros notabiliter afficientes; *Secundò* immutatur *Sapor*, *Odor*, & *Color*, quod fieri nequit, nisi per *aliam dispositionem*, vel extricationem partium; *Tertio* separatio fit manifesta partium *crassiorum à subtilioribus* etiam ante destillationem; *Quarto pondus* multum imminuitur liquoris *fermentantis* &c. Hæc igitur *definitio* non male *fermentationi* conveniret, quod sit *specifica extractio liquorum subtiliorum, per collisionem partium mollem, sui generis.*

Effervescentia est fermentatio subitanea, orta ex occursu duorum corporum, poros & meatus mutuos occupantium: unde *aër*, undiquaque pressus angustia loci, vi sibi viam parare solet, cum *sibilis*, *strepitu*, & *guttulis* in altum elevatis sese manifestans; postea *aëre* & *aqua* de loco deturbatis, *placidum*, & sæpius *inseparabile*, ineunt consortium hi duo liquores, qui fluiditatem suam derelinquentes, rigidam & duram plerumque ascifcunt consistentiam. In hac actione *differt à fermentatione strictè ita dicta*, quæ fluiditatem partium utplurimum promovet. Ratio mihi videtur petenda à copia prædominante *particularum solidarum*, suo modo figuratarum, plerumque *duriorum*, poros *corporum fluidis innatantium* replente, & obsidente, unde *immobiles* esse omnes simul coguntur; ubiècontra liquor, in fermentatione affusus, *negat* ingressum copiosum solidiorum corpusculorum, quæ & partim imminuuntur, partim deprimuntur, unde *solidam* induere *compagem* nequeunt, præter *figuræ* aut dispositionis mechanicæ insignem differentiam, inter hæc duo corpora, *fermentationi* aut *effervescentiæ* apta nata. Hic *motus* citius vel tardius absolvitur, prout cohæsio corporum magis vel minus *viscosa & tenax* est; hinc enim *aëris exitus*, diversimode particulis intricatus, retardatur; multum etiam confert *immediata corporum congressio*, ubi nempe eorum actio non ab aliis *intermediis* corporibus interpellatur, ut *aqua* &c. Est & aliud *effervescentiæ* genus, quod fit ex merò congressu liquorum, diversa pororum structura, densiori vel latiori nempe, præditorum, in quibus *materia ætherea* in diversa quantitate & mixtura abundat. Hinc enim hæc *materia* agitata alios sibi loculos reperiens, hic *pellitur*, illic in majori copia *admittitur*, unde calor sine magno strepitu &c. donec, sedata

mate-

materiæ illius concuſſione, liquor ut ante *clarus* & *frigidus* conſpiciatur. Diſcrimen *Fermentationis & Efferveſcentiæ* ex hiſce præcedentibus facile patet in ſola partium *ſolidarum textura* & *pororum conſtitutione diverſa in fluidis* dependere, ut mutuam luctam ineundo, aëremque propellendo, *divortium* efficiant, vel *conſortium* ineant; ut infinitis exemplis patet, in ſalibus fluidis & ſolidis &c. Sic v. g. corpus quo magis *viſcoſum*, eo citius diſſolubile in *aqua* communi (plurimo aëre gravida) eſt, unde per conſequens facilius ejus *motum* & preſſionem ſequitur, id eſt, in *fermentationem* rapitur: quo magis *ramoſum*, eo pertinacius (ob plurimas particulas *terreſtres*, & *pororum irregularem texturam*) firma ſua cohæſione reſiſtit *aquæ* glabris & flexilibus particulis, ne ſcilicet ingreſſu ſuo ſitum proprium lædant, *internum motum inducendo*. Efferveſcentia autem corporis *ramoſi cum ſale fluido* impeditur intermediâ *aquâ*; menſtruo enim ſalino debilitato mutua conjunctio & penetratio particularum præcavetur. Hinc etiam patet, quare *ſalia alcalia* & *acida* in mutuo occurſu *ſibilos*, *ſtrepitus & bullulas* ſat magnas cum guttulis in altum aſcendentibus (ac ſi ex fonte protruderentur in aërem) producant; quare èccontra *ſalia acida concentrata*, *oleis* ſi affundantur ſubtilioribus, *calorem* ſat magnum & *vapores* proferant *abſque ſtrepitu & bullis*; pertinacius & diutius verò in calore illo perſtent, quam *ſalia* illa *præcedentia*. Ultimò inde conſtat, mixturam *ſalis* cujuſcunque *concentrati*, cum *dilutioribus aquoſis vel ſpirituoſis*, *calorem* quidem ſat magnum, *nullos* verò *ſtrepitus*, vel actiones violentas edere poſſe, quoniam in ſola *craſſitie* & *irregularitate* particularum, reſiſtendi vis obſervatur maxima, in hoc *motuum* genere.

Obſervabile etiam eſt in omni *fermentatione* & *efferveſcentia*, *unionem* exactam fieri particularum præcipuarum tam in *odore*, *ſapore* & *colore*, quam in aliis qualitatibus manifeſtis, quæ nulla methodo æquè facile illud admitterent: hoc modo *ramoſa ſalinis*, *viſcoſis*, *terreſtribus*, *aquoſis & ſpirituoſis permiſcibilia* exiſtunt, ut in operationibus latius.

CAP. V.

De Coagulatione.

COagulatio eſt *humoris rei cujuſcunque externa vel interna privatio, ſeu condenſationis partium ultima quaſi ſpecies.*

Interna (quæ *vera* privatio eſt) fit, corpora ubi liquida calori expoſita

posita particulas *leviores lubricas* & flexiles, *motu* illo concitatas, dimittunt, quoniam hæ *intimè* iis non adhærebant; sed liberiori *motu* gaudentes facile sese è consortio graviorum extricant, *aërem* petunt, & locum suum relinquunt, unde *coagulata* & in formam *siccam* redacta apparent.


Privatio humoris *externa* fit, ubi liquor *superficiem* ambiens alicujus corporis, jam ad *interiores* meatus & latebras subjecti permanat; sic enim pori meatusque *dilatati* mediante *digestione*, facilem *ingressum fluidis* hisce particulis admittunt, quapropter sensim ibidem insinuatæ, & quasi capsulis inclusæ, partimque fugatæ materiam sub forma *sicca* sensibus nostris apparentem exhibent.

Ultima *Coagulationis* species est *fixatio*, quæ est *volatilium & maximè mobilium particularum in quietem, seu fixiorem, & non tam facilè mobilem substantiam reductio*. Fit plerumque, ubi partes velociores & *subtiliores*, conjunctæ particulis crassioribus & ponderosioribus, ad motum minus aptis, *calore* diutius agitatæ, *poros terrestrium* particularum, & meatus semsim magis ac magis *dilatando*, illos subintrant, ibidem sese abscondunt, & quasi *incarcerantur*, donec planè illis intricatæ & oppressæ in motu suo *sistantur*, ita, ut fugam amplius tentare nequeant, sed in fundo vasis immobiles *restare* cogantur, quæ particulæ *ignis* vehementioris motum sustinentes, absque ullo partium divortio, *fixæ Chymicis* vocantur.


CAP. VI.

De Lutis & Furnis.


FUrni innumeri pene apud alios Authores cum dentur, illorum descriptione supersedebimus, solummodo illos descripturi, qui ad *usum magis commodi* operationibus cito perficiendis inservire queunt. *Generalem* ergo illorum rationem seu delineationem præmittere necesse erit. *Ignis*, utpote omnium *fluidissimum corpus*, facile motum suum, aliis corporibus occurrens, communicat; sed *tenuitate* suarum partium *effluvia* ab *igne* emissa, continuo *motu* gaudentia, ulterius pergunt, & in *aërem* rapiuntur ambientem, illius fugam accelerantem, unde corpora, vel parum læsa, vel motu illo capta, *materiæ subtilis motum* sequuntur. Hinc damnum olei & operæ (ut ajunt) Artifices passi ad *Instrumenta*, *Vasa* nempe, & Furnos, confugerunt: *primo*, ut *materia subtilis*, arctioribus limitibus circumdata, ab *aëris* circumfluentis externis injuriis pro tempore




A *Ferramenta quibus late-res erecti includuntur ut citissime furnorum constructione inserrio*




B *Furnus gaudrangularis portatilis parrus.*



C *Furnus rotundus ex orbiculis ferreis constructus.*



D
Furnus pro Spiritibus acidis fortioribus



E *Olla magna in serviens pro recipiente in spiritib9 acidis etc.*

pore liberetur; *secundo*, ut *aër*, qui merum illius materiæ excipulum, rite recipiatur in *tubulis ramosorum* corporum, in quibus conglomeratus, ob *densiorem* & *irregularem* situm partium, *ventiformem* suscipit figuram; unde continuante à tergo *aëris* circulantis impetu maxima vi in subjecta corpora sævit, & *carceres* perrumpit, imo plurimas secum rapit particulas *solidas*, ut in *fumo* &c. patet. Unde propulsio *aëris* maxima in circulum seu *gyrum*, cum continua allisione & ingressu ejus in corpora *ramosæ texturæ*, vehementissimum in furnis &c. *ignem* efficit. *Tertio*, ut *vasa* destillationi inservientia, *motui* illi vehementissimo objecta, undiquaque illo *cincta* conspiciantur, unde maximo impetu in ipsa vasa *materia subtilis* urgens *divortium particularum* tanto facilius promoveat. *Quarto*, ut effluviis materiæ subtilis & flammæ, nunquam nisi in *longis tubulis per rectam lineam* exitus pateat, sed semper potius *incurvetur*, ita, ut vi *exitum* sibi ex illo *labyrintho* facere cogatur, antequam ad *Expansum Chaos Aëreum*, *commune fluidorum receptaculum*, pertingere possit. Hæc autem, observando *sequentia*, facile obtinentur: *Primo* furni *cinerarium* sit ad altitudinem 6. digitorum. *Secundo*, *focus* sit è quatuor vel quinque ferramentis, pollicis unius latitudine à se invicem dissitis, ut *minores carbones* decidere possint, qui continuo impedimento transeunti aëri, & aliorum inflammationi sunt. *Tertio*, ad digitorum 3. altitudinem à *veru ostium foci* sit positum, non immediate circa veru ipsum, ad *molestiam carbonum decidentium* præcavendam. *Quarto, altitudo foci ad vas sit* 9. digitorum, ut libere *focus* instrui possit, & *flammæ motui* spatium sat amplum pateat. *Quinto*, *focus* ipse ad *veru sit inclinans* & angustus, leniter sese ad superiora extendens, ut *aër*, per cinerarium intrans, ibidem tanquam in orificio exceptus, *capacitatem sensim majorem obtineat*, suæ expansioni & propulsioni idoneam. *Sexto*, *superior pars furni* sit *concava*, & magis magisque in *angustiam* denuo *circumcirca* vas coërceatur, ut *undiquaque* flamma coacta illud lambat; *spatium* autem *inter furnum & vas* sit 2. digitorum. *Septimo*, in furno *ignis aperti superior pars furni*, ubi egressus flammæ alias patet, claudatur erectis ad altitudinem 4. digitorum lapidibus, ab una parte *egressum flammæ obliquum* relinquens. De *latitudine* autem *furni* construendi *dimensionem* exactam dare nequimus, cum hæc variet pro magnitudine *vasorum*. Breviter autem *sequens* delineatio sufficit: *Cinerarii introïtus* superet altitudine latitudinem in tertia circiter parte. *Focus* sit proclivis ad veru, quod mediam circiter partem capacitatis furni obtineat: ipsa *capacitas furni* sit obliqua, ventrem tumidum in medio interne re-

præſentans, in ſummitate denuo coarctetur, ut flamma quaſi *reverberare* cogatur in vas deſtillatorium. Sic furni, omnibus fere uſibus inſervientes, præparari queunt. *Gradus* quod attinet *ignis* non in ſummitate; ſed potius in *cinerario*, obſervandos ducimus; *ingreſſus* enim *aëris*, *non egreſſus* eſt dirigendus; quo enim *major impetus aëris admittitur*, eo focus *luculentior* ardet, & ècontra, negata *aeris* per *inferiora* inſinuatione, *ventiformis* prima expanſio in tubulis ramoſis impeditur; halitus *aerei*, per eadem orificia inſpirantes enim & exſpirantes, ſucceſſive & *lente* circulum ſuum abſolvere coguntur. Rejicimus ergo *Graduum regimen* per *ſuperiora* orificia furni, imo potius *ignis jactura*, per tot *foramina* accelerata, *Artiſtæ temporis* & *pretii* diſpendium auget. Furni *portatiles omnes* fieri queunt *etiam magni* viliſſimo pretio, ita, ut *hora* una vel altera conſtructio è minima laterum copia eorum abſolvatur. Hunc in finem fiant *orbiculi ferrei*, *cum laminis aliis ferreis* concatenati, ut hæc figura demonſtrat, quorum *interior* pars cingatur *lateribus* erectis, luto obducendis &c. *Vaſa* diverſiſſimæ magnitudinis, formæ & figuræ apud alios depicta proſtant, ad quos *Lectores* remittimus, ne iiſdem veſtigiis ſemper inhærere videamur. Præcipua autem, quæ Nobis in uſu ſunt, deſcribemus.

1. *Retorta noſtra* eſt vas *oblongum* cum *ventre* ad duorum vel trium digitorum altitudinem; *roſtrum* autem *non obliquum*, *ſed rectum & latiſſimum* obtinet, ad minimum 2. 3. vel 4. digitorum, ita, ut fere ſit inſtar *cucurbitæ terreæ*. Hoc vas, *ſalium fluidorum* deſtillationi inſerviens, *citiſſime* ad finem operationes perducit: ut in oleo vitrioli &c,

2. *Capitellum terreum*, ollæ *ferreæ* adaptandum, etiam *latiſſimo* cum *roſtro*; inſervit aquæ forti, floribus ſulphuris, & ſimilibus, cito & in copia perficiendis, quod *cum tubulo*, *vel abſque eo*, confici poteſt ad materiam de novo reſtaurandam poſt abſolutam *injectæ* deſtillationem.

3. *Recipiens* vel *vitreum vel terreum* in extremitate *foraminatum*, *egreſſum* fumis craſſioribus & ſubtilioribus *ſilveſtribus* præbens.

4. Omnes *Alembici* ſeu *Capitella* vitrea & ſtannea ſint roſtro ſuo munita in ſummitate *curvo*; quo *latiori orificio* gaudent, eo melius, 1. ne *ſpirituoſi vapores* circa *convexum* retardentur. 2. Ut *ſpatium* ſat *amplum* in *roſtro* ipſo inveniant ad recipiens properantes.

5. *Alembicus ſtanneus tubulatus* ad altitudinem 2. vel 3. pedum pro *ſpiritibus fermentatione* mediante paratis ſubtiliandis, cum *roſtro* oblique deſcendente.

6. *Phiola cum roſtro* in ſummitate *obliquo* ad *ſpiritus ſubtiliandos*.

Luti ſequentes dabimus ſpecies:

Lutum



A. Vitrum cum suo operculo.

B. Alembicus stanneus pro subtiliatione spirituum ardentium.

C. Capitellum ferreum pro aquâ forti etc.

D. Alembicus stanneus pro aquis et spiritibus.

E. Capsulæ quibus retortæ vitreæ includuntur pro igne aperto.

F. Phiola cum rostro incurvato.

G. Retorta.

H. eadem tubulata.

I. Recipiens foraminatum.

Lutum ex *argilla* vulgari, cum *arena* & *aqua* ſubacta, donec non amplius *digitis* adhæreat. *Pingvius* enim ubi exiſtit, *duplex* incommodum parit, nempe *fiſſuras* facillime contrahit, niſi lente exiccetur, per aliquot dies, & *ægre* poſt operationem peractam *ſeparatur* ſummo cum periculo vaſis *recipientis*. Inſervit *ſpiritibus acidis deſtillandis*, & *retortis vitreis loricandis*; facilius autem illa *loricatio* fit cum *capſulis duabus terreis* retortam includentibus, quarum fiſſuræ hoc luto obducuntur.

Pro *ſpiritibus ardentibus*, & ſimilibus, fit *lutum è farina lini cum aqua* ſubacta, quæ eſt valdè viſcoſa & tenax. Hæc *farina* præ aliis nobis in uſu eſt, quoniam oleoſa eſt & difficulter *fiſſuras* admittit, adeoque *arctiſſime* roſtra & fiſſuras jungit, ut *exhalationi* nullus relinquatur locus. Sufficit autem illa *farina*, quæ reſtat poſt olei lini expreſſionem, quæ *viliſſimo* venditur *pretio*, ubique proſtans.

Ad *ſubtiliſſimos ſpiritus* retinendos & aſſervandos inſerviunt *opercula è vitro* conflata, quæ tam diu in *orificio vitri* cum *arena & aqua* expoliuntur, donec accurate adaptentur ita, ut *rima nulla* fere appareat, & ne *guttulam aquæ* decidere ſinat.

Pro *vitreis & terreis* inſtrumentis conglutinandis proficua eſt *ichthyocollæ ſolutio*, *cum gypſo* ad albedinem *calcinato*, & in ſubtiliſſimum pulverem redacto &c. &c.

Lutum è minio, vel ceruſſa plumbi cum oleo lini fit ad *ſerpentinas* & *dolia aquam retinentia*, conglutinanda.

CAP. VII.

De Aquis Vegetabilium.

A*Quæ ſimplices*, *officinales* dictæ, nil aliud ſunt, niſi *phlegmata*, *in quibus aliquæ ſalino-ſulphureæ particulæ dilutæ ſunt.*

De *Aquarum* ſelectione aliqua jam in *Pharmacia Galenica* dedimus, reſtat, ut hic breviſſime tantum dicamus, *Pluvialem*, utpote rarefactam, *radiis ſolaribus* imbutam & ſublimatam, eſſe optimam pro *Calidis*, *Putealem*ècontra, *aluminoſo* & *muriatico ſale* imprægnatam, in terræ cavernis craſſioribus particulis refertam, pro *frigidis*, *ſtypticis* & *adſtringentibus* maxime conducere, *Fontanam intermediæ* exiſtere conſiſtentiæ. Verum hæc, quoad *vires*, & omnem ejus *qualitatem*, plurimum differt per *ſolutiones minerales*, quas obtinet, *diverſas*. Nequis autem credat, ſtatim *agendi* qualitatem ſeſe poſſe deducere è *guſtu*, vel *præcipita-*

pitatione aliqua *prædominante*, cum nullibi *simplex* appareat *terræ subterraneæ mixtura*, quæ in *diversas* incidens *mineras*, *his* vel *illis* copulatur particulis, unde aliæ ècontra *loco* partim *cedere* coguntur, partim *mutuis interstitiis accommodantur*. Hinc *difficultas æmulandi Aquas naturales*, hinc *diversitas corpusculorum* per varia experimenta diversorum *Indagatorum* in lucem prodit, ferri nempe, cupri, argenti, marcasitæ, ochræ, terræ cretaceæ, sulphuris, calcis &c; sæpius enim hæc omnia in *una fodina & minera* concurrunt, & ab *eodem sale* corroduntur, & mutuas *impraegnationes* in *Aqua* superstites relinquunt. Non mirum igitur, si corpuscula *salina* & *Aquosa*, hisce particulis onerata, *varias modificationes* sustineant, indeque *differentes* plane *denominationes* acquirant, ratione *salis* attamen, *re ipsa unius* in principio, scilicet *acidi*, jam vero per mixturas illas *diversificati*: ut *Aqua aluminosa*, ubi sal illud partes ochreas & cretaceas inciderit, *Aqua chalcanthosa*, *seu vitriolica*, ubi cuprum aut ferrum ab acido præterfluo corrosum fuerit, *Aqua nitrosa & sulphurea*, ubi sale intermedio sulphureo inflammabili insignitur *Aqua* è *sale* nempe *aereo*, & *ammoniaco*, juncto *sulphuri carbonum* tenuissimo, vel ex ipso *sulphure minerali accenso*, partim in *salem acidum*, partim in *flores* subacidos verso &c. &c. Tandem *Fluviatilis Aqua* sese offert, quæ sæpius proximè ad *Aquam pluviam* accedit, quoniam ubique in cursu suo per *allisiones* & *exhalationes fœces* suas deponit. Verum enim vero, prout non omnia fert una tellus, sic & *flumina*, diversis *animalibus* & *piscibus* referta, illorum *exuviis* & *excrementis* inquinantur, ut & vegetabilium ibidem nascentium *succis*, &, quod minimi momenti non est, *æthereis* particulis, *exhalationibusque vicinis gravida Aqua*, per *radios solares*, *nubes*, *rorem*, & adiacentia *littora* alteratur, imo etiam per ejus *fundum*, *mineralibus* scatentem &c. *Variam* esse hujus *efficaciam* satis sufficienterque patet, & nunquam unius ejusdemque esse *actionis diversorum fluminum* haustas *Aquas cerevisiarii*, *tinctores*, imo ipsa *vegetatio* diversa ubique demonstrant. *Exempla* & *experimenta* cum *ratiociniis* ulterioribus circa *Aquarum* perfectiorem notitiam hic adducere, prout ubique in hoc tractatu, non est animus, cum hæc integrum *libellum peculiarem* requirerent ad elucidationem plenariam inde obtinendam. Ideoque sicco pede præterimus *Aquam nivis*, plane *volatiliori sale nitroso aut ammoniaco acido* refertam, maxime convenientem in *frigidorum & purgantium vegetabilium* destillatione, quod satis patet ex illius *usu* interno & externo *laxante* & *inflammationem sistente*. An vero mense *Martio* collecta sit optima, dubito ob plurimas *rationes* & *experimenta*, mihi *contra-*

trarium suadentia. *Paluſtris Aqua*, inutilis quamvis videatur, attamen ob principium & *notam* levioris jam *putredinis* inductam, convenit *figuræ* & *motus* partium ſpecificè ita determinatarum loco, ad *putrefactionem & ſolutionem hoc modo corporum* accelerandam, ut & ad fœtida & graveolentia, ſale volatili fœta, in altum elevanda. Nunc vero ad ipſas *Chymicas & officinales Aquas* tranſimus.

Ratione ergo hujus vel illius *mixturæ ſalinæ terreſtris*, vel *olei*, permixti particulis mere *aquoſis*, differre à ſe invicem dicuntur: cum revera *vehiculum unum idemque in omnibus* adſit. Utinam non cogeremur dicere, *omnes* diverſo nomine, ſeſquipedalibus inſignitas literis, *Aquas proſtantes*, *titulo*tenus, *non viribus*, differre; cum acutiſſimus Medicus vix ullas, quippe *odorem* vix aliquem, niſi levem empyreumaticum ſpirantes, queat dignoſcere. *Superflua* igitur cenſenda tanta farrago *Aquarum*, *ſapore* & *odore* vix ac ne vix quidem imbutarum: ut ſunt *frigidæ* pleræque, non tamen omnino rejiciendæ, utpote quarum vis vel in *diluendis* particulis *acrioribus*, vel in *motu earum* nimio *ſiſtendo*, conſiſtit: atqui *priores vires* reperiuntur in ipſa *Aqua communi*, *poſteriores* in omnibus *fluidis ſalibus acidis* pluſquam ſatis adſunt: Ergo facile illis, pro maxima parte, ad pretium & *ſumptus* plurimos minuendos, carere poſſemus, ſubſtituendo infuſiones eorundem vegetabilium *levioribus*, aut pro re nata *gravioribus*. *Calidæ* autem dictæ, id eſt, quæ *ſulphureo-ſalinis* tenuioribus dotatæ particulis, *odore* & *ſapore manifeſto* nobis ſeſe offerunt, magni æſtimandæ; utpote quæ impetum in maſſam *noſtri ſanguinis* facere queunt, & fluida noſtra vario modo afficere. Illarum ergo debitam *præparationem* præmittemus, obiter poſtea de *Frigidis* dicturi.

Omnia aromatica, *odorifera*, flores, radices, cortices, ligna pleraque, & ſimilia, ſubtiliſſimo *ſale volatili ſulphureo prædita*, hic ſeſe offerunt. Quoniam autem eorum *vis* in particulis *ramoſis* exiſtit, ideo neceſſariò præmiſſam requirunt *macerationem*, *cum levi*, ſi placeat, *fermentatione* conjunctam, quæ Aquas illas *ſpirituoſas* reddere poſſit; Notandum enim eſt, *nullam* debitam fieri *unionem partium ramoſarum cum aqueis & ſalinis*, *niſi mediante motu aliquali inteſtino*, qui illas concutiendo, magiſque *patulas* reddendo, aperto ore quaſi hiantes adaptet *tubulis Aquæ*, unde liquor, hiſce particulis gravidus, *Aquæ ſpirituoſæ* titulo gaudet. Si autem *in magna quantitate* occupent & repleant interſtitia Aquæ, cum qua fere individuum conſortium poſtea obtinent, *ſpiritus* dicitur liquor. Differt ergo *ſpiritus* ab *Aqua ſpirituoſa*, in majori

vel minori quantitate *aquæ permixtæ.* &c. Exemplum *sequens* esto in *herbis:*

Aqua Cardui benedicti.

℞. *Herbæ Card. bened. q. v.*
Conscindatur grossô modô, huic adde ad singulam libram,
Salis comm. ℥ij.
Sal. alcal. ʒij.
Fœcum Cerevisiæ, vel Fermenti subacidi, cochlear. j.
Aquæ pluvialis calidæ pintas 6.

Fermententur simul per 14. dies, vel, si citius expetatur, in calore leni detineantur per 6. vel 8. dies, ut fermentatio, hoc externo accedente motu, eo celerius absolvatur, dein destillationi omnia committantur in vesica, alembico & serpentina instructa.

Prima egrediens libra hujus *Aquæ* è singulis simplicium assumptorum libris, erit valde spirituosa, & maximè commoda pro sudoriferis potionibus: *Secunda* erit debilior, quæ vehiculi locum retinere potest in mixturis, vel aliis medicamentis blandioribus.

NOTÆ.

1. In hac *Aquæ* præparatione *conscissio* valde necessaria est, ut *omnes herbæ partes* undiquaque in motum fermentativum abripiantur, & quasi ulterius imminuantur.

2. *Aqua* fragrantior, & majoribus viribus dotata evadit, si *debilior Aqua, antea* super eandem herbam *destillata*, communis loco aquæ herbæ adjiciatur; *decoctum* autem *herbarum* quod à quibusdam præscribatur adjiciendum, non video *rationi chymicæ* consonum; *volatilis* enim *pars*, in talibus operationibus præcipuè *servanda*, *non* mediante *coctione fuganda.* Si autem non in promptu sit *destillata*, *succus expressus*, succulentæ ubi sint herbæ, vel *infusio*, *sequenti* modo paranda, affundatur.

℞. *Herbæ cujuscunque s. q.*
Huic superfunde
Aquæ communis fere bullientis q. s.
In vase exacte clauso macerentur per 6. horas, dein exprimatur liquor, fermentationi cum recenti herba, ut supra, committendus.

3. Adduntur *salia* duo, quoniam *muriatica* corpora præservare solent à nimis celeri fuga & motu; *salia* enim *interna volatilia*, quæ in parti-

partibus ramosis corporum delitescunt, ab illis *retinentur* & coërcentur (perstante licet fermentatione) in quibus potissima vis & *efficacia simplicium* consistit. Quoniam autem acie sua omnes *corporis meatus* & *poros* facile perterebrant, ideo *muriatica* hic permiscentur. Constat autem omnibus experimentis, illam *figendi* vim dependere ab *acidis salinis* particulis, *in muriatico sale* existentibus: hisce ergo frenum imponimus mediante *alcali fixo*. Hinc *duplex finis* facile obtinetur, *reseratio* nempe *corporis crassioris*, & *volatilisatio tenuium*, in eo *antea retentarum partium*; adde quod hac mediante leves apparere incipiant luctæ, posthac *intestinum* propositum *motum* foventes.

4. Requiritur *maceratio* aliquot dierum, ut nempe *vinosum* aliquem *acorem* mediante hoc motu intestino concipiat.

5. *Fermentum* requiritur ad *motum* citiùs augendum, & ad subtiliores particulas exaltandas, *cellulis* ipsis magis *distensis* per *aeris* & *aquæ* ingressum.

6. Si *herba* sumatur *recens* & *humida*, sufficit *media pars aquæ* suprascriptæ; quo autem *major* ejus *copia*, eo *citius fermentatio* absolvitur.

Vires.

Sudorifera & antifebrilis est. Dosis spirituosæ Aquæ à ℥ij. ad ℥j.

Eodem modo *omnes aliæ* Aquæ *herbarum calidæ* destillantur, hac semper cum observatione, si *recentes* assumantur, *minori maceratione* illas indigere, *siccioribus* verò *ulteriori* opus esse.

FLorum spumosa & rara textura *interstitiis* plurimis gaudet, *Aere & Aqua tenuiori dotatis*, in quibus particulæ plurimæ subtiliores *salinæ* innatant, quæ ob levem partium *cohærentiam*, & *pororum laxitatem*, facilem & liberum derelinquunt levioribus & glabris *Aqueis* particulis ingressum, unde *citius*, præmissa levi *infusione destillando* vires suas communicant excipiendas. Prout autem *folia*, & reliquæ vegetabilium diversorum partes, plurimum inter se *rarâ vel densiori consistentia* differunt, sic & *Flores*; ideoque magis minusve protractas *macerationes*, *fermentationes* &c. requirunt, pro diversitate sui status: ex: gr: *albissimi* & *levissimi flores*, quorum vires in *exiccatione* plerumque pereunt, diutinæ *moræ in humidis aquosis impatientes* sunt; *poris* enim & *meatibus hoc modo læsis perit eorum fragrantia, & nativus odor*; impetum *aquæ fortius* vero sustinent *flavi & pallidi*, fortissimè *rubri*. Generalis autem est re-

regula *sequens* : eos in *fermentativo motu diutius* integris viribus subsistere, qui in *exiccatione* minus statum sui *coloris & odoris* mutant. *Sequens* exemplum pro aliis sufficiet:

Aqua Florum Sambuci.

℞. *Flor. Samb.* ℔iij.
Salis comm. Mij.

Iis superfunde aquam tepidam, ut optimè innatare ei queant, macerentur per tres, 4ve dies, dein destillationi committantur in vesica ænea.

NOTÆ.

1. Observatur *maceratio levis*, utpote quæ rariori florum texturæ sufficiat.

2. In *balneo Mariæ* si destillatio fiat *florum*, multò *gratior*, & *majorum virium* est *Aqua*, utpote qui facilè *fundo* vel *lateribus vasis* adhærere solent, & inde *empyreuma* contrahere.

3. *Sal commune* additur, ne *fœtorem* infusio contrahat, præcipue si diutius continuetur. *Aëreo-salino-aquosa* etenim particularum in *floribus mixtura*, *viscoso-ramosis* corpusculis concatenata, in quosvis situs &c. brevissime invertitur, & *putredinem* concipit, nisi *salibus mediocriter fluidis* à *motu* tumultuoso cohibeantur. *Fermentationem* si quis admittere velit, poterit. Etiam loco salis communis in media quantitate *sal petræ*, si ita libeat, addatur.

Vires.

Externo & interno usui commoda est Aqua; emollit, acrimoniam humorum lenit, pustulis faciei medetur & erysipelati; internè urinam & aquas pellit, dolores nephriticos mitigat. Dosis internè pro libitu ad ℥j. vel alteram. Externè linteola humectata parti affectæ applicantur.

Eodem modo *Aquæ* simpliciores *rosarum*, *florum lavendulæ*, *anthos*, & similium, destillantur.

RAdicum & *Corticum* firma cohæsio dependet à *ramosis* crassis *terrestribus particulis*, illas investientibus, unde consortium *aquosum* non tam cito admittentes difficilius *divortium* suarum partium admittunt. Ergo longiorem requirunt macerationem, addita, ne putredinem concipiant, majori salis copia *sequenti* methodo:

Aqua Corticum Arantiorum.

℞. *Cort. Arant. recentium* ℔x.
Salis communis M. v.

Stent in infusione in sufficienti quantitate *Aquæ communis* per duas vel tres septimanas, donec albedo interna emolliri incipiat, & fragrantissimum spirent odorem, deìn destillationi committe addita majori aquæ copia; sic *aqua* obtinetur fragrantissima albicans, quæ albedo in omnibus aquis stillatitiis signum est spirituositatis, & mixturæ oleaginosæ.

NOTÆ.

1. Requiruntur diutina *maceratio*, & *salis* copia, in hac operatione, ob firmissimam compagem externæ *flavedinis* illorum *Corticum*, quæ, internè medulla albicante obducta, vehiculum *aquosum* alias respueret.

2. *Sal* in omnibus *macerationibus diutinis* admiscetur, ne *putredinem* vegetabilia concipiant, antequam destillationi subjiciantur: si verò aliquis oboriatur metus, ne *salia volatilia*, in corpore illo existentia, nimis ab illo sale retineantur, illud præcaveri potest addito *sale tartari*, vel *cineribus lignorum*, vel alio quocunque alcali, quod acidum figens debilitare possit; illud autem sal tantum admiscetur, ubi *destillationi* committuntur, ne in maceratione fugam tentent.

3. *Oleum* simul cum *Aqua* prodit, separandum, si in majori adsit copia; ut postea latius.

4. Hæc *Aqua odore* & *sapore* grato sese manifestat; si vero ad illa parum respiciat Artifex, sed potius, ut *sale volatili* polleat penetranti, & hoc modo *magis Uterina* reddatur *aqua*, *sequenti* modo est procedendum:

℞. *Cortic. recent q: v:*

reponantur in dolio, donec fere putrescere cogantur, & molliores plane reddantur; hosce, affusa sufficienti aqua, destillationi committe, sic maxima *olei* copia, & fœtidior *aqua* obtinentur.

Vires.

Carminativa & stomachica est, doloribus colicis & febribus intermittentibus prodest. Dosis ad ℥ij.

Eodem modo destillantur *omnes radices*, *ligna duriora*, & *cortices*, excepto *solo ligno sassafras.*

Antiscorbutica ea omnia dicuntur, *quæ sale volatili plurimo, eoque liberiori, & in ipsis herbis sapore manifesto acri sese explicante, gaudent*, quod plerumque in vegetabilibus sub *forma liquida & spirituosa acri* prodit. Hæc ob *tenuitatem*, & *facilem fugam* particularum nulla fere *maceratione* indigent, sed spirituoso menstruo conjuncta facilè vires suas in destillatione deponunt. e. g.

Aqua Cochleariæ.

℞. *Herb. Cochlear. cum toto* M. x.
conscindatur leviter, huic superfunde
Vini Gallici pintas tres,
Sal. tart. ℥ij.
fiat destillatio in M. B., donec circiter pintæ duæ semis prodierint; quæ ad usum referventur.

NOTÆ.

1. Nullam admittimus hic *macerationem*, quoniam levissimæ salinæ particulæ, existentes in *Cochlearia*, facillime in altum elevantur ob continuum *motum intestinum*, in talibus macerationibus subsequentem, qui nullo modo præcaveri potest. Hinc non solum partes internæ *exaltantur* in talibus, sed extempore *fugantur* ob summam *salis* ibidem latitantis *tenuitatem* & velocitatem: neque vas tam exacte claudi potest, quin jactura aliqua saltem fiat. *Contusio & expressio succi* mihi etiam nullo modo arridet, experientia plurima edocto, ex *integra* vel leviter conscissa herba *duplo plus liquoris spirituosi* obtineri, quam ex *contusa*: utpote in *concussione* illa plurimum avolat *salis spirituosi*, quod ex halitu, oculos, nares &c. infestante, apparet.

2. *Spirituosa* attamen si expetatur *Aqua*, *sequenti modo* procedas oportet.

℞. *Musti vini, fere ad finem fermentationis perfecti, q. v. adde Herb. Cochleariæ q. s., ut innatare queat.*

fermententur ulterius in vase destillatorio conveniente per duos vel 3. dies vase decenter clauso; dein adaptato alembico & recipiente fiat s. a. destillatio. Signum destillationis finitæ est, ubi plane *limpida Aqua* prodit.

3. Additur *vinum*, quoniam vehiculum existit apprimè conveniens *salibus volatilibus*, quorum vires adauget; illud autem viceversa à *sale volatili* acuitur, ejus *volatili acido-sali* sese permiscenti.

4. *Sal*

4. *Sal tartari* solùm permiscetur in minori quantitate, ut salia existentia tam in *Cochlearia*, quàm in *vino*, ab acido nimio liberentur, & vinculis suis exuantur; pondus verò est minimum, nimirum, ne *urinoso odore* liquorem inficiat destillatum, & *fermentationem* sistat.

5. In *M. B.* peragitur destillatio, ne *empyreuma* contrahat, &, ut *subtilior* ascendat *liquor*, calore debiliori propulsus; *minori* quantitate excipi potest, si *fortior* expetatur: *reliqua* Aqua subsequens *loco vehiculi* inservit.

Vires.

Scorbuto & omnibus exinde oriundis symptomatibus, tam curandis, quam præcavendis, summoperè conducit: in ulceribus etiam cacoethicis, è scorbuto productis, externa lotio prodest, præcipuè si cum proprio decocto misceatur. Dosis à cochleari 1. *ad cochl.* 2. *bis vel ter in die.*

Hoc modo *Becabunga*, *Nasturtium*, & similia destillantur.

SEcundi generis sunt ea Vegetabilia, quæ *frigida & humida* AA. dicuntur, quæque plurima *aqua*, cum pauco *sale* in ea disperso *fluido* acido imprægnata, particulis *terrestribus* ei immixtis crassioribus *ramosis*, conspiciuntur. Hæc ob plurimam humiditatem, *facilè aquam* suam phlegmaticam, *difficilius cœteras*, utpote *crassiores* & fixiores, dimittunt. Quibus vero lubet earum vires experiri in re Medica, *non semper inutiles* illas reperiet, ob benignam & temperatam salium, in iisdem commorantium, mixturam; quæ in liquore destillato, & secundum artem præparato excepta, non ubique spernendas actiones sæpius producunt; ab hisce enim, & à paucissimis (cum *salibus* elevatis) *viscosis* particulis, omnis virtus dependet. Hæ particulæ igitur ut exaltentur, *seqq.* mod. procedendum est:

Aqua Plantaginis.

℞. *Herb. Plantag.* M. xx.
Conscindatur optimè, ei adde
Nitri ℥j.
Tart. crudi ℥ij. *aquæ communis q. s.*

Macerentur per octo dies, dein destillationi committantur f. a., & largè exceptum liquorem, recenti maceratæ affusum herbæ, rectifica ad mediæ vel tertiæ partis abstractionem, hunc exceptum ad usum serva.

NOTÆ.

1. Major *conſciſſio* hic admittitur, quoniam nullus eſt metus fugæ particularum *acidiorum* nimis *terreſtrium*: imo *contuſio* in pulpam hic locum obtinere poteſt, ut eo liberius diſruptæ partes *divortium faciant*.

2. *Nitrum* & *tartarum* adduntur, ut vis *ſalium* interna refrigerans adaugeatur, &, ut *vehiculi* loco in deſtillatione inſerviant *aquæ communi*.

3. *Rectificatio* commendatur, ut particulæ *ſalinæ*, pertinaciùs aliàs deſtillationi reſiſtentes, iterata hac deſtillatione tanto majori copia liquorem imbuant, eumque hoc modo *efficaciorem* reddant.

Vires.

Refrigerat, hepatis & renum inflammationibus prodeſt, podagricos mitigat dolores, ſi aliis admiſceatur: etiam convenit in gonorrhœa, calculo, & ſimilibus. Doſis pro re nata.

Omnes herbæ & vegetabilia *frigida*, qualicunque modo *aſtringentia* dici poſſunt, tam, ob *ſalia* interna, quæ *motum nimium* in corpore humano coercent, coagula leviora inducendo, & vaſa quodammodo contrahendo, ut omnia *acida auſtera*, quam, ob copiam *terreſtrium* particularum, (quæ, ſi per ſe conſiderentur, *ſtipticæ* ſunt, niſi *pororum ſitus* & ſalina concreta, *noſtros liquores* alio modo diſponant) quæ glutinis inſtar *viſcoſi fluiditatem* nimiam prohibent, & vaſa obſident, illa *ſale* hoc *auſtero* contractiora facta, *aſtrictoriam* vim manifeſtam reddunt. Notandum enim eſt, omnibus *experimentis* facile poſſe demonſtrari, ſalia *acida*, *terreſtribus* aſſociata particulis, *auſtero* & *aſtringenti* ſapore, & vi pollere, imo, annon pleraque medicamenta, *aſtrictione* mediante in primis viis *efficaciam* ſuam præſtent, dubium eſt, quod, ſi non plane verum, ſaltem probabile mihi videtur: cum nullum detur medicamentum *plane aſtringens*, nec *plenarie purgans*, quin viceverſa, in hiſce vel aliis viis & vaſis *laxet*, aut *contrahat* orificia vaſorum & poros partium fluidarum ratione *motus & ſalis* varii, in *mutuum amplexum aut deſtructionem* ruentis, halituſque *acido-auſteros* evomentis, qui poſtea fibras vaſorum afficiunt, ut *preſsionem* & *modificationem ſucci contenti* ulteriorem elaborent; &c. ſed de his alibi. Obiter tantum

in præſenti *notabimus* ſtatum & diſpoſitionem fluctuantem corporum *triplicem*, *Generationem* nempe, *Alterationem*, & *Corruptionem*, dependere à *quaternario* motu, qui eſt; 1mò. miſcela *diverſorum* corporum, mutuos poros penetrantium, & pertinacius occupantium. 2°. *particularum inteſtinus*, cum aliqua colliſione, ut apparet in fermentatione. &c. 3°. eſt partium *externa* continuata ſeries, de vicinia unius loci in viciniam alius *propulſio* abſque inteſtina læſione, eaque in *Preſſione* obſervatur. 4°. eſt partium *fluidiorum à ſolidioribus ſegregatio* per anguſtiora corporis ſolidi interſtitia, quæ abſolvitur mediante *Filtratione*. Hi *motus* quomodo *omnem fere notam* abſolvant in corpore quocunque, nimis longum eſſet hic tractare: ſufficiat probabile eſſe, haſce actiones pleraſque à *contractione & dilatatione vaſculorum* ſeu tubulorum, in illis particulis & partibus fluido-ſolidis exiſtentium, oriri, ſeu ab alternativis motibus, ſe invicem juvantibus, cum nulla fiat *fermentatio*, quin præcedat *conſtrictio* pororum & meatuum aliqualis: nulla *preſſio*, quin vaſa ſolida, vel limites circa ſuperiora vel inferiora *coarctentur*: nulla *filtratio*, niſi per meatus & interſtitia ſenſim *contractiora*. Motus inteſtini variant, ac *diverſimode* diſponunt, *ſuperficies*, particulaſque *differentes* uniunt, *ſalinas oleoſas* exaltant, ac rariorem in texturam redactas volatiliſant. *Preſſio* diſtribuit, & continuum *fluidorum* curſum efficit, unde partes quæcunque ſolidæ irrigantur, & ſecernuntur. *Filtratio* depurat, ſegregat, & præcipitat. Hæc *phœnomena*, in corporibus conſpicua, *non ſeorſim ſemper* conſpiciuntur, *ſed aliquando omnes ſimul*: ſic *conſtricto* vaſe illi motus non raro *omnes* conſpicui &c. *Aſtringentia* ſimul & ſemel, ſi mere & ſtricte aſtringant (quod rariſſime contingit) partes *ſolidas & fluidas* contrahere poroſque *replere* debent. Sed ad rem.

Difficultas itaque ſumma eſt, ob *gravitatem* & *fixitatem acidi* & *auſteri* ſucci eliciendi per deſtillationem, *aquas* tales comparandi, quoniam *mixtura acidi fixioris & terræ craſſioris* requiritur. *Acida* autem, ut antehac diximus, *phlegmate* multo *tardiora*, illud tantum ſubſequuntur, & in *minima* tantum quantitate *aquoſo* vehiculo diluta, ſegregata à potiori ſua terra, altum petunt, debileſque vires tantum communicant. Itaque, quantum poſſibile eſt, *aſtringens*, & *quodammodo ſtipticus liquor*, *ſequenti* modo obtineri poteſt:

Aqua Burſæ Paſtoris.

℞. *Herb. Burſæ Paſtoris cum toto q. v.*
conſcindatur minutim, adde ſingulæ libræ
Aluminis crudi,
Vitrioli Martis an. ℥s.

Aquæ q. s.

Infundantur decem vel duodecim diebus, dein destillentur, ut moris est; liquor exceptus usui servetur.

NOTÆ.

1. Additur *alumen & vitriolum*, utpote quæ se invicem exacuunt; ita ut *alumen* plurimas in destillatione dimittat particulas, & vires *stipticas* summopere illarum accessu adaugeat. *Alumen* enim *facilis* est ascensionis cum vehiculo *aquoso*, imò, si merum *alumen* sæpe *aqua* communi cohobetur, *totum* transit alembicum; quibus verò *hæc salia* non arrident, sola *præcedenti* operatione eandem *aquam*, ab *aqua* communi non multum differentem obtinere, poterunt.

2. *Cohobatio*, seu iterata super fœces destillatio, *hic* valde etiam utilis, ut *salia austera fixiora* partium eleventur, quæ *sæpius repetita*, in hac destillatione est optima.

Vires.

Stipticus est & astringens liquor, unde valet in omnibus alvi, uteri, oris, & narium fluxibus, & hæmorrhagiis. Externè summopere conducit ulceribus eluendis, & ardori mitigando.

IN qua parte consistat vis *purgatrix* medicaminum, multum torsit animos Medicorum: saltem apud *Chymicos* receptum est, illam a *sale* dependere; cujus autem *figuræ*, vel internæ consistentiæ, sit *hoc sal*, ambiguum est. Ego illud *acrioris acido-salinæ* seu *oleosæ muriaticæ qualitatis* esse credo, *sequentibus* inductus experimentis. 1°. Quoniam infusa *purgantia* cito *acescunt*. 2°. Ob *saporem* manifestè *astringentem & acrem*, si non omnium, saltem plerorumque, quæ *salia motum intestinum ulteriorem* facile imprimunt & ineunt. 3°. Quoniam *diversimode* humores nostros *alterant*, *corrumpunt*, *præcipitant* & *coagulant*, quod plerumque fit ab *acido* copiosius extricato. 4°. In omni *purgatione* vasa *contrahuntur* & vellicantur ob *acidam astrictionem*, qua mediante *flatus* & *pressiones* dolorificæ fiunt. 5°. Omnia præparata *Chymica* mineralia cum *sale acido*, ut oleo vitrioli, sp: salis &c. *vehementius purgant*, quam quæ cum sal: volat: &c. exhibentur parata. 6°. Vis *purgatrix* multum *infringitur*, & tollitur vegetabilium & mineralium, si digestionem patiantur in menstruo *spirituoso-sulphureo & salino volatili*. 7°. Post *purga-*

gationem peractam *constipatur* alvus in plerisque: non, quoniam *omnes fæces* evacuatæ, ut vulgus nobis obtrudit, sed ob remanentiam *succi salini austero-acidi* facti, cum fœcibus terrestrioribus: ut & ob defectum acrioris *acidi* stimuli, orificia minora & *intestina vellicantis*. Notet autem *Benevolus Lector*, me hic non loqui, nisi de *fermentabili aciditate simplicium purgantium*, & quidem tali, quæ *post* validam motus *intestini reactionem*, *in ventriculo* nostro factam, sensim ad ulteriores pergens vias, *acorem manifestum* induit: unde materia subtilior spirituosa, quæ antea latitabat incarcerata, jam sui juris facta, impetum in orificia vasorum, & fluidos, in ipsis vasis existentes, humores, facit, illorum crasin turbat, *vasa acore* suo *contrahente* comprimit, unde *flatus* ab halitibus ibidem inclusis: hinc *pressio*, postea *excretio*. Si enim *aciditas jam manifesta* adsit, *ventiformis expansio*, & *motus intestinus partium* cessat, adeoque impetus & *alteratio* partium *nulla* dein producitur, sed *astringit*, & *coagulum crassum* facit, unde in prioribus viis humorum condensatione *salium extricatio*, & per consequens eorundem *actio impedita* cernitur, adeoque corpuscula terrestria præpollentia ubique superficies *aquæ* & *salis* involvunt, illaque *obtusa* reddendo, vasa infarciunt, *austeroque* succo *fibras contrahunt*, indeque *contrarias* actiones superioribus edunt. Hinc facile liquet, cur *cerevisia*, *vinum*, & *serum lactis*, recenter jam in expansione & *fermentativo* motu constituta, *purgent*. Eadem *inveterata*, & jam *planè fermentata*, id est, solidiorem consistentiam nacta, & *acida* facta, astringant. Sic plurima *purgantia* ab *acido* affuso mitigantur ob easdem rationes; tum etiam quia *salia salibus* mixta se invicem non raro *destruunt*, mutuosque meatus replendo, è *poris* corporum *terrestrium* eliminata, particulas *terrestres inertes* & ineptas relinquunt; & rariorem *ventiformem* agitationem, quæ in *propulsivo & intestino motu* maximè requiritur, nullam admittunt: Eodem modo, ut *diversa salia*, & corpora *porosa terrestria*, *fermentanti* liquori admixta, extempore non solum ejus *motum inhibent*, sed & *subsidentiam* illius procurant, ut minus *spatium* occupet, & quoad *saporem*, *odorem* & *colorem* sæpius mutetur, quod & in *præcipitationibus* diversis manifestatur, ut in omnibus *salibus*, vario modo inter se invicem agitatis & *collisis*: hæc variis experimentis probare possem, si brevitati non studerem, animusque esset, illa hic plane elucidare. Hinc etiam plurima *vegetabilia* in *ortu* suo *purgant* à succo salino vegetiori interno, quæ, tempore incrementi, in *acidum austerum* degenerantia, *astrictoriam* vim assequuntur: unde vulgus, *primordia herbarum* novum sanguinem generare, non præter ratio-

tionem semper dicit, quoniam crassioribus *fœcibus* eliminatis per illa *fermentabilia salia*, partes sanguinis magis *depurata* relinquuntur, obstructionesque præcaventur. Vis *purgandi* ergo infringitur ob *texturam* partium *læsam*, & *rarefactionem spumosam impeditam*, à *salium* nempe aliorum *mixtura indecente*, à nimia *alcalina volatilitate*, *leviusculam* acrem *aciditatem* prohibente, ut fit à *spirituosis ramosis*, & ab *acore contracto*, tandem *à mechanico situ* ac *figura* illarum *partium inversis*, sive illud fiat à nostris *humoribus*, sive ab *aliis externè accedentibus particulis*; *motum* & *actionem* illam infringentibus.

Ex hisce patet difficultas, *purgantem* vim integram eliciendi mediante *destillatione*: destillata enim *fermentationi* rarissime, vel *nunquam*, obnoxia sunt, nisi plurimis aliis jungantur, & obruantur *heterogeneis* corpusculis, quorum nutum postea sequi coguntur. Ut autem *textura* partium essentialis, quantum possibile, integra servetur, & blanda qualitas *alterandi* obtineatur in *Aqua destillata*, *sequentem* proponemus methodum:

Aqua Fumariæ.

℞. *Herb. Fumar. cum toto* M. xx.
Succi Fumariæ, recenter expressi, ℔x.
Tartari crudi ℥jv.
Salis Tartari ℥j.

Infundantur simul per quatuordecim dies, postea in M. B. destillentur ad abstractionem librarum sex, hanc aquam, cum media quantitate succi recentis conjunctam, superfunde recentis herbæ Fumariæ Manipulis sex, tartari crudi unciæ uni, salis tartari drachmis duabus; post macerationem duorum dierum denuo destilla ad ℔vj. quem liquorem, super herbæ recentis Manipulos tres denuo rectificatum, usui serva.

NOTÆ.

1. *Sal tartari crudo tartaro* admiscetur, ut eo faciliùs dissolvatur, & *leviter fermentetur*, sal cum herba; dein, ut *vehiculum* magis idoneum existat pro vegetabilibus: *succus*, loco aquæ hic additur, ut *faciliùs vires* suas communicet integras.

3. Rectificatio *repetita* fit, ut tantò majori copia particularum illius herbæ imbutus liquor prodeat efficacissimus.

Vires.

Alterans est valde blanda hæc aqua, in puerperis & periculosissimis etiam morbis conveniens, biliosos & adustos humores lenit, evacuat, & temperat. Dosis ab ℥j. *ad* ℥ij. Hoc modo & *rosæ pallidæ* destillari queunt, & omnes *herbæ* alterantes è & *diureticæ*.

AQuam, tanquam *principium universale*, quidam colunt, & audacter in hæc verba prorumpunt: Omnia ex *Aqua*. Revera multum debetur *Aquæ*, tanquam matrici, in qua cœtera *fluida* & *solida*, tanquam in proprio latibulo, concurrunt. Hæc *vehiculi* locum retinet, & corporum solidorum *stabilem* alias *figuram inconstantiâ* suâ, accessu materiæ subtilis, cujus motui facile obedit, dilacerat; *salia* enim *ibidem* latitantia cum particulis subtilioribus *Aëreis* haud difficulter in corpora *terrestria* ruderosa, aut motu & forma propria prædita, sæviunt; imo &, in durissima illis obvia incidens *mineralia*, eorum superficies rodit & dividit, ut in metallorum *crocis* & pulveribus patet: ideoque non mirum est, quod illam *Fermentum generale Mundi*, & *solvens universale* nominemus: *motum* enim omnem intestinum & propulsivum, *variandum* pro corporibus natis, in lusu illo serio sese exercentibus, includit, fermentando imminuit, vehendo disponit & communicat, *Aëream* tenuem expansionem, particulis suis ubique dispersis aptiorem reddit *vitæ vegetativæ*, magis *patulos* reddendo *meatus*, *ætheris* ingressum facilem admittentes. *Igni* terrestri ventiformi sua *rarefactione focum luculentiorem* reddit, dum in *tubulos ramosorum* corporum, una cum *Aëre* circumfluo, sese ingerit. Terrenam molem levem & *tumidam* reddit, illam subeundo, dividendo & imminuendo in infinita ramenta. Egregia in hoc orbe phœnomena *immutationum* diversarum ab hac petenda; corpora enim hoc destituta, vel in *atomos*, vel *in molem prægrandem inutilem* densam excrescerent, ut patet in *Chymicis* operationibus, *ignis vehementia* peractis. *Ferociam* ergo particularum subtilium lenit, *tarditatem* verò corporum terrestrium exaltat.

Hasce autem agendi vires mutuatur à sua mixtura; nunquam enim *motum tantum* obtineret, nisi à *materia subtili*, & aëreis globulis adjuvaretur, quos instar spongiæ, in *interstitiis* suis, in maxima copia admittit. *Terra* abundare *Aquam* simplicem, imò & destillatam, subsidentia turbulenta, productio vermium &c. manifeste demonstrant, ubi illa *stagnare* cogitur diutius asservata. Hæ particulæ *terrestres* vi-

ſcoſæ in *Aqua* contentæ, hic illic in vita *vegetativa* depoſitæ, verum *productionis corporum principium* exiſtunt: quæ ſeſe *appropriantes* tubulorum & vaſorum figuræ, in quibus vehuntur, ſenſim *incrementum* illis præbent, avolante poſtea ſuperflua *Aquæ* levioris copia &c. ut alibi latius. Hinc *nutrimenta* majoris efficaciæ, & incrementi vegetabilibus ex *oleis mucilaginoſis*, in *Aqua* rite attenuatis, fiunt, ut arbores, frutices &c. in immenſum creſcant *fructibus* onuſtæ, tam peregrinæ, quam indigenæ. Sed de hac *materia* forſan alibi fuſius.

Quo corporum igitur *pori* & *meatus* apertiores, eo aëri & aquæ major locus; ibidem conceditur; omnia enim in hoc mundo *interſtitia*, alias vacua futura, occupantur tamdiu, donec à materia ſubtili, (quam *ſimpliciſſimam* hic exiſtere vix credibile eſt ob corporum copiam, quam permeare cogitur, non ſine impreſſione aliqua ipſis communicata) ſpatiola minima tantum occupentur. Ut autem obiter *Aëris* & *Aquæ* differentiam paucis ſecundum noſtram mentem delineemus, illa utraque corpora *una eademque* eſſe cenſemus, per communicationem ſubtiliſſimæ materiæ diverſificatam in ſua extenſione, ita ut *obtuſæ oviformes* ſint aqueæ particulæ denſiores, oblongæ vero, & in *ſpirales hiatus* & cavitates majores diductæ, exiſtant *aereæ* rarefactæ & extenſæ per influentiam continuam *materiæ ſubtilis*. Nihil obeſt illud experimentum, quod vas vitreum, Hermetice ſigillatum, ne guttam quidem *aquæ condenſatæ* deponat, quoniam nec *ventus*, vel eodem inflata corpora *detumeſcentias* & ſubſidentias ullas admittunt aquoſas, quamvis ex aqua rarefacta *ventos* oriri extra dubium ſit. Sed hæc in longam nimis molem excreſcerent, ſi ulterius in iis hæreremus.

Ex hiſce, *animalibus* & *vegetabilibus* ineſſe copiam aquæ, ſat manifeſtum eſt. *Motus* enim *inteſtini* ſpecies, & perpetuæ *reactiones* ſucci fluidi, per tubulos ſat laxos continuo circulum ſuum abſolventis, ob ingreſſum aëris & vaſorum ſolidorum ſtructuram, in utriſque obſervabiles ſunt.

Mineralia autem, & potiſſimum inter ea Metalla, non æque hoc liquore imbuta conſpiciuntur, tres præſertim ob rationes, 1. quoniam jam *adultioris ætatis*, in conſpectum noſtrum veniunt. 2. Ob *pororum* denſitatem. 3. quoniam *ignem fuſorium* paſſa ad nos vehuntur, in quo præcipua *humiditas* avolat. Adfuiſſe vero humiditatem aquoſam in ejus productione, *ſequentia* experimenta nobis monſtrant: 1. fodinarum continuæ exhalationes *humidæ*; 2. interior terræ regurgitatio continua *aquarum*, quæ & circa mineras obſervatur; 3. minerarum *analyſis*, Arte *Spagyri-*

gyrica facta, quæ *aquam* salino-acidam præbet in destillatione; ideoque metalla & mineralia densiora, *ignem experta*, instar cadaverum, vel capitis mortui sunt *Chymicis*, sc: pro destillatione, nisi quis *salium* additamentis illa ex orco revocare velit in vitam *mobiliorem*. Prout autem omnes *aquæ* nulla in re differunt, præterquam in sale, vel sulphure, vel utrisque iis permixtis, quæ mixtio hic *rarior* esse solet ob intestinum motum negatum in particulis illis *durioribus*, superficietenus tantum *aqueo* consortio gaudentibus in minimâ copiâ. *Salia* enim, nisi in minima, & quidem maxime porosa, levissima, ramenta diviserint *terram*, illa aquoso debiliori vehiculo subigi nequit, multo minus in altum propelli sub forma *liquida* dilutiori, & in ea diutius retineri, quin cessante *motu* violentiori, vel secessu *salium*, propriam recuperet *gravitatem* subsidentibus denuo ad se invicem corpusculis, Sic hasce omnes *Aquas*, nullius momenti aut valoris censemus, si illis destituantur; vulgo roris, & phlegmatis nomine in mineralibus & animalibus ab Artistis insigniuntur. Pulveri, arte ex metallis & mineralibus facto, *aëris humidum* appellens, illic aliquatenus sistitur & adhæret, partim ob *aëreum* sal volatile, impetum in ea faciens, partim ob internum, (quamvis in minima copia) in metallo existentem, *spiritum*, qui modificantis *stimuli* loco cœteris *aqueo-salinis aëreis* inservit. Hic liquor destillatione elevatus, odore & sapore aliquali metallico prodit. Idem etiam fieri potest additione *aquæ communis*, sc: ubi pulveres minerales cum ea rite socientur, mediante *solutione* admodum blanda subingrediendo se invicem. Idem etiam fit agitatione & imminutione celeri in *molâ philosophica*, ut in pulverem minutissimum abeant, aëreo-humido-salino liquore in illa circumgyratione imbuendum: verum multò melius procedit, si *rore*, vel ejus spiritu, pulvis sæpius irrigetur, vel pulvis ipse *rori* objiciatur, & de die diligenter ab *aëris* injuriis arceatur; sic nobiliorem *Aquam* &c. nanciscimur. De *salibus*, & sulphureis mineralibus hic nulla mentio fit, cum ad alia loca pertineant. *Aquas* autem has in præparationibus *spirituum* dabimus, ubi nomine *Phlegmatis* prostabunt.

In *Animalibus* hæ *aquæ* etiam nihil aliud sunt, nisi *humidum* nativum, quod vehiculi loco, & diluendis sanguinis particulis ramosis, & viscoso-salinis inservit. *Intricata* enim & valde spongiosa figura corporea ibidem existit, ita ut miscelam mechanicam exactiorem solius fere *salis* & *terræ* referat, è cujus *rariori texturâ* partes glabræ & flexiles, *aquosæ* facile excidunt mediante *motu*, exterius in partes illas impellente, unde *aqua* seu *phlegma* inutilius seorsim elevatur ferme insipidum.

Ad majorem vero elucidationem *sequentia* exempla artificiosius elaborata proponemus, ut *Chymicis*, omnia perscrutantibus, aliquo modo satisfaciamus.

Aqua Martialis.

℞. *Mineræ Ferri integræ q. v.*

contundatur, quantum possibile, in pollinem, humectetur aqua pluviali, vel, si magis salina expetatur, puteali, stent in maceratione in umbra per duas vel tres septimananas, cavendo, ne massa nimio humore obruatur, vel illo nimis privetur, ad siccitatem usque. Dein fiat destillatio per cucurbitam vitream, in arena positam, ad siccitatem usque pulveris, donec omnes vapores & guttæ destillare cessent.

NOTÆ.

1. Minera assumitur, quoniam in ejus sulphure *sal nativum* delitescit, & mediante terra intermixta *porosius* metallum existit.

2. *Humida* retinetur massa in aëre, ut *salia* ex *aëre* & *aqua* ibidem sese insinuare possint, & ramenta illa exaltare, quæ alias *submerguntur* in nimia affusione, vel avolant nimia privatione humidi.

3. Si *ferri* candentibus *laminis*, aut *ollæ ferreæ* candenti, capitello *terreo tubulato* instructæ, humidam hanc massam *per vices* injeceris, aquam excipies *majorum* virium, è violenta ac *subitanea reactione* multum nobilitatam.

4. *Mineræ* etiam leviter in igne *rubentes*, subito *aqua* conspersæ, *sudores* emittunt copiosos, *sale sulphureo* minerali fœtos.

Vires.

Diversæ sunt pro ratione mineræ, in altum per salia magis minusve elevatæ; leviter aperit, vermes necat, putredini resistit; inservire potest loco aquarum mineralium. Dosis pro re nata.

Aqua acidula Antimonii.

℞. *Mineræ Antimonii q. s.*

contundatur in pulverem tenuem, dein diutissime cum *aqua communi* lævigetur in mortario amplo vitreo, singulis diebus ad minimum per horam unam vel alteram, idque continuetur per 8. vel 10. dies; vespertinis horis *rori* objiciatur pulvis madidus. Dein huic Antimonio superfunde triplum pondus *aquæ communis*, & fimo equino ad digerendum com-

committatur per mensem unum, singulo die materiam optime agitando, ut undiquaque menstruo illo imprægnetur. Destillatio postmodum instituatur in arena primo lento igne, dein fortiori, ultimò fortissimo: sic sulphur levissimum salinum antimonii elevatur, mixtum aquæ, usui servandum.

NOTÆ.

1. Sæpius *lævigatio* reiteratur, ut partes omnes, *aëri* & *aquæ* obversæ, impetum & actionem eorundem magis sustineant & admittant.

2. Digestio fit, ut *calore* mediante sulphureo-salinæ particulæ majorem in *actum* reducantur, & rariores factæ, *aquæ* externæ *ingressum* efficaciorem relinquant.

3. *Cohobatio* hic valde necessaria & repetita digestio, postquam nempe pulvis residuus per aliquot dies humectatus *aëre* & *rore* denuo fuerit; præcipuè, ubi *acetum* expetitur *Antimonii*, quod alias nimis debile est.

4. Si *fortior* expetatur *aqua*, post ternas vel quaternas cohobationes per M. B. rectificetur *Aqua* magis aut minus acida.

5. Post *cohobationes* sufficienter peractas, augeatur ignis ad *incandescentiam* vasis usque, sic *salino-sulphurei* ascendent *flores*, non minimum *actionum* pondus illi aquæ conferentes. Flores autem separari quovis modo queunt, secundum intentionem Medici.

Vires.

Sudorifera est, & sangvinis ardorem temperans, unde convenit in morbis malignis quibuscunque. Menstruum identidem est Chymicum pro solvendis mineralibus & metallis diversis. Dosis ad gratiam in vehiculo.

Aqua Hirundinum.

℞. *Pullorum Hirundinum q: v:*
suffocentur in lacte ovillo, dein contundantur in levem pulpam, vel saltem frusta minora, digerantur simul in fimo equino per aliquot dies, donec levem putredinis notam ineant: postea destillentur in M. B. ad siccitatem. Aqua prolecta usui servetur.

NOTÆ.

1. In *lacte* suffocantur, & simul cum eo digeruntur, quoniam menstruum est *animalibus* analogum.

2. Leviter *putreſcere* coguntur, ut *ſalia volatilia* aliquo modo decarcerentur, quæ tamen à *lactis acido* excipiuntur, ut mixturam temperatam ineant.

3. Si *putredo major* expetatur, ſuffocentur in debiliori *oleo tartari per deliquium*, & eodem modo procedatur: ſic ſale volatili fœtido impragnata prodit aqua.

Vires.

Epilepticis & convulſivis motibus ſuccurrit, apoplexiæ convenit, præcipuè pro infantibus in uſum trahi poteſt ſimplex hac, vel compoſita, ut in officinis proſtat. Doſis à ℈j. ad ʒij.

CAP. VIII.

De Oleis Eſſentialibus dictis.

Spirituoſa ſalia, *ſphæricis* levioribus conglobatis intertexta particulis, primordium ſunt Oleorum Eſſentialium dictorum, quæ paſſim apud *Chymicos* & *Phyſicos* ſub nomine *ſulphuris* vel *corporis ramoſi volatilis* proſtant. Hæc *ſalia* cum duplicis dentur generis, *fluida acido-ſalſa* & *rigidiora alcalia*, utraque volatilia, duplex etiam inde emergit Oleorum ſtatus, qui de hoc, vel illo *ſale* participat: ſic omnia *carminativa* dicta *ſale alcali*, *ſtomachica acido-acri* inſigniuntur; *cephalica intermedio ſale* blando, id eſt, arctius ſuæ terræ tenuiſſimæ unito: *uterina ſale fœtido* jam fere extravaſante alcalino &c. dotata ſunt.

Hinc *virium* rationes eluceſcunt; *Cephalica* enim, partibus nervoſis dicata *mitia* exiſtunt, ne feroci ſuo *ſale* potius irritent, quam demulceant partes, ubi aliquatenus cum ſpiritibus animalibus copulam iniverint. *Stomachica acrius* requirunt corpus *ſalinum*, ut imminutionem ciborum procurent irritando fibras ventriculi ad motum majorem ineundum. *Uterina*, ut *acidos auſteroſ*que halitus compeſcant, *ſale alcalino*, ex parte ſui juris facto, indigent, ut citiſſimam *mixturam*, & per conſequens *ceſſationem* illius motus præternaturalis efficiant. *Carminativa*, ut *pituita* viſcida attenuetur, quæ ex acido coagulante, flatuſque & oblinitiones nimias pororum & meatuum in vaſis producente, *ſal alcalinum* dulce & balſamicum in uſum accerſunt. *Diuretica* autem pleraque *acido ſubtili* imbuta prodeunt, colliquationem & præcipitationem partium fluidarum promovent præcipue per acido-ſalſa. Ideo ſal tartari acido

acido vitrioli imprægnatur, *sal volatile succini* acido-salsum maxime *diureticum*, quod de aliis *salibus* non ita prædicari potest. Ratio esse videtur, quoniam non solum *diluuntur* cum sero sangvinis, quod in liquamen tenue conversum facile per ureteres secernitur, sed *acidum internum* majorem segregationem & præcipitationem sangvinis promovet, ut videmus in *lacte* acido-salso coagulo partes serosas à caseosis secerni: Imo sœpius ob nimiam *coaguli* illius, & *diureticorum* assumtam copiam *calculos* productos observavi, ut duos è *gonorrhæa*, ab assumtis acrioribus diureticis, vidi diris cruciatibus divexatos post curatum morbum, qui tractu temporis, exhibito *balsamo nephritico* anodyno *calculos* excreverunt: ut & vulgi in ore illud sit tritum, à *caseo, sale, pipere* &c. *calculos* produci, quoniam *crassæ ramosæ terrestres*, in nimia copia illuc delatæ & coagulatæ partes primo stagnant, indurantur & stabilem sensim locum obtinent, unde *obstructio:* quæ ex retardata urina ibidem deponuntur, mole crescunt, nisi tam exiguæ sint partes, ut instar *arenularum* statim transeant. *Salsum* autem in his prævalet, & tenue tantum requiritur *acidum*, alias *purgandi* vim acquireret.

Quamvis hæc, *nomine* à præcipuis sui effectibus derivato, differre inter se videantur, non tamen ita *diversa* existunt, ut alias operationes etiam in corpore non exerceant. Sic cephalica sunt uterina, ubi *spirituum ferociam* sedant, involvunt & mitigant, carminativa sunt stomachica, ubi, *pituitam* incidendo, & *flatus* discutiendo, ventriculi imbecillitati succurrunt &c. nec ita stricte in omnibus illas *denominatas* particulas posse reperiri autumo, quamvis ridiculam illam censerem objectionem: illud *sal* tantum eruitur ex hoc vel tali *simplici* per hanc vel illam *simplicem destillationem* sœpius destructoriam, ergo *nullum* aliud adfuit. Revera infinitis modis alterat destillatio succos *salinos*, ubi hoc vel illo modo tractantur: de quibus postea latius.

Duplex observatur phœnomenum in hisce *oleis*, diverso *sale* præditis. Acida Olea rancescunt, crassa & solidiora fiunt tractu temporis, ut Oleum juniperi, terebinthinæ &c. ob fugam subtiliorum salium, quæ acidiora derelinquentia, particulas *ramosas* magis figunt, & constipant *astrictione* sua, unde etiam magis *austera* fiunt; sic enim mediante sp: salis, nitri, vitrioli, limpidissima *Olea*, fluiditate *aquam* fere superantia, in *resinas* & *corpora solida* verti queunt. Olea *alcalina* rarissime situm contrahunt, nec rancida fiunt, si sincera sint; sed vel fugam tentant, vel perstant, ut in Oleo anisi &c. patet; ratio est *subtilitas spiritus interni salini*, qui in altum elatus secum in fugam rapit particulas ramosas, ita ut nil residui maneat.

Illa

Illa *vegetabilia*, quæ *ſucco auſtero-acido ſalino* gravida ſunt, nunquam vel raro *Oleum eſſentiale* præbent. Ratio eſt *denſitas ac major moles pororum ramoſorum*, qui replentur acido fixiori, prout videre eſt in Oleo terebinthinæ ſubtili cum Oleo vitrioli combinato: ibi enim, non ſolum *fluiditas*, ſed & *volatilitas* perit: utpote quod ante præcedebat in deſtillatione ipſum phlegma, jam ſubſequitur, & violento quidem adhibito igne. *Craſſities* partium ab iiſdem cauſis dependet, unde plerumque vel pauco vel nullo *odore* prædita exiſtunt.

Odorifera autem ex *inodoris* evadunt, ubi magis *extricata* ſalia leviſſimæ *terræ* junguntur per motum inteſtinum, & *preſſionem* violentiorem in tubulis *anguſtioribus*: ut in *maceratione* & *putrefactione* patet. Hinc ſæpius ſalia attenuata, plurimas ſecum rapientia particulas *terreſtres*, quibus arctius uniuntur, *olea* etiam *deſtillata* præbent, quæ alias fixiora jacebant ſub forma *gummi-reſinæ*. Tanta enim in pleriſque corporibus eſt partium *viſcidiorum intricatio*, ut nullum tale *Oleum* præbeant, niſi poſt torturam *ignis immediati* adhibiti, vel poſt *ſolutionem continui putridam*, quæ prior in mineralibus, attamen paucis tantum, admittitur; in *Animalibus* autem utraque locum obtinet ob copiam *aquæ*. Ideoque hæc *Olea* è *Vegetabilum* familia fere ſola eruuntur. *Animalium* enim internæ partes, quamvis ſcateant *ſale volatili*, attamen tam *viſcoſis* & *mucilaginoſis* particulis incarceratum *hoc ſal* eſt, ut ſeſe extricare, non niſi ſumma cum difficultate, ex iis queat: hinc prius *diſſolutionem* & læſionem continui requirunt, antequam ullum divortium ineant; unde raro vel nunquam inde tale quid ſperandum, niſi *fœtidum* & *corruptum rectificatione* ſæpius repetita eouſque ſubtiliandum, donec *phlegma* ſuum, ſeu *aquam additam*, præcedat: ut ulterius in *Oleis empyreumaticis* declarabitur.

Olea hæc dicuntur *Eſſentialia* reſpectu aliorum, quæ magis ab eſſentia ſui ſimplicis degenerarunt, id eſt, quæ à nativo ſuo *odore* & *ſapore* deſcivere, haud leviter immutato & concuſſo pororum *ſitu* & *figura*, quæ hic, quantum poſſibile, *integra* ſervatur. Extrahuntur mediante *vehiculo aquoſo*, quod *ignis* ferociam lenit, & integram totalemque *deſtructionem texturæ corporis* præſervat. Vario modo tractantur *Vegetabilia*, ut inde non ſolum *Oleum* eliciatur, verùm, ut & in ſatis magna *copia* illud exhibeant. Primum ergò exemplum *ſequens* eſto:

Oleum Seminis Fœniculi.

℞. *Sem. Fœnic.*, *groſſo modo contuſi*, ℔vj.
Salis communis ℳiv.

Tar-

Tartari crudi ℥ij.
Aquæ pluvialis ℔xxx.

Macerentur ſimul per ſex vel octo dies, dein deſtillationi committantur in veſica: tamdiu abſtrahe liquorem, donec nullum amplius *Oleum* in ſuperficie appareat. Aquas omnes deſtillatas ſepara per tritorium, ut *Oleum* ſupernatans, & *aqua* ſeorſim aſſervari queant.

NOTÆ.

1. Loco *ſeminis*, etiam *viridis Fœniculi folia & flores* in uſum adhiberi queunt.

2. *Macerationis* tempus non nimis diu protrahendum eſt in *ſeminibus calidis*: quoniam cito avolare ſolent, & jacturam admittere *Olei*; itaque etiam *recentia & viridia* in uſum adhiberi poſſunt, utpote plurimo *ſale ſpirituoſo* referta.

3. Separatio *Olei* facilè etiam perficitur cum *panno*, *aqua humectato*; quæ *in* ipſo *vitro* partim propendet, *extra vitrum* alia parte delabente, ſic guttatim continuò emanat *aqua*, reſtante *Oleo*, ita ſimul & ſemel deſtillatio & ſeparatio fieri queunt.

4. Omnia ramoſa, *ſale* proprio vel extraneo gravida, vehementius cum *aqua* ſimplici agitata, mixturam qualemcunque ineunt, ut apparet diverſis experimentis, in *ſapone*, *balſamis Chymicis* &c. Hæ etiam in deſtillatione particulæ *ſalinæ ramoſæ & aqueæ*, valido illo motu incitatæ & concuſſæ, *turbulentam albicantem* efficiunt mixturam, quæ ſenſim denuo à ſe invicem ſecedunt motu vehementiori ceſſante. Hinc ſatius eſt, ſi per *tritorium* ſeparandum veniat *Oleum*, ut illud una cum aqua propria per viginti quatuor horas quietè in cella perſtet; ſic nempe omne *Oleum* ſurſum elevatur, & facili modo ſeparatur.

5. Sal & tartarum *ſeparationi Olei* à particulis terreſtribus, interveniente vehiculo aquoſo accelerandæ, adduntur, nec metus eſt, ut *figantur ſalia volatilia oleoſa*, cum non ſemper ingreſſus ad interiora pateat ſali externe accedenti, præcipue multo ſero diluto; corticem enim *externum* hic denudare eſt animus, ut *interne* contentis facilior pateat exitus; quod *ſemel pro ſemper* monuiſſe ſat ſit.

6. Deſtillationes haſce per *veſicam*, *non* vero per *Mariæ Balneum*, proponimus, ut in *majori copia* ſimul & ſemel deſtillari poſſint, & ut quantitas *Olei* multo *abundantior* obtineatur. Hæc duo ſiquis in *MB.* obtineri poſſe credat, per me licet, quamvis experientia 24., imo plu-

rium annorum, me contrarium docuerit; attamen illis, qui *pompæ* & *pretio* medicamentorum in immensum augendo indefesse student, ista via multo *generosior* videbitur, nihil æstimantibus *viliori labore* acquisita. Si enim per *MB.* ℥j Olei eliciatur, per *vesicam* ℥ij vel ℥iij elici poterunt. &c.

Vires.

Flatus discutit, colicis doloribus succurrit, ventriculi concoctionem adjuvat, & ventris tormina sedat. Notissima ejus est aqua & familiarissima plebeis pro infantibus. Dosis Olei à gutta una ad guttas sedecim, in vehiculo convenienti.

Eodem modo semina *calida* omnia destillantur, ut semen carvi, dauci &c.

Seminis *anisi Oleum* autem, cum facile concrescat in ipsa serpentina ob refrigerium externum, vel in *recta* descendente *serpentina*, non vero in *gyros* circumflexa, destillandum venit, vel *auctiori igne* propellendum est, nulla recenti frigida affusa, sic incalescens serpentina *Oleum liquidum* evomit, quod in cella repositum induratur postea à liquore eximendum.

VEgetabilia *Cephalica* & *Uterina* Medicis dicta, *gradu* in suo salino consortio diversa, quæ plurimo *sale tenui volatili*, paucioribus ramosis particulis juncto, prædita sunt, videntur mixturam duplicem obtinere suarum partium: *prima & præcipua* est *salina spirituosa*, quæ paucissimis *aquosis* & *ramosis* implicata particulis, ejus celerem motum alias retardantibus, extempore *halituosis* & *odoriferis* suis vaporibus vires sat manifestas & sæpius mirandas edunt instar *salium mere volatilium*; hinc odore cœteras herbas præcedunt: ut in maro syriaco, thymo, lavendula &c. patet. *Secunda* constat ex *crassioribus ramoso-salinis* partibus, quarum textura solidior respuit facilem in altum elevationem, sed prout *austeræ* omnes particulæ *fixiores* existunt, ita ut aliarum ope indigeant ad suam *subtiliationem* & exaltationem. Has rationes videntur 1ò. confirmare masticatio istarum herbarum, quæ primo tenui *odore* & levi *sapore* nervos linguæ afficiunt, postea *austero* gustu ingratæ evadunt. 2ò. *destillationis* diversimode institutæ *effecta*; sic ex. gr. herba *recens*, cum pauca aqua destillationi commissa in M. B., ne aduratur, nil nisi roridam *aquam* præbet, cum exigua portiuncula subtilioris *Olei*: Eadem herba dein *exiccata*, duplo, imo triplo, plus *Olei* exhibet, hac autem cum

dif

differentia; *prima aqua* erit multo gratior, *secunda*, ut & *ramosa* pars, erit graveolentior & fœtidior præcedenti.

Exsiccationis necessitas in acquirenda *Olei* copia (quoniam dantur, quæ ullum *Oleum* stillare negant *recentes humidæ*) duabus à rationibus dependet. *Prima* est fuga particularum *salinarum*, *crassiores ramosas* in hoc motu vehementiori deferentium, aëreum chaos petente *spiritu*. *Secunda* est dilutio leviorum ramosarum partium in liquore aqueo, quarum fere nulla fieri potest separatio, & per consequens frustranea esset collectio. *Duplex* ergo commodum (si utrumque saltem pro *Oleo* acquirendo ita nominare liceat) fuga spirituosioris salis parit exhalando. Nam, ut antea diximus, *dilutionem* & *spirituositatem* liquoris promovet, quod hic noxium: sublato illo *motu nimio* dein conjunctio intima fit salis reliqui *volatilis* cum ramosis particulis: quæ unitæ postmodum, ut sequitur, *destillationi* subjiciuntur:

Oleum Sabinæ.

℞. *Fol. Sabin. exsiccat. conscissorum q. v.*
Salis communis Mβ. *pro singula libra.*
Aquæ communis q. s., ut ei innatare possit.

Macerentur per duas vel tres septimanas, dein destillentur more vulgari, & Oleum separatum usui repone.

NOTÆ.

1. Quo *sicciores* & *tenaciores* herbæ existunt in recenti statu, eo *diuturniore maceratione* indigent: quoniam *non facile* admittunt aquam, & texturam *pertinacius* conservant. Hinc facile liquet, *rosmarinum*, & *thymum longiori* infusione egere, quam *lavendulam*, *mentham* & *rutam*, minus adhuc *melissam*, *hyssopum*, *pulegium* &c. quarum textura *mollior*, & *raritas* major.

2. Aqua destillata, *jam fere repleta* particulis ramoso-salinis, *recenti herbæ destillandæ* affundatur, unde major copia *Olei*, & *aqua* spirituosior obtinetur.

Vires.

Menstrua promovet, urinam pellit, arthritidi commendatur. Dosis à guttis ij. *ad* xx.

Eodem modo omnia *hujus generis* vegetabilia destillantur, *macerationis* tempore debito observato, prout superius innuimus: ut origanum, matricaria, salvia, hyssopus, & similia.

A*Romata stricte* ita *dicta*, sunt corpora *densiora*, in quibus præter *salinas spirituosas* particulas, *duplex corpus ramosum* non raro conspicitur; *Liquidius unum*, aliquando itidem *duplex* sc: *levius* aquæ supernatans, alterum *gravius* ad fundum deciduum: In aliquibus fluidum Oleum *destillatione* elicitur: *solidum* vero præli tortura expressum prodit. In aliis levi *destillatione subtile Oleum* producitur: vehementiori autem calore, & iteratis ignis examinibus *gravius* extorquetur. Ex his concludere possumus *duplex effectum* illarum partium: *Primo leves* illorum *Aromatum* particulæ, illico festinantes ad ulteriorem progressum *fluidioribus* nostri corporis halituosis *liquoribus*, qui *spiritus* à Medicis dicuntur, se permiscent, & odore grato demulcentes *nervos odori* destinatos, cerebrum & cor exhilarant, etiam blande nostros humores salinos ac *spirituosos* quasi vivificant, attenuant, exaltant: *Secundo graves*, diutius in *ventriculo* perstantes, particulis suis *ramoso-salinis fixioribus* augent, & *acrius* efficiunt ejus *humidum* lymphaticum, sæpius *vappidulum*: unde *major concussio* subsequitur. Humoris enim nostri vis in levi *acredine*, id est, in particulis mediæ consistentiæ fluidis, consistit: ubi nempe *ramoso-viscosæ* partes, cum *salinis* non nimis fixis, nec volatilibus particulis, & *aquosis* consortium iniverunt. Illud enim *muriaticum* quasi *sal blandum volatile* inesse, varia experimenta demonstrant in *Medicina* & *Chymia*: sic *saliva*, quam *fermentatitiam spumam* quasi dixeris, hisce duabus abundat particulis leviter *acido-salsis*, quod demonstrat *Analysis Chymica*. Sic plurimi, & sæpius diversi morbi, hisce contrariis vel congruis humori morbifico *salibus*, sanantur, ita ut in uno eodemque simplici verum possit esse, quod contraria contrariis, similia similibus curentur. *Acetum destillatum*, quod proxime *huic*, prout & *liquori*, è *glandulis* & cœteris vasis tenuioribus *nervosis* ac *lymphaticis* stillanti *specifico*, accedit, cum acido & alcali luctam init. Imo rarius vel nunquam aliquod *corpus tenue* conspicitur, è salibus vel fœcibus confectum, quin in sua expansione *duplici* dotetur *sale*. Ratio sat est manifesta, si expendamus, nullum dari corpus, quod non *diversas* edat particulas *salinas*, arte *Chymica* tractatum. Causa est *discrepantia pororum & meatuum* secundum extensionem & situm; *meatus* enim *sunt interstitia majora inter diversas superficies*, quæ ab *aëris* nitroso sale *subacido* occupantur, *minima* tantum cum *immutatione* suæ *figuræ*: econtra vero ad *intimiores recessus* perductæ illæ particulæ majori intricationi & *immutationi* destinantur, ubi ipsos *poros minores* subire cogun-

guntur in *valde exilia* ramenta dividendæ, & *terræ conglobatæ* arctius permiſcendæ, in *ſal volatile ſulphureum* convertendæ. Ubi igitur *motu vehementiore* totum corpus agitatur, *confunduntur* ſæpius partes in *acrem* quandam *mixturam*: ex hac *acredine* ſæpius etiam malus ſucceſſus oritur, ſi particulæ *ferociores* factæ ſua *copia & fluiditate corroſivæ* fiunt.

Hæ particulæ *duplices ramoſæ*, prout majori copia *ſalium* dotatæ ſunt, eo liquorem magis *albicantem* reddunt: ſic *cinamomum* rite tractatum *aquam* plane *lacteam* reddit, Oleum autem in *minori copia* exhibet, quam fere *ullum aliud* aroma: ſic & piper &c. Ut *vires* & *copia* ergo particularum extrahendarum debito modo reſpondeant, *exemplum unum atque alterum* proponemus.

Oleum Caryophillorum.

℞. *Caryophill.* ℔j.
Spiritus ſalis, cum oleo Vitriol. præpar. ℥s.
Salis communis ℥j.
Aquæ pluvialis ℔xx.

Macerentur per 14. dies, dein deſtillationi committe in veſica, cum alembico & ſerpentina ſtanneis inſtructa: aquam prolectam ab Oleo, in fundo ſubſidente, ſepara, eamque iterato iiſdem Caryophillis ſuperfunde, & deſtilla denuo, idque tertiò repete, vel quamdiu *Oleum* aſcendere videas. Omnia conjuncta aſſerva, & cum aqua ſpirituoſa ſupernatante tam diu relinquantur, donec rubedinem ſatis intenſam acquiſiverit, deinde ſepara ad uſum.

NOTÆ.

1. *Cohobatio* illa fit, quoniam *Oleum* illud gravius aſcendere, & conſortium coporis ſui ægre derelinquere ſolet.

2. Spiritus *ſalis*, & *ſal* commune, egregium in illis exiſtunt *vehiculum*, & ſimul *odorem empyreumaticum* præcavent.

3. *Color Olei intenſior* redditur, ſi *diutius* in aqua propria ſtillatitia detineatur, unde *craſſior* ejus evadit conſiſtentia *duas* ob rationes. *Primo* ob *effluvia aquæ*, ſenſim ſeſe inſinuantia in ipſas particulas *ramoſas*, *motum celeriorem* ibidem *retardantia*: *Secundo* ob *ſpirituum* diverſitatem, in aqua ex Oleo contentorum: hos enim in *mutuo concurſu* aliqualem inire *præcipitationem*, &c. varia experimenta edocent, ut in *Oleo terebinth.* poſtea latius, ut & in *oleo & ſp. vitrioli*, & ſimilibus patet. Hæc ergo mixtura *ſalino-aquoſa* in cauſa eſt, cur *ſpiſſius*, *& magis tin-*

ctum appareat *Oleum*: si verò citius ab *aqua* separantur *Olea*, *diluti* coloris & tenuia existunt ob *motum* summum internum, illas particulas imminuentem, & variis modis disponentem.

Vires.

Ventriculo corroborando, cephalalgiæ, odontalgiæ, vertigini, & similibus succurrit, febribus intermittentibus, è pituita & flatulentis humoribus ortum ducentibus, prodest, sudores movet. Dosis à gutta 1. *ad guttas* vj.

Eodem modo destillantur Oleum *cinnamomi*, *piperis*, & similium.

Oleum & Aqua spirituosa Cassiæ ligneæ.

℞. *Cassiæ ligneæ* ℔iiij.
Sacchari albi ℔j.
Sal. comm. ℔ß.
Aq. calent ℔xxx.
Fæcum Cerevisiæ cochlear. ij.

Fermententur simul per 3. septimanas, vel eousque, donec viscosa consistentia aquæ perierit, dein destilla per vesicam, & serpentinam stanneam, quamdiu aquam albicantem præbet. *Oleum*, post secundum diem in fundo *aquæ* delitescens, separetur per tritorium. *Aqua* & *Oleum* seorsim ad usum reponantur.

NOTÆ.

1. *Fermentatio* hic requiritur, ne tantas elevationes viscosus nimis liquor in *coctione* sustineat, sæpius cum *jactura olei & operæ* conjunctas, nisi valde caute procedat *Artifex*.

2. *Sal muriaticum* hic additur ad incidendam *viscιditatem* mediante *motu intestino*, & conservandum à *putredine* liquorem &c.

Vires.

Cardiacum est gratissimi odoris & saporis; earundem est virium cum cinamomi Oleo, & aqua, sed mitius est. Dosis Olei ad gtt. iij. *Aquæ ad* ℥ij.

Oleum ligni Sassafras.

℞. *Rad. major. ligni Sassafras* ℔iiij.

recenter conscissas destilla cum decupla quantitate aquæ comm. per vesicam. *Oleum*, fundum aquæ petens, separetur post plenariam subsiden-

dentiam, ut in præcedenti diximus, quod in vitro accurate clauso servetur ad usus.

NOTÆ.

1. Ob rariorem ligni texturam & *volatilitatem summam* partium, nulla *maceratione* opus est, & extempore in usus trahi debet *conscissum lignum*.

2. Nullum *additamentum* requirit ob easdem causas: hoc enim magis officeret, quam proficeret.

3. Si *spirituosa* expetatur *Aqua*, immittatur lignum *musto*, in *vinum* jam fere exaltato, ibidemque per duos dies vase clauso reservetur, postmodum addita parva quantitate *salis alcali* destilletur lento igne.

Vires.

Antiscorbuticum est gratissimum, menses aperit, obstructiones plerasque reserat, ventriculum roborat, spiritus confortat. Dosis ad gtt. v.

Oleum Macis.

℞. *Macis* ℔j.
Sp. Sal. comm. ℥j.
Aq. comm. q. s.

Macerentur simul per 14. dies, dein in retorta magna vitrea ex arena destilla: sic limpidum & tenue prodit *Oleum*, instar sp. tereb., quod ab aqua separandum. Fœces in retorta residuas calide per prælum exprime, sic nancisceris Oleum crassum, expressum dictum, quod ab aqua tincta eximi potest, hoc in unam massam mediante calore funditur.

NOTÆ.

1. Nullum hic additur *sal*, ne inquinet *Oleum balsamicum*.

2. In *retorta* peragitur operatio, 1. ut nullibi adhæreat *Oleum tenue*, & nulla fiat fuga partium *tenuium*, quod & in aliis observari potest, *minorem Olei copiam* præbentibus. 2. Ut præcaveatur *corrosio sp. salis*, qui *vasa ænea* aggreditur, & *Oleum* restans *viridi* inficit *colore*.

3. Fœces *calentes* è retorta vitrea effundantur, ne *Oleum balsamicum* hic illic latera occupet frigefactum, & jacturam hujus Artista faciat.

4. Hoc in omni genere hujusmodi destillationum *observandum*; *fœces*, denuò cum *vino adusto*, vel *sp. vini* rectificato permixtas, & mace-

ceratas, plurimis *viribus* illum imbuere è residuis particulis *ramosis fixioribus*, sese cum *sp. vini* unientibus: quæ manifesto odore & sapore prodeunt: sic *omnis vis* extrahitur relicta *inutili* parte.

Vires.

Cardiacum, stomachicum, diureticum, & carminativum est, unde frigidis in morbis summi usus. Dos. ad gtt. xij.

Eodem modo *nux moscata* & *baccæ lauri* tractantur, ut *Oleum duplex* fundant &c.

Radices, *Cortices*, & *Ligna*, quæ *solidiori* firma consistentia, & *cohæsione* tenaci gaudent, *diuturnum macerationis* tempus destillationi subjicienda requirunt: vehiculo enim *aqueo* prius sejunguntur & elevantur. Ubicunque ergo *aqua* ingressum nullum obtinet, inde nullum sperandum est *Oleum essentiale*. Differunt autem *Ligna* &c. à præcedentibus, ut resina solida ab oleo fluido. Concludimus igitur brevitatis causa, hujus generis vegetabilia, quo *magis resinosa & solida*, eo *infusionis* tempus magis protrahendum esse, donec *molliora* evadant, nisi quis contentus esse velit *minima Olei subtilissimi quantitate*, ut satis superque antehac diximus, ut his duobus exemplis demonstratur:

℞. *Rad. Calam. Aromat.* ℔x.
Sal. comm. ℔j.
Tartar. crud. ℥iiij.
Aq. comm. q. s.

Macerentur, donec pulpa albicans interior mollis fiat; attamen absque putredine: dein, addita majori aquæ copia, fiat destillatio in vesica s. a.; Oleum ab aqua ad usum separetur.

NOTÆ.

1. Non opus est iterato dicere, *salia duplicem fructum in maceratione* exhibere: Nempe in *putredine præcavenda*, & in *aqua acuenda*, cum hæc sæpius ante dicta sint.

2. Cave ab ulteriori *maceratione*; nam statim dissolutio integra continui fieret, & fœtore ingrato *Oleum* imbutum prodiret.

Vires.

Particulas obtinet sat acres, ventriculi motum stimulantes: unde à nimio ejus

ejus usu abstinendum, flatus discutit, febribus intermittentibus, è pituita & serosis humoribus oriundis, medetur. Dos. ad gtt. x. *in vehiculo.*

Oleum Ligni Rhodii.

℞. *Ligni Rhod. rasi q. v.*

Maceretur in sufficienti quantitate *aquæ salsæ* per duos menses, dein fiat destillatio, addito manipulo uno vel altero tartari crudi, *Oleum* ab aqua separetur modo prædicto.

NOTÆ.

1. Omnia *recenter destillata Olea* & aquæ, *empyreumaticum* redolent *odorem*, ob materiæ subtilis nimiam ibidem existentiam & *concussionem irregularem* illarum partium in destillatione factam, quoniam nullo modo ferè *præcaveri* potest, quin aliquæ saltem vicinæ particulæ in *fundo & lateribus* vesicæ *immediatè ab igne* attingantur, & ustionem aliqualem recipiant, unde reliquis particulis *odorem adustum* communicare solent; cessat verò ille odor & sapor *temporis tractu*, motu vehementiori sedato, unde genuinus iis *odor & sapor* redeunt.

2. Non opus autem est, ut aquæ &c. *vase aperto* soli exponantur; ut quidam volunt: cum *non solum* hoc modo *spiritus empyreumaticus*, *sed & nobilior* fugam petat, restante liquore, *penuria spirituum* suavius olente. Sic enim exempli gratia *moscus*, *ambra*, & similia, fortiorem halitum spirantia, molesta & *fœtida* nobis videntur, ob nimiam *exhalationum salino-aerearum* copiam, nervos nostros vellicantem, & spiritus nimis moventem, unde *Cephalalgia*, *Vertigo* &c. At vero, si hæc odora simplicia *in minori quantitate* dispergantur in liquoribus, pulveribus, & similibus, statim *odor* fit *gratus*, non, quoniam *fœtor* sublatus, sed, ut diximus, ob *penuriam partium*; sufficit ergo, ut *vase clauso* ferocia sedetur.

3. Grosso modo *conscissa* vel *contusa* esse debent, ne vehiculum aquosum ullibi arceatur ob coagulum & facilem *cohærentiam pulveris subtilioris*, undę minorem præberent quantitatem *Olei*; ut &, quoniam ad fundum vasis pertinaciùs adhærere solent *pulveres subtiliores*, *unde fœtidum* conciliarent *odorem*.

Vires.

Odoriferis plerumque inservit hoc Oleum; rariùs internè assumitur, nisi pro diuretico.

CAP. IX.

De Spiritibus, mediante Fermentatione paratis.

Spiritus Ardentes dicti *sunt olea, seu corpuscula salino-terrestria conglobata, in majori aquæ quantitate diffusa; seu mixturæ ramoso-salino-aquosæ, per motum continuum particularum intestinum unitæ & exaltatæ. Motus* ille nil aliud, nisi *Fermentatio* est, quæ illas *intricatioris cohæsionis* particulas *expandens*, & quasi tumidiores reddens, ut ingressus *aqueis* & *aëreis* particulis sufficiens admittatur: In *tubulis terrestribus majoribus*, nondum diffractis, latitat *sal*, è *porosiori* jam facto suo corpore undique spicula sua vibrans magis minusve *acuta*, vel *obtusa* pro ratione terræ spongiosæ factæ, cujus *acies* adhuc multum infringitur ab *aqua*, intermedias latebras occupante, particulasque illius diluente. Prout autem illa *salia*, adjuta à pressione ætheris, ulterius ac ulterius pergunt in *discontinuandis* illis corpusculis *terrestribus*, donec ea dilacerent omni *cohærentia* superficieculárum adempta, & hoc modo è sua *matrice* prorumpant instar viperini alicujus, ut aiunt, fœtus: sic in *blanda* agitatione & *concussione* illarum partium, aperiuntur quidem magis cellulæ *terrestres*, ut *salia* hic illic sese manifestare possint, & *vinosum* gratum *gustum*, fluidumque & *limpidum liquorem* constituunt, crassioribus & mere fœculentis particulis eliminatis, è rarefacto nunc liquore *propriâ gravitate* descendentibus. Ex hisce tenuissimæ jam texturæ *ramosis* dictis *corpusculis spiritus* per destillationem elicitur *Ardens*. Sed ulterius pergens ille *motus* corpusculis ut rupturam & *divisionem* pariat necessum est, unde figura plane destructa, *inflammabilitas* à *sphærulis* illis conglobatis, in *motum* per materiam subtilem reducendis, dependens, & *balsamica dulcedo*, à *terra* planiori longius *intertexta* ortum ducens, pereunt, *acidusque* ingratus redditur liquor. Sic vel *spiritus velociores figuntur* & retinentur, vel *salia volatilia* sui juris facta, cœteras particulas *ramosas, terrestres*, & *aqueas* deferentia, auras petunt. Hinc *debitum tempus* observandum; nam ultrà citraque nequit consistere rectum.

Duo signa absolutæ Fermentationis, sunt *odor* & *sapor*; *Odor rei fermentantis acris est* & vellicans ab *exhalatione* plurima subtilium particularum, motu illo altum in sat magna copia petentium. *Sapor rei fermentatæ est subacidus volatilis: notandum* enim, *salia corporum* interna expansionem & *fluorem* levem adipisci in illo actu: unde instar *acidorum* non raro qualitates suas, largiori haustu assumta, manifestant, ut patet

in *vino*: nisi *ramosæ* particulæ eorum ferociam leniant *involvendo* illa *salia*, & in subtiliorem exaltationem reducendo.

Non inutilis *quæstio* videtur, quare *Olea essentialia* semper majores possideant vires, quam *spiritus utut rectificatissimi*?

Absque dubio, *respondebit* mihi aliquis ob copiam majorem *aquæ*, *in spiritu* delitescentem, quæ in *Oleo* non ita apparet. Sed, si exactè *aqua* & *Oleum* misceantur, ut debiliorem *gustum* & *odorem* referant *spiritu*, attamen efficacius & diutius in *viribus* suis perstat. Ratio autem mihi petenda videtur ab *Olei particulis ramosis*, id est, suo modo figuratis *terrestribus*, diutius non solummodo figuram mechanicam, & per consequens *actionem retinentibus*, sed insuper *eandem* obviis corpusculis *communicantibus*, unde pertinacia constans ibidem visitur non tam cito, quam in levissima admodum cohæsione disparens. Hisce insuper texturis *firmioribus*, ipsius terræ ramosæ, implicita hærent salia, suo etiam *modo ac motu* procedentia, quæ cum non tam cito fugam sola tentare queant, in vicinas fluidas arietare solent particulas, illasque ad nutum suum vergere cogunt. Hinc, prout in omni occursu partium fieri solet, *mutuam luctam* sustinent, *fugacesque* edunt, non facile coercendos, *spiritus* extricatos, & sibi invicem allidentia *figuram* immutant, particulas alio modo disponunt, & commercio mutuo partim exaltantur, partim *deprimuntur*. Hic *motus*, necessario *diutius continuans*, ob texturam solidiorem particularum terrestrium intricatarum ulterius *circumfluis* cœteris particulis communicatur, quæ subtiliatæ *poros corporis* in majori copia perterebrant, unde *sudor*: ècontra *spirituum tenuitas*, & rara textura, multo *promtius* & *vehementius fermentationem* init, cum eadem autem celeritate desinit: ut apparet in *spiritibus fluidis*, & *salibus rigidis fixis*, commixtis, & similibus experimentis, *ab alcali & acido* desumptis. Durationis autem multo longioris sunt *effervescentiæ* è *salibus fluidis & oleis*, quæ & in aliis mixturis corporum observabiles; sic ex: gr: mixturæ, factæ ex *acido & alcali*, ubi sirupus & similia *viscosa* adjiciantur, *diutissime* motus perstat, qui alias *cito* sistitur. *Sudores* autem à mero *motu intestino* dependere, absque magna partium *præcipitatione*, videntur: hosce tamen à *dilutioris* partis *sangvinis* mera *pressione*, & per glandulas *secretione* produci credo. Differunt à *vi diuretica*, ut volatilia à fixioribus, quæ *motu majori vel minori*, vix attamen ad has aut illas classes notiores motuum intestinorum reducendo, sese exerunt. Experimentis enim constat, ex *aceto nimio* assumto, tam in *alimentis* quam in *medicamentis* usurpato, *per accidens* sudores elici è mero tantum con-

greſſu & leviſſima *lucta fluidi cum ſolido* mutuos *poros* & meatus occupantium, *aërem* & *aquam* plurimam inde *exprimentium*. Ex omni *ſale volatili* ingeſto *ſudores* procreari nullum eſt dubium ob *exaltationem* ac *volatiliſationem* humorum noſtrorum, ad *rariorem* ſtatum *leviſſimas* illas *terras*, in fluidas particulas coactas, ſubtiliatas, elevatas. Subtiliſſima enim materia, per *aëris* inſpirationem admiſſa, èo *copioſius* ingruit, fortius latera dirimit, *poroſioraque* corpora reddit, hujus *ſalis tenui* miſcela. *Pulveres* alcalini idem agunt ratione *acidi* oberrantis & exiſtentis *in ſaliva & ventriculo* &c. unde fervor & expanſio major cum iis, ut in oculis cancrorum, antimonio rite ad diaphoreſin præparato, coralliis &c. manifeſte patet. Hinc etiam eorum omnium vis *ſudorifera infringitur*, ſi ante exhibitionem cum *acido* unita *vim efferveſcendi amiſerint*. Quod vero alia *ſudorifera* aliis præſtent in hoc vel illo *morbo* & *corpore*, illud ob *duas* præcipue fit *cauſas*. *Prima* eſt *diverſitas* partium *fluidarum* ratione ſuæ terræ & ſalis, in corpore *excipiente* præexiſtens, multifaria, adeoque aliæ præ aliis *congreſſum mutuum ambiunt vel reſpuunt*, ut alibi in menſtruis Chimicis latius. *Secunda eſt mala* partium *ſolidarum*, quæ organa conſtituunt, *conformatio*, unde humores & eorundem *tranſitus immutati* infinita ſymptomata in variis corporis partibus efficiunt, ab aſſumtis *plus minuſve* congruentibus medicamentis. Sic in *peſte* proſunt *ramoſa*, inde *antipeſtilentialia* dicta, quoniam non ſolum fermentant, ſed *exhalationes* odoras ad cerebrum reliquaſque corporis partes deferendo, *ſpiritus animales demulcent* & *acredinem* infeſtam *balſamica* ſua vi leniunt. In *febribus* ſufficiunt mera *terreſtria alcalica*, quæ levi *aſtrictione* prædita *motum materiæ febrilis* coercere poſſunt. Sed de hiſce alibi Deo dante fuſius.

Notandum autem eſt, omnia *acida* pertinacius *reſiſtere fermentationi*, dein mera *ramoſa*, facilius verò illam recipiunt *viſcoſo-ramoſa*, *aquoſo* vehiculo inſtigata, omnium verò facillimè *merè viſcoſa* & *aquoſiora*, quæ facili illo motu ſuſcepto *diſſolutionem* etiam citiſſimè admittunt, unde *putrefactio* ortum ſuum ducit. *Ramoſa* ſimplicia corpora *reſiſtunt fermentationi* ob ingreſſum *difficiliorem aëris* & *aquæ*, plane neceſſaria ad diſtenſionem & mixturam mobilem acquirendam: *acida ſalia* neutiquam per ſe fermentant, ob *rigidam* eorum figuram, *terræ rectilineis*, quantum poſſibile, inſtructæ *poris*, tantum admixta, unde colliſio impeditur. *Conſervant* itidem alia ab *inteſtino motu* corpora, tegendo illorum *ſuperficiem*, ut *injuriis aëris* non ita pateant, & *conſtringendo poros meatuſque* corporum nimis hiantium, eorumque *ſpiritus* à fuga & diſſolutione

tione coercentium. Facillimè vero huic parent *ramoſo-viſcoſa* ob veſiculas diſtentas eorundem, *aqua* plurima repletas. Hinc etiam ſequitur, *fermentationem* nullam admitti, niſi intromiſſa *aqua* in majori vel minori copia, unde *citiùs vel tardiùs* abſolvitur *fermentationis tempus:* ſi autem partes merè ſint *ramoſæ*, neceſſe eſt illis primò *ingreſſum* liberum conciliare *aqua communi*, quæ illas dilatare, & à mutua *cohæſione* liberare poſſit; ſic & *acida* requirunt *ramoſa*, ut *inæqualior* fiat partium *ſitus*: &c. ut exempla *ſequentia* demonſtrant.

Spiritus ardens Frumenti.

℞. *Farinæ Hordei germinati* ℔. xx.
Farinæ Siliginis ℔. xxx.

Mixtis ſuperfunde aquam ferè ferventem q. ſ., ut in paſtam mollem reducantur optimè agitando; coopertum relinquatur vas per duas treſve horas, donec aqua omnes partes farinæ optimè madefecerit, dein adjice majorem aquæ quantitatem, indefeſſe materiam agitando, ne in glebas concreſcat. Tamdiu perſeveretur in affuſione aquæ, & agitatione materiæ, donec ad ſupereminentiam debitam aqua ſuperaverit maſſam farinaceam; ultimò adde fermentum, ſive è fœcibus cereviſiæ, ſive è paſta panis ſubacida: fermententur ſimul, donec maſſa farinæ in altum elevata in principio fermentationis ſenſim detumeſcat, & ſubſideat, ſupernatante poſtmodum limpido liquore, acidiuſculum halitum ſpirante. Deſtillationi dein committe, quæ tamdiu continuari debet, donec aqua excepta flammæ injecta, amplius ardere nolit, quod ſignum eſt omnimodæ abſtractionis: liquor exceptus rectificationi committatur cum manipulis aliquot calcis. Signum boni ſpiritus eſt, ſi vitro immiſſus & aliquantulum commotus, bullas in ſuperficie admittat diutius perſtantes. Hic ſpiritus, ſi ulteriori rectificationi committatur, ad ſpiritum rectificatum & alcohol vini poteſt reduci.

NOTÆ.

1. Caveatur in prima affuſione *aquæ*, ne illa *fervens* affundatur: facilè enim *aduritur* farina; *contrahuntur* enim particulæ *ramoſæ* à fervente liquore, ut corium ſupra ignem: unde exaltatio & *ingreſſus* impediuntur, & ſic *ſpiritus* deperditur. *Maceratio* autem illa cum *parva* quantitate aquæ eſt perficienda: *primo*, ut æqualiter humectetur: *Secundo*, ut arctiſſimè partes commiſceantur; *Tertio*, ut particulæ *agitationem inter-*

nam aliqualem primo suscipiant, quæ in humido externo natantes, pressæ undiquaque, ab angusta & irregulari viscosa vicinia corporum terrestrium exacuuntur, expansionem postea accelerant, & *motum intestinum* adjuvant, absolvendum postea *majori* affusione *aquæ*, & *Fermenti*, mobilibus particulis gravidi.

2. Miscentur hæ duæ farinæ, ut *Hordeum germinatum levitate* sua *farinam siliginis ponderosiorem* & graviorem facilius in *altum* elevet, & *fermentationem* facilitet.

3. Signum *bonæ fermentationis* est, si *omnis* farina in altum elevetur, & *halitus tenuissimus* ascendens nares vellicet; *absolutæ* autem *fermentationis* signum est plenaria *subsidentia* hujus frumenti. *Elevatio* enim *farinæ primum* constituit fermentationis signum, prout *spuma* &c. in aliis fermentantibus liquoribus; quamdiu enim *sphærica* jam in *bullas* dilatata crassior figura perstat, tamdiu *inflata*, tumidaque perstat agitatio partium; *ventiformi inflatione* enim *leviores* factæ altum citissime petunt: eodem modo, ut *bullæ* apparent in *aqua sapone* infecta, per fistulam inflata, itidemque omnibus liquoribus *mucilaginosis*. Cessat vero illa *intumescentia* statim, ubi textura illarum vesicularum *tenacior* vel *crassior* abolita fuerit, ac per continuas circumgyrationes *rarissima* ac levissima reddita, *halitus* illos *retinere* diutius nequit, & *magis rectus* pororum & meatuum fuerit *situs*, expulsis etiam omnibus rarioribus corpusculis *salino-sulphureis*, antehac in claustris durioribus & inutilioribus hospitantibus, nullibi jam coercito, neque *diutius* retento *fortioris motus* impetu in majoribus terræ gravioris tubulis, *subsidentia* fit *spontanea* illorum corporum, instar *limi fundum* vasis postea occupantium. Eodem modo, ut videmus, corallia, perlas, oculos cancrorum &c. ab *acido illic sese insinuante*, in *altum* elevari, quo *satiato omnis motus graviorum* corporum *tollitur*: sic & in *igne* tamdiu perstare flammam videmus, quamdiu *integra* tubulorum & meatuum, *ætherem* excipientium, extat *figura*, qua læsa chaos suum petit *æther*, axes minores non obtinens, circa quas sese exerceat.

4. Quo *major* affunditur aquæ copia, quæ ad minimum *tepida* esse debet, eò *citiùs tempus fermentationis* absolvitur.

5. *Calx* admiscetur in rectificatione, ut *odor empyreumaticus subacidus* tollatur, nec metus est, quod ullo modo spiritum *depauperet*, *cum* *ècontra salia alcalia* magis *pingues & oleosas* reddant partes: ut alibi latius.

Vires.

Convenit viribus cnm ſpiritu vini, niſi, quod magis ſit anodynus, & ingratioris odoris & ſaporis.

Spiritus ardens nobilior & gratior, tam in ſapore, quam odore, colligitur ſecretiori *modo ſequenti:*

Spiritus Frumenti gratior.

℞. *Farinæ cujuſcunque Frumenti, debito modo præparati,* ℔xx.
Fœcum Vini expreſſarum, Belgice, Droogé Wijn-moer. ℥xx.

Præparentur, ut ſuperius, hac tamen cum cautela, ut fœces in aqua tepida prius diluantur, antequam farinæ humectatæ adjiciantur: fermententur dein ſ. a., liquorem limpidum, à ſubſidentia farinæ factum, deſtillationi per ſe committe, & rectifica, ut ſuperius: ſic nanciſceris ſpiritum, in omnibus ſpiritum è vino deſtillatum æmulantem. Fœces iterato addito liquore, leviter fermententur; ſic denuo ſpiritum præbent. Reſiduum craſſum pulpamentum, addita cereviſia vel aqua etiam extrahi poteſt per deſtillationem, ſic omnis ſpiritus obtinetur: ultimus autem ingratior exiſtit.

F*ructus* vel *magis ſucculenti* ſunt, qui, ut ceraſa, ribeſia &c. *expreſſo* & *fermentato* ſucco, *ſpiritum* præbent: vel *minus ſucculenti*, ut poma, pyra &c. è quibus etiam liquor *extorqueri* poteſt, ſed cum *jactura* partium: hæ ergo ut *conſerventur*, *ſeq: modo* procedendum eſt:

Spiritus Pomorum.

℞. *Aq. Comm. q. ſ.*
Ei immergantnr Poma, ut innatare queant;
Coquantur ſimul, donec mollia evaſerint, quibus exemptis alia injiciantur, & coquantur, ut ante, poſteaque eximantur, eodem modo tamdiu procedendo, donec ſufficiens adſit quantitas Pomorum coctorum. Adimpleatur iis dolium, & leviter contundantur; ſuperfuſa dein præcedenti aqua & cochleari uno vel altero fœcum cereviſiæ, fiat fermentatio ſ. a., qua abſoluta deſtillationi ſubjiciantur in veſica cum ſerpentina inſtructa: ſic prodit ſpiritûs fragrans, ſpiritui è vino parato vix cedens.

NO-

NOTÆ.

1. *Coctio* hæc eſt præmittenda, ut *facilior* & promptior fiat *fermentatio*, & partes molliores factæ fere *omnes* in liquorem vertantur.

2. Liquor fermentatus, colatus à *fœcibus*, etiam diſtillari poteſt, ut gratiorem & magis fragrantem edat *ſpiritum*.

3. E fœcibus *acetum* fieri poteſt, ſi cum aqua *ſaccharata diluta* iterato fermententur, addito fermento acido.

4. Liquor fermentatus *vinum* æmulatur, ſi rite præparatus exiſtat; ita ut non opus ſit dicere, *ſeparationem* jam factam eſſe *ſalium tenuiorum* à *craſſiori fœce* terreſtri, quæ in fructibus, ſaccharo, muſto &c. mollem & *obtuſum ſaporem dulcem* efficit, jam in *acidum gratiorem* redactum.

Vires.

Cum ſp. vini unæ eædemque ſunt, niſi quod differant inter ſe ratione minimarum mechanicè diſpoſitarum particularum *terreſtrium*, *proprias* actiones *reſervantium*.

Eodem modo omnes *Fructus*, &c. tritici, & omnium aliarum *farinarum* genera deſtillari poſſunt. Differunt autem hi *ſpiritus* tam in *guſtu*, quam in *odore*.

Spiritus ardens Mellis.

℞. *Mellis* ℔xxx.

Aquæ pintas C. vel ℔. *CXXXV. circiter.*

Ebulliant ſimul, vel ſaltem aqua fervefacta Melli ſuperfundatur, ut optimè dilui poſſit; huic adde

Fœcum Cereviſiæ cochlearia 3. *vel* 4.

Fermententur ſimul per tres quatuorve ſeptimanas, dein deſtillentur, ut artis eſt.

NOTÆ.

1. Signum *perfectæ fermentationis* eſt, ubi bullulæ ceſſant, *odorem* & *ſaporem* valde *ſpirituoſum* liquor edat, & *guſtum dulcem* pro maxima ſui parte depoſuerit, denique, ubi liquor ſupernatans *plane clarus* evaſerit.

2. *Primus* egrediens *ſpiritus* pro *vino aduſto vulgari* conficiendo tam diu

diu seorsim excipitur, quam diu *bullas in superficie* admittit; *reliquus* verò liquor *subalbicans phlegmaticus*, eodem modo ulteriùs abstrahitur, ut supra dictum, qui ulteriori *rectificatione* postea indiget.

3. *Effervescentiæ & fermentationis diversitatem* demonstrant fermenta & ipsa fermentantia: prout enim *effevescentia* ex mutuo *concursu alcali & acidi* se mutuo involventium *oritur*, sic *fermentatio* ab illo *coitu*, *vesiculas & cellulas* illas *replente*, & angustante, *tollitur*, ad fundum deturbatis *limosis* particulis *gravioribus* factis, in quas antea inflatas & leves *Ætheris mobilis influxus* patebat, fortiter de loco *sylvestri illo vento* propulso. Ideoque nulla *alcalia fermentanti liquori sola* addi debent, saltem non in principio, nec in tanta copia, ut poros & *meatus salium expansorum* replere aliquo modo possint; statim enim actio illa intestina tollitur. *Non uno* tamen eodemque *modo* illæ *motus sublationes* fiunt, sed *pro diversitate alcali* diversimode procedunt, quæ experimentis illustrare hic nimis longum foret. Egregia etiam ratiocinia & experimenta *de Morbis & Febribus, eorundemque curatione per alcalia*, hic applicari possent, *An* nempe, *ulla in sanguine bene constituto adsit fermentatio*, nisi tali nomine omnes *motus* magistri hujus artis velint indigitare, quod ego tamen cum aliis (ut aliquis olim protulit: *fermentatio est motus, cessatio est quies*) plurimis doctioribus Viris *nego*; tunc enim *omnia alcalia* essent *lethifera*, utpote quæ extinguerent illud *fermentum vivificum*: *An febres & morbi ab acido provenire possent, sine præcedenti motu intestino alterationem manifestam iis lymphaticis particulis inducente* admodum dubitarem, imo potius penes me in *negativa* staret sententia ob plurimas rationes partim in *fermentationis* historia allatas, partim ob alias nimis longas: *item, quid ipsa substantia medicamentorum contribuat, & an ab illis corporibus, vel ab halitibus dependeat medela?* &c. Sed ad rem. *Acida fermentativum motum* inceptum neutiquam sedant, nisi respectu occursus *salis alcali*, divortium à sua *terra* parantis; ècontra sæpius instigatur ille *motus* ab iisdem: hinc facile patet, quare *in doliis quernis fermentatio exactior* fiat, quam in *terreis, vitreis*, vel ex alio ligno fabricatis, quoniam nempe *acido vitriolo vegetabili* scatet.

Vires.

Valde commodus est Spiritus oleis dissolvendis & tincturis extrahendis; quamvis idem etiam assequi possis spiritu vini bene rectificato.

Eodem modo *succi condensati*, saccharum & similia præparari possunt.

Spiritus Vini rectificatus.

℞. *Vini adusti q. v.*
Impone veſicæ, & leniſſimo igne per ſerpentinam ſtanneam deſtilla ad mediam ferè partem. Hic ſpiritus, ſi denuo rectificetur, *alcohol vini* evadit, id eſt ſpiritus vini, omni phlegmate ſuperfluo liberatus, qui ad uſum ſervandus in vitro optimè clauſo.

NOTÆ.

1. Quo *fortius* vinum aduſtum, eò *majorem* ſpiritus rectificati copiam præbet.

2. Si *prima vice rectificatiſſimum* expetas ſpiritum, *per alembicum tubulatum* ad pedis unius vel alterius altitudinem fiat deſtillatio *per MB.*

3. Per additionem *ſalium* etiam *phlegma* retineri poteſt, ut non tam facilis ſit aſcenſionis, v. g. ſi ad ſingulas *libras quinque vini aduſti*, *manipuli duo vel tres ſalis* aſſumantur. Spiritum inde aliquo modo *immutari*, & *compoſitum* evadere demonſtrant *ſalium diverſæ naturæ*, *illi in mixtione occurrentium*, experimenta. Sic huic ſpiritui cum *ſale communi* rectificato ſi *alcali fortiſſimum* inſtillaveris, levem ſubit effervefcentiam; ècontra, ſi ſuper *alcali* rectificatus ſit ſpiritus, cum *acido* eandem ſubit &c. Itaque unuſquiſque ſalia illa adhibeat, quæ operationibus inde ulterius conficiendis non contrarientur.

4. Additione autem *ſalium* etiam *prima vice per retortam vitream alcohol* fieri poteſt. Spiritus vini rectificatiſſimus, quamvis videatur *omni phlegmate* carere, attamen illo non facile *plenariè* orbatur, ut demonſtrant *repetitæ rectificationes ſuper ſalia alcalia*, quæ tantum recipiunt *terræ* & *aquæ*, quantum *ſpiritus ſubtiliores*, in rarefactione auras petentes, *graviora ſua corpora* deſerunt; ut in pleriſque fit *nimis repetitis rectificationibus*: unde ſenſim totaliter *ſpiritu pereunte aqua elementaris* relinquitur.

5. *Signum boni Alcohol vini* eſt, ſi *pulverem pyrium incendat* deflagrans Spiritus vini, &, ſi *gutta* una vel altera effuſa, *pavimentum non attingat*, ſed in aëre *diſpareat* ob ſubtilitatem & tenuitatem partium, quamvis facile credam, idem poſſe contingere in *guttula aquæ*, ad *turris* altitudinem projecta ardente ſole. *Goſſypium* etiam *non totaliter* dephlegmato Spiritu vini incenditur, ubi hic illic *in extremitatibus*, per calorem *expulſâ* & rarefactâ *aquâ*, illud *ſiccum flammæ devorandum* patet. *Perfectiſſimum* autem *ſignum* eſt, ſi cum *alcali ſale recenter optimè* ſic-

ficcato, & calcinato misceatur, & comburatur *perstante* pristina salis *siccitate.*

Vires.

Menstrui loco famosissimi ad exaltanda & extrahenda corpora existit; ventriculo debili convenit. Dosis ad ℥j.

MEnstrua *Chymici* plurima excogitarunt, corporum solidiorum *dissolutionibus & extractionibus* idonea: Quoniam vero *plurimæ* eorundem *partes* pertinacius *resistunt* liquoribus, vel ob *solidam compagem*, vel ob *texturam irregularem*, adeo, ut divortium non facile ineant, præcipue ubi *acies fluidorum minor*, & penetrandi vis *debilior* existit: Ideo calcaris loco *salia* diversa in usum traxerunt, tam *fixa*, quam *volatilia*, quibus *armata menstrua* vi sibi viam parare possint, & ad abstrusos aditus pervenire, ut inde thesaurum nobis communicent suarum *virium*, quod in *duabus sequentibus operationibus* circa hosce Spiritus ardentes patet: sic & *absque destillatione phlegma* suo Spiritu privari potest *seq. modo:*

℞. *Vini Adusti* ℥xx.
Sal. Tartar opt. calcinati ℥iiij.
M.

Agitentur simul, sic sensim phlegma diluit illa salia, quibus dein oneratum propria gravitate ad fundum abscedit, supernatante Spiritu limpido leviter flavescente: Spiritum hunc, per decantationem separatum, iteratò cùm sale alcali permisce, & agita, donec sal nulli phlegmati occurrens, siccum in fundo remaneat.

NOTÆ.

1. In hac operatione primo *color Sp. vini* intenditur, dein phlegmate secedente *remittit*, *phlegma* autem *rubrum* induit *colorem*, signo, præcipitationem aliqualem inde fieri ab occursu salis cum spiritu.

2. *Rectificatus per destillationem Spiritus* & aqua vitæ si denuo cum *sale alcali* agitentur, *flavescens* evadit, *phlegma* autem *limpidum* manet ob leviter *præcipitatas sulphureas* terrestres particulas.

3. Hic Spiritus ab *odore* & *sapore salis lixiviosi* liberari potest, ita ut gratissimus evadat, *exaltato* nempe *sulphure* vini, & *depresso acido* ejus superfluo, unde fragrantia.

4. Idem etiam omni *colore privari* poteſt, ut ſit inſtar Sp: vini per deſtillationem rectificati.

Vires.

Multo præſtantior eſt in extrahendis quibuſcunque ſimplicibus, Spiritu per deſtillationem rectificato: acuatus enim eſt particulis, quæ facilem ingreſſum præbent. Interne ſudores & urinam movet. &c.

Spiritus Vini rectificatus compoſitus, Tartariſatus dictus.

℞. *Tartari crudi* ℥viij.
Salis Tartari ℥iv.
Spiritus Vini vulgaris ℔viiij.

Digerantur per diem unum, dein deſtillentur ad mediæ partis abſtractionem: deſtillatum Spiritum ſuperfunde ſalis Tartari ℥ij. & Tartari crudi ℥iv. denuo deſtillentur ad mediæ partis abſtractionem, ſic Spiritus vini prodit, Tartari ſubtilioribus particulis imbutus.

NOTÆ.

1. *Digeſtio* cum vulgari *Spiritu vini* præcedens, requiritur, ad majorem *exaltationem particularum Tartari*, quæ mediante *phlegmate*, alcali *Tartari* imbuto, diſſolvuntur, & quaſi fermentantur, vel potius *blande efferveſcunt, Spiritumque tenuiorem* hoc modo fundunt.

2. *Salium reſeratio*, unio, & exaltatio cum ſpirituoſis, commodiſſimè fit per *mixturam ſalis muriatici & fixi*, quoniam *ſalia fixa* clavium inſtar ſunt, & reſerantis corporis loco, quibus mediantibus *volatiles* particulæ, *in muriaticis exiſtentes ſalibus*, ſui juris fiunt, & facile aliis *volatilibus aſſociantur*, conſortio terreſtrium particularum liberatæ: Quod facile apparet in omni *efferveſcentia, ſpiritum fumoſum in copia exhibente*, qui *Mercurii Philoſophici* nomine à *Baſilio Valentino* nobilitatur, & revera *intermedium* conſtituit *Spiritum alcalino-acidum tenuem*. Sic omnia *ſalia* hoc modo *acuari* & exaltari queunt cum *Spiritu vini*.

3. *Alcalia ſulphureas partes depauperare*, nunquam expertus ſum; *contrarium* etenim *omnis experientia* demonſtrat, ubi partes illæ, cum aqua altius ſeſe inſinuante, ſimul mixtæ *pingvem ſuam conſiſtentiam* reſervant: imo in plurimis ipſa *figura haut immutata perſtat* in ipſo conſortio, prout & in *diſſolutionibus per acida* factis. *Olea ſtillatitia* non magis in *Spiritu ardente ſacchari* diſſolvuntur, quam in *Spiritu vini generoſo*,

id est, non ex nimis acidis fœcibus confecto; nam *gradus aciditatis* plurimi sunt, antequam *Spiritus ardentes* totaliter *figantur*. Harum autem *maxima copia*, in præcedenti *Spiritu rectificatissimo*, *per præcipitationem* facto, *absorbentur*; unde & in *resinosis extractionibus* faciendis omnibus aliis prævalet; postmodum *hic* subsequitur *tenuioris & fugacioris consistentiæ*. *Tartarus* autem *solus* si Spiritum præberet in destillatione, tanquam acidus, *macrum* redderet *Spiritum pro oleis dissolvendis*, quoniam *acida oleorum* & *resinarum* consortium *respuunt*, vel cum illis in *offam duram coalescunt* relicto menstruo fluidiori; si *oleum præberet* saturatior jam Spiritus vini, ulterius *oleum admittere* vix posset: ideoque *intermedium* requiritur *sal*, *potius alcalinum*, *quam acidum*, quod porosum, *spiculis* illis tenerrimis *salinis* acuatum, reddit *Spiritum* pro *vegetabilium & animalium partibus oleosis* extrahendis: pro *mineralibus* autem *densioribus aciditas* relinquatur.

4. Spiritum hunc *aliquas è Tartaro partes* recepisse, & quidem *salinas volatiles*, argumentum infallibile præbet *effervescentia cum acido*, ut & leviuscula post motum illum *subsidentia*, è particulis *salinis* orta. Rarius enim *præcipitatio* motum subsequitur, nisi ab *occursu fluidi cum solido*, in mutuum amplexum ruentium, & corpora cœtera, in *interstitiis* latitantia, vel, in quibus hoc vel illud innatabat, deserentium.

Vires.

Diuresin promovet, menstruum sat famosum est extrahendis Vegetabilibus & Animalibus, aliquando itidem pro mineralibus. Dosis internè ad ℥β.

F*lores & Folia*, particulis *ramosis volatilibus* imbuta, *Spiritum etiam ardentem* præbent, sed in *minori* copia; ut vero *major* eliciatur quantitas, & fermentatio melius procedat, addito *saccharo*, *melle*, *syrupo*, & similibus, quantitas ejusdem Spiritus augetur. Quamvis autem hic *Spiritus compositus* videatur, & sit, attamen *multiplici experientia* edoctus, hunc spiritum *æqualibus viribus cum simpliciori* spiritu dotatum esse, novi ob varias rationes, è quibus præcipuè *hæ tres* sunt:

1. Ob *rariorem cohæsionem partium*, quæ facile læditur à *fermentatione*, *dissolutionemque* continui admittit; unde *putredinem* fere concipiunt ante absolutam fermentationem *sine saccharo* &c. peractam.

2. Ob *facilem fugam partium tenuium è meris floribus* & foliis fermentantibus quæ *retinentur* à particulis *viscoso-ramosis sacchari* &c.

 3. Ob

3. Ob *fermentationem diuturniorem*, qua mediante partes magis attenuantur, & *exaltantur* cum ſaccharo.

Nunquam autem quis credat, *eundem Spiritum* poſſe obtineri è *ſimplicibus*, *cum Spiritu vini* maceratis: cum ille nil aliud, niſi *minimam copiam magis volatilium* & tenuium particularum ſecum *elevet*, ubi in hac operatione multo *copioſius*, & quaſi *tota eſſentia ſimplicis*, prodit; multo minus cum *fœcibus cereviſiæ generoſæ*, nec cum ipſa *cerviſia etiam generoſiſſima*, quoniam præter additas rationes *ingrato ſapore & odore Spiritum gratiſſimum florum* inquinant. Quod additione *fæcum cereviſiæ extempore* fiat aliquis *Spiritus ardens*, illud non arguit, *ſine fermentatione* talem ſpiritum poſſe elici, cum *jam fermentatæ* ſint ipſæ *fæces*: niſi quis crederet, ſe *ſine fermentatione vinum* poſſe parare, ubi ex *fœcibus vini turbidis*, muſtum forſan æmulantibus, liquorem limpidum & *vinum* ipſum per manicam Hippocraticam *tranſcolare* videret, non advertens, è *muſto jam fermentato* illas *fæces* liquidiores depoſitas fuiſſe.

Spiritus Ardens Roſarum.

℞. *Roſar.*[a] *pallid. magnam ſatis quantitatem unà cum earum flavedine*, impleatur hiſce media pars cadi vinacei, ſuperfunde *aquam calentem*, *cum cochlearibus tribus vel quatuor fæcum cereviſiæ*, *ſacchari* ℔j. *ex. gr. ad Roſar.* ℔xvj.

Fermententur ſimul per duas vel tres ſeptimanas, donec vinoſum & fragrantiſſimum redoleant odorem, dein deſtillationi committe in veſica, liquorem abſtractum rectifica ad abſtractionem duodecimæ circiter partis; quod reliquum eſt, ſub nomine aquæ reſervari poteſt: Spiritus hic denuo ulteriori rectificationi ſuper Roſas recentes committi poteſt ad plenariam dephlegmationem, dein reſervetur.

NOTÆ.

1. In hac operatione etiam *oleum* aſcendit *craſſius*, quod optimè *Spiritu proprio dephlegmato* diſſolvi poteſt.

2. Quibus *ſaccharum inviſum* fuerit, *abſque additione* eundem Spiritum aſſequuntur, at *non in tanta copia*: *primo*, quia *non* tam *bene fermentantur Roſæ*; *ſecundo*, ob *Spiritum ſacchari*, eidem ſeſe immiſcentem. Hic ſpiritus *vehiculi loco* eſſe ſolet, & intimè *Roſarum fragrantiam & odorem* recipit.

3. *Quarta* pars liquoris *primò progredientis ſeorſim* aſſervetur; in hac enim *Spiritus* latet; *ſignum* autem ejus *quartæ partis abſtractæ* eſt, ubi

aqua

aqua planè *limpida*, & *non albicans* eſt; reliquæ autem tres partes ſubſequentes retineantur ſub titulo *aquæ Roſarum*, quæ adhuc ſatis fragrans eſſe ſolet.

4. *Flavedo ramoſis* particulis ſcatet, unde hæc neceſſariò ad *ſpirituoſitatem augendam*, & *oleum acquirendum* addenda eſt.

5. In loco paululum *calido* reponantur, ut *fermentationem* facilem ineant; abſque fermentatione enim nullus *Spiritus ardens* obtinetur; idem de præcedentibus eſto judicium.

Vires.

Cardiacus eſt, & temperatæ naturæ, & odoris ſui fragrantia, præcipuè, ubi per ſeptimanas aliquot immotus ſteterit, ſpiritus & cerebrum recreat. Doſis à guttis iij. *ad* xx.

Eodem modo *omnium florum Spiritus* parari queunt.

Spiritus *compoſiti* è diverſis ſimplicibus, *variæ figuræ* & texturæ exiſtentibus, *fermentationis tempus varium* expetunt. Prout enim *fugax* eſt *ſal internum*, *durioriſque* vel *mollioris cohæſionis*, inde *tempus* illius inteſtini motus *protrahitur*, vel *abbreviatur*: ut autem omnia ſuis *integris viribus* dotata, in *mutua mixtura* uniantur, *ſequenti modo* procedendum: 1. *Ligna*, *Cortices* & *Radices groſſo* modo pulveriſatæ *fermentationi* committantur; adjiciantur 2. poſt decem vel duodecim dies *duriora folia*, 3. *flores* poſt decimum quartum diem addantur, niſi ſint firmiores, tunc una *cum foliis* injiciantur; 4. *antiſcorbutica*, ſale volatili & acri prædita, *fermentatione jam fere abſoluta*, adjungantur. *Sequentia duo exempla* pro demonſtratione ſufficient:

Spiritus Cephalicus.

℞. *Rad. Contrayerv.* ℥ij.
Pœoniæ ℥viij.
Sacchar. ℔vj.
Aquæ comm. calentis ℔xxxx.
Fermenti Cereviſiæ q. ſ.;
Stent in fermentatione per 8. dies, dein adde
Herb. Majoranæ,
Meliſſæ an. Miij.
Lavendulæ Mx.
Roriſmarini Mvj.

Sal-

Salviæ Mij.

ulterius pergant in ſuo motu per 5, aut 6. dies, tunc adjice

Flor. Anthos ℥iiij.

Lavendulæ ℥vj.

fere perfecta fermentatione,

Raſura Ligni Saſſafras ℥iß.

immiſce, poſtmodum lege artis, ut dictum deſtilla.

NOTÆ.

1. Quantitas *ſacchari* & *aquæ fermentationis tempus* accelerat, aut retardat, unde, quo citius abſolutus expetitur *fermentationis finis*, eo *major copia* requiritur *aquæ*.

2. Tempus *prolongari* vel *decurtari* poteſt injiciendorum ſimplicium pro *intentione Artificis*, & *ſoliditate ſimplicium*.

Vires.

Excellit in nervorum affectibus, menſtrua promovet, fœtum pellit, vergitini medetur, ut & paralyſi, epilepſiæ, apoplexiæ &c. Doſis à ʒß. *ad* ʒij.

Spiritus Antiſcorbuticus.

℞. *Cort. Ligni Guajaci* ℥vij.

Aurantiorum ℥v.

Baccar. Juniperi ℔j.

Sem. Dauci vulg. ℥vj.

Sacchar. ℔vj.

Aq. Comm. ℔. L.

Fœcum Cereviſiæ q. ſ.

Fermententur ſimul per 12. dies, poſtmodum adde

Sem. 3. calid. major. an ℥j.

dein fere peractæ fermentationi adjice

Herb. Cochleariæ Mxij.

Beccabung. Miij.

Naſturtii aquat.

Indic. an. Miiij.

Rad. Raphan. ruſtic. ℥ij.

Lign. Saſſafras ℥iij.

Poſtea deſtillentur, & rectificentur, ut moris.

NOTÆ.

1. Quamvis *cortices Guajaci* non multum *odoris* ſpargant, attamen *per fermentationem multæ ejus reſinoſæ partes* attenuantur & volatiliſantur: *major* autem *copia* elicitur è *durioribus*, *minus odoris*, ſi pulveriſati *aqua* humectentur, & per dies duos vel tres ita *humidi* reſerventur, præcipuè addita *parva quantitate Sp. vini* ad majorem *reſinæ* diſſolutionem: ſic *molliores* factæ illæ particulæ motui inteſtino magis parent.

3. *Clauſum*, quantum poſſibile eſt, *vas* retineri debet poſt additionem *antiſcorbuticorum*, ne *ſalis volatilis jactura* fiat.

Vires.

In ſcorbuto & affectibus frigidis convenit, acidum infringit, flatus diſcutit &c. Doſis à ℈j. *ad* ʒj.

Huic claſſi etiam inſerendus venit *Ros*, qui *halitum quaſi vegetabilem* conſtituit, *radiis ſolaribus impregnatum*, *è ſuperficie terræ*, *& ipſis vegetabilibus*, *ibidem exiſtentibus*, *expulſum*, ut latius explicatum in præcedentibus, ubi de *Aëre* locuti ſumus: ad majorem vero explicationem ſequentia annectemus.

Aër tanquam *magnum recipiens hujus Macrocoſmi* conſiderari poteſt, in quo omnis generis *ſeminia* & *ſpiritus mundi*, tanquam in proprio domicilio, hoſpitari ſolent. *Exiguæ* igitur particulæ fere *omnes*, interno vel externo *fluido* adiutæ, illud *chaos* petunt, tanto magis, quoniam *radii ſolares* impetum in *terræ ſuperficiem* facientes, illinc *fluidas*, & *cum iis tenues ſolidas*, in altum de loco ſuo pellunt, unde *Aër humidum ſubtile expanſum* eſſe videtur, præcipue circumcirca hanc mundi ſphœram. Hæ *fluidæ particulæ* cum *non unius* ſint exiſtentiæ; ſed pro ratione *loci*, *regionis*, & *temporis variantes*, *diverſas* ſæpius *efferveſcentias* in ſumma *Aëris* noſtri regione efficiunt: unde *varii motus* dependent, & non raro nobis communicantur. *Salia*, quæ in regionibus maritimis *circa littora & ſtagna* reperiuntur, hoc modo *cum aliis elevata* & ſubtiliata, iis ſeſe uniunt (nam per ſe nullibi ſubſiſtere poteſt ſal volatiliſatum) imo *plantarum*, *animalium* & *mineralium ſudores ſalini* hiſce conjuncti, mixturam efficiunt *fluidam*, quæ in *plenario motu* & expanſione tamdiu conſervatur, quamdiu *materia ſubtili gravida*, & quaſi repleta exiſtit: illa autem in *minori copia* ibidem exiſtente, propria gravitate hæ parti-

culæ *ſubſidere* coguntur, quæ ſubſidentia humida *Ros* dicitur, *refocillationi* & *vegetationi* corporum dicatus. Ex his præcedentibus colligere eſt, *Rorem* nil aliud eſſe, niſi *ſudorem veluti-ſpirituoſum ſalinum hujus mundi*, *materia ſubtili imbutum*: Quemadmodum verò omnia corpora *ſuis poris* & *ſpiritu interno* inſtructa ſunt, quæ *ægerrime vel nunquam* conſortium exacte ineunt, niſi mediante *inteſtino motu*, facile concludimus, *motum hunc* continuum ineſſe *Aëri*, unde idem, *ingreſſum* obtinens in aliqua corpora liquidá, promovetur. Sin autem motus illi *ferociores* evadant cum alliſione diverſá partium, accedente *cohæſione & preſſione* aliqua *ſolidiorum* particularum, inde *venti*, *fulgura*, *tonitrua* &c. in *Aëre* oriuntur, ut patet in *experimentis chymicis* ex ſp: nitri & vini ſumme dephlegmatis, ſp: nitri & limatura Martis, oleo vitrioli & terebinthinæ. Hæc *Aërea agitatio* promovetur *repercuſſione & exceptione radiorum ſolarium* in *ſale*, *aqua*, & *terra*, quæ cum illis miſcentur in ſua rarefactione, uti diximus, unde illa materia ſubtilis, *durioribus* & *rigidis* illis præcedentibus expulſis corpuſculis adiuta, tanto magis in omnes partes impingens, illas *expandit & volatiliores reddit*: neceſſe eſt ergo *æſtivo tempore majorem* adeſſe *rarefactionem*, quam aliis anni tempeſtatibus. *Verno* tempore hæc quaſi *renata agitatio luculentior* nobis videtur obvenire, & *alacris cellularum explicatio in Aërem* germina ſua protrudentium manifeſte obſervatur, unde omnia *vegetiori ſucco fluido* imbuta proſiliunt; ratio eſt præcedentis tempeſtatis rigor; unde *ſalia rigidiora* & graviora facta, *in Aëre craſſo ſuſpenſa* & volitantia, nullibi fere ingreſſum obtinentia, jam vero magis attenuata ubique in *poros magis apertos* corporum ſeſe ingerunt, ibidemque *actum ſuum* producunt. Prout omnes *fere motus velociores* tendunt ad *exaltationem* partium, vel *ad acredinem*, vel *ad diſſolutionem continui* migrant; ſic etiam in hoc *motu Aëreo inteſtino* idem obſervatur; quando enim *unio* exacta eſt partium *aqueo-ſalino-terreſtrium*, ita ut ſimul *fluidum Aëreum* conſtituant, nulla *malignitas* adeſt: ubi vero *ſalina* prædominantur *extra vaginas* ſuas *terreſtres* (quibus *acies* illarum coercebatur) vagabundæ, tunc *Acredo* oritur, *morborum* & febrium *origines* fiunt. *Plenario* autem *ſeceſſu* a *ſtagnatione* nimia facto, particulæ *ſalinæ* ſui juris factæ cum impetu ruunt, *corroſivæ & malignæ* fiunt, unde *peſtilens & contagioſus Aer* redditur, qui *corporis male figurati ac putridi inſtar* corpora obvia, quibus ſe inſinuare poteſt, inquinat, & fere *ad putredinem* reducit, unde denuo *exhalationes* fiunt malæ. E præcedentibus liquet, *Aeris*, & in eo præcipue *Roris bonitatem* vel *malignitatem à motu illo inteſtino* dependere, ut & a *regionibus*,

&

& *anni* tempestatibus. *Colligendus* ergo, ubi *sale volatili* tenuiori turget *Aeris* regio, ut & ad usum *chymicum* ulterius exaltetur, & è *cœlesti* alembico exceptus, per *vitrea* organa purum ab impuro deponat, ut sequitur:

Spiritus Roris Majalis.

℞. *Roris Majalis, tempore sereno collecti*, ℔. xxx.
Mannæ liquidæ ℥xviij.
Nitri purissimi ℥iv.

Mixta reponantur per sex septimanas, donec omnia fermentata fuerint, & putridum odorem ferè concipiant; sic ejus *spiritus salinus volatilis* internus, in apricum productus, destillatione statim separandus venit in cucurbitis vitreis in arena positis: primo larga quantitas liquoris recipiatur, quæ iterata destillatione in spirituosam reducitur substantiam abstractione duodecimæ partis: spiritum rectifica bis vel ter, donec omni phlegmate orbetur.

NOTÆ.

1. Manna & nitrum adduntur, quoniam *fermentatio major* iisdem mediantibus perficitur, deinde, quoniam *manna est ros condensatus, in substantiam firmam redactus*; *nitrum* verò *aereis* est imprægnatum particulis, unde *vi unita* particulas constituere videntur magis fortes & subtiles, *sale volatili nitro-aereo & spirituoso* gravidas.

2. *Salia muriatica*, imo & *acida*, *phlegmati* aquoso intime posse *univi*, cuivis constabit, qui *oleum vitrioli* cum *majori aquæ quantitate* destillaverit, ut & sal commune, alumen &c. Imo *acidissima*, & maximam ignis vim requirentia ad suam elevationem, *sponte* tractu temporis *pereunt* dilutione *Aeris* & *Aquæ*; non mirum igitur, si vires suas per *intestinum motum* & *mixturam exactiorem* communicent. Hic sollicitus sum de *cupro*, quoniam, ubi *merè salini spiritus* expetuntur, ibi *metalla solubilia obsunt*; non vero idem contingit in *salino-sulphureis ardentibus Spiritibus* eliciendis, qui *sine rosione libere* transeunt. *Salia* enim ratione *terræ* agunt, cum qua mixta sunt, quod in *Chymicis* & *Medicis* satis superque notum est, ideoque *circumstantiæ* pro illa necessitate *variant*.

3. Cucurbita requiritur *vitrea*, ne *vesiam cupream* arrodat, & sic partim immutetur & debilitetur; rectificatio autem fiat *in M. B.*, ut *tanto levior* ascendat *spiritus*, phlegmate in fundo remanente.

4. Spiritus hic procedit *nebulosus albicans* instar omnium spirituum salinorum.

5. *Ros* colligitur *linteis* in campo dispersis *vespertina* hora, summo dein *mane* lintea *madida* exprimuntur, & *liquor roridus*, *gramini* &c. guttatim superiacens, *ulterius* illis linteis *excipitur* ad usum. Cum aliis etiam *concavis oblongis instrumentis ligneis* excipi potest *sine ulla mixtura*, quod melius est.

Vires.

Menstruum est pro vegetabilibus extrahendis sat celebre, insuper diuresin promovet, & in plurimis morbis tartareis convenire solet.

Eodem modo *aqua diversi generis* destillari potest, ut aqua *nivis* & è *tonitru* collecta, sed *non in tanta copia* præbent spiritum, *neque tam subtilem.*

CAP. X.

De Oleis, & Spiritibus Empyreumaticis Vegetabilium.

Vegetabilium & Animalium textura cum admodum *mollis* & *teneræ* sit originis, *aereo* & *aqueo succo* primordia sua debent: hic, in debitis *poris & interstitiis* corporum terrestrium exceptus, ita, ut rite in iisdem circulum suum absolvere possit, *vitam & motum* illis communicat. Hæc *vita* cito & facile ab *ætheris rapido motu* læderetur, nisi sepimenta & *tegumenta*, ejus injuriis resistentia, adessent, sub quibus quasi sub scuto *liberum & proprium motum* obtineret. Receptacula hæc sunt *particulæ terrestres*, quæ vesicularum & *capsularum instar humorem continent* & conservant. Hæ *triplices* in statu corporum vegeto conspiciuntur. 1. quæ plurima *aqua & aere* turgidæ *gummosæ vel viscosæ* dici queunt; hæ inserviunt *incremento & expansioni corporum*, ut alibi latius: 2. illæ, superflua *aquæ* copia privatæ, per pressionem & *exhalationem magis ad se invicem accedentes*, & spiritu interno plurimo cum pauciori aqua præditæ *ramosæ vel sulphureæ* fiunt; quæ pro variâ consistentia & motu illius spiritus interni *varias denominationes* obtinent: hæ particulæ præcipuæ sunt, quæ ob irregularitatem & *densitatem pororum & meatuum* externo *aeris motui* resistunt. 3. *Crassiores* vappidæ, id est, *spiritu salino interno privatæ*, adeoque non immutatæ, sed leviter tantum imminutæ *partes terrestres* dantur, quæ *interstitia* occupant, *pondus* ad-

addunt, meatusque minores claudunt, ne humores diffluant, & celerior motus impediatur. Ex hisce *tribus* particulis *leviora & crassiora* prodeunt *Olea*.

De *Aquis* & *Spiritibus* jam egimus, ut & de *subtilioribus Salino-Spirituoso-Ramosis*: restat, ut ad *magis intricatas hasce crassas* & ponderosas partes procedamus. Hæ, prout jam explicuimus, sat *fixæ & stabiles* esse debent, ut functiones suas obeant; unde *tardius* etiam *in motum* reducuntur, & quidem *non nisi summa ignis violentia avelli* se patiuntur, integra cum *destructione corporis*. Ex omnibus animalium & vegetabilium partibus eliciuntur hæc *Olea*, rarius ex mineralium familia prodeunt, nisi è paucis bituminosis.

Olea hæc dicuntur *fœtida & empyreumatica* ob *tres* causas 1. quoniam plurima *salia interna*, jam ab *involucris* suis *liberata*, *copia sua* nobis *ingrata sunt*, & nervos nostros vellicant. 2. ob materiæ subtilis *effluvia plurima*, iis particulis communicata *ex igne immediatè* adhibito. 3. quoniam in *violenta illa agitatione*, duplicis generis *salia & terræ*, quæ antehac diximus residere in omnibus vegetabilibus, in *se invicem agendo*, & se mutuo exaltando & præcipitando, *irregulares valde figuras* efficiunt, & *salia acutiora facta* per illas pressiones, *ingrato odore & sapore* nos eodem modo afficiunt, ut *effluvia* & pulveres è *scoriis antimonii* & *lixivio sulphuris* &c. solent.

Cum præcedentibus una ascendit *liquor aqueo-salinus*, qui in animalibus est *alcali-salsus volatilis*, in vegetabilibus plerumque *acido-salsus volatilis*.

Observatur autem circa *Vegetabilia Primò*, ea *plurimum illius Olei & Spiritus* fundere, quæ *maximè* sunt *dura & valde lignosa*, ut & *ponderosa*; *minus* verò, *levia* & meatibus laxis prædita, ut & *fungosa*. *Secundo* variat *Spiritus* etiam pro hac præcedenti diversitate: quo enim *leviora*, *eo magis aquosus*, & ad salsum volatilem inclinans est liquor; quo verò *densiora*, eò *Spiritum* obtinent *magis austerum & acidum*: *densitas* enim *ligni*, quod obiter notamus, *in resinosa & acida* ejus *substantia* consistit; *levitas* autem in *aquæ* & *aeris plurima admissione*, & *per consequens in viscositate*, residentiam suam obtinet.

Idem etiam in *Animalibus* esto judicium, nempe, quo textura *carnium magis densa & rubra*, eo plus Olei &c. fundit.

Oleum & Spiritus Ligni Guajaci.

℞. *Lign. Guaj. rasi q. v.*

Eo impleatur ad tertias partes retorta terrea, & apposito recipiente fat amplo fiat destillatio igne aperto adhibitis ignis gradibus; sic primò procedit liquor aquosus; secundò liquor subacidus cum oleo volatiliore; tertiò vapores ascendunt valde albi, cum Oleo empyreumatico crassiori. Omnia excepta finita destillatione separentur; sic obtinebis Oleum duplex, supernatans nempe spiritui phlegmatico oleum, sed in minori quantitate, & ad fundum depressum oleum gravius, picem redolens, crassum. Spiritus hic per se rectificetur; sic primò procedit spiritus volatilis, secundò phlegma, tertiò spiritus subacidus. Oleum super proprios cineres ad albedinem calcinatos cohobetur; sic primò prodit oleum limpidum flavescens, secundò oleum subrubrum, quæ vel seorsim vel mixta asserventur.

NOTÆ.

1. Nulla indiget *interpositione particularum* ob propriam terrestreitatem.

2. *Fæces*, post destillationem, instar carbonum, nigricantes, pertinacissimè *ignem* retinere solent, si incendantur, ita ut *carbonum vice* in usum trahi queant, & *cineres* inde remanentes inserviunt rectificando *oleo*.

3. *Spiritus volatilis*, in rectificatione *primò* egrediens, diligenter, & iterato per se rectificatus, *spiritui acido fixiori* adjungatur, quem quasi vivificare solet, & viribus majoribus instruere.

4. *Oleum* hoc si subtilius expetatur, additô *vehiculô aquoso* denuo destillationi subjice; sic, quidquid ascendit cum aquâ, penetrans esse solet & *subtile*, atque hoc modô ad *Oleorum essentialium* naturam pertingit.

5. *Olea nigerrima*, ut aliquis vult, nulla per se dantur; sed, prout *intensa flavedo croci & ictericorum urina rubedinem* mentitur, sic & *oleorum summa rubedo*, *nigredinem* rudioris sensus hominibus obtrudere videtur. Siquis enim *de Coloribus* rite judicare velit, non de *maximo corporum acervo* statim sententiam ferat, sed de *minimis eorum guttis*, si liquida sint, vel *granis*, si solida existant, seorsim bene investigatis *super corpus aliquod album*, judicet. A *copia* enim *elevatæ terræ conglobatæ*, inordinatius per *salium* luctam & ascensum dispositæ, *obscurè rubra* evadunt *Olea*, quæ *magis perspicua* post *rectificationem*, id est, post *iteratam terræ depositionem*, sese offerunt. Idem judicium esto de *spiritu*

volati-

volatili, & *fixiori acido*, qui, per rectificationem à *terra* & *aqua* superflua liberati, penetrantiores & *limpidiores* evadunt.

Vires.

Oleum hoc est valde sudoriferum, resolvens & emolliens, unde convenit in lue Venerea, tophis, & bubonibus ejus curandis, duritiem artuum & tartaream saburram resolvit in podagra, arthritide, nervorum frigidis morbis & similibus.

Notandum autem, externè sufficere destillatum crassum Oleum in emplastris & unguentis, in linimentis autem tenuioribus semel rectificatum Oleum; internè verò summè proficuum Oleum cum aqua rectificatum; spiritus ejus easdem efficit operationes, verum debiliores; interno plerumque usui destinatur; externè autem ulceribus lavandis proficuus est liquor Guajaci. Dosis Olei à gutta una ad guttas 8. *Dosis Spiritus à scrup. uno ad* ℨij.

Omnia etiam *Vegetabilia* cujuscunque notæ, è quibus *Olea essentialia* elicita sunt, *Oleum* & *spiritum* fundunt *empyreumaticum*, *si* per se destillentur, quamvis *non in tanta copia*, ut caryoph., nux moschata, cæteraque semina & aromata.

Si vero hoc Oleum minus fœtidum expetatur, *sequenti modo* procede:

Oleum Ligni Juniperini.

℞. *Ligni Juniperi rasi* ℔vj.
Salis communis ℔j.

Impleantur duæ tertiæ partes retortæ, & igne nudo fluidum contentum propellatur in recipiens capacissimum observato ignis regimine. *Oleum* & spiritus seorsim rectificentur super proprios cineres, sic multo gratius *Oleum* obtinetur.

NOTÆ.

1. *Aciditas salis comm.* compescit, & retinet *salium volatilium ferociorem motum*, & corpuscula *terrestria* aliquo modo figit, unde *odor benignior* existit.

2. *Cineres* hi, è sale & ligni carbonibus confecti, optime *depurationi* inserviunt *Oleorum & spirituum*, quoniam *fluidæ salis* particulæ hac mixtura, & calcinatione *pereunt*, unde fere ad *fixitatem* pervenere; sic non nimis *volatilisant*, ut mera alcalia, nec *figunt*, ut acida.

3. Si

3. Si gratius *odore*, *ſapore*, & *colore* expetatur, ſuper *ſal mirabile Glauberi*, vel *ſpiritum ſalis comm.* iterata fiat rectificatio; tunc enim pro maxima ſui parte *fœtore* ſpoliabitur.

Vires.

Antinephriticum eſt & antipodagricum, nervorum affectibus frigidis ſuccurrit. Doſis à gutt. ij. *ad* xij. *in vehiculo convenienti.*

Oleum Tartari fœtidum, cum Spiritu volatili.

℞. *Tartari crudi* ℔.iv.
Salis Tartari ℔.j.

Mixta indantur retortæ vitreæ, & per arenam in recipiens capaciſſimum deſtillentur igne gradatim aucto ad ſummum uſque, donec vapores albi ceſſent; refrigeratis omnibus Spiritus & Oleum ſeparentur: Oleum ſuper proprium ſal rectificetur, Spiritus in B. M. ad tertiæ partis abſtractionem depuretur, in fundo cucurbitæ vel retortæ reſtat phlegma ſubacidum pauci valoris.

NOTÆ.

1. *Sal Tartari*, ſuo *crudo Tartaro* additur, ut internæ *volatiles* particulæ liberius in *altum* evolare queant vinculis ſuis *acidis* & *terreſtribus* partim liberatæ, partim *tenuiſſimis acidis halitibus* imprægnatæ. Plurima inſuper *ſalia alcalia* mediante *vehiculo acido* in *ſal volatile blandum aliqua ex parte muriaticum* meteorizantur, ut apparet in plurimis *experimentis*, poſtea proponendis.

2. *Sal Tartari* fixum cum *acido Tartari* levem effervefcentiam producens, *duas ob cauſas* hic requiritur: *primo*, ut *fixum & ſtabilem in meatibus* illis *locum* occupet, expulſis ibidem contentis *fluidioribus* particulis; *ſecundo*, ut illa *fluida ſalia*, mediante celerrima illa actione, in *terreſtria ſulphurea* corpuſcula impetum facientia, plurimas ſecum *rapere & liberare* poſſint partes, illorum *poris convenientes*. Hæc corpora ſæpius in ipſa *agitatione figuram*, per colliſiones & concuſſiones mutuas *proportionatam*, acquirunt, quam à *ſolo propulſivo motu externo* non aſſequerentur. Hinc *ſpiritus ſubtilior* producitur, quoniam in omni actione *efferveſcente vapores tenuiſſimi ſpirituoſi* producuntur ab interno motu exacuati.

3. Si *Olea empyreumatica* cum *ſpiritu acido* rectificentur, *benigno odo-*

re & sapore valent, sed *non absque virium jactura* illud perferunt, nisi quis mitiora illa velit.

4. Eodem modo *spiritus ille super proprium sal* rectificandus venit, si subtilior expetatur. Restat autem *phlegma subacidum*, ubi *per se* rectificatur, ob causas superius allatas, & quidem præcipue, quoniam per *effervescentiam plurimi spiritus illæsi* ascendere solent *leviores acidi.*

5. Inter omnia *naturalia vel muriatica* salia nullum datur, quod efficacius *gustu & activitate* sua, *acidorum* naturam referat, quam *Tartarus*: alia enim corpora *aggreditur*, *metalla* corrodit, *salia volatilia* figit &c. Destillationi autem *Tartarus* commissus multum de *aciditate* sua *remittit* contra *aliorum muriaticorum salium* naturam, quæ potius in sua *aciditate crescunt*, imo postea demum *acidi naturam* induunt, ut alumen, sulphur &c. Quanti igitur æstimanda sit *Chymicorum* aliquorum sententia dicentium: *illud per destillationem eruitur, ergo nil aliud unquam adfuit in sua productione*, omnes veræ *Physicæ experimentalis* Indagatores judicare poterunt. *Salia* enim ratione suæ permixtæ *terræ*, *diversimode figuratæ*, agentia, iis particulis sese in principio *accommodare* debuere, in *poris* nempe *& meatibus* earundem, ut unam referrent *mixturam* & corpus *solidum*. Hæc mixtio quoniam non ubique in omnibus corporibus *exacta* est, sed quædam corpuscula, sua *adhuc pristina figura* dotata, in *majoribus interstitiis & meatibus* latitantia conspiciuntur, ideo *plane alium situm* in cohæsione *priori* referunt, quam in *posteriori*, id est, ubi partes illæ *per motum intestinum collisorium & præcipitatorium* fuerint intimius unitæ, nunquam aliquis reperiet. Experimenta infinita illud demonstrant, in omnibus *Naturæ & Artis* phœnomenis per mutuum particularum concursum, *figuram & situm* partium mutantium, ut non opus sit illa hic latius proferre. Idem in *Tartaro* nostro contingit, cujus *particulæ sulphureæ* hic illic dispersæ, *spatiola majora* relinquentes *aciei salium* illa *pungentia* & *scindentia* relinquit, id est, *acida*; verum, ubi motu vehementiori ejus partes rarefactæ *mutuos poros & meatus* subeunt, inter se collidunt, *cuspides* illorum *salium* à *terrestri* & salina *Olei*, ibidem delitescentis, figura hebetantur per intricationem illarum particularum, unde postmodum in *minora puncta* dividuntur, eaque ab *oleosis particulis levissimis* occupantur, leviter saturantur, multis modis alterantur: unde *minori aciditate* instructus prodit *spiritus*. *Angustioribus* enim *viis* imminuuntur illa *salia*, & *terra* onerantur, ut postea latius in sale volatili; hinc pro ratione *mixturæ motus* & *terræ* salia fixa & volatilia è *Tartaro* eruuntur, quod ut commodius demon-

 stretur,

ſtretur, *ſequentia duo* de *Tartaro* experimenta trademus:

Vires.

Articulorum doloribus, arthritidi, & nervis, frigore læſis, ſummopere conducit, ſudores movet, obſtructiones tollit. Doſis Spiritus à ℈j. *ad* ʒj. *Doſis Olei à gutta una ad guttas* vj.

Spiritus Tartari ſubtilior compoſitus.

℞. *Tartari crudi Rhenani* ℔ij.
Fœcum Vini expreſſ. ℔iiij.
Sal. Tartar. ℔ß.
Calc. viv. ℥iiij.
Alcohol Vin. ℥ij.
M.

Digerantur ſimul in retorta vitrea, in fimo equino poſita per 8. dies; dein per arenam deſtilla ſpiritum & oleum: ſpiritum ſuper fœces, ad albedinem calcinatas, rectifica bis; ſic ſubtiliſſimus evadit; ſiquid ſalis volatilis aſcendat, cum ſpiritu miſceri debet.

NOTÆ.

1. In fœcibus deliteſcit *Tartarum fluidius*, quod hoc modo *volatiliſatur*, & *vires ſpiritus* maximopere auget.

2. *Lente* procedas memento in *deſtillatione*; *velox* enim eſt *ſpiritus*, facile vitra diſrumpens.

3. Calx viva additur, ut *motus inteſtinus* promoveatur, & *aciditas* plenarie tollatur, dein (quod obiter notandum) ut illa *ſalia alcalia & ſubacida*, interventu particularum *terreſtrium calcis*, ab omnibus involucris & impedimentis, tam *acidis*, quam *ramoſis* &c. liberata, multo majori cum efficacia *altum* petant, & *ſubtiliora* evadant, ut in *ſpiritu ſal: ammon:* & ſimilibus *cum calce deſtillatis* patet.

4. *Digeſtionum varietas* hic & ubique obſervanda venit: prout enim in omni fere *motu exhalationes* dantur partium tenuium; ſic non minima *alteratio* ab hiſce *effluviis* dependet, *ſeſe inſinuantibus* in ipſa corpora, digeſtivo calori objecta; unde hic, ubi *ſalis volatilitas* expetitur, *fimum equinum* præponimus, *ſale volatili* gravidum, quod, in *motum* redactum, & exceptum, cœteras particulas *exaltare* poteſt.

Vi

Vires.

Egregium est deoppilans, omnibus obstructionibus uteri &c. inserviens, sudores movet, promovet extractiones metallicas: Dosis à gutt. x. *ad* xxx. *in vehiculo.*

Sal volatile Tartari.

℞. *Tartari Rhenani* ℔v.

Pulverisetur grosso modo, humectetur aqua communi, & in umbra humidus reservetur, donec putrescere incipiat nigricans factus *Tartarus.* Hunc mediante digestione vase clauso in fimo equino ulterius exalta, addita parva quantitate Spiritus Vini, per præcipitationem rectificati, donec spirituoso-salinum redoleat odorem. Limosum postea *Tartarum* destilla, primo leni igne, quamdiu phlegma altum petit, dein fortiori, ultimo fortissimo. Spiritum ab oleo per tritorium separatum misce cum proprio sale volatili, lateribus recipientis adhærente, & sale fixo in fundo residuo, & destilla more, in salibus volatilibus describendo, sic acquirês sal volatile penetrantissimum *Tartari*, usui in optime vitro clauso reservandum.

NOTÆ.

1. *Putrefactione* corpuscula *salino-sulphurea* magis reserantur, ut impetum *aeris* recipiant, ejusque particulis adjuta salia, *terra* illi *leviori*, *tortuosa* & conglobatâ figurâ præditæ, altius infixa, & in minutias summas redacta, *volatilem* & tenuem figuram acquirant: quæ postea *levissimo igne*, ubi à vinculis suis *crassioribus* liberata sunt, secernuntur.

2. Ut *major salis volatilis copia* obtineatur, adde sensim in ipsa putrefactione & digestione, *Olei fœtidi Tartari* trigesimam, vel circiter partem. Sic copia *angustiorum tubulorum salia* magis imminuet, & intricabit.

3. Ut *maxima* & *penetrantissima* illius salis *copia* obtineatur, immice septem *Tartari crudi* partibus, unam *tecenter calcinati salis* Tartari, vigesimam *Olei fœtidi.* Relinquantur mixta in aere, ut motus subeant intestinos, ubi fœtor ingravescit; adde sensim *Vini Rhenani* parvam quantatem, ut rite *humida* mixtura permaneat, tamdiu continuando, donec *punctum* volatilitatis acquisiverit, dein secundum artem *volatile à fixo* separetur.

Vires.

Inter omnia salia volatilia palmam meretur, easdem tamen vires, sed paulo potentiores cum reliquiis obtinet, nisi quod ratione sui sulphuris variet. Dosis à gr. v. ad xij.

Oleum Terebinthinæ.

℞. *Tereb. Venetæ* ℔ij.

Impleatur media pars retortæ vitreæ, & in arena fiat destillatio levissimo igne per duos dies, ut sensim tantum guttæ cadant, leni calore elevatæ. Olea omnia coloribus mutatis seorsim excipiantur; sic primò procedit Oleum planè limpidum cum aqua, secundò Oleum flavum, tertiò Oleum rubrum, ultimò balsamum crassum. Omnia seorsim usui serventur.

NOTÆ.

1. Nullas additiones huic *Terebinthinæ* facimus, quoniam vel inquinant *Olea*, vel nullius sunt valoris; sic v. g. *filamenta*, & similia *leviora*, quæ ad *compescendam elevationem* adduntur, ingratum & *fœtidum* conciliant odorem; arenæ autem, & omnia graviora, ad fundum descendunt, ideoque *ebullitionem ipsius præcavere* nequeunt; in manu verò erit *Artificis* periti regimen *ignis* accuratè observare, quod, ut obiter ejus mentionem faciamus, *in hoc* præcipuè consistit, si *circa cinerarium furni aeris ingressus* modificetur *magis vel minus* illud aperiendo. Sic vel *per duodecim horas* clauso cinerario *ignem* continuare possumus levem, rima verò vel *apertura majori data*, semper magis ac magis *ignis* intenditur. *Gradus* autem *ignis* accuratè in hac operatione tractari debent, ne *diversa olea* permisceantur.

2. Si accuratè *ignem* observaveris, *primo duo liquores* oleaginosi in *calore* non solùm differunt, verùm contrarias obtinent particulas, ita ut, si *misceantur* inter se invicem, ægrè admittant mixturam, & se invicem præcipitent, *quasi mutuam effervescentiam* ineuntes, quod in plurimis aliis *oleis* etiam apparet, quæ *confusa turbida* evadunt. Hinc facilè liquet, plurimam esse *differentiam*, *quonam modo regimen* adhibeatur, & non ejusdem notæ esse confusas *vehementiori igne* receptas particulas, & *igne blando* propulsas, separatimque à se invicem exceptas.

3. Si *Oleum essentiale vulgare* è *Terebinthina* conficere sit animus, illud addita *aqua communi in vesica* peragitur, ut solent omnia *Olea essentialia*, in fundo remanente colophonia.

Vires.

Primum egressum Oleum est subtilissimum, maximè conveniens in doloribus nephriticis & colicis, in quibus ad miraculum usque operatur, ut & in humorum, è tartarea fœce originem desumentium, expurgatione. Dosis à gutta j. ad guttas viij. Oleum subsequens earundem est virium, sed debiliorum; cœtera duo Olea externi sunt usus in emplastris, unguentis & linimentis calefacientibus.

Oleum compositum gratius è Terebinthina seq. modo fit:

℞. *Terebinth. lucid.* ℔ij.
Bals. Copayv. ℔ß.
Nuc. Moscat ℥ii.
Cort. Citr. exterior.
Irid. Florent. an. ℥iiij.
Bensoes ℥iij.
Bals. Peruv. ℥iß.
Sp. Vin. odorif., in quo Mosc. & Zibeth. an gr. ij. dissoluta fuerint, ℥iiij.
M.

Destilla leni igne, quamdiu Oleum limpidum ascendat; Oleum illud seorsim servetur, dein aucto igne flavum excipiatur.

NOTÆ.

1. *Rubrum* hic omittimus, utpote *interni rarioris* usus.
2. Limpidum & *tenue Oleum cum sp. vini* ascendit, & sat fragrans est.

Vires.

Summi usus est in gonorrhœa & calculo; in cœteris convenit cum præcedenti, sed gratioris est usus.

Eodem modo *balsama*, & omnia *ramosa* corpora naturaliter fluida destillari queunt, ut *bals. Peruv.* (quod fundit *Oleum crassius*, seu coagulans instar mellis) & bals. Copayv. &c.

Oleum Galbani.

℞. *Galb.* ℔j.

Conscindatur in minima frustula, dein adde Salis communis manipulum unum, *Arenæ manipulos tres*, injiciantur omnia retortæ vitreæ, & per are-

arenam destillationi committantur igne gradatim aucto : omnia excepta rectificentur super sal commune; sic primò *Oleum* subtile flavescens, dein crassum rubicundum.

NOTÆ.

1. Sal commume additur cum arena ob *duplicem usum* : *primò*, ut *fœtor* ex parte tollatur ; dein, ut nimia *ebullitio* præcaveatur. *Viscoso-ramosis* enim hujus gummi particulis, fortius cohærentibus, arena gravior *facilius retineri* potest, circumsepta & elevata per oblongas illas *glutinosas* partes, prout videmus, corpora *ponderosiora* in *limosis* liquoribus *sustineri*, quæ in tenuioribus descendunt: ideoque hanc in talibus *admittimus*, quam in aliis *rejicimus*. *Rectificatio* itidem perficitur super *sal commune* ob easdem causas.

2. Quibus *subtilius* expetitur *Oleum*, recipiant loco salis communis *sal* quodcunque *alcali*.

Vires.

Uterinum est, renes expurgat, doloribus colicis subvenit: crassum oleum emplastris & linimentis dicatur in obstructionibus pertinacissimis lienis, uteri, & similium, ut & in affectibus frigidis nervorum. Dosis subtilis Olei *à gutta* j. *ad guttas* x.

Oleum Philosophorum, seu, de Lateribus dictum.

℞. *Ol. Olivarum q. v.*

Imbibatur in sufficienti quantitate cinerum lignorum adhuc calentium; mixtura hæc instar pastæ crassa retortæ injiciatur, vel vitreæ, vel terreæ: fiat destillatio secundum artem per gradus aucto igne ; sic *Oleum* acquiritur rubrum, cum parva quantitate aquæ; *Oleum* hoc, si lubet, iterato rectificetur super recentes cineres, & sic evadet penetrantissimum; ad externos autem usus sufficit illud à prima destillatione reservasse ; nisi quis linimenta penetrantiora inde facere satagat.

NOTÆ.

1. Diversis modis, & *aliis* mediantibus *additamentis*, imbibitio & *destillatio* hujus *Olei* fieri potest, v. g. cum lateribus candentibus, cum arena, cum carbonibus : verùm placet nobis *hæc destillatio* præ aliis ob diversas rationes, quarum præcipuæ hæ sunt : *Primò* quoniam *partici-*

ticipat sæpius destillatus liquor *de additamentis*, ideoque rejicimus *carbones*, vel prunas ob *sulphur* ibidem adhuc latitans, quod exceptum an prosit, demonstrant nobis exempla *fumo carbonum* suffocatorum; quamvis non asseramus, *eandem* planè *noxiam* qualitatem comunicari huic *Oleo* hisce additis. *Secundò*, quoniam additamenta vel *vires* intendere, *vel alio, quovis modo alterare* queunt destillandorum, ideoq; *cineres hosce*, tanquam *minuta salia* obtinentes, vincula acida infringentia, præponimus *arenæ* & *lateribus*, quoniam *tanto subtilius*, sale quasi volatili præditum *Oleum* hoc modo obtinetur: ut autem *experimento* hasce rationes fulciamus, *Oleum* hoc superiori modo destillatum, levem inire solet *cum spiritibus acidis* effervescentiam; è contra verò, si cum arena facta fuerit destillatio, *cum spiritu salis ammon.* congredietur in luctam leviorem.

2. Qui in *verba Authorum* jurant, & ne unguem quidem ab iis recedere volunt, *Lateres candentes* recipiant, in *Oleo veteri* extinguendos. Verum nec mihi placet *Oleum vetus* ob jacturam *spiritus*, qui satis superque jam perit in ipsa additione candentium laterum; nec ipsi *lateres* arrident, quoniam nec tam *alcalini*, nec tam *porosi* existunt, quam *cineres*. *Vires* à *lateribus* dependere, credent facile ii, qui *resolutionem corporum* nunquam examinarunt, cum nihil ab illis expectandum *volatile*, quod fugam nondum petierit *in furno lateritio*, sed merum *spumosæ elevationis impedimentum*. Unde non immerito conjcimus, aliud quid antiquiores *Chymicos* intellexisse per *Oleum Philosophorum & laterinum*, aut ab impostoribus & agyrtis *Chymicis*, ut plebi imponerent, & sua carissimo pretio distraherent, *tale nomen* fuisse excogitatum, quasi vero *è latere* sicco & fixo, diutiusque per torturam ignis excruciato, *Oleum* elicere potuissent.

Vires.

Internè valdè calefacit, uterum sedat, flatus discutit, urinam pellit. Externè omnibus frigidis affectibus medetur, præcipuè in linimentis. Dosis à gutta j. ad guttas xvj.

Oleum Laurinum destillatum.

℞. *Ol. Laurin. expr.* ℔ij.
Cretæ leviter calcinat. ℔iij.
Sal. Tart. ℔ß.

Redigantur in consistentiam unguenti crassioris, massa hæc retortæ vitreæ indita leni primo igne destilletur, dein, ubi color Olei intenditur, augeatur calor, donec omne Oleum ascenderit: quod iterato super fœces, ad albedinem ignitas, rectificetur.

NO-

NOTÆ.

1. *Creta* calcinatur *leviter*, ut *humido* suo privetur, & *acrior* evadat; diutius enim calcinata calx viva evadit, quæ hic non requiritur.

2. Sal Tartari ob *acidum*, in fere omnibus *expressis Oleis* existens, additur, quod una cum *creta à sale hoc* domatur.

3. Hæc ideo adjiciuntur *Olea*, ob rationes supra in præcedenti Oleo dictas, nempe pro *ebullitione præcavenda* &c. Quibus autem visum fuerit cum *cineribus lignorum* idem efficere, illis integrum erit &c.

Vires.

Omnibus affectibus frigidis nervorum tam interne, quam externe, prodest, flatus discutit, multo potentius operatur, quam præcedens Oleum. Dos. à gtt. ij. *ad* viij.

Eodem modo destillantur omnia *seva*, *olea crassa*, *axungiæ* &c.

Oleum, & Sal volatile Succini.

℞. *Fragmentorum Succini q. v.*

Destillentur per retortam vitream in arena positam, vel per vitream loricatam igne nudo; ignis intendatur pro ratione liquoris ascendentis: sic primò procedit Oleum flavum cum spiritu leviori igne, secundo Oleum rubrum cum sale volatili auctiori flamma, tertio balsamum crassum igne violento. Olea per se vel cum sale rectificentur: sal volatile cum aqua calida inde elui potest; hoc seorsim rectifica super proprios ejus cineres calcinatos, sic album evadit: spiritus sive liquor subacidulus per se rectificatur.

NOTÆ.

1. Nullam hic *additionem* patimur, ne *acido-salsum volatile* ullo modo ab additamentis alteretur; unde & sæpius *salis volatilis jactura* fit tam in quantitate, quam in qualitate; sed cautius Artifex *in destillationis principio* procedat.

2. *Oleum si subtilissimum volatile* expetatur, rectificetur super *calcem*; sic *instar spiritus salis ammoniaci* fugacissimum evadet, in morbis *uterinis* magni usus, *omni acido spoliatum* est, *odoretenus* vires summas exercens.

3. Sal ejus volatile etiam *super ossa* rectificari potest, sed ejus *proprias fæ-*

fæces calcinatas præponimus, quoniam *acidum* ejus non tantopere infringunt, quòd requiritur, si *diureticum* esse debeat, ut antehac diximus.

4. Oleum si *super spiritum salis communis* iterato destilletur, *benigno odore & sapore* valet, *sed non tam magnis viribus instructum* est ob sal volatile ejus depressum, ideoque hoc *solis delicatulis* inservit; *unde* autem in subjecto illo bituminoso sal hoc *procreetur*, variæ apud AA. sunt disceptationes; nostra autem breviter hæc videtur esse ratio: *Succinum*, *colamen ramosum liquidum* fuisse in sua nativitate, nulli dubium esse potest, qui animalcula, stramina, & similia in ejus meditullio conspexerit. Ego illud ex *oleo bituminis* vel *carbonum petræ*, naturaliter in cavitatibus terræ destillante circa oras maris, *ortum* suum trahere autumo, quod *in mare* ipsum diffluens, ibidem *duas ob causas induratur*. 1. *Exhalatione partium subtilium* & fluidiorum, prout in omnibus fere Oleis stillatitiis accidit: sic enim sp. tereb. condensatur in *balsamum*, & *colophoniam*, mero calore solari &c. 2. *Repletione halituum salinorum*, exterius illi occurrentium, & *intime sese insinuantium* in ipsis poris & meatibus illius corporis ramosi, unde particulæ *spirituosæ*, quæ antea erant *flexiles*, *rigidæ*, & hastarum instar erectæ fiunt, ut evenit in omni *occursu alcali & acidi*, ut & salis fluidi cum oleo quocunque. Rarius autem à nobis quicquam tale *ulla arte* produci potest, ut sit *æque pellucidum & solidum*: ratio est corporum *naturalis blandior motus*, & actiones *tardius* ab uno extremo ad aliud pervenientes, unde *mixtura & situs partium* non tam turbulente & *confuse* disponitur, sed ut in præcipitatione varia explicabimus, sensim ac sensim modificatæ particulæ *leviores*, *gratiores*, *& magis transparentes* fiunt, ob pororum situm magis regularem; cumècontra *in arte festinando situs partium* sæpius *perturbetur*, & *pelluciditas* tollatur; *Sequens* autem modus proxime *ad Succinum conficiendum* commodus est:

℞. *Salis Gemmæ,*
Ammoniaci, an. ℥vj.
Ol. Vitrioli opt. ℥iiij.
Aq. comm. q. s. dissolvendis salibus. M.

Fiat destillatio per arenam ad siccitatem.
Huic spiritui recenter destillato superfunde
Oleum Terebinthinæ, vel Succini, optime & recenter rectificatum;
Stent in infusione solari per æstatem vase aperto, sic in colophoniam induratur, *Succinum* æmulantem, usui reservandam.

Rarius autem, vel nunquam, *illæsa substantia* liquefieri queunt ulla *ramosa duriora, acido-salino spiritu impragnata*, quin vel *nigrorem* concipiant, vel *fragiliora* evadant: ratio mihi petenda videtur ab *acido fluido sale*, quod, in expansionem redactum, vi *ramosas particulas* de loco pellit, & *fugam* tentat, unde cœteræ, spiritus illius parte privatæ, magis terrestres *obscuræ* per *inordinatam* partium illarum *dispositionem*, & *fragiles* evadunt, quod in destillatione *Succini*, & sublimatione *bensoes* patet, quæ levi calore spiritum & flores fundunt.

Vires.

Oleum illud est sacrum plebeis & mulierculis, cum ad illud, quasi ad anchoram, confugiant in passionibus hystericis; itidem valet in apoplexia, paralysi, vertigine; sal ejus volatile urinam & calculum pellit, vasa spermatica purificat. Dosis Olei à gutta una ad guttas xx. Salis volatilis à ℈ß. ad ℈j. Spiritus à ℈j. ad ʒij. in vehiculis convenientibus.

CAP. XI.

De Oleis & Salibus volatilibus Animalium.

SAlia *unius ejusdemque figuræ in sua nativitate* fuisse credibile est, utpote quæ *excavationi & divisioni corporum* inservire debuerunt, ope *materiæ subtilis* seu motus, illas particulas ad penetrationem altiorem *instigantis*. Hæc figura multum læsa est ab *occursu diversorum corporum*, infinitis fere mæandris & gyris, labyrinthi artificiosi instar dispositis, unde pro ratione *illorum pororum*, majora in principio *ramenta salina* gladii & serræ magnæ instar, *minora* & *sensim minima* fiunt in tubulorum permeatione continua, quæ circumrotatio quo *magis diutina* in illis *tortuosis & angustioribus tubulis* est, eo *magis exilia fiunt puncta salina*, terræ tenuiori intricata, ut etiam alibi declaravimus: quo spatiola corporum *majora & rectiora* existunt, eo *majora* permanent illa *spicula*. *Prius sal* ad *alcalia* dicta refertur, *pulverem minimum salinum* exhibentia; *posterius* ad *acidorum* classem pertinet, utpote, ubi *majores congeries illorum punctorum*, mutua serie *se invicem tangentium*, conspiciuntur. *Duo* igitur requiruntur in *salis volatilis*, de quo jam tractabimus, productione è *sale nativo*; *primò*, *motus intestinus vehementior* in densioribus conglobatis tubulis: *secundò*, unio *levissima* corporis illius terrestris, abrasi in transitu; inde resultat *extricatio plenaria* è *diffractis* postmodum illis *vinculis durioribus*. Ex hisce *rationem* reddere possemus,

mus, quare ex *Animalium* fibrosa & ramosa textura, *nil nisi sal volatile* producatur, ut &, quomodo per *agitationes & pressiones in ventriculis alimenta solidiora* levi tantum *accessu humidi* in *pulpam* vertantur per continuos transitus *materiæ subtilis*, illa salia de loco in locum pellentis, quæ hic illic in *mutua collisione* magis ac magis *divisa*, ad rarissimas imminutiones ac expansiones reducantur; unde nam ab ingesto *largiori potu* partes terrestres magis dilatatæ, *salia majora* transmittant, postea *manifesta acredine vel aciditate* peccantia; ut &, quomodo ab *aëris*, *& animi pathematum*, *injuriis* diversis, eadem salia diversimode ratione *terræ vel vasorum* terrestrium, male jam hinc figuratorum, morbi producantur: sed hæc hujus non sunt loci, ideoque illa cursim prætereo, quoniam facile è *præcedentibus allatis* patet, quod spirituum diversitas à *textura partium* dependet interna, & ab *intestino motu* particularum vario. In *plerisque vegetabilibus* in statu naturali *salino-acidus volatilis* ascendit liquor, *alcali-salsus volatilis post putrefactionem*. In *mineralibus* acidior, in *animalibus* alcali-salinus summe volatilis, reperitur. *Animalium* enim succi, varia *agitatione exaltati* & modificati ad modum corporum liquidorum, *motu intestino exagitatorum*, totaliter *volatilisantur*, & in modum spiritus ramoso-viscosi disponuntur. Mira enim *phænomena & affectiones* in corpore *Animali* observantur, quæ non tam manifesta in aliis conspiciuntur. Quid enim *humidum tenue salinum in primis viis* imminuendo, humectando, & alimenta tenuia & fluidiora reddendo non efficit? hinc enim varii *halitus ascendentes benigne vel maligne* corpus extempore afficiunt, qui *halitus* etiam observabiles in omni alio corpore *liquido*, calore & *motu* validius agitato, visuntur.

Sanguis nil nisi hujus *alimenti subtiliati pars magis salino-ramosa* est. *Lympha ejusdem pars spirituoso-viscosa* existit. *Halitus tenuiores*, ex hisce superiora cacumina petentes, & instar roris ad ultima penetralia totius corporis etiam pertingentes, *spiritus* nomen meruere. *Fœces* per alvum depositæ *caput mortuum* referunt. *Urina phlegmatis* nomine insigniri poterit. Hoc modo *distributio & secretio partium* methodo quasi Chymica in *Animalibus* peragitur. *Exaltatio* autem partium *tanta* conspicitur in illis particulis, ut *omnes* merum in *motum* fere rapiantur *exceptis paucissimis terrestribus*.

In *Animalibus*, utpote majori *exaltatione*, & *volatilitate* partium gaudentibus, pleraque vis destillatorum liquorum consistit in *Sale volatili*, vel quod *seorsim* excipitur siccum, vel quod *Oleis inclusum* manifeste per odorem observatur, & per affusionem fluidorum sa-

lium, falia volatilia è meatibus deturbantium, producitur. Ob *tenacitatem* verò *partium*, quæ inftar veficularum & capfularum firmiffima compage ambiunt & includunt *fluidas particulas*, ideo nonnifi *immediato igni* parêre folent, & confortium non dimittunt, nifi *læfa integra fubftantia*, unde *Oleum* inde *effentiale* nullum exoptandum. *Per Balneum Mariæ* enim ex iis *Oleum* elicere nunquam potui; fed qui *arena*, quæ ob *inftrumenta nimis fragilia* obducenda adhibetur, *interpofitionem* declamet pro non immediato igne, is eodem jure *crucibuli*, *retortæ &c. vaforum circumcingentium* corpora fundenda vel deftillenda rejiciat. In *arena* enim *fummus ignis gradus* dari poteft, fi *furni* fint bene fabricati; fi retardetur in principio *motus ignis*, illud fit ob *craffitiem intermediæ arenæ*, prout & in ipfis *vafis terreis*, *cupreis*, & *ferreis* obfervatur, quæ *eo citius ebulliunt* fuper ignem, *quo tenuiora* exiftunt. Qui pinguedines & feva & olea expreffa pro *oleis effentialibus* habent, illos pro *Cocis* potius, quam *pro Chymicis*, habendos cenfeo; nam hi *non quod aquæ fupernatat* in coctione pro talibus habent, fed quæ una cum aqua rarefacta *alembicum tranfcendunt*, ideoque illas nugas rejicimus. *Spiritum* aliquo modo poffe fundere *inflammabilem*, demonftrant experimenta *Animalium*, in *liquorem fermentantem injectorum*, quæ ibidem *exceptis offibus integra in liquorem* confumpta fuere: fic enim *ova & feva Animalium* fermentando in *liquorem fpirituofum* reducuntur; fed hæc *magnam* requirunt *copiam liquoris*, cujus veloci & continuo motu derafæ & *imminutæ illorum partes* liquori intime immifceri queant, ut una cum eo exaltentur & poftea *volatilifentur*: hinc *fpiritus* inde *nunquam purus & fimplex* obtinetur.

Verum quinam fit ille modus, *fpiritum* feu *liquorem*, ut aliquis profert, *inflammabilem* eliciendi *ex falibus volatilibus prius fixatis*, *dein deftillatis & rectificatis*, me latet, hunc forfan fuis in fua vita Auditoribus, vel *Sibi Soli* refervavit, ut Sibi in fepulchro *lampadem perpetuo* ardentem conftrueret. Forfan *oleofas* partes, è *falibus volatilibus fixatis* protrufas, per deftillationes colligendas, intellexit, ideoque *unius ejufdemque cenfuræ* hæc effe credimus cum iis, quæ ab eodem de *fpiritu rofarum ardente fine fermentatione parato*, prolata fuere.

Offa ftabilem & firmam confiftentiam Animalibus præbent: in quibus quamvis *durities foliditatem* & *ficcitatem* illius corporis videatur redarguere, attamen *fluidis* illud refertum effe particulis, *Chymia* facile demonftrat, ubi per torturam ignis examinatur: quod in vegetabilium *lignis denfioribus*, & in hac claffe in *cornibus*, *ungulis*, *offibus* patet. In hifce

hisce autem illud *notandum*, duræ solidæque compagi efficacius *Sal spirituosum* inclusum reservari, unde & in plantis & Animalibus quo *molliores* partes, eo spirituosiores & aquosiores, quo *firmiores*, eo magis salsæ particulæ eruuntur. Ex omnibus *ungulis equinæ* prævalent ob *sudoriferum succum*, ibidem *ob motum continuum* depositum & concretum, sed salis volatilis inde extracti *fœtor* exsuperat etiam cœtera fere Salia. Exemplum autem *sequens* usitatioris *Salis volatilis* dabimus:

Oleum, & Sal volatile Cornu Cervi.

℞. *Cornu Cervi in exigua frustula redacti mediante serra q. v.*

Imponatur retortæ terreæ, & in igne nudo sensim propellantur partes fluidæ; sic prodit aqua cum levissimo Oleo, secundò Spiritus Salinus cum Sale volatili, undiquaque recipientis lateribus adhærente, ultimò Oleum rubrum crassum. Omnibus refrigeratis seorsim excipiantur sal volatile, & Oleum. Sal volatile Spiritui permixtum lenissimo gradu ignis ab ipso sublimetur; sublimatum Sal denuo cum propria calce depuretur per iteratam sublimationem. Oleum super propriam calcem, vel super sal aliquod alcali, rectificetur. Spiritus per se in arena iterato propellitur, ut limpidus evadat.

NOTÆ.

1. Hæc mixtura *Olei*, *Spiritus & Salis volatilis* si per aliquot menses in loco frigido *reponatur*, *crystallos* præbet diaphanas. An hoc autem *acido* debeatur, *in Oleo & Spiritu* residenti, uti aliquibus videtur, dubium est præcipue ob tres *rationes*: *Primo*, quoniam *lentissime illa concrescentia* procedit, quæ in *muriaticis salibus*, vel à *quocunque acido* alcali affuso & mixto *citissime* procedit: *Secundo*, quoniam ne minima unquam *effervescentiæ* nota cernitur, quæ & *vitri arctissime clausi ruinam* minitaretnr per suam ventiformem expansionem: *Tertio*, quoniam *aque fugax & alcalinus volatilis* permanet, cum omni acido effervescens. Nec experimenta de *coralliorum solutione*, & de *metallorum liquatione* hic aliquid confirmant *de Oleorum acido interno*: nam *Corallia* non solvuntur, sed *colorem superficialem mutant* integris permanentibus coralliorum ramulis, nec *metalla* calcinantur in *Oleis* præcipue destillatis, sed funduntur tantum ab *intensiori igne Oleis communicato*; utrumque autem contrarium esse deberet, si *acidum* ibidem præpolleret. Corrodunt enim *acida*, & *fusiones metallorum* impediunt, ut & *extractiones tales rubras putatitias coralliorum*. Credibile igitur est, illa salia, *crystallulos oblon-*

gas & acutas, ramos & cornua in sua prima adhærentia repræsentantes; in spiritu suo diluta sensim ac *sensim juxta & super se invicem disponi*, ubi per longam illam moram *à ferocia sui motus* remiserint. &c.

2. Oleum si *subtilius* expetatur, cum *spiritu vini* rectificetur *subtiliori.*

3. Sal hoc est *fugacissimum*; ideoque præstat illud *vel in proprio spiritu*, vel *in spiritu vini rectificato*, asservasse.

4. Si plane *candidum* expetatur Sal, & permanens in *albedine*, ter vel quater ad minimum cum *recenti calce propria* est sublimandum, ut *Oleo* omni *superfluo* spolietur, quoniam facile *flavedinem* ab illius societate contrahit.

5. Si *blandius Sal volatile*, *& magis cristallinum*, expetatur, rectificationem seq: modo institue:

℞. *Sal: volatilis* ℔j.
Sp. Corn. Cerv. ℔jß.
Vin. ℔ß.
Tartar. crud. Rhenan. ℥xij.

Misceantur exacte, ac detineantur in levissimo calore per 24. horas, dein sublimetur paululum aucto igne Sal volatile eximium.

6. Ut vasi recipienti non admodum *adhæreat*, ipsum vas interne, leviter *oleo Jasmini* obliniatur.

Vires.

Sudoriferum est & alexipharmacum, urinas pellit, & in omnibus morbis, per sudorem curabilibus, convenit. Dosis Olei ad guttas viij. *Salis volatilis à gran.* iij. *ad* ℈j. *Spiritus à* ℈j. *ad.* ʒj.

Eodem modo destillantur *ungulæ equorum*, *alcis*, & similia.

De *Urinæ analysi* hic acturus, non possum non aliqua refutare, quæ à Medicis fastuosis, majoris scilicet authoritatis Viris, ut illis placet, Celeberrimis, in Illius *signa* Tyronibus Medicinæ obtruduntur, & inculcantur, ut illos nempe deterreant *ab ejus inspectione.* Si *Urinæ signa*, nempe secundum illorum sententiam, sunt *incerta*, agedum tradantur aliqua in Medicina *per externum tactum & visum infallibilia* : *Pulsus* enim & *lingua seorsim & simul* considerata, nunquam fere *Medico satisfaciunt*, nisi & *mendicum* se præstiterit, ut *historiam & symptomata morbi* ab astantibus obtineat, posteaque, *incertus adhuc* quid agat, *præscriptionem medicamenti* consuat, è cujus *bono vel infido successu* postmodum judicet sapientior factus Medicus, vel, ne famæ suæ desit, indifferen-
tia

tia propinet, quæ ſimul *dolorem* ſedant, ut aquas ſimplices, antimonium diaphoreticum, laudanum opiatum, & ſyrupos, ut etiam *palato* conſulat: egregiæ enim hæ *mixturæ* politicæ *doctum*, imo *divinum* inſciæ plebi reddunt Medicum, præſertim muliebri blandiloquo accedente verborum lenocinio. *Vah, quantum eſt hoc modo ſapere! Pulſus* & *linguæ ſignis* in plurima morborum caterva *fallentibus*, quid reſtat vere docto, omniaque ſedulo preſcrutanti Medico ulterius agendum? profecto, ſi Doctiſſimi Antiqui & Neoterici Medici illuſtres *ſigna ex pituita, menſtruo ſanguine* &c. petenda dicant & proponant, imo, ſi Sereniſſimum illum Legatum Medicum non puduerit confiteri pro tota facultate Medica, *Stercus & Urina nobis ſunt ſigna*, nulla mihi *ratio* amplius reſtare videtur, cur tantum in illius *inſpectionis urinæ* odium vehantur. *Incerta* ejus, confiteor, ſæpius ſunt *ſigna*, ſed eadem *incertitudine*, ne dicam majori, reliqua ſcatere *ſigna medica*, dictu ac demonſtratu æque facile eſſet iis, quorum mens, damnoſa *ignorantia* nondum ſuperbiens nil temerè damnat, nec incomperta pro compertis pertinaci ſtudio ſibi retinet ac aliis obtrudit. *Mutatur* continuo, ſic & *pulſus* & *lingua* in ægrotantibus, ſed profecto *alia eſt urina diutius elaborata, perfecte* ſequeſtrata, omnibus conſtituentibus particulis optime *referta*, alia vero *cruda*, vix media particularum, ſuo modo figuratarum, copia inſtructa, nondum rite corpuſculis *noxiis &c. ramoſis acribus* inquinata, *ſeroſa* admodum, quas diſtinctiones rite proſequi & *dignoſcere induſtrio* committimus *Medico* nil aſpernanti, omnia in ſuos uſus vertenti, Ægrorum *ſaluti* vere invigilanti. *Agyrtæ & Empyrici*, omniſque doctrinæ Medicæ *expertes* illam tractant, ergo à *Medicis*, ſupra vulgus conſtitutis, rejicienda: ſed *Vetulæ & Empyrici pulſum* & *linguam* etiam obſervant, ergo & illa *ſigna* è nobiliſſima facultate Medica eliminanda; Utinam & per eadem argumenta *magis abſtemii* plerique evaderent, & à *calumniis* poſt tergum deſiſterent, quoniam talium *abuſus* eſt maximus apud viliſſimæ conditionis homines. *Urinæ* autem *color* & *conſiſtentia diverſa*, arguunt *motum & præcipitationem humorum* & *ſangvinis variam*, quorum colamen exiſtit, verum exacta requiritur *Artis Tinctoriæ*, & *Chymiæ* cognitio, antequam *rationaliter*, & *non empyricè* de hiſce judicium ferre poſſit Medicus acutus, nec opus illi Agyrtarum more *inquirere* antea de ſtatu ægri, è qua *relatione* poſtea, tanquam ex tripode, ſententiam ſuam de *Urina* ſit laturus. Signa autem *inter ſe collata* melius & *firmius vaticinium* Medico exhibent, ut non temere aliquid tentet, vel effutiat, quamvis, prout diximus, plurimæ circumſtantiæ & obſervatio-

tiones non rite perſpectæ nos decipere poſſint. Concludimus igitur; *Urinæ inſpectionem*, ejuſque varias *miſcelas*, tandemque ſuper *ignem examina* innumera, &c. eſſe *maxime neceſſaria ſigna*, imò, ſi *unum* ex *lingva* & *pulſu* ſignum peti poſſit, audacter & millies expertus aſſero, *duo* ad minimum *ſigna ex Urina*, cum judicio & arte examinata, poſſe obtineri: Non mirum igitur eſt, de *Urinis* integros *tractatus* etiam *vetuſtiſſimos* conſcriptos extare, ipſis etiam *contemtoribus Urinæ* ab ejus *inſpectione* non abhorrentibus, quod in ipſorum dedecus redundare debet, quoniam tale quid *inutiliter* inſpiciunt, cujus *notio* ad illos nunquam pervenit. *Labor* aſſiduus, *experimenta* indefeſſa, & *ſtudia* non intermiſſa requiruntur, ut quis recte *Medicinam* excolat, quæ non in ſola partium humani *corporis mortua ſtructura* inveſtiganda conſiſtit, ſed inſuper *fluctuantium humorum diſpoſitio* varia *vivido ſtatu* rite perſcrutanda: alias enim *eodem modo* ageremus ac illi, qui, ut *motus* & *contentorum in flumine* notitiam obtinerent, *ripas*, *aggeres* & *fundum* tantummodo diffoderent & *inſpicerent*, exiccato vel *depleto* in æſtate *fluvio*. Sed ad viam propero, *Urinæ analyſin Chimicam* exhibiturus, non vero ejus inſpectionem, quæ hujus loci non eſt, ſed ad ejus *Anatomiam mortuam* proponendam, de qua aſſerere tamen non auderem, *nullas* unquam *alias* extitiſſe, nec poſſe exſtare particulas, *niſi eas*, quas ego per *Chymiam diverſo modo* extrahere propono: quoniam *ſitum & figuram* innumeris modis variant illa fluida corpora, in *diverſa mixtione & motu variarum partium*; in eo tamen *coincidunt*, ut *oleum*, *ſal volatile* & *phlegma*, ut ſequentes operationes edocent, fundant.

Spiritus Urinæ, & ejus Sal volatile.

℞. *Urinæ Juvenis q. v.*

Evaporetur ad mellis conſiſtentiam, dein cucurbitæ immitte, & reliquum quod ſuper eſt aquæ, evoca; ſic ſubſequitur Sal volatile, una cum pauca quantitate olei, partim in capitello hærens, partim in phlegma decidens; Sal illud depuretur à ſuo oleo, mediante iterata ſublimatione cum cineribus oſſium, & ad uſum reſervetur; ſi verò Spiritum ſalinum volatilem exoptas, *ſequenti modo* procede:

℞. *Urinæ Hominis Sani quantitatem ſat magnam,*

Reponatur in maceratione per quinque vel ſex ſeptimanas, donec interno motu mediante ſubſidentia & ſeparatio particularum craſſiorum promoveatur: particulæ volatiles ubi ſui juris factæ fuerint, deſtillentur per veſicam, omnem exceptum liquorem ſpirituoſum ſuper ſalia alcalia recti-

rectifica ad debitam subtiliationem & dephlegmationem absolvendam.

NOTÆ.

1. Ridicula est observatio plurimorum, *Urnam* debere esse *Vini potoris*; quasi *Aquapotoribus spiritus* & *salia volatilia* magis deficerent, quam *Bacchi* asseclis, imò *plurimâ experientiâ* satis constat, majorem salis *volatilis quantitatem* erui ex *Urina* illorum, qui *Vinum* ferè *nunquam* biberunt, quàm è *diversoriis*, & è Bacchi sentina prolatis *Urinis*: eosdem quoque firmiori, *magis robusto & longævo corpore* esse quotidie observatur, cum alii, *liberiùs Vinum haurientes*, *spiritus* & salia *potiùs fugent*: ultimò constat, è plurimorum *animalium Urinis plus Salis volatilis* obtineri, *quam ex Urina hominis*; si autem tantus sit animus, *spirituosum* aliquod *Sal volatile* obtinere, illud facilius *post confectum Sal volatile cum spiritus vini* debita quantitate obtinetur, ut postea in Sale volatili oleoso; quamvis *non omnem* Vini haustum pro *Urina* esse denegandum statuamus, sed potiùs *parcum* admittendum, ut alimentis assumptis *fermentatio* eò meliùs in ventriculis debilioribus succedat; Nam, ut hoc obiter notemus, *Sal volatile* non dependet à *liquoribus ingestis potulentis*, qui *fermentationi & dilutioni* potiùs inserviunt corporum duriorum, sed ab *alimentis ingestis solidis*, *salia* illa prementibus, & in *minutias* reducentibus. Liquores enim *spirituosi* potius *transpirationem* promovent particularum *subtilium*, quàm quod illas in *Urina* deponerent; *serum* enim diluendis & *recipiendis salibus* dicatum est, *non spiritus*. *Urinas Vinum non bibentium* esse *acriores à sale fixo*, contrariatur omni experientiæ: *acidum* enim *figens* inest *Vino*, quod non tantum inest *Aquæ*; etsi vero *Cerevisiæ aciditas* quædam insit, attamen illa *fugax* est, nec perstat in calore, ut patet in *acetis exinde paratis*, quod plane *contrarium* est in *aceto vini*. *Aqua*, *dissolutionem* partium quoad totam substantiam maxime promovens, nullibi salia *sistit*, sed potius decarcerata *propellit*, unde *nec fixa nec acria* illa reddere potest; ideoque *Vinum modice sumptum* pro concoctione & aliquali acredine, ratione tartari, sed *non pro copia majori salis* obtinenda admittimus, id est, non rejicimus illam *Urinam*, si alia obtineri nequeat. Quod de *offa Helmontiana* traditur è spiritu salis ammoniaci & vini, utrisque subtilissimis recenter paratis, illud ad hanc demonstrationem *nullius* est *valoris*, nisi prius monstraverint, tales etiam dari *dephlegmatos spiritus*, mutuum in amplexum *in Corpore nostro* ruentes.

 2. Si

2. Si *ſpiritum in majori copia* obtinere ſit animus, adde *Urinæ fermentatæ*, *& jam deſtillandæ* manipulos aliquot *calcis*, *vel ſalis alicujus alcali*; ſic tantò *majori copia* exſurgit, & *ſubtilior* evadit, ut & *fugacior*.

3. *Fœtidus* hujus *ſalis odor* mediante *ſpiritu ſalis communis* facilè tollitur; quoniam autem in minimis particulis *ramoſis terreſtribus eſſentia Salis volatilis* conſiſtit, quæ hoc modo ſeparatæ *Sal illud volatile*, pleriſque *eſſentialibus* & ab aliis ſalibus differentibus, *viribus* privatum derelinquunt; ideò hanc *odoris* ſeparationem non admittimus, niſi ubi in *ſal ammoniacum* illud reducendum venit.

Vires.

Urinam pellit, paſſionibus hyſtericis ſubvenit, apoplexiæ, paralyſi, epilepſiæ, & ſimilibus ſuccurrit; menſtruum inſuper exiſtit ſat famoſum in Chymia ad extractiones corporum, ut & metallorum & mineralium. Doſis à grano uno ad ſcrup. unum. Doſis Spiritus rectificati à gutta una ad guttas XII.

Spiritus Urinæ ſubtilior.

℞. *Urinæ Sanorum* ℔xxx.
Sp. Vini opt. ℔iij.
M.

Committantur ſimul per ſex ſeptimanas, dein adde
Sal. Tart. ℔j.

Deſtillentur, ut ante, & rectificetur ſervandus ad uſum Spiritus.

NOTÆ.

1. Spiritus vini *oleoſus* magna ſui parte *urinoſo ſali volatili* mediante motu inteſtino permiſcetur, quæ duo poſtea *unum Spiritum* conſtituunt in deſtillatione.

2. Sal Tartari *acidum*, *in Urina* latens, quod tamen haud facile ſecernitur, infringit, & *ſalia volatilia liberat*, unde major illorum copia exſurgit.

Vires.

Hic poſterior Spiritus eaſdem, ſed tenuiores & ſubtiliores vires obtinet, quam præcedens, utpote magis ſubtilis.

Eodem modo omnium *animalium Urinæ* deſtillari queunt.

Spi-

Spiritus Salis Ammoniaci.

℞. *Salis Ammoniaci* ℔j.
Salis Tartari ℔jß.
Aquæ communis pintam j.

Infundantur omnia retortæ, & deſtillentur per arenam; ſic procedit Sal volatile, quod à ſubſequente phlegmate diluitur; hic Spiritus in vitro arctiſſimè clauſo reſervetur.

NOTÆ.

1. *Rectificatione* vix opus habet, niſi quis ſuper *novum ſal fixum* illud *Sal volatile ſubtilius* reddere ſatagat; per ſe enim nonniſi in *Sal volatile ſiccum abit.*

2. Cum *calce viva* in *ſubtiliſſimum* abit *liquorem*, compoſitum è *ſale acido tenui calcis igneo, & alcali proprio*, unde *acrior* & *fluidior* exiſtit, *nunquam* autem *in Sal volatile*; quoniam verò eſt *fugaciſſimus*, optimè reſervari debet.

3. Cum *aliis* etiam *ſalibus fixis* idem Spiritus fieri poteſt, & cum *lapide calaminari*, *hæmatite*, & ſimilibus, *acido-muriaticum ſal* infringentibus.

4. Sal ammoniacum nil aliud videtur eſſe, niſi *mixtura ſalis muriatici, & ſalis volatilis urinæ*, quæ in *Spiritum* reducitur *ſalinum volatilem* mediante ſale fixo, vel corpore aliquo terreſtri minerali, *muriatici illius ſalis* loculos repiente, cæteraſque inibi contentas particulas expellente, unde nullis vinculis amplius impeditæ, *accedente motu liberè* quaquaverſum *fugam* tentant, exinde *ſpiritus*; *fuliginem* autem debere accedere, experimentis hucuſque à me factis *contrarium* inveni. Notandum autem eſt, *non ſolum mixturam hanc* in talem abire Spiritum fugacem, *ſed etiam ipſa ſalia muriatica* illum poſſe præbere, quamvis *non in tanta copia*, *neque* tam *ſubtilem*, ſi ritè tractentur. Ob has rationes fit *iterata Salis volatilis deſtillatio cum fœcibus* hiſce, poſt deſtillationem reſiduis, *additione ſalis fixi recentis.*

Vires.

Spiritus eſt valde penetrans, acidum infringens, ſudores movens, febribus reſiſtens, & omnibus præternalibus efferveſcentiis, ex auſtero & acido oriundis, ut in epilepſia, paſſionibus hyſtericis, paralyſi, apoplexia, & ſimilibus. Doſis à gutta j. *ad guttas* viij.

Sal volatile Oleosum.

℞. *Olei Menthæ,*
Corticum Arantiorum, ana guttas xx.
Garyophillorum guttas xvj.
Macis stillatitii guttas xij.
Rorismarini gtt. viij.
Spiritus Vini ℥xx.
Spiritus Nitri ℥ij.

Destillentur per cucurbitam vitream in arena positam ad mediæ fere partis abstractionem; hisce unciis octo adde

Spiritus Salis Ammoniaci ℥iv.

Digerantur simul per 24. horas, dein denuo destillentur leni igne circiter ad ℥x: sic acquiritur Sal volatile non ingrati odoris, & magnarum virium.

Extemporaneum autem *Sal volatile* fieri potest *sequenti* modo:

℞. *Oleorum cujuscunque generis* ʒj.
Salis Tartari purissimi ℥iij.

Misceantur exactè, pulvis hic infundatur

Spiritus vini rectificati cum Sale Tart. ℥x.
Spiritus Salis Ammoniaci ℥iv.

Agitentur simul per quadrantem unius horæ, dein reponantur; sic spatio semi-horæ liquor clarus & limpidus supernatans obtinetur, usui extempore inserviens. Hic liquor per digestionem in fimo equino, aut MB. penetrantissimus evadit in odore & colore.

NOTÆ.

1. Primi generis sal oleaginosum requirit *acidum volatile Nitri*, in destillatione spiritus vini vulgaris ascendens, ut *urinosus* tollatur ex parte *odor*, & *mixtura* evadat quasi *temperata*; cui verò volupe, illud *absque spiritu Nitri* conficere, oportet ut *sequenti* procedat *modo:*

℞. *Olea præscripta*, hisce adde *Spiritus Vini optime rectificati* ℥viij.
Spiritus Salis Ammoniaci ℥iv.

Mixta destillentur f. a.

2. Sunt, qui & idem efficere satagunt mediante sola *digestione spiritus salis ammoniaci*, & *spiritus vini super herbas*, *semina* & *aromata*; verùm non tanto cum fructu, quoniam olea cum phlegmate *sæpiùs delitescunt* in *claustris suis terrestribus*, & subsequuntur post abstractionem spiritus, procedentibus solis levioribus illis particulis, unde potius *spiritus salinus*

nus volatilis eſt dicendus ; *olea* autem cum ſpiritu vini deſtillata eſſentiam ſuam, & *vires integras* ei communicant.

3. Secundum intentionem Medici *variari* poterunt *olea*, hac tamen cum cautela, ut *tantùm* recipiatur *oleorum*, *quantum ſufficiat diſſolutioni in ſpiritu vini.*

4. Si autem volupe fuerit illud *ex ſolis herbis* præparare, idem facilè aſſequitur *artifex*, ſi bina vel terna cohobatione *ſuper proprias fœces*, vel rectificatione *ſuper recentes herbas* ſæpius reiterata fiat *imprægnatio* & exaltatio ſpirituum.

Vires.

Ventriculum roborat, flatus diſcutit, febribus medetur, putredini reſiſtit, morbis, è frigida intemperie ortis, adverſatur, ſpiritus recreat, acidum temperat. Doſis à guttis iij. *ad* xx. *in vehiculo.*

Sal volatile Sudoriferum.

℞. *Aq. Theriacalis compoſitæ* ℥x.
Sp. Vitrioli volatilis ſulphur. ℥iij.
Tartar. ſubtilior.
Sal. Ammoniac. an. ℥ijß.
Camph. ℈ij. M.

Digerantur ſimul per. 3. dies in MB., dein deſtillentur fere ad ſiccitatem, ſpiritus arctiſſime in vitro clauſo ſervetur.

NOTÆ.

1. Omnes liquores *optime dephlegmati* eſſe debent, alias *deſtillatio citius* abſolvenda, ut phlegma remaneat.

2. Qui *ſpiritum volatilem vitrioli* obtinere nequit, ſaltem ejus genuinum *ſubacidum*, *è vitriolo Veneris deſtillatum*, recipiat, non autem illum, qui ex oleo & aqua mixtis fit.

3. Quibus *camphora* diſplicet, illam *omittere* queunt, ſed vires inſigniter *ſudoriferas* auget.

4. Hoc *ſpiritu ſalino volatili* alia ſudorifera extrahi poſſunt ad *Tincturam beſoardicam* conficiendam, ut crocus, contrayerva, opium &c.

Vires.

In omnibus morbis & obſtructionibus, per ſudorem curandis, prodeſt, ut in peſte, variolis, cachexia &c. Doſis à gtt. v. ad xx. *in vehiculo.*

Sal Volatile Oleosum (& Aromaticum) extemporaneum.

℞. *Sp. Vini optimè rect. cum sale alcal.* ℥v.
Sal. Tartar. ℥ß.
Ol. Menth. gutt. xx.
Cort. Arantior. gutt. xvj.
Gariophillor.
Rorismarin.
Nucis Moscat. stillat. ana gutt. viij.
Juniper. gutt. x.

Misceantur cum Sale Tartari. Postea Spiritui Vini pulvis affundatur; dein optimè moveatur. Ultimò adde

Sp. Sal. Ammon. ℥ij.

& lactescet solutio. Digerantur simul per aliquot horas, aliquoties materiam movendo, donec clarus evadat liquor. Dein à fœcibus & phlegmate per decantationem separa, & usui serva.

Nota. Si aliis usibus specificis destinetur Sal Volatile præparandum, assumi poterunt Olea specifica. Sic v. g. pro affectibus uterinis procede seq. modo:

Sal Volatile Oleosum Uterinum extemporaneum.

℞. *Ol. Rutæ gutt.* xx.
Sabinæ gutt. xxiv.
Lavendul.
Rorismar.
Thymi,
Juniper.
Macis stillat. ana gutt. vij.

Excipiantur Olea Sale Tartari, ut antea, & misceantur cum Spir. Vini, & Spir. Salis Ammon. in eadem quant: ut ante, & erit Sal Volatile Oleosum *specificum ad omnes Uteri affectus, & obstructiones, ejusdem menstrua citissimè proliciens.*

Sic etiam seq. mixturâ fit Sal Volatile Oleosum Cephalicum, & extemporaneum: v. g.

Sal volatile Oleosum Cephalicum, & extemporaneum.

℞. *Ol. Menthæ,*
Majoran.
Thymi,

Cort.

Cort. Arantior.
Rorismarin.
Lavendul. ana gutt. viij.
Gariophillor. gutt. xvj.

Misceantur, ut antea.

Sal Volatile Oleosum Febrile, & Stomachicum, extemporaneum.

℞. *Ol. Gariophillor.*
Menth. ana gutt. xvj.
Absynth. gutt. viij.
Carui,
Fœnicul.
Cort. Arantior. ana gutt. vj.
Juniper. gutt. x. *vel.* xx.
Camphor. in substantia. ʒß.

Misceantur, ut ante.

Sal Volatile Aromaticum, solâ digestione paratum.

Sal Volatile Aromaticum duplici fit modo, vel mediante *extractione è simplicibus*, vel mediantibus eorundem *oleis.*

Extractio etiam duplici paratur modo, accedente simul *destillatione*; vel solâ *digestione.* Solâ *digestione* fit seq. modo:

℞. *Cinnamom. acutissim.* ℥iv.
Gariophyllor.
Cardamom. min.
Cubebar.
Sem. Coriandr.
Irid. Florent. ana ʒij.
Cort. Citri exterior.
Pomor. China. ana ℥j. *vel* ij. *ad saporis scil. gratiam.*

Superfundatur hisce concisis, & contusis, *Sp. Vini rectificatissimus*, & extrahatur, mediante digestione, tinctura, (digerantur autem per dies ij.) addendo *Salis Tartari.* ℥ß. Post tincturam extractam *tertia pars Sp. Salis Ammon.* respectu liquoris tincti, addatur, & usui servetur.

Idem per destillationem.

℞. *Simplicium dictorum eandem quantitatem;*

Iis superfunde

Sp.

Sp. Vin. vulgar. ℥xx.
Sal. Tartar.
Ammoniac. ana ℥vj.
Aq. Rosar. fragrantiss. ℥iv.
Lavendul. ℥ij.

Misce simul, & digerantur per dies. ij. vel. iij. Dein destillentur leni igne, donec ℥xij. circiter prodierint, quas ad usum serva.

Sal Volatile temperatum, sive muriaticum oleosum.

℞. *Rad. Angelic.*
Imperatoriæ,
Petasitid.
Valerian. ana ℥ß.
Cyperi rot.
Galangæ min.
Sem. Cardamom.
Cubebar.
Amomi ana ʒiij.
Caryophillor.
Cinamom.
Nucis Moscat. ana ʒv.
Rorismarin.
Majoran.
Menthæ ana m. ß.
Benzoin,
Syrac. Calamit.
Labdan. ana ʒij.
Lign. Rhod.
Santal. citrin. ana ℥ß.
Sem. Anisi,
Fœnicul. ana ʒvj.

Misceantur omnia grosso modo pulverizata, & superfundatur
Sp. Vini vulgar. q. s. ad superemin. aliquot dig. seu pint. circiter vj.
Sp. Nitri ℥vj.

Digerantur simul per dies ij. vel iij. quò diutiùs, eo meliùs. Deinde destillentur, donec circiter duæ tertiæ prodierint. Spiritui abstracto adde
Lign. Sassafr. ℥j.

Sem.

Sem. Coriandr. ℥ij.
Cort. Citri.
Arantior, ana ℥iij.
Herb. totius Lavend. m. ij.
Sp. Nitri. ℥j.

Digerantur dein per diem j., & denuò destillentur ad medias. Spiritui prolecto adde

Sp. Sal. Ammon. puriss. part. ß.

Digerantur denuò per diem j. addendo

Ol. Cinnamom. acut. gutt. iv.
Gariophillor.
Cort. Arantior. ana gutt. viij.
Menth.
Juniper. ana gutt. vj.

Post digestionem fiat destillatio: dein usui servetur.

Vires. *In genere deobstruunt, omne acidum oberrans in corpore mitigant, & infringunt, circulationem sangvinis adjuvant, cachexiam mulierum tollunt, sudores procreant, & omne, in genere, noxium corpori nostro corrigunt. Specificæ eorum vires ab Oleis desumendæ sunt.*

Dos. *a gutt. v. ad gutt.* xxx.

Sal Volatile Oleosum carminativum & stomachicum.

℞. *Herb. Majoran.*
Thymi,
Salviæ,
Menthæ, ana m. j.
Sem. Levistic.
Cardamom. min.
Dauci vulgar.
Amomi,
Anisi,
Carui, ana ʒij.
Cubebar.
Rad. Galang. min.
Costi adorat.
Cyperi rotund.
Irid. Florent. ana ʒß.

Gariophyllor.
Nucis Moſcat.
Cinnamom. ana ʒß.
Sal. Tartar. ℥ß.

Miſce invicem, & groſſo modo contuſis ſuperfunde
Sp. Vini pintas v. vel ℥100.

Digerantur ſimul per tres ſeptimanas in loco calido, ut hypocauſto, vel juxta focum: Dein deſtillentur ad tertiæ partis tantum remanentiam. Spiritui prolecto adde
Cort. Citr. ℥iv.
Arantior. ℥ij.
Lign. Saſſaffr. ℥iij.

Hæc ſeorſim in ℥x. *Sp. Vini*, per idem tempus, macerata ſint. Dein cum Spir. ſuperiori prolecto permiſceantur, & deſtillentur. Ultimò tandem
℞. *Spir. deſtillat. part.* j.
Sp. Sal Ammon. opt. part ß.
Ol. Gariophillor. gutt. x.
Menth. gutt. xx.
Cort. Arantior. gutt. xxx.
Roriſmarin.
Macis ſtillat. ana gutt. viij.
Juniper. gutt. xij.
Sal. Tartar. optimè calcinat. ʒiij.

Simul immittantur phiolæ ſatis magnæ, & digerantur per dies iv. Dein clarum à fœcibus inferioribus ſepara, & ad uſum ſerva ſub nomine *Sal. Volatil. Oleoſi ſubtiliſſimi.*

Vires. *Antifebrile carminativum & ſtomachicum eſt egregium, omnes obſtructiones tollit, ſpiritus in univerſo corpore recreat, ſangvinis circulationem promovet, quibuſcunqne morbis, & febribus, per ſudorem curabilibus, prodeſt.*

Doſ. *à gutt.* ij. *ad gutt.* xx.

Sal Volatile Oleoſum aliud.

℞. *Herbas quaſcunque convenientes, & Vegetabilia, morbis illis, quos curare volumus, dicata.*

Illa infunde in
Sp. Vini, ſ. q., ut Herbæ, Folia, & Semina, ibidem innatare queant.

Di-

Digerantur, quò diutiùs, eò meliùs, addendo ad singulas ℔. Spir. Vini,
Spir. Nitri ℥ß.
Destilla postea ad medias: destillato Spir. adde
Olea convenientia, quantum sp. prolectus imbibere potest.
Dein adde
Sp. Sal. Ammon. mediam partem,
& macerentur simul, vel destillentur ad tertiæ partis remanentiam. Dein usui servetur.

Sal Volatile Oleosum nobilissimum, pro delicatulis, egregii odoris, & saporis.

℞. *Cinnamom. acutissimi* ℥iv.
Gariophillor.
Macis,
Cardamom.
Cubebar. ana ʒij.
Cort. Citri exterior. ℥vj.
Rad. Cyper.
Irid. Florent. ana ℥ß.
Benzoës,
Styrac. Calamit.
Lign. Rhodii, ana ʒvj.
Mosch. gr. ij.
Sp. Vini. ℔v.

Digerantur simul per dies viij. Dein destillentur ad medias. Spiritui destillato adde
Spir. Nitri ℥ij.
& denuò fœcibus simul superfundantur, addendo
Lign. Sassafr.
Sem. Coriandr. ana ℥j.
Ol. Cinnamom. gutt. ij.
Gariophyllor.
Cort. Arantior. ana gutt. iv.
Sp. Sal. Ammon. tertiam partem, respectu Spiritûs prolecti;
Digerantur simul per diem j; dein usui reserventur.

Vires. *Cor, & spiritus vitales recreat, & exhilarat, stomachi debilitatibus succurrit, sanguinis circulationem promovet.*

Dos. *à gutt.* ij. *ad.* xx. *in vino.*

Nota. Quo vetuſtius hoc Sal volatile eſt, eò gratioris fit, & odoris, & ſaporis.

Sal. Vol. Oleoſum extemporaneum.

℞. *Aq. Vitæ Matthiol. q. v. Vel loco ejus, ſi non ſit in promptu, Sp. Vini vulgaris mediam partem reſpectu Aq. Vit.*
Sal. alcali. q. ſ.
Ol Gariophyllor.
Menth. ana q. v.
Roriſmarin.
Cort. Arantior. vel
Macis ſtillat. med. part. reſpectu præcedentium.

Diverſa itidem alia Olea permiſceri poterunt, reſpectu habito ad vires præcipuas illorum Oleorum.

Excipiantur omnia Olea in ſ. q. Salis Alcali ſuperioris. Dein in *Sp. Vini, vel Aq. Vitæ* immittantur, addendo
Sp. Sal. Ammoniaci tertiam partem reſpectu Sp. Vini. vel ſextam partem reſpectu Aq. Vitæ.

Digerantur ſimul cum ſatis magnâ quantitate Salis Alcali. Sic ſpatio horar. xxiv. omne phlegma ſeparatum erit â Spiritu.

Si verò extempore uſus ejus expetatur, parumper primo calefiant *ſine Sp. Sal. Ammon.* Poſtea, ubi denuò refrigerata ſunt, *adde Sp. Sal. Ammon.*, & mixturam uſui exhibe.

Vires. *In genere omnia Salia Volatilia Oleoſa, hoc modo confecta, putredini reſiſtunt, febribus, & paſſionibus hyſtericis medentur; eaſdem enim vires obtinent cum præcedentibus; variant verò in viribus pro Oleorum adhibitorum qualitatibus. Sic enim Sal Vol. Oleoſum, ad luem Veneream præcavendam, & curandam, fieri poteſt hoc modo.*

Sal Volatile Oleoſum Antivenereum.

℞. *Sp. Vin. ſuper Lign. Saſſafr. optimè rect.* Nota. ℥iv. *Ligni ad* ℥xx. *Sp. Vini requiruntur.*

In hoc Spiritu extrahe
Gum. Guajaci, & extract. Guajaci, mediante aq. communi factum.

℞. *Salis Alcali,*
Ol. Lign. Guajac. rectificatiſſ.
Lign. Saſſafras ana gutt. xii.

Ra-

Rasur. rad. Chin. ℥iij.
Antimon. præpar. ad tinctur. extrahend. ℥vj.
Mercur. præcipit. cum sale tartar. ℥ß.
Spir. , *ut superiùs præpar.* ℥xl.
Spir. Sal. Ammon. opt. ℥xl.

Digerantur simul per dies iv. Dein clarum à spisso separetur, & usui servetur.

Dos. *à gutt.* x. *ad* xxx.

CAP. XII.

De Salibus fixis.

SAlia in genere cum *mira metamorphosi* inter se ludant, nil aliud videntur esse, nisi *productum* aliquod *materiæ subtilis*, exceptum in *aëre*, communicatum *aquæ*, cujus auxilio mediante *terra* ad ulteriorem *alterationem* sustinendam objicitur. Hoc adminiculo in *majorem motum* redactæ particulæ *terrestres*, ulteriori expansioni & dilatationi aptæ *fœtui* suo producendo redduntur. Hæ etenim particulæ, *crassiora* illa corpora *imminuendo*, facile in iisdem *irretiuntur*, ibidemque *aggravatæ* pondere, & *retentæ* irregulari situ partium & pororum, in magna satis quantitate illic *accumulantur*, *interstitia* illa occupando & *replendo*; quæ postea, ex parte *denuo liberatæ* suis vinculis, *salinam* recipiunt naturam, id est, *puncta* sua, antehac obducta, *magis exerunt*, *terreno* corpore, superficiem antehac occupante, *detruso*. Hæc facile demonstrant, *salinum principium* summæ *necessitatis* esse in generatione seu *vegetatione plantarum*, & omnium vegetabilium: revera enim *vix ulla* daretur imminutio, expansio, vel aliqua *corporum mutatio absque illo. Sal* enim perfringit omnes carceres & claustra, quæ alias *pertinacius* sat *resisterent* omni motui, ideoque illud rite tractatum *vegetationem* mirum in modum auget & *promovet*: verum, quoniam de *vegetatione* multa dicere animus non est, obiter tantum notabimus, *mixturam salis*, *olei expressi*, & *fimi*, debito modo per fermentationem unitam, miranda *in vegetabilibus* efficere circa eorum *incrementum*. Hæc *salia* non solùm *diversitate variant*, pro differenti natura regnorum, *animalium* nempe, *mineralium* & *vegetabilium*, sed sæpiùs *vario modo tractata* eadem corpora, *diversa* producere solent *salia*: ita ut non unum idemque sit, qua *methodo*, quibus *additamentis*, quibusve *instrumentis* fiat operatio. In-

genere autem *falium fequentem* ftatuimus *differentiam : falia per fe* confiderata *funt particulæ fcindentes, pungentes & acutæ*, quarum acies differt pro ratione *cohæfionis*, & *juxtapofitionis* illorum minorum *punctorum*, & pro *foliditate* vel *figura* illius *terræ*, cum qua confortium inivere, ut in *acidis* latius. Hic autem *falia fixiora* perfcrutari animus eft, quæ præcipue ab *acido muriatico fucco* ortum fuum mutuantur, retinaculis *terreftribus fixata, & in falinam lixiviofam*, vel *tartaream* fubftantiam redacta. Hinc *duplicem methodum falis* illius artificialis è vegetalibus eliciendi proponere intendimus, *effentialis* nempe & *alcalici*. Naturaliter autem *hæc falia an contineantur, an arte producantur*, è fubjectis *utrumque* effe *verum*, ratio & experientia innuunt. Ut enim diximus, è *materia fubtili* ortum fuum ducere *falia*, fic ftatuimus, illa vehiculi loco ibidem in corporibus ipfis *contineri*, quæ aliàs *neceffariò fubfiderent :* hæc ibidem *agglomemerata* in *motum vehementiorem* corporibus craffioribus reductis, fpecimina præbent *fpiritus contenti*, qui, ut diximus, nihil aliud eft, nifi *congeries particularum fluidarum fubtiliorum cum ramofis & aquofis.* Hæ particulæ *fubtiliores*, filii *folis, vel materiæ fubtilis* vocari poffunt, & *fpiritus* nuncupantur, funtque *primordia omnium falium.* Hæc nunquam in corpore naturali vegetante, *in propria fubftantia alcalina feorfim* exiftunt, fed vel *per motum vehementiffimum*, fugatis omnibus aliis volatilioribus particulis, *illæfa* perftant in confortio, & retinaculis *terreftribus :* vel ubi *liquidæ folæ partes, fucci herbarum* dictæ, *per fubfidentiam* deprimuntur, omnes hæ particulæ *falinæ*, confortium *fluidi & merè terreftrium* fœcum derelinquentes, motu interno illorum corporum, *propulfis* per materiam fubtilem *tenuioribus fluido innatantibus falibus*, fenfim *majora falium puncta* in *cryftallulos* coalefcunt, ut *duæ fequentes* operationes demonftrabunt.

Concludimus ergo, *materiam adfuiffe ex qua in ftatu naturali ; productum autem corpus fuam figuram ab arte tenere.*

Sal Effentiale Cardui Benedicti.

℞. *Card. benedict. recentis q. v.*
Confcindatur & contundatur, donec fuccum fuum emittat. Hunc fuccum, prælo expreffum, clarifica albumine ovi, colaturam infpiffa ad quartæ vel quintæ partis remanentiam, dein reponatur in cella per tres quatuorve feptimanas; fic cryftalluli concrefcent ad fundum & latera vafis, quas exime, & in aqua calida denuo diffolve, ut à fœcibus feparentur, & iteratò in cryftallos fecundum artem reduc; hafce ad ufum referva.

NO-

NOTÆ.

1. Si *magis albicantes* requirantur cryſtalli, ſæpiùs *reiterari* poterit *ſolutio in aqua propria.*

2. Hæc *ſalia* dicuntur *Eſſentialia*, quoniam ex *integra ſubſtantia*, nullâ ignis torturâ, producta ſunt, & plurimas *ramoſas*, *terreſtres*, & *aquoſas* in ſe admittunt particulas, *ex integro vegetabili* deſumptas, quæ *in ſequenti ſale* non reperiuntur, itaque ad *nitro-tartaream* accedunt naturam.

Quoniam *ex hiſce particulis compoſita* ſunt hæc ſalia, facilè etiam *ſequenti methodo* præparantur:

Sal Eſſentiale magis Chymicum.

℞: *Spiritus Herbarum & Stipitum empyreumat rectificatici q. v.* ei adde *ſufficientem quantitatem Salis Alcali proprii*, donec effervescentia omnimodè ceſſet, ſal hoc mixtum evaporetur, & obtinebis idem *Sal Eſſentiale.*

NOTÆ.

1. In defectu *ſalis proprii alcali*, etiam *ſal alcali quodvis* ſubſtitui poteſt; præcipuè ſi in ſale hoc alcali *olea empyreumatica* leviter calcinata fuerint, ut taliter qualiter illis particulis etiam *ante* imbuatur: dein *ſoluto huic ſali* in aqua propria affunde *ſpiritum acidum*, & ſic in ſal illius naturæ degenerabunt, quoniam *ab acido ad nutum ſuum trahuntur alcalia ſalia.*

2. Hæcce ſalia non ſolùm *à ſucco naturali* producuntur, ſed & *ab eodem*, mediante *fermentatiône* interna *alterato*, immutato, & in *acorem redacto:* unde *ſpatium tantum* requiritur ad ejus confectionem, niſi in valde paucis, valde ſalſis, amaris & acidis vegetabilibus.

Vires.

Attenuat, incidit, ſudores movet, & vires aliquales integras à propria ſua ſubſtantia reſervat, ita ut ex febrifugis & ſtomachicis oriansur febrifuga & ſtomachica ſalia, quod de alcalicis ſequentibus affirmari nequit. Doſis à granis v. ad ʒj.

Eodem modo *ex omnibus ferè ſuccis herbarum* elici poſſunt ſalia: ut & ex illis *ſpiritibus acidis alcali aſſociatis.*

Sal

Sal essentiale gratissimum ac efficacissimum.

℞. *Herbæ, &c. cujuscunque Vegetabilis q. s.*

Reducatur s: a: in fermentationem, donec spiritum fundat ardentem. Spiritus prolectus rectificetur seorsim, ad suos usus reservandus.

Reliquias, post destillationem finitam, percola, succum hunc, subsidentia ulterius clarificatum, acescere sine in hypocausto, aut sole. *Acido* huic liquori gradatim instilla *alcalinum*, sive alius herbæ, *salem*, donec sedata indicaverit effervescentia, saturum existere acidum. Evaporetur ad cuticulæ crassioris apparitionem liquor salinus, in cella ad cristallisationem debitam reponendus. Cristallis, semel in aqua phlegmatica propria depuratis & exiccatis, superfunde *spiritum proprium*, digerantur simul per octo dies, dein spiritu per Mariæ Balneum abstracto ad remanentiam siccioris salis essentialis, obtinetur medicamentum duplex essentificatum spiritus nempe & sal.

NOTÆ.

Sal *essentiale cristallinum* etiam obtinetur, ubi sal herbæ cujusvis fixum, cum proprio spiritu ardente digeritur per aliquot dies, procedendo, ut artis est.

Vires.

Secundum assumtas variat herbas. Dosis à ℈ß. *ad* ʒß.

Sal mixtum.

℞. *Stipitum Absinth.*
Fabar. an. ℔x.
Lign. Guajac.
Juniper. an. ℔v.

Mixta destillentur in cacabo ferreo, ut in oleis empyreumaticis dictum. Spiritum rectifica per se. Carbones residui una cum oleo fœtido misceantur *cum quarta parte Nitri sc. ad singulam libram carbonum* ℥xij. *Nitri* ℥iij. calcinentur, donec albedinem acquirant: Calcinatam materiam elixivia s. a. & evapora. Huic sali adde spiritum præcedentem, & coagula denuo, sic obtinebis sal optimæ notæ.

NOTÆ.

1. *Carbones* & *oleum* inserviunt *figendo nitro*, quod plurimis particulis exinde impregnatur.

2. Ad

2. Ad *albedinem* prima vice *calcinatio* est instituenda, alias *iteratæ calcinationes* & *solutiones* expetuntur.

Vires.

Diuresin & diaphoresin promovet, febribus adversatur, vermes necat, ventriculum roborat, acidum infringit. Dosis ad ℈j.

Sal Scordii.

℞. *Herb. Scord. magnam satis quantitatem;*
Incendatur, donec in cineres abeat albicantes, hosce aquâ superfusâ elixivia, lixivium filtra per chartam emporeticam, filtratum evapora ad siccitatem; sic obtinebis sal alcali, quod, si purius expetatur, iterata levi calcinatione & solutione candidum reddi potest.

NOTÆ.

1. Cineres, quo *albicantiores*, eo plus *salis* deponunt: è carbonibus *nigricantibus* enim *nullum sal* unquam sperandum.

2. Sunt, qui *addunt* post deflagrationem vel *nitrum*, vel *sulphur commune*, ut majorem *stabilitatem* inducant *salibus*, & majorem *copiam* obtineant, inscii forsan, *salia acida alcalium naturam* planè permutare, & ad nutum *suum* trahere, unde potius *secundum acida salia admixta* natura illorum salium expendenda est, quæ potius *composita & muriatica* sunt, quam *simplicia alcalia*.

3. Herbæ *virides* furno inclusæ ubi *exiccantur*, dein concremantur, inde copiosius & *efficacius sal* obtinetur.

Vires.

Omnia in genere alcalia earundem ferè sunt virium, eademque potestate & agendi qualitate prædita: provocant enim urinam, acidum infringunt, & mediante illa actione sudores movent, & particulas spirituosas volatilisant; in Chymicis operationibus plurimi sunt usus, ut postea latius. Dosis à granis v. *ad* ℈j.

Eodem modo *omnia vegetabilia Salem exhibentia* tractantur.

CAP. XIII.

De Spiritibus acidis.

SAlia, ad modum fere omnium corporum, *duabus particulis* in sua mixtura dotata esse, sat manifestum est, *fluidis* nempe & *solidis*. Fluiditatem mutuantur *ab aqua & materia subtili*, soliditatem *à corpusculis terrestribus*.

Hæ *duæ particulæ unitæ* conspiciuntur *in omni sale naturali nobis obvio*, in nitro, sale gemmæ, communi, quæ tria sunt propriè *muriatica salia naturalia*, *terras* intermedias admittentia, id est, nec graves nimis, nec levitate tenui excellentes. *Interstitia* autem *fluidorum salium* sæpius in defectu solidiorum & *fixiorum salinarum* partium replentur *materia crassiori terrestri*, unde *rigida consistentia* iis acidis fluidis conciliatur, ut alumen, vitriolum &c. testantur. Salia *per excellentiam* fluida *nullibi subsistunt quieta*; *sed in continuo motu* versantur, quoniam *per aquam fluctuantes* particulæ facile *motui ætheris* patent, nisi aliis gravioribus particulis occurrentia, *mutuum in amplexum* ire cogantur. In defectu *salium rigidorum*, dixi salia fluida à *terrestribus* repleri, quoniam hæ particulæ tam *exactam unionem* ineunt, & tam accommodæ sunt poris mutuis, ut *phlegmaticæ pleræque* partes, antehac ibidem contentæ, foras ire cogantur, quod patet in præcipitationibus.

Per materiam subtilem *derasa pleraque minutissima terrestria* puncta cum iisdem uniuntur, & *humido aquoso* ambo imprægnata & diluta, *fluida salia plurima* præbent in statu nativo, id est, in prima sua productione, sed *solida fixa* raro, vel nunquam nisi *per artem* eruuntur, *expulso* nempe illo *fluido interno leviori*.

Sic in *mineris* & mineralibus, *exhalationes* salinæ, impingentes in *terras minerales variæ texturæ*, illasque rodentes *acido-austeræ* fiunt, unde plerumque *noxiæ* existunt. Hinc aer, *exhalationum* illarum commune *receptaculum*, plurimis fluidis salinis particulis scatet, ab ipsis *halitibus interioris terræ*, *& à materia subtili*, *vapores salinos rarefaciente*, & *fluidiores* per mixturam *aërei humidi*, reddente. Ex *aëreo humido salino*, *alcalia fixa muriatica & volatiliora* fiunt, si *diutius sub dio* detineantur, addito corpore *terrestri*. Particulæ autem *sursum propulsæ acidæ subterraneæ* viceversa *fixiores* fiunt, ut & *aëreum sal*, ab occursu & *insinuatione* illarum partium in *terrestres*, ubi sensim *modificantur*. Hinc non mirum,

rum, quod plurima corpora *alias* exhibeant *particulas aëre liberiori* præparata; *fluidiores* enim particulæ *fugam tentant*, & aëra petunt, *solidiores*, hic illic propria gravitate & pondere coercitæ, *subsistunt in fuligine.* Illud *vase clauso* pro maxima parte contrarium est; coguntur enim *densioribus solidis partibus arctius* inhærere *salia*, quæ per ventiformem *aëream expansionem* ac *insinuatione diversarum molecularum*, miasmatum effluviorumque, facile ibidem deponendorum, sua claustra dilacerant, alterant & *perrumpunt*, *fugam* dein tentantia. Instar *gummi* enim est *sal muriaticum* dictum, quod *capsulis suis* hasce particulas *includit*: *rarefactio* enim *salium* consistit in particularum *fluidarum in* iis *antea existentium*, ope *caloris* à *terrestribus* superfluis *rigidis*, liberatione. Prout autem pleraque *fluida* sunt instar *animæ mundi*, cæteram molem *ad nutum suum* trahentia; sic hæ *fluidæ* particulæ *fixiorum salium rectores* existunt. *Puncta illa minima*, quæ præcedentium *fluidorum meatibus* & *poris* se abscondere & latitare satagunt, sunt instar particularum *hastatarum* & *clavorum*, *firmitatem* illis per *aquam* &c. mobilibus & *fluidis* particulis inducentium, ut apparet in *nitro regenerato*, similibusque aliis salibus. Ex hisce colligere licet, *salia fluida* nihil aliud esse, nisi particulas *rarefactas* & *divisas salium* mediante *materia subtili*, *copiosæ aquæ instar gladiorum scindentium & acutorum innatantes*, *cellulis propriis antehac inclusas.* In omni enim *sale* naturaliter esse *maximam copiam aquæ*, nullus dubito, experimentis omnibus innixus, cum è *sale quocunque modo destillato* duæ tertiæ, imò sæpiùs tres quartæ partes meri phlegmatis producantur. Unde facilè patet, quare *sal* consideremus esse *congeriem particularum materiæ subtilis*, *plurima aqua & pauca terra* obrutarum. Obiter etiam notabimus, ex *omni lapide calcinato*, rupibus, silicibus, & præcipuè lapide calcario produci posse *salia*: imò ipsa *salia fixa*, *rarefacta mediante aëre*, magis ad *salium fluidorum*, pro consortio *terræ*, in minori copia admixtæ, naturam accedent, & *nitrosa* vel *austera* evadent ad *vegetationem* promovendam.

Ut *liquores fermentati* passim in usu sunt, ita vulgatissimum *vinum*, & exinde factum *acetum* ignotum esse nequit, cum sæpius plus nimis in usum trahantur.

Omnis liquor *aquoso-spirituosus fermentans*, ab ipsa *agitatione interna expansionem* suarum *cellularum*, imo & *disruptionem* patitur, unde *tenuior* redditus ingressu mediante *aeris salium fluiditatem auget* & promovet. Hinc facile liquet, omnia *fermentata* ad *acorem* aliqualem vergere, cum *salia* semper *eo majora* evadant, quo minus *terræ angustiis*

premuntur, & *liberius per aquam ad se invicem accedere* queunt, *punctis juxta se invicem* in majori linea dispositis, in quibus *acies scindens à pungenti* differt: *interrumpitur* autem illa *series* in *alcali*, ubi minima ramenta & *puncta separata* & *divisa* existunt, ita ut *singula seorsim agere cogantur*, quæ hic in propiori & fere *immediata juxtapositione simul agunt*, & impetum suum faciunt. Hæc *aciditas* attamen magna cum *differentia* prodit; sic *fructus immaturi fermentati acidum leve* & *volatile* præbent ob *salis interni* volatilis *austeri facti nimiam unionem cum* particulis *terrestribus*; inde enim maturationem ramosam & *expansionem liberam salia* hæc obtinere non potuerunt, nec *exaltationem* debitam assecuta sunt in claustris arctioribus. Præcedentia demonstrant, illos ad *maturitatem* pervectos, cellulis *latioribus* præditos, *aquoso* vehiculo innatantes, *majorem motum* & consortium rarius inire, & materia subtili adjuvante *fluiditatem* asciscere debere, quæ ratione partium explicatarum *volatilioris* & *ramosæ* fiunt consistentiæ. Ea quæ *fixioris* & *magis austeræ viscosæ terrestris texturæ* sunt, nunquam *acidum fixius* exhibent, sed tantum *volatile austero-acidum*, ut in omphacio, pomis & pyris immaturis patet fermentatis, cum è præcedentibus supramemoratis magis attenuatis & rarefactis plurimum *acidum fixius* eruitur. Quo fructus &c. *dulciores*, eo majus & *stabilius acidum*, non solum ob *tartareo-salinas* ibidem delitescentes particulas, sed potissimum ob copiam *spirituosarum* & *ramosarum* partium inibi existentium, quæ mediante *motu interno* huc illuc per liquorem diffusæ excipiuntur in *salinis* fluidis, unde *acredo major acidum intendens* eruitur, ut illis sat notum, qui, cum *aceta* facere satagant, *liquorem vinosum doliis*, *vino adusto antea repletis*, infundunt, additis *acrioribus aromatibus*, ut pipere, zingibere &c. imò *spiritum vini* sæpius affundunt, Acetaque confecta *acriora & fortiora* evadunt, si in *doliis*, *vinum adustum antea continentibus*, asserventur.

Acetum ergo nil aliud, nisi *tartarus in fluorem redactus*, *cum aliqua copia proprii spiritus ramosi*. Hic *fluor à concussione* partium oritur, ut *capsulæ ramosæ salia* abscondentes mutua allisione *rumpantur*, è qua ruptura *salia* dein prosiliunt, quæ *materiâ ætherea circumflua* (ex illa agitatione *vehementius mota*, ibidemque sese insinuante) tanquam fœtus recens utero exclusus dein vescuntur, unde *tumefactio*: quoniam vero diversis in locis *premuntur ab exuviis depositis*, illas *de loco trudere* satagunt; exinde subsequitur *motus intestinus*; nam sat trita est vehemens externa *agitatio vasorum*, ad *motum* illum *internum* acquirendum tali artificio, ut *collisionem* illarum *partium* promoveant &c.

Non

Non levi momenti *morbus è vino oriundus* hic nobis ſeſe offerret, ſi medicam rem tractare animus eſſet; ſaltem per tranſitum dicemus, nondum ſatis liquere, *morbos, è vino* largius ingeſto oriundos, *à mero acido* derivari: neceſſario enim illi in eoſdem inciderent, qui *Aceto* abuſi fuiſſent; at vero potius in *cachexiam*, ſimilemque morbum *chronicum* incidunt à *ſpiritibus* noſtris alteratis, per illam miſcelam *vitiatis*, ac *humoribus incraſſatis*, *coagulo* nimio inducto, ut quotidie obvium in praxi. Hæc mihi autem *magis credibilis* videtur ſententia, vinum nimium aſſumptum *effluvia* præbere tenerrima *acida*, ad nutum ſuum rapientia *tenuioris* indolis *ſuccos*, in machina noſtra exiſtentes, principes operationes in œconomia illa exercentes. Hinc motum *fluidorum* ſua agitatione *accelerant*, fortius liquida propellunt, *fugamque ſubtiliſſimarum particularum* per diaphoreſin auctam promovent, ita ut tandem alio partim modo diſpoſitus, partim depauperatus reliquus humor ab *acore* vinoſorum *ſalium* fixior, *acrior*, & rigidior factus, pungere & vellicare ſoleat, prout ſentiunt illi, qui *heſterna crapula* detinentur. In eodem etiam *motu* (ut in omni *reactione corporum* fieri ſolet) plurimæ *terreſtres ſalinis implicitæ* deponuntur ad *extremas partes*, in quibus dein *morbus domicilium* capit. *Lymphaticos* & ſeroſos humores tum præcipue invadi credibile eſt ob faciliorem in *viſcoſo-ſalinorum* corporum particulas *ingreſſum*, earundemque *faciliorem ad motus inteſtinos propenſionem*, quam *ramoſorum*. Huic ſententiæ tanto facilius aſſentimur, quoniam videmus, à *pauca quantitate* ſalini acidiuſculi *fermenti*, aliorumque *motu* tenui ac agili præditorum corporum *integram ſæpius maſſam* immutari, in hunc vel illum *odorem* & *ſaporem*: ſic *acidum* fermentum *acore* inficiet, *volatile tenues* & *raras reddit* particulas &c.: quod Piſtoribus, Cereviſiariis &c. familiare.

Vermium productio *in aceto*, *à* craſſiuſculis *coagulis*, *ſale* tenuiori refertiſſimis, arctius attamen per illud tempus retentis, ac à *motu nimio*, ut & à *fluore validiori* cohibitis, incipit; ubi *ovula*, ſeminii minimi inſtar ibidem deliteſcentia mediante motu blandiori excluduntur, *nidulis* illis viſcoſis undique circumſepta. Nam vix ullus liquor *aquoſus* eſt, qui non myriadibus *animalculorum* ſcateat, unde poſtea alia atque alia inſectorum & vermium genera producuntur. *Coagulum* autem requiritur, ut *à liquore fermentante* tueatur *ſemina*, vel *ova*, *illi glutini innatantia*, alias à motu illo lædendâ & abripienda: ſæpius etiam fit, ut producti *vermes motui ſpirituum ſalinorum* reſiſtere nequeant, ſed læſionem continui violentam patientes *intereant*. Illi vero liquores, qui *pe-*

nuria spirituum motum debiliorem obtinent, ob crassam stagnationem; plurimis *referti sunt vermibus*, & cito putredinem ineunt &c. sic *vermes* non solum *microscopio conspicuos* obtinuimus, sed in adverso sole sese manifestantes vidimus, in *Aceto calendulato*, ubi in eodem Aceto, super rosas & flores cariophill. infuso, nulli apparebant; erecti autem se vibrabant & *movebant, sed non promovebant*. Sic & jucundo spectaculo *diversas aquas* exploravimus, *è variis locis* allatas, miris & *diversissimis animalculis* refertas. Vix autem credibile est, *omnes* in iis liquoribus *figuratas particulas*, in *motu* existentes, *nomen animalculorum vel insectorum* mereri, quoniam *terrestres particulæ* liquori innatantes *sua figura* densiori præditæ existunt, quæ per motum hic illic propulsæ *umbras* figuratas repræsentant; quæ postea *illo titulo* nobis obtruduntur &c.; Sed de hisce satis; jam ad *ipsas operationes* properabimus, quoniam plurima adhuc dicenda restarent *de actione acidi in nostris humoribus, de concoctione ventriculi, de motu cordis per ætherem, sale præditum tenuissimo acido-sulphureo, de exaltatione nostri sangvinis, ut & plerorumque corporum*, quæ omnia tædium forsan *Lectori Chymico* afferrent.

Acetum destillatum.

℞. *Aceti Vini acerrimi q. v.*

Destillentur per cucurbitam stanneam serpentinæ ejusdem notæ annexam; primus, qui procedit, liquor cum sit phlegmaticus, seorsim excipiatur, secundum liquorem reserva, cavendo tamen, ne ad siccitatem usque proliciatur liquor; sic enim empyreumatico odore inficeretur; quantitas autem residua in cucurbita debet esse circiter octava pars.

NOTÆ.

2. Si *minor copia* liquoris abstrahatur, tantò *minor metus adustionis*; reliquus autem liquor per *retortam vitream in arena* positam ulteriùs evocari debet.

2. Cui deest *cucurbita stannea*, idem efficere potest per *cucurbitam vitream, alembico munitam, cui serpentina stannea* fuerit *annexa*; brevissimè enim hac methodo operatio perficitur. Vanus est metus de *corrosione stanni*; nam vix ac ne vix quidem aliquid deradit. Exemplum *nuperrimi Scriptoris* de *vesica cuprea & serpentina*, plane per *unicam destillationem Aceti perforatis*, phlegma merum fundentibus, inter *miracula* hodierna, aut *nugas* aniles referri debet; quod facile norunt ii, qui *cri-*

stal-

ſtallos viridis æris in magna copia conficiunt, *Acetum hoc modo*, ut ſumtibus & labori parcatur, ſibi comparantes. Verum nullis ſuadeo, ut per *inſtrumenta cuprea* hæc agant, cum Venus ſit meretrix è *mari* orta, omnibuſque *ſalibus* ſeſe facile copulans.

3. Liquor *primus phlegmaticus* eſt, *quarta circiter pars* liquoris primò egredientis; quoniam verò *acido volatili* ſcatet, non planè *inutilis* eſt, ſed & aliis operationibus inſervire poteſt, ut *ſaccharo Saturni* conficiendo, & *aquis ſudoriferis* inde deſtillandis.

4. *Spiritus è fœcibus* reſiduis per retortam prolectus, eſt *multo fortior*, ideoque facilius diſſolvit metalla, mineralia & ſimilia.

5. Acetum illud deſtillatum *ſalibus aliis* impraegnari poteſt, & *acui*, ſi ſuper eadem cohobetur.

6. Reſiduum magma poſt omnem deſtillationem *criſtallulos præbet tartareas*, quoniam *Acetum* ipſum non aliunde conflatur, niſi è particulis *tartari*, antea ramoſis capſulis *incarceratis*.

7. Hoc *acore mortificato*, *ſpiritus* denuo in lucem prodeunt *inflammabiles*, vinculis ſuis exuti & liberati, ut in *ſp. Saturni* ardente &c. poſtea patebit.

Vires.

Operationibus plerumque Chymicis inſervit, inſuper ſudores movet, & cum aliis mixtum liquorem præbet alexipharmacum, in febribus malignis magni uſus. Inſuper inſervit mixturis ad faciliorem diſſolutionem pulverum additorum. Doſis à ℈j. *ad* ℥ß.

Acetum Philoſophorum.

℞. *Cryſtallorum Veneris ex ærug. pp.* ℔j.
Sulphur. vivi ℥vj.
Alum. uſt. ℥iiij.
Alcohol Vin. ſubtiliſſ. ℥iij.

Mixta digere in MB. per 2. dies, dein deſtilla lente ex arena; ſic præcedit ſp. Vini, ſubſequente ſpiritu Aceti fortiſſimo.

NOTÆ.

1. Hic liquor eſt ſp. Aceti, *ſalibus acidis ſulphuris & aluminis auctus.*

2. *Iterata deſtillatione* à *floribus ſulphuris*, in prima operatione aſcendentibus, *liberari* debet.

3. Sp.

3. Sp. Vini ſubtiliſſimus additur ad *volatiliſationem* promovendam; qui *removeri* poteſt ante deſtillationem ſp. acidi mediante BM.; ſic enim aſcendit *relicto acido fixiore.*

4. Spiritus hic valde *ſulphureo odore nares* afficit ob *ſulphuris halitum* admixtum.

5. Loco aluminis uſti addatur *caput mortuum lapidis hæmatitidis*, reſiduum poſt florum ſublimationem; ſic obtinebitur ad plures, & quidem *differentes*, actiones liquor, metallis ac mineralibus ſolvendis ac præparandis aptus.

Vires.

Menſtruum hoc magni apud Chymicos æſtimatur in ſolutionibus & tincturis mineralium & metallorum.

Spiritus Nitri.

℞. *Nitri puriſſimi* ℔iv.
Argillæ opt. exſiccatæ & pulveriſatæ ℔viij.

Mixta infundantur cacabo ferreo, alembico terreo-vitreato inſtructo, deſtillentur igne nudo in recipiens capaciſſimum; ſic primò prodibit Spiritus volatilis intenſe ruber, ſecundò Spiritus albicans phlegmaticus, tertiò Spiritus rubicundus inſtar ſangvinis, cruor ſalamandræ dictus: Spiritus hoſce, ſi lubet, ſeorſim excipe, vel deſtillatos rectifica.

NOTÆ.

1. Loco argillæ *bolus*, *alumen uſtum*, & *caput mortuum vitrioli* recipi poſſunt.

2. Sunt, qui primo, *non lutato recipiente*, omnem avocant *liquorem phlegmaticum*, poſtea, *juncturis firmiter annexis*, deſtillationem abſolvunt: verum, quoniam hoc modo facilè *quantitas aliqua ſpiritus* perit, & liquores præcedentes volatiles & *phlegmatici non planè* ſunt *inutiles*, ideo illam methodum rejicimus.

3. Eadem operatio *per retortam* fieri poteſt; verùm cum fiat *jactura retortæ*, & ſæpius illa *frangatur*, antequam deſtillatio fuerit peracta, ſubſtituimus *ferream ollam*, quæ *majorem Nitri deſtillandi copiam* recipit; cui vero quantitas illa *nimis magna* eſt, in *minoribus vaſis minori cum emolumento* idem facere poterit. Mediante *aqua* omnis materia reſidua elixiviari poteſt deſtillatione peracta.

4. Unde Nitri Spiritus *rubicundo* procedat *vapore*, plurima inter Autho-

thores eſt diſceptatio; nos illius originem *moleculis per aerem* diſperſis, *in corpore ſalino exceptis*, ibidemque retentis, deberi autumamus. Moleculas autem illas *ramoſæ* eſſe naturæ, vel ſaltem *ad ramoſam accedentes naturam*, plurima arguunt experimenta tam in *productione naturalium*, eorumque cohæſione, quam *congerie earundem in nubibus excepta* per fulgura & tonitrua diſplodente. Negamus autem, particulas *Nitroſas in aëre ſubſtantialiter* contineri, ſed illas tantùm *in terra* produci ab aliis ſalibus *ſequenti modo*; *Salis communis* particulæ interventu aliorum corporum *terreſtrium à ſe invicem diviſæ*, & quaſi *aperto ore hiantes*, *aërem circumfluum*, *plurima materia ſubtili radiorum ſolarium*, in moleculis illis latitantium, *impregnatum*, in maxima copia *admittunt*: unde ſenſim humido proprio adjuvante quaſi *inteſtinam expanſionem & agitationem* ineunt, ſenſimque illis particulis in ſufficienti quantitate aſſumptis, magis extenſam & *mobilem* naturam adſciſcunt, unde poſtea Nitrum. Hinc facilè ratio patet diverſitatis Nitri: quo enim *ſubtiliores*, & *in majori copia* moleculæ ibidem in *ſale* excipiuntur, ut *motum* & *expanſionem majorem* illi præbere poſſint, eo *ſubtilius*, & *purius Nitrum* evadit. Non mirum igitur, quod in locis *frigidioribus* ob craſſitiem illarum molecularum, & *radiorum ſolarium debilem exceptionem* vilius Nitrum prodit, quam in regionibus *calidis*; imo ſæpiùs obſervatur, *mediam tantum partem ſalis* converſam in *Nitrum*. Nihil autem ad nos facit objectio, quod *Nitroſo quaſi ſale* integri campi conſperſi videantur matutinis horis, ut illud admitteremus, *è ſolo aere* profectum ſuperficiem terræ obduxiſſe, quoniam, ut *in rore* diximus, plurimæ inſunt particulæ *ſalinæ* illis *moleculis*, ut & in genere *omnibus* corporibus *ramoſis*; hæ facilè inire poſſunt cum effluentibus particulis *ſalinis terræ* ibidem jam *præexiſtentibus*, conſortium, ut *Nitroſa* exinde *mixtura* aſſurgat. Illud patet è *productione* illius; ea enim loca, quæ *ſale fixo vel volatili* imprægnata ſunt, tractu temporis *aëreo* mediante *ſalino motu Nitrum in copia* producunt, ut latrinæ, animalium ſtabula &c. ſic & è *ſale communi* cum calce & urina calcinato & mixto, prodit *ſal Nitrum* &c.

5. Spiritus hic, etiam particulis *ramoſis ſubtiliſſimis imbutus*, *non deflagrat*, nec, ſi junctus ſit *ſulphuribus denſioribus mineralium*, *Primo*, ob *tenuitatem* ſuarum *partium* facile avolantium. *Secundò*, ob *aquoſas plurimas particulas*, quæ quamvis conſpiciantur in omni *igne*, præcipue è *corporibus denſioribus* conflato, ubi *tubulos* illorum *dilatat*, ut recipiant *aëris* circumflui *materiam ſubtilem*, & ſic rarefacta *flammam* evomant,

quæ *cessante aqua* etiam desinit: ut patet in carbonibus fossilibus &c. attamen in *salibus fluidis in majori copia* existentes maximè sunt *noxiæ*; nam illorum salium *aciem* nimis *diluunt* & inflectunt, aut unionem & *coalitionem corporum*, sibi invicem occurrentium, impediunt. *Inflammabilitas* autem ejus redit per *salem fixum*, quo mediante *fluiditas* ejus infringitur, & *aqua*, tanquam in capsulis illis rigidis reclusa, ventiformi valida explosione eliditur disjunctis earum particulis; ubi ècontra in *fluido spiritu* particulæ *aquosæ unita quasi vi sal sulphureum* ambientes, illud suffocant, & *à flammâ* cohibent.

Vires.

Refrigerat, sitim lenit, bilis effervescentiam tollit, urinam & calculum promovet, febribus ardentibus medetur. Dosis à gutta j. *ad guttas* IV. *Insuper menstruum est sat famosum in Chymicis operationibus.*

Spiritus Salis communis mediante Oleo Vitrioli.

℞. *Salis communis* ℔j.
Dissolvatur in ℥xx. Aquæ, dein adde
Olei Vitrioli rectificati ℥v.
Destillentur simul per arenam ad siccitatem usque; spiritus exceptus dephlegmetur, vel iterato super recens sal commune destilletur; sic efficacior, & in majori quantitate prodit, quasi essentificatus.

NOTÆ.

1. Hic spiritus continuè *augeri* potest iteratis destillationibus *super Sal commune solutum* mediante aqua communi.

2. Eodem etiam modo *Spiritus Nitri*, ut Spiritus Salis, destillari potest: verùm *paucissimam spiritus flavescentis copiam* præbet.

3. Si *sal commune* decrepitatum misceatur cum duabus vel tribus partibus *colcotharis vitrioli, spiritum* edit *continuò fumantem*. Causam hujus *effectus* aliquis assignat *animæ nitri & salis communis*, quam ego fateor me ignorare, utpote *salibus* tale quid *assignare non edoctum*. Pernotum autem mihi est, *salia*, sua *terra graviori* & *aqua potiori* liberata, *motui ætheris* facillime parere, & *fugam* tentare, qui motus retardatur, vel tollitur accessu *aquæ*; eodem modo ut *ignis* extingvitur per nimiam affusionem ejusdem.

4. Oleum vitrioli particulis se insinuat *terrestribus Salis* communis, & *effer-*

& effervescentiam blandam init, unde cœteræ *fluidæ leviores salinæ* particulæ *sui juris* factæ, per expulsionem illam facilè consortium ineunt cum *aquoso* vehiculo. Ab hoc *nullo modo separari* potest, *nisi* interventu corporum *graviorum & terrestrium*, quibus particulæ *salinæ adhærentes*, leves & glabras *aquæ* particulas in altum avolare sinant: unde *restans corpus siccum terrestre salinum*, *motui vehementissimo* objectum, *salibus liberum egressum permittit sequenti* methodo:

Spiritus Salis concentratus.

℞. *Spiritus Salis comm. q. v.*

Superfunde *Lapidi Calaminari*, coquantur leviter, ut calore mediante tantò citiùs particulæ salinæ saturentur; solutionem, per subsidentiam clarificatam, evapora ad siccitatem. Pulverem hunc inde retortæ, dein secundum artem destilla igne nudo, eodem nempe, qui pro oleo vitrioli requiritur. Sic obtinebis spiritum fortissimum, ob unctuositatem, seu potius ob proximitatem salium & terræ, non multum separatorum à se invicem per aquam, oleum Salis dictum.

NOTÆ.

1. Sal commune facile *princeps* est *salium*; ex eo enim, tanquam ex fonte, cœtera derivantur. Nam prout salia *terram recipiunt & dimittunt*, ut *idem* sæpius *sal diversissima corpora* successive *admittat*, *coloremque*, *saporem*, & *odorem mutet*, sic *hoc Sal* omnibus fere sufficit *alterationibus*, quod experimentis demonstrare facile esset, nempe, quomodo per *mixturas & motus diversos*, nitri, sulphuris vulgaris, salis volatilis, & fixi naturam induat; ita ut hoc modo *ratione summi usus generale Sal* dici possit. *Originem* suam videtur assumpsisse *è duplici materiâ salina*, fixata nempe, concentrata, & *irretita* in *terræ* arenosæ vel rupeæ *poris & meatibus*, & è *materia fluida*, sui adhuc juris existente, quæ duæ sibi invicem occurrentes, in mutuum amplexum ruunt, posteaque retentæ *firmæ & rigidæ* permanent. Materiam dari *fixiorem*, *austeram* & *concentratam in terra*, evincunt plurima experimenta, ut *argillæ* variæ species, quæ præbent *sal volatile* mediante destillatione, *arenæ* masticatæ, quæ *salsum* aliquem *blandum gustum* lingvæ communicant &c. *Materiam* autem *fluidam* intelligo præcipuè *halitus* esse *subterraneos acidos*, qui ad exteriorem *terræ* superficiem, ubi plurima *salia fixata* hærent, protrusi, illis uniuntur; ad *externam* vero *faciem terræ* expulsa salia ulteriùs, mediante *aëris motu*, vario modo *alterantur*, ut in nitro dictum. Particulæ *ter-*

terrestres, quæ *intermediæ salibus* hisce jacere solent, plerumque sunt *arenosæ* vel *lapideæ*: *Arenosæ* replere videntur *sal commune* dictum, *lapideas* particulas *sal gemmæ* subintrare probabile est.

2. Ab *additamentis*, in destillatione salium quorumcunque adhibitis, *variant* eorundem *Spiritus*: sic *non easdem vires* obtinebit spiritus ille cum bolo, terra sigillata, argilla, colcothare & similibus destillatus, *neque in eadem quantitate* eruetur. Sic & *spiritus recenter destillati alias* sæpius edent *operationes* interne assumpti, vel in operationibus Chymicis adhibiti, quàm illi, qui *per tempus aliquod* confecti fuerint. Motus enim *velocior*, recentibus spiritibus à materia subtili communicatus, illas partes *vehementius impingere* facit in alia quævis *obvia* corpora, imo *abrasæ* per illum *motum* tenuiores particulæ, *temporis tractu* fugam tentantes *evanescunt*, sale minus spirituoso derelicto.

3. Eodem modo *omnia acida concentrari* possunt, si in *convenienti terra* minerali, ex: gr. bolo, terra sigillata, ferro, cupro, &c. absorbeantur, posteaque evaporata destillentur, verum sæpius *fugacissima* evadunt.

Vires.

Spiritus Salis vulgaris refrigerat, sitim extinguit, urinam pellit, bilem compescit, & ardores mitigat. Dosis à guttis ij. *ad guttas* viij. *Spiritus concentratus metallis solvendis inservit, aliisque usibus Chymicis.*

Aqua Fortis.

℞. *Nitri partem unam.*
Vitrioli Goslariensis partem unam semis.

Mixta infundantur ollæ ferreæ, alembicô terreô instructæ, cui rostrum latissimum adsit, recipiens terreum satis amplum ei annectatur; oblinantur omnia firmissimô lutô ex argillâ, arenâ, & calce, invicem optimè mixtis, fiat destillatio secundum artem, auctô sensim ignis gradu ad summum usque; recipiens autem continuò humectetur aqua frigida, ut eo magis vapores condensentur. Refrigeratis omnibus liquorem exceptum usui asserva.

NOTÆ.

1. Ut periculum præcaveatur *nimis impetuosè procedentis spiritus* volatilis, *rima* in orificio recipientis circa *connexionem rostri* alembici permittatur, donec *impetus* maximus cesset, qua deinde obducta detur *ignis ve-*

vehementior tamdiu continuandus, donec recipiens vas *frigefiat ſponte*, quod ſignum eſt *deficientium* vaporum. Loco *fiſſuræ*, melius *in ſuperiori extremitate terrei recipientis foraminulum* conceditur, facile poſthac obturandum.

2. Tantum *ſpiritus* obtinetur, quantum *nitrum* antea ponderavit; evehit nempe particulis ſuis *aquoſis nitroſa ſalia* vitriolum, & mediante *acido ſuo fixiori* vincula *ſalium fluidorum* reſerat, præcipuè, ubi *corpuſcula graviora terreſtria* illorum ſalium, mutuos meatus *occludentia*, *fluidis* illis antea contentis *locum* ulterius denegant, poſtea in altum *vehementiſſimo* illo *motu* liberata aſcendunt; eodem fere modo, ut *ſalia fixa* à compedibus ſuis liberare ſolent *ſalia volatilia*, *tam alcalia*, *quam acida*.

3. Eadem *Aqua Fortis*, ſed fortior, *cum vitriolo calcinato* obtineri poteſt, at *in minori quantitate* prolicitur ob defectum *phlegmatis vitrioli* jam evaporati: ſic & *addito alumine uſto*, non alumine crudo, obtineri poteſt. *Differentia* autem plurima inter has Aquas conſpicitur, hiſce *additamentis diverſis*, præcipuè circa *colores & alia phœnomena*, quæ illis mediantibus menſtruis producuntur.

Vires.

Menſtruum ſat famoſum in Chymia exiſtit, præcipuè in Metallurgia & Arte Tinctoria; inſuper ſpiritus nitri vices ſupplere poteſt, cum parva inter hanc & illum ſit differentia.

Ex hac *Aqua Forti*, *Aqua Regia* confici poteſt *ſequenti methodo*:

Aqua Regia cum & ſine deſtillatione.

℞. *Aquæ Fortis* ℔j.
Sal. comm. ℔ß.
Ammoniaci ℥ß.

Mixta deſtillentur in retorta vitrea per arenam, ad ſiccitatem uſque. Sic prodit Aqua Regia, aliquo modo ſemper fumans, ideoque rite in clauſo vaſe reſervari debet. Sine deſtillatione fit *ſeq.* modo:

℞. *Aquæ Fortis* ℥iiij.
Sal: Ammoniac. ℥j.

Mixta ſolvantur invicem, & liquor flaveſcens, à fœcibus decantatus, uſui reponatur.

NOTÆ.

1. Hæ præparationes & additamenta variant *Aquam*, ejuſque *actio*, & utplurimum *qualitas immutata* conſpicitur; ita ut non extempore quis credat, ſe *eadem* poſſe perficere mediante *hac vel illa præparata Aqua*; nam ab *admixtis ſalibus* & *methodo procedendi*, *aliam* qualitatem, & *vim agendi* illas *Aquas* ſuſcepiſſe ubique operationes demonſtrant. Ut brevi illud *experimento* demonſtremus, ſufficiat nobis *Aquam deſtillatam Regiam* examinaſſe, quæ *cum ſale communi* è retorta propulſa *fœces* ſalinas *nitroſas*, imo *nitrum inflammabile* relinquit, ſigno veriſſimo, quod *Aqua fortis nitroſis*, ſed *non vitrolicis*, ut aliquis garrit, gaudens ſalibus adhæſerit *ſalis communis particulis*, eaſque totaliter fere *immutarit*, unde in altum elevatæ particulæ in *ſpirituoſam ſalis communis naturam* degenerarunt.

2. Cum *ſale communi ſolo* etiam deſtillatio fieri poteſt; additur autem *ſalis ammoniaci parva quantitas*, ut eo magis impprægnetur & *acuatur*. Si vero deſtillatio ſæpius repetatur ejuſdem *Aquæ ſuper ſal commune*, ſic planè in ſpiritum ſalis communis abit, *fixato*, & *non volatiliſato*, *ſulphure nitri*, ut ſupra memoratus vult. Hinc non mirum, quod ſæpius Tyrones, & alii, *ad has rationes & circumſtantias non attendentes*, *infelicem* obtineant experimentorum *ſucceſſum* circa varias operationes, ut in auro fulminante & ſimilibus, cum à *defectu nitroſi ſalis* jam immutati, ille oriri ſoleat, veluti poſtea demonſtrabimus.

3. Deſtillari etiam poterit fortiſſima *Aqua Regia ſeq:* modo:

℞. *Vitrioli, ad albed. calcinati*, ℔v.
Nitri,
Salis comm. ana ℔iß.
Ammoniaci ℔ß.
Aluminis uſti ℔ij.
M.

Deſtillentur igne nudo per cacabum ferreum, vel per retortam terream, accuratiſſime obſervatis ignis gradibus: nam in principio valde lente eſt procedendum, fugaciſſimus cum ſit ſpiritus.

Vires.

Dicitur Aqua Regia, & lavacrum minerale ſolis, quoniam præcipue pro ſulphureis mineralibus, & auro ſolvendo inſervit.

Quare autem *Aqua Regia aurum*, *Aqua Fortis argentum* diſſolvat; hæc

hæc mihi videtur esse ratio; quoniam aurum *poris angustioribus*, *irregularibus*, & magis intricatis, & *superficie sat levi* constat, in cujus texturam *non adeo facilis* patet *ingressus*, unde instar juncorum inflectuntur particulæ fluidæ. Compositæ autem particulæ salinæ mediante sua majori *rigiditate* unita quasi vi, fortiori cum impetu *superficiem lædunt*, & viciniam particularum deturbant. In *argento* verò videtur esse alia dispositio pororum & meatuum, quæ *salium longiorum & rigidiorum* naturam respuunt; credibile est autem, in *menstruò regio meatuum & interstitiorum* esse majorem *penuriam*, ita, ut vix sufficiant *particulis oblongis & planis argenti* recipiendis, & retinendis. Non minimi etiam ponderis *ratio* est particularum *terrestrium* in diversis *salibus varia textura & figura*, quæ cum *proportionatæ* non sint *meatibus* & *tubulis corporis solvendi*, *ingressum* ibidem *nullum* obtinere possunt *salia* terræ suæ arctius unita. Ex hac *mixtura* enim *salium diversitas* inquirenda est, ut ubique fere in hoc Tractatu inculcavimus, & præcipue in *differentia Aquæ hujus Regiæ*: Ubi igitur *immutata* vel *depressa* sunt hæc aut illa corpuscula *terrestria*, experimentum *successo fido infidove* in campum prodit. Prout *Aqua Regia sulphureis* & ramosæ texturæ *mineralibus* & metallis convenit; sic *Aqua Fortis nulla unctuosa* vel ramosa *attingit*, sed illæsa in ea perstant, imo sæpius *duriora* evadunt ibidem detenta corpora, quamvis & præparari queat, ut illa ramosa *discerpat* & lædat.

Oleum Vitrioli.

℞. *Vitrioli Anglici, vel cujuscunque aliùs Martialis*, ℔viij.

Evaporetur ad siccitatem usque, donec levem flavedinem acquirat, dein pulverisatum indatur retortæ latissimi orificii superius descriptæ. Destilletur per furnum reverberii, adhibito recipiente valdè capaci, sic spatio octo horarum obtinebis Olei Vitrioli uncias xxx. quod, si libet, rectificari poterit.

NOTÆ.

1. Si Vitriolum non bene fuerit *evaporatum*, *lentè* procedas memento, quoniam facilè disrumpuntur *vasa à phlegmate & spiritu volatili* primò prodeuntibus; augetur etiam *quantitas liquoris* vel minuitur, prout nimirum *calx Vitrioli* ritè fuerit præparata *exhalatione minori vel majori* adhibita.

2. *Orificium* retortæ sit *capax*, & *venter* inferior *non nimis altus*; aliàs enim ob gravitatem & *ponderositatem illius salis fluidi*, multò longius requiritur *tempus* ad destillationem peragendam.

3. *Vi-*

3. *Vitriolum Veneris* multò *minorem* copiam *olei fundit*, *majorem spiritus*, quod *contrarium in Vitriolo Martiali est*. Quale autem sit illud *Vitriolum*, quod ex lacte ebutyrato, aceto, muria, pomis, pyrisque construitur in *Anglia*, prout in sua vita *Chymicus Observator*, sibi & suis tantum sapiens, conscribillavit, me latet. Forsan *poma conscissa*, similibus acidiusculis liquoribus conspersa, *in aëre postea flavescentia*, pro *Vitriolo* aliis obtrudere conatus fuit.

4. *Olea salium sunt salia fluida concentrata*, id est, maxima parte *phlegmatis* sui orbata, unde particulæ *salinæ* sibi invicem incumbentes, *ponderosam*, & quasi unctuosam constituunt materiam. Hæc *Olea* in *spiritum* facili modo reducuntur, si *vehiculum aquosum* ipsis admisceatur mediante *destillatione sequenti methodo*:

℞. *Olei Vitriol.* ℥j.
Aquæ communis ℥iv.

Destillentur in arena per retortam vitream, sic primò prodibit phlegma, secundò sp., in fundo subsidebit Oleum grave, tertia vel quarta sui parte diminutum; sic repetitis destillationibus & affusionibus ejusdem phlegmatis abstracti, omne Oleum in spiritum converti poterit.

5. Oleum hoc plerumque *flavum* prodit, si verò leviter rectificetur, *rubrum* evadit, omni verò abstracto phlegmate & spiritu, *limpidum* relinquitur *valde ponderosum*.

6. In rectificatione primo procedit *spiritus volatilis valde sulphureus*, qui exceptus & *conjunctus sali* volatili, egregium *præbet antepilepticum*. E *Vitriolo Veneris gratior* procedit *spiritus*, quam è *Vitriolo Martis*.

7. Signum *bene destillati Vitrioli* est, si materia remanens sit *levissima & planè insipida*, *nullumque sal in elixivatione* dimittat.

8. Falsum est, quod plurimi ventilant, *Vitriolum*, *omni oleo & sale orbatum*, denuo *ab aëre revivificari*: si enim hoc contingat, fit ratione *salis residui in colcothare*, quod *aëris humido* diluitur, atque foras propellitur; sic manifestum *sal Vitriolicum* antea latitans sese conspiciendum exhibet, alias, nil nisi *sal leve nitrosum aëreum* obtinetur.

Vires.

Oleum hoc est causticum, *dissolvendis metallis*, *iisque in Vitriolum reducendis aptum*, *ut & ad sulphura mineralium*, *quorum fluidum est specificum*, *extrahenda & producenda*, *ut postea in sulphure antimonii apparebit*. *Spiritus ejus refrigerat*, *bilis effervescentiam compescit*, *urinam promovet*. *Dosis Spiritus à gutta una ad guttas v*. *Dosis Olei interna ad guttam unam vel alteram in vehiculis.*

Oleum Sulphuris per campanam.

℞. *Sulph. communis q. v.*
Liquefiat in olla terrea vitreata, donec ſponte flammam concipiat, liquefactum ſuppone campanæ vitreæ non nimis latæ, ſecundum artem diſpoſitæ, cum recipiente vitreo, vel terreo vitreato: Ardeat, donec totum deflagraverit Sulphur, interea aliquando ſpatulâ ligneâ agitetur materia, ne cruſta obducta flammam deneget, & in locum deflagrati Sulphuris recens ſemper ſubſtituatur pulveriſatum liquefactum, hoc tamdiu continuando, donec ſufficiens quantitas Olei vel Spiritus adſit.

NOTÆ.

1. Si *bene* fuerit *diſpoſita* olla, & *campana bonæ notæ*, obtinebis unciam ſemis, vel drachmas ſex *Olei Sulphuris* è libra una.

2. Pro *diverſa Sulphuris qualitate*, differet etiam *quantitas Olei*; ſic è Suecico, quam ex aliis, majus elicietur pondus ob vitriolicam ejus naturam, magis ſalibus fluidis imprægnatam.

3. Si *aëris ventilatio libera* reliquantur, magis ardebit Sulphur; negato enim *aëre* ſuffocatur, & extingvitur *flamma*, ideoque eo modo campana collocetur, ut *aër libere* ingrediatur, ita tamen, ut nullum *diſpendium* nimium procreetur *halituum*, unde in loco quieto operatio fiat; alias enim cito pereunt *vapores*, aëreo motu rapti, & non condenſantur.

4. Pro *diverſitate campanæ* variat quantitas & qualitas *Olei*; ſic è *campana magna* paucum, ſed fortiſſimum nigricans prodit *Oleum*; *è vitris minoribus*, in campanæ modum inferius diſſectis, in majori prodit quantitate leviter flaveſcens; in *campana noſtra*, *limbo & roſtro* prædita, prodit flavum, & in maxima quantitate.

5. *Nebuloſa* & *pluvioſa* cœli temperies huic operationi conducit, & *condenſationem* majorem halituum efficit: ſed *Aërem* illum *humidum* ad *multò majorem* quantitatem *Olei* recipiendam conferre, experimentis non eſt conſentaneum; quamvis ſal'æ fluidæ particulæ *plurimum phlegma* ex aëre admittant, *nullum* vero, vel pauciſſimum *ſal*. Itaque *ſpiritum*, *non Oleum*, *in majori quantitate* recipit Artifex, ut in Oleo vitrioli in ſpiritum convertendo demonſtravimus.

6. Oleum hoc *rectificari* poterit eodem modo, ut oleum vitrioli, *in aquam*, *ſpiritum & oleum*, &, quod etiam in vitrioli oleo obſervabile,

cum proprio ſpiritu *oleum calorem ſummum* concipit, ſibi invicem ſi *denuo permiſceantur*, ut calx viva *aquæ* affuſione *in calorem* redigitur: cujus ratio videtur dependere è *condenſatione*, *vel reſeratione pororum* & *meatuum*, *aëream* materiam admittentium vel propellentium. In pleriſque ſuis *viribus* & *actionibus* videtur *cum oleo vitrioli* convenire, ita ut vocari poſſit *Oleum vitrioli ſimplicius*, quod *particularum metallicarum* eſt expers, *qua ratione tantum* à ſe invicem differunt.

7. Oleum illud *acidum* ibidem *actu incluſum* fuiſſe particulis, ſeu capſulis ramoſis, *non* vero *productum* eſſe ab alia quacunque materia, demonſtrant *ſequentia*: *Primò Sulphuris* ipſius naturales *actiones circa metalla*, & ſimilia, quibus ſi pulvis inſpergatur, *æruginem* inducit, & *circa colores varios in Arte Tinctoria*, ubi acidi vices ſæpius ſupplere ſolet; *Secundò* idem demonſtrat omne *Sulphur artificioſum*, *è mineralibus*, vel aliis quibuſcunque *ramoſis* confectum; ſic fit ex oleo vitrioli & antimonio *Sulphur inſtar Sulphuris communis*, ut & ex oleo terebinthinæ & oleo vitrioli, mutuo amplexu junctis. Idem & *plurima alia experimenta* demonſtrant; imò in *omni inflammabili ſolido* quoddam exiſtere *acidum*, modo *levius*, modo *gravius*, plurima, ſi non dicam, *omnia experimenta* evincunt. Particulæ enim hæ *fluidæ* ſcindenti & *acuta* ſua *acie*, *tubulos* irregulares, & *meatus* denſiores *ramoſorum* corporum dividunt, ut *aëri ingreſſus* ibidem pateat, *expanſionem*que admittant *in igne*. Multum autem *variant* hæc *acida*, ideoque *non in omnibus idem phœnomenon* conſpicitur: quò igitur *fixius & gravius* eſt *acidum*, eo *major penetratio* & copioſior *deturbatio ſalium* antea contentorum; quò *levius & volatilius*, eo *minor actio* ejuſdem, & *tota* ſæpius *intricatio* obſervatur, *deſtructa*, corrugataque per *præcipitationem* parte *potiori ramoſa*, ut in animalium & vegetabilium *ſulphureis cum acido jungendis* particulis conſtabit.

Vires.

Refrigerat, bilem compeſcit, febribus ardentibus & ſiti convenit, urinas promovet. Doſis à gutta una ad guttas iv.

Ut magis *ventriculi* noſtri *lymphæ* acidiuſculæ tenuiori aſſimilentur *acida*, alias nimiam præcipitationem & coagulationem efficientia, *menſtrua temperata* ſibi excogitarunt Medici *Chymici*, quæ *nec volatili nimis ſulphure nec acido corroſivo fixiori* abundarent. Eodem modo igitur, ut ſalia *ex acidis alcalia volatilia ſolida* fiunt per continuam *colliſionem*, & *imminutionem* ſuorum *punctorum* in ramoſis levioris texturæ

particulis; sic, hæc *acida* ut reddantur *fluida volatilia*, *fermentatum ardentem* requirunt *spiritum ramosum*, ut leviorem subeat in *particulis magis dilatatis*, jam *levissimo volatili acido* instructis, *immutationem*. Nullus mirabitur *luctam* in hisce confusis liquoribus, nec statim recurret ad *acidi & alcali insufficientem demonstrationem*, si *spirituum acidorum mutuas* agitationes, & sudoriferas *pugnas* viderit, illasque æqua lance perpenderit. Si quis autem *terræ porositatem*, infinitis modis variegatam, tanquam *causam proximam* respexerit, in cujus *angustiis materia ætherea vario modo* sese exercet, per *secessum* vel *ingressum* aliorum *homogeneorum* vel *heterogeneorum* corpusculorum, illum *non extra veritatis oleam* spatiari credo. Exempla autem *sequentia duo* sufficient:

Spiritus Nitri dulcis.

℞. *Spiritus Nitri summè depurati* ℥iv.
Alcohol Vini ℥viij.

Digerantur simul per sex dies, dein destillentur ad siccitatem, destillatus Spiritus ad usum reservetur.

NOTÆ.

1. *Binis* vel *ternis destillationibus* repetitis idem absolvitur *breviori* tempore, sed mediante hac *maceratione* exactior & *blandior unio* particularum fit, quæ postea *levi destillatione* facilè ulterius coalescunt & maturantur.

2. Quo subtiliores, & *magis dephlegmati* existunt spiritus, eò *melior dulcificatio* eorundem, quæ *aquoso* consortio impeditur: eodem enim modo, ut *ramosa* nimiâ *aquâ perfusa* ardere nequeunt; sic & menstruis *vis agendi* tollitur, ubi *aquâ* debilitata sunt. Signum *optimæ unionis* spirituum est, si in primo concursu *effervescentiam* ineant sat *calidam*.

3. Hæc *dulcificatio* nihil aliud est, nisi exaltatio, id est, attenuatio & *subtiliatio acidi* salis mediante spiritu vini, qui simul suis *ramosis* particulis *aciem* acidi salis infringere & *involvere* solet.

Vires.

Liquor est temperatus, in febribus malignis summi usus ad ardores extingvendos, & fermentum ventriculi adjuvandum. Dosis à guttis ij. *ad guttas* viij.

Spiritus Salis Ammoniaci acidus dulcificatus.

℞. *Salis Ammoniaci* ℥iiij.
Ol. Vitrioli ℥iß.
Sp. Vini rectific. ℥viij.

Mixta digerantur simul in fimo equino per 8. dies, dein destilla trinis cohobiis: sic spiritus prodit penetrantissimus usui reservandus.

NOTÆ.

1. Digestio in fimo equino fit ad *intimam unionem & exaltationem partium* promovendam.

2. Sp. Vini *rectificatum tantum* recipias, ut *phlegmate aliquali* dilutum sal *eo facilius* ascendat, quoniam vehiculi loco inservit.

3. Eodem modo & *sp. sal.* dulcificari potest, cum oleo vitrioli & sale communi.

4. Fit & Spiritus Salis Ammoniaci acidus, è residua fœce, post *sublimationem florum lapidis hæmatitis*, qui cum alcohol Vini misceatur ad edulcorandum.

Vires.

Menstruum est egregium in extrahendis mineralibus &c. *insuper penetrantior est, & majorum virium sp. salis communis.*

Eodem modo *omnia acida dulcificari* queunt, imò &. *oleum vitrioli*, quod hoc modo præparatum egregium existit *refrigerans sat grati gustus.*

CAP. XIV.

De Sublimationibus.

SUblimatio cum nihil aliud sit, nisi *artificiosa pulverisatio Chymica per merum ignem*, rarissimè *secretionem* admittit *particularum*, nisi in valdè paucis. Cum enim *alterationibus* non adeo subjecta sint *sublimanda* corpora, quæ leviter *absque ulla læsione particularum* in altum ascendere solent, illam tanquam *imminutionem corporis* à materia subtili profectam, & *viciniæ* tantummodo *mutationem levem*, respicimus. Quoniam autem hac *rarefactione particularum*, & motu externo accedente, capsulis & *involucris altius* sese abscondunt particulæ, aliàs *nimis scindentes*, ut &, quæ oneratæ particulis *gravioribus*, *terrestribus*, *minori velocitate* gaudebant,

debant, jam à *materia ſubtili* ibidem ſeſe inſinuante, *motus diverſum gradum* recepiſſe credimus, vel præcedentia corpora, *blandiori jam motu* gaudentia, per fugam ſalium corroſivorum *malignam qualitatem* depoſuiſſe pro magna ſui parte videntur. Intentio ergo *Chymicorum* eſt, *corpora imminuere*, & illorum *particulas activas modificare*, & alterare, ut *fluidæ* exiſtentes in illis particulæ, *ſolidis* vel *retineantur* & cohibeantur particulis, vel ut *ſolidorum actiones evehant* & ſubtilient, *ſolido* attamen *permanente* corpore, in pulverem ſubtiliſſimum redacto. *Mineralia* hiſce operationibus *plurimum* inſerviunt, *rarius vegetabilia*, niſi fere in ſola camphora & benzoin, *rariſſimè animalia*, niſi in eorum volatili ſale. *Mineralia* enim ob *denſitatem* & *fluidi privationem facilius* hiſce operationibus parent; ècontra *animalia & vegetabilia*, plurimo *ſucco ſcatentia fluido*, *firmitatem* ſolidam requiſitam *impediente*, & colliſionem à materia ſubtili nimiam admittente ſublimari renuunt, prout *ſequentia* demonſtrant exempla.

Flores Sulphuris.

℞. *Sulphuris vulgaris. q. v.*

Inde ollæ ferreæ, alembico terreo latiſſimo roſtro munitæ, applicetur recipiens, cui in extremitate foramen aliquod adſit, ne particulæ craſſiores aſcendentes quaſi ſuffocentur, & retineantur ab aëre impeditæ, ſed ut liberè aëris (facilè de loco deturbandi) locum repleant, & ſic citiſſimè in magna ſatis copia, ſcilicet in aliquot libris ſingulo die Flores prodeant. Ignis autem, adhibendus in hac ſublimatione, ſit quaſi intermedius, id eſt, qui fere manum ſuper alembicum abſque læſione admittat.

NOTÆ.

1. *Omne* hoc modo *Sulphur* in Flores aſcendit pauciſſimis vel *nullis* reſtantibus *fæcibus*, niſi quatenus *aliqua ſalia fugam in igne* tentaverint.

2. Foramen *in extremitate* requiritur, *non* vero apertura *circa orificium*, quoniam hoc modo *flammam* conciperet *Sulphur*, igne paululum aucto propulſum, ut & *diſpendium vaporum & Florum* admitteret, egreſſum facilem obtinentium.

3. Si *hoc foramen* à Floribus aſcendentibus *obturetur*, *neceſſaria* ejus eſt *apertura*, quoniam alias *vix* Flores aſcendunt; vapores enim *tardius in vaſe clauſo* aſcendunt ob craſſitiem.

4. In principio semper *aqua elementaris aliqua* præcedit, quæ *vel seorsim* excipiatur, *vel post confectionem Florum* ab aliis separetur, sed *præstat separatam excipere*, ne Flores madefiant.

5. Quo rostrum est *latius*, eo *citius* delabuntur Flores in recipiens.

6. Quibus placet modus sublimandi *per ollas*, *super se invicem dispositas*, *eosdem* assequi poterunt *Flores*; *verùm in minori copia* colliguntur, *longiusque spatium temporis* requiritur ad eorum sublimationem, & facilè *pulvis*, *adhærens* lateribus vasorum inferiorum, à calore *liquefit*, unde sæpius denuo decidit, & *magnum incommodum* & *dispendium temporis* accedit.

Vires.

Pectorales sunt, & omnibus thoracis vitiis conveniunt, in peste & febribus malignis summi sunt usus, sudores promovent, & alvum liberam reddunt, aliisque operationibus Chymicis inserviunt. Dosis à scrupulo semis ad drachmam unam.

Flores Lapidis Hæmatitis.

℞. *Lapidis Hæmatitis subtilissimè lævigati* ℥iv.
Salis Ammoniaci exactè pulverisati ℥viij.

Misceantur per quadrantem horæ in mortario vitreo vel lapideo, ut undiquaque à salibus & ab aëre circumfluo Lapis pulverisatus attingatur: Dein fiat sublimatio in cucurbitâ terreâ, alembico vitreo instructâ, sic spatio quatuor vel quinque horarum Flores coloris arantii ascendunt, qui usui reserventur.

NOTÆ.

1. Prodit in hac sublimatione etiam *spiritus Salis Ammoniaci penetrantissimus*, qui *seorsim* excipi potest.

2. Præstat *digestionem* diei unius vel alterius *præmittere*, ut *salia* eò fortius & *efficacius* in *minerales* Lapidis Hæmatitis particulas agere possint.

3. Hæc sublimatio *in arena etiam* procedit cum *cucurbita vitrea*, sed *lentiùs* absolvitur, & periculum vitro plerumque imminet.

4. Particulæ hoc modo *in altum* elevatæ nihil aliud sunt, nisi *minima ramenta leviora Lapidis Hæmatitis*, mediante *sale acido intermedio volatili* Salis Ammoniaci in altum evecta, cujus consortio in *Flores* abit *austeros*, à quo denuo *liberari* possunt mediante *solutione* in aqua communi, vel *præcipitatione*, addito sale fixo.

5. Foe-

5. Fœces in fundo residentes *non omnibus* sunt *destitutæ viribus*, ut suo loco patebit, ideoque *reservandæ* sunt ad usus postea dicendos, quoniam iis inhæret *Sal. fixum Ammoniacum sub-acidum*, valde *austerum* & *astringens*, obtinens *saporem* à particulis *mineralibus* in eo latitantibus; *tantum* enim *salis acidioris* remanet in fœcibus, *quantum spiritus volatilis* ascendit in sublimatione.

Vires.

Sudoriferi sunt Flores, leviter & laxant & astringunt, prout nempe humori magis vel minus acido, & austeris particulis occurrunt.

Humores in corpore nostro contentos, sibi invicem *non* in omnibus *consonos*, nec in plerisque hominibus æquales, ratione suæ *figuræ*, *molis & motus* maximè alterare & *immutare vim* & efficaciam *medicamentorum* non solum probabile, sed &, *rationi* & *experientiæ* consonum est. Hoc præcipuè in *purgantibus diversimodè operantibus* observatur, unde etiam *majorem vel minorem successum* medicamentorum oriri credimus; experimentis cum videamus plurimis *Chymicis*, *diversis* salibus & *menstruis* quibuscunque *fluidis eadem præparata* corpora toto] sæpius cœlo inter se *differre*. Id nos ad *humorum*, *in corpore* humano hic illic latitantium vel oberrantium, *differentiam dignoscendam* manu tanquam ducit. Exempla enim ubivis occurrunt in ipsa *medicamentorum exhibitorum operatione*. Sic *copiosius & facilius* ii *purgantur*, qui *salso sero* abundant, illis, in quibus *acidum austerum* præpollet: *sudor tardius* prolicitur, ubi particulæ adsunt *crassæ serosæ terrestres*, ob humorum *debilem motum progressivum ac intestinum*, ut in cachecticis. Sæpe *contrarii effectus* non raro in medicamentis exhibitis eveniunt; sic *purgantia* exhibita *sudores movere* aliquando vidimus; *sudorifera* exhibita leviter *alvum subducere*, in *praxi* sæpius occurrit, ubi ad *fermentabile acidum* ingesta declinant, præcipitationem in ulterioribus viis accelerantia; hinc enim *purgandi vis*, ut alibi diximus; vel ad meram *exaltationem spirituosam purgantia* evecta, *vi alvum deponendi* destituuntur, cum omnia *per summam tenuitatem* in *circumferentiam* corporis transferantur, per *poros* exitum quærentia. Hinc etiam *plurima in hisce astringunt*, quæ *in aliis laxant*, ob *lympham* in primis viis *summe acidam* & *austeram*, unde *extempore* summum *acorem* concipiunt medicamenta, *antequam* ad ulteriores vias deferantur, *contrahunturque orificia absque præcipitatione* vel pressione decenti in cœteris viis. Ne autem *lectori* tædium creemus, ulteriori ab explicatione supersedebimus, *Chymicum* hic, *non Practicum Medicum*, agentes.

Do-

Dosis à granis iij. *ad scrupulum. Vires Spiritus sunt eædem fere cum spiritu Salis Ammoniaci vulgari, nisi quod ratione particularum Lapidis Hæmatitis ei innatantium magis obstructiones reseret, & menstruis producendis aptior sit. Dosis à guttis* ij. *ad guttas* viij. *in vehiculo convenienti.*

Flores Benzoin.

℞. *Benzoës* ℥viij.

Injiciatur ollæ terreæ acuminatæ, cui alembicus chartaceus, in pyramidis formam assurgens, adaptatus sit, in supremitate chartæ parvum relinquatur foramen, ut eo liberior sit ascensio Florum; detur ignis lenis, sic spatio unius vel alterius horæ Flores ascendunt, tantisper excipiendi, donec charta, oleo quasi infecta apparere incipiat.

NOTÆ.

1. *Duo* oportet, ut adsint talia *capitella*, ut Flores instar serici splendentes *continuò amoveri* queant, superposito *extempore alio* capitello.

2. Iidem Flores etiam fieri queunt *per retortam vitream abrupto collo* instructam, ita ut recipiens *adaptari tantum* queat; sic post Flores ulterius *oleum* produci potest, & *aqua.*

3. Hi Flores sunt *particulæ leviores resinosæ*, in *Benzoë* existentes.

Vires.

Pectorales sunt, tussi, asthmati & similibus medentur, sudores etiam movent, odoriferis permixti halitum suavem edunt. Dosis à granis v. ad scrup. unum.

Camphora leni igne in *vitris planioris fundi*, quibus *convexum* etiam *leviter tantum concavum & fere planum* est, per se *fere tota* ascendit, relictis paucissimis fœcibus: *collum* vitri *oblongum* sit instar phiolæ, ne nimium *expirare* possit odor & halitus *Camphoræ.*

Mercurius Sublimatus corrosivus.

℞. *Merc. vivi* ℔j.
Salis comm.
Colcothar. Vitriol. an. ℔ij.
Nitri ℥iiij.
Merc. Subl. corros. ℥j.

Misceantur continua agitatione in mortario lapideo, donec penitus Merc. vivus dispareat: dein cucurbitæ immittatur materia, destilletur per arenam

nam leniſſimo igne, per 24. horas continuato, liquor aquam regiam æmulans. Dein augeatur ſenſim ignis denuò per 24. horas, ut Mercurius incipiat aſcendere, &, quicquid ſuperſit liquoris fluidi, egrediatur; ultimo intende ignem, donec ſuper fœces Mercurius in maſſam albam ponderoſam & ſolidam abeat, qui, bene refrigeratis omnibus, ſeparandus eſt ad uſum.

NOTÆ.

1. Siquid *Mercurii fæcibus* inhæreat, *vivus* expelli poteſt addita *calce*: vel *iterato adhibito fortiori igne* in altum propellatur *corroſivus.*

2. Quo *lentius* proceditur *in principio*, eo *candidior* & *ſolidior* fit *Mercurius*, etiam magis *corroſivus.*

3. *Acredo corroſiva* oritur à *textura Mercurii* & *Spirituum ſalinorum copia*, qui ſe inſinuant, & *Mercurio intime permiſcentur* mediante *levi calore*, particulas *ſalis* & *argenti vivi rarefaciente* & agitante; unde in mutuo *occurſu blando*, majori ac majori cumulo *fluidorum ſalium Mercurius* oneratur, quæ *auctiori calore* fugam tentarent, relicto *Mercurio* minus particulis illis imbuto, & per conſequens *minus corroſivo.*

4. Idem *Mercurius corroſivus* fieri poteſt, ſi præcipitatus cum *aqua forti*, *ſale vel ſp. ſalis communis* elevetur: ſic *citius* procedit operatio, quoniam *imminutus* & imbutus jam *Mercurius* ulterius facile *aliis ſalibus* imprægnatur.

5. Signum *bene ſalibus imprægnati Mercurii corroſivi* eſt, ubi totaliter in *aqua communi diſſolvitur*, *ſalium* nempe *fluidorum adminiculo.*

Vires.

Externi tantum uſus in Chirurgicis ad cauteria &c. inſuper magni & celeberrimi nominis eſt in operationibus Chymicis, ubi & ſpiritus interni & ſalis fluidi externi ope miras alterationes ſubit & aliis inducit. Interne acredine corroſiva ſalium, ſummam agitationem una cum particulis Mercurialibus ineuntium, infeſtus, noxius & lethalis eſſe ſolet.

Mercurius dulcis.

℞. *Mercurii vivi* ℥vj.
Mercurii Sublimati corroſivi circiter ℥viij.

Miſceantur exactè in mortario lapideo, donec argentum vivum penitus diſpareat, pulvis hic imponatur phiolæ vitreæ, & per arenam fiat ſublimatio; ſic ſpatio trium vel quatuor horarum omnis aſcendit Mercurius, qui, refrigeratis omnibus fracto vitro eximendus & pulveriſandus, ut ite-

iteratæ ſublimationi committatur : ſublimatus ſi inſipidus ſit, uſui reſervetur, ſi non, procede denuò, ut ante.

NOTÆ.

1. Exactum quamvis *pondus utriuſque* obſervari non ſemper poſſit; attamen *plerumque in hoc* incidit, magis vel minus *aucto ſublimati pondere aut diminuto*, ſecundum *ſalium* in eo latitantium *ferociam* & *copiam*.

2. Idem etiam *Mercurius dulcis* è Mercurio vivo præparari poterit; ſi *ſali communi* optimè permiſceatur, addita *dupla quantitate colcotharis vitrioli*, & *extempore ſublimationi vehementiori* committatur: *ſic citiſſimè aſcendens* Mercurius, *minorem* ſecum recipit *ſalium quantitatem*, unde *corroſiva vi* deſtituitur, quæ à meris ſalibus, *in majori copia* ibidem agglomeratis, oritur.

3. *Dulcis* hic dicitur *Mercurius*, non quoniam *dulcedinem* refert; verùm, quoniam *ſalia onerata* pondere particularum illius mineralis, *actum* ſuum *exſerere nequeunt*. Actum autem *ſalium* & potentiam agendi hic *nullo modo infringi* credimus, ſed *Primo* in *ſublimationibus repetitis plurimæ* partes *ſalinæ evaporatæ corpus Mercuriale minus ſolubile* relinquunt; *Secundò iteratis* illis *ſublimationibus* particulæ *Mercuriales* magis imminutæ, *ulterius circumſepiunt ſalia* reſtantia, fluidiſſimis ſuis *particulis maximè activis* ex parte *orbata*. Illud arguit ejus *vis purgandi*, repetitis *ſublimationibus imminuta*; etenim à *ſalibus*, particulas metallicas & minerales imminuentibus, vel ab alio quovis *fluido*, *ſolvendi & exagitandi vi prædito*, *actiones* ſuas & *vires* potiſſimas *obtinere* ſtatuimus, *modificatas* in *ſitu* & *figura pororum* & *meatuum* illorum *corporum*, in quibus coercentur. Inde ſequitur, quod *corpora*, quo magis ſoluta *ad naturam fluidi* accedunt, eo majoris eſſe *efficaciæ*, ſi *ſpiritu interno* polleant ſat *veloci*, quoniam *rarior* eorundem *textura* ubique *ſpirituoſum* emittit *halitum* in minimo *calore*, & quoſcunque *ſuccos externe accedentes*, admiſſione ſeu receptione mediante *in ſuis poris*, alterat: ſic & neceſſe eſt, celerrimam & *maxime activam qualitatem* exiſtere in poris & meatibus aptiſſimis pro *fermentabilibus ſuccis & ſalibus* excipiendis. Ex hiſce præmiſſis emergit *ſequens*, corpora *denſa ſubterranea* tamdiu *inefficacia* exiſtere, quamdiu *inſolubilia* ſunt, ſed poſtmodum *ſale* artificiosè *alterata*, *majoribus* prædita eſſe *viribus* debere. Non autem innuimus, compagem *quamvis rarioris texturæ*, motui ſuſcipiendo idoneam,

neam, ſtatim eſſe *maximè activam*, ſed *ſolidiora*, & in genere omnia corpora, quæ non ſolum recipiunt *actionem ſalinam*, ſed & ob *texturæ durioris* conſtitutionem illam *pertinacius* retinent. Pro ſua dein *figura* & pororum conſtitutione, *actiones* producunt majores vel minores, ratione *occurſus diverſiſſimorum corporum*, cum quibus vel *exactius uniuntur* mutuos poros occupando, vel *ſuperficialiter tantum miſcentur*: in priori nempe, *plurima agitatio & lucta ſecedentis ætheris*, in poſteriori, *blanda tantum natatio vel juxtapoſitio*, obſervatur. Illa quæ citiſſimè recipiunt & ſubiguntur à *lympha* noſtra *ſalina varia*, cito *evanida* ſunt in ſuis *actionibus* celerrime abſolutis, unde non tantum *impetum* alia corpora ab ipſis ſuſtinent, ſed *inſtar fulguris* tranſeunt vix percipiente noſtra anima. Hinc patet differentia *inter vegetabilia & mineralia*. Ex hiſce facile liquet, quare Mercurius corroſivus tam *vehementia citiſſimè* producat *ſymptomata*, ubi ècontra Mercurius hic dulcis, *tardius & benignius* operari ſolet: *in primo* enim cum maxima exiſtat *copia ſalium*, particulæ *Mercuriales* fluidis illis ſalibus innatantes, alis tanquam expanſis, motu & *reactione diverſa* mediante, *actiones* ſuas immediate producunt; cum in *noſtro Mercurio penuria ſalium non tantas* producere poſſit *vires*, pondere Mercurii preſſa; hic enim *non tam exacte* in minima ramenta *diſcerptus*, *actiones violentas retardat*, ut patet in aſſumtione *Mercurii vivi*, qui *ita excernitur*, *ut aſſumptus* erat.

Vires.

Leviter purgat, in lue Venerea ſummi eſt uſus, eamque comitantibus morbis, itidem cum aliis purgantibus miſcetur in vermibus puerorum expellendis; ſalivationem etiam promovet in nimia quantitate aſſumptus, vel diutiùs continuatus. Doſis à granis ij. *ad grana* xx.

Cinnabaris vulgaris.

℞. *Merc. vivi* ℥xx.
Sulph. ℥iiij.

Liquefiat Sulphur, liquato per vices adde Mercurium, ſpatula lignea materiam agitando, donec Argentum vivum in Sulphure penitus diſpareat, & maſſa dura facta fuerit: maſſam hanc in pulverem redactam infunde cucurbitæ humili vel phiolæ, dein per arenam obſervatis ignis gradibus ſublimetur in materiam ſolidam intenſe rubram, ad purpureum colorem vergentem, uſui reponendam.

NOTÆ.

1. *Intenso igne sub finem* opus est ad suam elevationem, qui tamen *non diu* est continuandus, (in tam parva copia adhibito *Mercurio*; alias in magnis dosibus ad 40. aut 50. horas fat *violentus* prorogatur,) ne materia *aduratur*, & *obscurum* acquirat *colorem*.

2. Pulvis Cinnabaris vulgaris plerumque *mixtus* est cum *cerussa plumbi*, ut *gratior* fiat *color*, antequam vendatur à *materialistis*, qui & inde *lucrum* sibi parant.

3. Mercurius particulis *ramosis Sulphuris intricatur*, & *acido ejus mortificatur*, unde simul in solidam massam interstitia & meatus mutuos occupando abeunt.

4. Septimam vel *octavam* tantum *partem massæ Cinnabarinæ* constituit *Sulphur*. *Mercurius* autem à *Sulphure* denuo *liberari* per quævis *terrestria alcalia*, ut & *salia fixa* potest.

Vires.

Interne vomitum & salivationem promovet in majori dosi, tam sub forma vaporum, quam in substantia assumta, sed rarioris est usus, cum alia minus noxia in promtu sint: fixari etiam potest, ut sudores tantum moveat. Vapor ejus citissime cicatrice obducit mundata vulnera & ulcera. Pictoribus autem in summo usu est. Dosis à gr. v. *ad* ℈j.

Flores Antimonii.

Fiat retorta tubulata oblongo & lato collo prædita: Ei candefactæ injiciatur per vices *Antimonium pulverisatum*, *circiter ad* ʒij. *singula vice*, dein folle materia liquefacta propellatur ad recipiens, in cujus extremitate foramen adest, donec vapores & fumi cessent; dein recens *Antimonium* injiciatur, procedendo, ut ante. Hic labor tamdiu repetatur, donec sufficiens *Florum* quantitas adsit, quæ ad usum servanda.

NOTÆ.

1. *Absque folle etiam* Flores elevantur, sed *tardius* procedunt.

2. *Omne Antimonium* hoc modo in Flores cogi potest *paucissimis restantibus fœcibus.*

3. Ignis sit *validus*, alias operatio retardatur, unde vix Flores ascendunt.

4. Caveat artifex à *fumo*; *noxius* enim eſt, & non raro *lethalis*.

5. Flores *varii coloris* aſcendunt, ſi *abſque flatu follis* libere eleventur, qui *ſeorſim* ſervandi.

Vires.

Pro colore & fixitate variat actio Florum; ſic leviſſimi & albiſſimi vomitum & ſeceſſum ſat violenter movent; flavi mitius idem efficiunt; rubri, circa collum hærentes, facile in ſudoriferum pulverem figuntur cum ſp. nitri. Doſis alborum ad gr. iiij. *flavorum à gr.* ij. *ad* vj. *rubrorum ad gr.* x. *in bolo vel pilulis: præſtat autem infuſio ad violentiam præcavendam, quam in ſubſtantia exercere ſolent Antimoniata vomitoria.*

Eodem modo è *zinco*, *biſmutho*, & plurimis aliis mineralibus & metallis aliquibus *Flores* fieri queunt.

Butyrum Antimonii.

℞. *Antimonii crudi* ℥viij.
Mercurii Sublimati corroſivi ℔j.

Pulveriſata miſceantur exactè, & infundantur retortæ vitreæ, fiat deſtillatio per arenam; ſic liquor prodit glacialis, qui eouſque excipiatur, donec flavum acquirat colorem; amoto poſtea recipiente liquor durus mediante calore liquefiat, ut in vas transfundi poſſit, &, ſi placet, iterato rectificetur, ſic planè album evadit.

NOTÆ.

1. Idem etiam *Butyrum* fieri poteſt *mediante ſpiritu ſalis communis ſuper Antimonium fuſo*, qui leni deſtillatione primò *phlegma* dimittit, poſtea ſenſim procedit *Antimonii Butyrum*, *ſale fluido* mediante *concentrato*, adhærente particulis *Antimonii*.

2. Magis liquidum evadit *Butyrum*, ſi Mercurius corroſivus cum Antimonio *in cella* detineatur. & *poſtea deſtillationi* committatur.

3. Ipſum etiam Butyrum *facile liqueſcit*, ſi *in aëre aperto* per ſpatium aliquod temporis detineatur: *cavendo* tamen, ne *nimio* attracto *humido*, *pulvis decidat albus*.

4. Si *ignis* ulteriùs *intendatur ad incandeſcentiam uſque* poſt abſtractionem *Butyri*, provenit *Cinnabaris Antimonii*; ſi autem *major copia Cinnabaris* expetatur, *per retortam terream* fiat ejus *ſublimatio igne nudo*.

5. *Butyrum Antimonii* nihil aliud eſt, niſi *Antimonium corroſum à*

particulis salinis fluidis, Mercurio vivo antea, nunc Antimonio adhærentibus.

6. *Cinnabaris* hæc, est *mixtura Mercurii vivi, salium consortio orbati, & sulphuris Antimonii.*

Vires.

Causticum est actuale; operationibus aliis etiam Chymicis inservit, ut postea in præcipitatis & calcinatis apparebit; sunt &c., qui illud internè exhibent ad guttas ij. *in vino pro emetico conficiendo; verùm sat violenter operationes suas perficit. Externè usus ejus in cancro, sphacelo, ulceribus malignis & cacoëthicis est.*

CAP. XV.

De Extractis.

EXtracta sunt *corpora solida tenuiora, mediante menstruo fluido convenienti à se invicem segregata:* ita ut pars *purior*, id est *levior salina-terrestris*, ab *impuriori*, scilicet magis *crassa*, & mere *terrestri*, subsidente separetur. Hæc etiam elaborantur, ubi maxime inter se *convenientes* particulæ, unam, quantum possibile, in mechanicam *ramosam* texturam conspirantes, à reliquis *heterogeneis* figuris corporeis segregantur; ita ut posthac magis integris, æqualibus & unitis viribus res agant efficaciores. Ea *duplicis* dantur *generis*, *Liquida vel Solida. Liquida* ea dicuntur, in quibus menstruum, *copia* sua *prævalens*, in interstitiis & poris suis corpora solida reclusa *in fluiditate* retinet: Ea si *liquorem extrinsecum* obtineant; dicuntur *Tincturæ*; si verò *liquorem, antea è corpore extractum*, habeant pro vehiculo, nomen *Essentiæ* obtinent. Non minima inde sæpius resultat *differentia*, ipsius corporis extracti, utpote alterati in *situ*, *nexu* & *ordine*, per *extraneum menstruum*; nam miscelæ hæ variant suo ingressu *poros* ac *superficies*, eosque modificant ad *diversas* actiones obeundas. Si *corpora solida plura conjuncta* & electa sint, *Elixiris* vocabulo insigniuntur. *Omnes* autem *particulæ maximè activæ* tam *fluidæ* quam *solidæ unitæ*, & artificiosè sib invicem junctæ, *Quintæ Essentiæ*, seu *Clyssi*, nomen meruerunt.

Solidam consistentiam acquirunt hæc præparata, antea menstruo fluido extracta, ubi vel *exhalatione fluidi*, vel *debilitatione menstrui*, vel *pororum & meatuum occlusione*, cœteræ particulæ graviores *in fundo* subsiste-

re

re & *permanere* coguntur: unde si *in proprio fluido jam evaporato* innatarunt particulæ, audit *Succus inspissatus*; at *menstruo extraneo* separatæ partes, inspissatæ ad consistentiam solidam, dicuntur *Extracta*, *strictè ita dicta*; quæ *debilitato menstruo* propria *sponte ad fundum* decidere coguntur, plerumque ob *ramosam consistentiam solidam* & rigidam vocantur *Resinæ*; quæ autem *è meatuum occlusione* propulsæ *ad imum* descendunt, *Magisterii* titulo penes *Authores* donantur.

Quamvis *fere omnes* operationes Chymicæ *Extractionem præcipue* intendant, attamen *specialius* hoc nomen *hisce nominatis* imposuere præparationibus, quæ plerumque *limitantur*, si *arctiores limites* inspicias, in *vegetabilium* & *quorundam animalium mineraliumque* familia, ubi revera *differentes* eruuntur *à se invicem partes*. Extractiones enim *in iis tantum* fiunt, quibus *porosior corporum textura*, *sale interno divisa*, existit: ita, ut *menstrua* seu liquores affusi nil aliud efficere opus habeant, nisi *fluidiora reddere* illa *salia*, ut *magis raram* corpuscula *terrestria*, illis *salibus jam impragnata*, induant *texturam*; sic propria gravitate *reliqua terra densior fundum* petere coacta, *efficaciora & gratiora*, *in minori dosi* exhibenda, præbet *medicamenta*. Ex hisce facile liquet, *spurias* esse *extractiones* corporum, *sale potiori*, *vel omni* fere privatorum, per menstrua salina factas: quæ solutiones &c. potius dicendæ. Hanc methodum sequentes, præcipue *vegetabilium & animalium classem* perscrutabimur. Alias inserenda hic essent plurima superficietenus divisa, mediantibus salibus fluidis, mineralia; illa vero postea sub nomine præcipitatorum & calcinatorum sumus explicaturi.

Tinctura Opii.

℞. *Salis Tartari* ℥iij.
Opii, super laminam ferream leviter exsiccati, donec in pulverem redigi queat, ℥ij.
Spiritus Vini Rhenani ℔ij.

Digerantur simul per duos dies in M. B., materiam singulis duabus horis agitando, donec omnis Tinctura extracta fuerit, fœcibus inutilibus ad fundum subsidentibus: clarum à spisso dein separa mediante filtratione per chartam emporeticam, & ad usus dicendos repone.

NOTÆ.

1. Sal Tartari huic adjicitur extractioni, ut *vis astringens*, quæ ab *acido* etiam *leviori interno & figura terra* opiatæ dependet, & per consequens

quens *ab acido externo addito* augeri debet, infringatur, & *diurefis* potius *promoveatur*, quæ nimis fiftitur *ab Opio crudo.*

2. Opium *leviter exficcatum* fit oportet, ne ullo modo aduratur; ideoque *lentè* procedas memento, ne *vires* ejus *infringantur:* fufficit enim, fi *eoufque* exficcatum fuerit, donec *frigefactum* in pulverem reduci poffit; nam fæpius præfcriptum illud Authorum *à fulphure narcotico liberare*, eft *vires infringere*, *& particulas adurere*, id eft, earundem contextum *diruere*, *virefque* folitas *invertere*, unde *reftantes* non folùm *innoxiæ* funt, verùm etiam *inutiles.*

3. Menftrui quantitas poteft *augeri vel imminui* pro libitu *Medici*, & pro *dofis* adhibendæ majori vel minori quantitate.

4. Spiritus Vini fit *optimæ notæ* ratione *odoris* & *faporis*, attamen *phlegmaticus vulgaris*, *non rectificatus*, ut *falium contentorum diffolutionem* admittat, quæ à fpiritu vini dephlegmato non attinguntur.

5. Dantur & *alia varia extracta* & *tincturæ Opii*; at fimplex *hoc officinale hifce temporibus vulgatiffimum*, in plurimo ufu verfatur apud Medicos; unde plerumque *duplici fub forma* illud præparatum proftat, *folida* nempe & *fluida*; fluidam unam dedimus, *alteram præparationem fluidam*, *Helmontianam dictam*, jam daturi:

℞. *Succi Cydonirum recenter expreffi* ℔x.
Opii crudi, *in taleolas minimas diffecti*, ℔j.

Stent in leni calore, ut fermententur per duas trefve feptimanas, fœcibus poftea fubfidentibus, liquor clarus effundatur, cui adde

Cinnamomi ℥iij.
Garyophillorum,
Macis,
Nucis Mofchatæ, *Cardamomi*, *ana* ℥j.
Galangæ minoris ℥iß.

Detineantur in ulteriori calore per duos vel tres dies, liquor filtretur, & levi igne in M. B. evaporetur ad confiftentiam pilularum. (Deftillatione etiam fpiritus evocari poteft penetrantiffimus, inferviens extractis anodynis, befoardicis & fudoriferis conficiendis, præfertim etiam effentiæ opii acquirendæ.) Extractum hoc ufui ferva vel in vitreis vel in ftanneis inftrumentis.

Alter etiam datur *modus pilulas* egregias *ex Opio* conficiendi, ut fequitur:

℞. *Aquæ communis deftillatæ*, *aut aquæ fpirituofæ fuperius prolectæ q. v.*
In ea diffolve

Suf-

Sufficientem quantitatem Opii in taleolas conſciſſi, coctione mediante, ſuper ignem,

Liquor tinctus à fœcibus decantetur, ſemper recentem aquam iis ſuperfundendo, donec tincturam amplius dare neget; ſolutiones omnes confuſas, à fœcibus optimè ſeparatas, evapora ad conſiſtentiam mellis, dein adde unciæ uni hujus extracti, drachmas duas *extracti croci*, *olei garyophillorum* guttas x. miſce. Hæc maſſa *ſemper ſicca* aſſervari poteſt, ubi ècontra præcedens *ab aëre humidum continuò* attrahit: reſtant autem poſt extractionem *fœces plurimæ reſinoſæ*, at *inutiles*, unde concludimus, partes ejus *viſcoſas præſtantiores eſſe reſinoſis*, quoniam & *hoc extractum majores vires & benigniores* producere ſolet, quam quidem *extractum mediante ſpiritu vini* factum. Cœteras *extractiones* omittimus, utpote ſatis ab Authoribus ventilatas; quod autem de *ſulphure ejus*, & *odore narcotico*, dicunt, illud facilè hiſce *decoctionibus evaporat*, *reſtante extracto grati odoris*, ita ut non opus ſit, ad illas *putatitias correctiones* recurrere.

Unde *vis anodyna Opio* accedat, plurimos etiam nunc torquet, attentius illud expendentes; nobis *non* videntur *ſufficere variorum Authorum ſententiæ*, qui eas *jam à viſcoſis*, *jam à ramoſis* dependere faciunt particulis: verum quidem eſt, haſce particulas, in majori copia exhibitas, *ſangvinis acrimoniam demulcere*, *fervorem* nimium *compeſcere*, & per conſequens *doloris ſenſum tollere*, ſed, ut diximus, quantitas ſat magna requiritur, antequam *actiones tales* edant; credibile non eſt, *tot* poſſe deponi hic illic, ex aſſumta *exigua Opii copia* particulas, quæ *motum humorum & ſangvinis* ea ratione retardarent. Nobis viriſimilius videtur (ſalvo Doctiorum Judicio & Authoritate) *Opium eſſe inſtar tenuioris corporis ſalino-oleoſi*, quod *motum concipiens in ventriculo extempore rareſit*, attenuatur & *exhalat quaquaverſum*, unde *ſpirituum animalium* conſortium facile ambit, poros nervaceos penetrando. Hinc vi ſuæ *figuræ* & *molis*, mediante illa miſcela, hoſce *teneriores ſpiritus* modificat, alterat ac diſponit, ad *blandas* operationes ineundas; præſertim ubi hoc *motu* concitatæ *lymphæ*, balſamicis particulis gravidæ, una cum illis corpuſculis mixtis, per magis *dilatatos* nervorum meatus, altum petere conceditur, ſenſum acutiorem *hebetanti*, circa ſenſorii communis loca. Hiſce accedit *penetrantiſſima ſalis volatilis oleoſi figura* & *copia* in opio; nam eundem *alcalinum*, ac *ſpirituoſum* in deſtillatione offert; hoc enim auxilio partim *ſalia acido-acria exæſtuantia conſtringit*, partim *una in motum* abripit *humores noxios* acido-acres, hic alias ſtagnantes. *Varium commo-*

modum, *immutatio*, nempe, & alteratio illorum *humorum*, *transpiratio per poros*, & per consequens *doloris levamen*, ut & spirituum alia dispositio, inde obtinetur: *flaccescunt* enim hoc modo *vasa*, antehac *nimis distenta*, & vellicata, *placidi* vero *halitus sulphurei volatiles*, ad cerebrum delati, *dolorificum sensum* tollunt, & *phantasiam* alio modo disponunt. Observamus enim ex *assumpto Opio* eadem effecta oriri, quæ *ex halitu rei fermentantis nimium hausto*, & ex *odoriferis*, *tenuiore sale volatili præditis*, per nares cerebro occurrentibus, in nobis producuntur: hinc enim *major motus*, & *spirituum nimia agitatio*, ipsas sæpius *particulas viscoso-ramosas* sursum deferentes, corpus *somnolentum* efficiunt. Illud patet in plurimis *floribus & herbis*, e. g. *liliis*, *maro*, &c. in cubiculo reservatis, ubi halitu suo copioso ingredientes, *ibidem*que *remorantes stupefaciunt*. Hæc ratiocinia confirmant *spiritus*, *& Oleum empyreumaticum Opii*, quæ, instar *urinæ felium*, *fœtidum* spargunt *salinum halitum*, *effervescentiam*que *maximam cum acido* quovis ineunt, qualem vix in aliis *tam notabilem* videre nobis licuit, imo *nec in spiritu salis ammoniaci cum spiritu nitri* &c. Cessante *motu redit plerumque* (non autem semper) idem *dolor*, quoniam *non omnes* è latibulis suis in lucem prodiere *particulæ noxiæ*, nec omnes debitam *modificationis* notam inivere, quæ dein *affluxu aliorum humorum* augentur, nisi debitis medicamentis *arceantur*, & in totum tollantur. Somnus autem *vel nullus vel rarior ex Opio*, nisi per accidens, id est, *humoris stagnantis acrimoniâ sublatâ*, producitur, unde corpus antea *delassatum à continua irritatione*, ad *quietem* se accingit *doloris expers*, quæ *sæpius insomnis* est, ut in praxi Medica patet.

Vires.

Sudoriferum est, & anodynum medicamentum, sudores prolicit aliis medicamentis mixtum, quoniam corpori quietem inducendo facilem reliquis agendi potestatem, & vires exercendi copiam relinquit. Laudanum autem Helmontianum præ cœteris etiam astringit, unde convenit in diarrhœa, quamvis & cœtera laudana astringendi facultate etiam polleant. Dosis Tincturæ à guttis iij. *ad guttas* xx. *Dosis Helmontiani à grano uno ad grana* v. *Dosis infimi à grano uno ad grana* iij. *ad summum.*

Essentia Corticum Arantiorum.

℞. *Corticum Arantiorum recentium* ℔xxx.
Sacchari ℔ij.

Aquæ

Aqua communis q. s.

Stent in mediocri calore per tres quatuorve septimanas, donec perfectè fermentatus fuerit liquor, quem cum Corticibus destillationi committe in vesica; sic prodit spiritus & oleum; spiritum ab oleo separatum rectifica, donec subtilissimus evadat: hunc superfunde flavedini recentium Corticum Arantiorum ad supereminentiam aliquot digitorum, digerantur simul per tres quatuorve dies, Tinctura deinde clara usui servetur sub nomine *Essentiæ*.

NOTÆ.

1. Saccharum additur ad *majorem spiritus copiam* acquirendam, quam etsi *saccharo* debeamus, illam attamen summè *unitam ramosis & spirituosis* particulis *Corticum* in *fermentatione*, *non minoribus* esse *viribus* instructam credimus: ut antehac explicuimus.

2. Si spiritus bene sit rectificatus, potius *recentes* pro *extractione* assumantur Cortices; multæ enim *vires in exsiccatione* eorundem *pereunt*; si verò *spiritus* sit *debilior*, *non longæ* foret *durationis* illa *Essentia*, & Corticum *humiditas* noceret.

Vires.

Sudorifera, carminativa & stomachica est Essentia, febribus intermittentibus adversatur, & vermes necat, colicis doloribus summè prodest. Dosis à guttis iij. *ad scrup.* ij.

Eodem modo etiam ex *omnibus aliis herbis & vegetabilibus* quibuscunque elici possunt *Essentiæ*.

Tinctura Salis Tartari.

℞. *Sal. Tartar.* ℥vj.

Calcinetur violento igne, donec cœruleus evadat, quod fit spatio 3. vel 4. horarum, fere refrigeratum crucibulum frangatur, massa exemta teratur; huic pulveri adhuc calenti superfunde

Alcohol Vini ad supereminentiam 2. vel 3. digitorum.

Digerantur simul, donec colore rubro tinctus appareat Spiritus, quem effunde, & serva.

NOTÆ.

1. Sal Tartari *non diu in aëre* detineri debet; statim *ab aëris humido* enim dissolvitur, unde *Tinctura* negatur.

 2. Hæc

2. Hæc *Tinctura* eſt *exaltatio* partium *ramoſo-ſpirituoſarum, in Sp. Vini* exiſtentium, quæ levi *præcipitatione* mediante ita diſpoſitæ ſunt à *Sale Tartari, in exigua copia ſeſe* ibidem *inſinuante*; & prout in plurimis aliis obſervamus *ſpiritibus* & *ſalibus*, ſic & hic *mutuus aggreſſus*, indeque reſultans *modificatio* impeditur à *phlegmate intermedio.*

3. *Tartari crudi Tinctura* non ſpernenda, fit ex una parte *Salis Tartari*, & duabus partibus *Tartari crudi Rhenani, cum Sp. Vin. rectif.* extrahenda mediante digeſtione, quæ vera eſt *olei ſui* Tinctura; præcedens autem *ex omni ſale alcali* fieri poteſt.

Vires.

Acidum infringit, diureſin promovet, obſtructiones tollit, menſtrui loco Chymicis inſervit. Doſis à gtt. x. ad ℨj.

Tinctura Caſtorei.

℞. *Caſtorei* ℥j.
Salis Tartari liquefacti ℥vj.

Digerantur ſimul in B. M. per 24. horas, dein ſuperfunde
Spiritus Vini rectificati uncias ſex,
digerantur denuo per duos dies, dein clarum à ſpiſſo ſepara, & uſui ſerva.

NOTÆ.

1. Salia alcalina magis *reſerant* particulas *ramoſas*, illáſque aperiendo *Spiritui ingreſſum* præbent, & *vires Tincturæ* augent exaltando ſalia ac olea contenta.

2. *B. M.* in hac digeſtione præponimus *arenæ*, *primo* quoniam *calore illo humido* foventur partes hæ *teneriores animalium abſque læſione*, alias facilè *empyreuma* contrahentes, quod in *animalium Tincturis* ſedulò eſt præcavendum; *ſecundò*, ob facilem *fugam ſalium volatilium in calore ſicco*, *involucra terreſtria*, quibus illa coercentur, nimis *lædendo*, & *fluida contenta exprimendo*, unde *aduſtionem* empyreumaticam contrahunt, per figuræ & *texturæ* ſuæ *læſionem. Humido* autem & *molli calore*, non tantus in illas partes fit *impetus*, ſed *ſuperficialis* ſolummodò *aquæ privatio*; hinc *ſalia nullibi liberata*, in igne illo leni & humido *non tam levis* ſunt aſcenſionis.

3. Quo *diutiùs* digeſtio protrahitur, *eò melioris* notæ *Tinctura* evadit; ſic & loco Spiritus Vini, *Spiritus* aliquis *cephalicus* & *uterinus* recipi poteſt, ut e. g. Spiritus Vini ſuper *lavendulam, roſmarinum, rutam, ſalviam*, & ſimilia rectificatus.

Vires.

Cephalica, & uterina eſt Tinctura, unde convenit vertigini, epilepſiæ, apoplexiæ, paſſionibus hyſtericis, & ſimilibus affectibus; externè etiam prodeſt in dolore & tinnitu aurium, præcipuè, ſi granum unum vel alterum camphoræ illi adjiciatur, & in aures cum œſypo intrudatur. Doſis à guttis vj. *ad* ℈ij.

Eodem modo parantur *Tincturæ* omnium partium *ramoſarum ſiccatarum ex animalibus.*

Tinctura Mellis.

℞. *Sp. Vini, ſuper Carminativa bis rectif.,* ℥x.
Sal. Tart. ʒvj.
Mell. virgin. ℥vj.
M.

Digerantur ſimul in M. B. per duos dies, bis vel ter de die materiam agitando, ut Tinctura ſubrubra fiat, dein liquor tinctus, à fœcibus ſeparatus, recenti Melli ſuperfundatur, ut majoribus viribus inſtruatur Spiritus.

NOTÆ.

1. Spiritus hic ſuper *carminativa* rectificatur, ut *eorum ſale volatili & ſpiritu* imbutus magis penetret, pituitam attenuet & *incidat* cum Sale Tartari, quod & *Tincturæ* intenſiorem in *colore* extractionem promovet.

2. Cui *Sal Tartari* non arridet, etiam *abſque eo Tincturam* conficere poteſt flaveſcentem; ſi vero ſpiritus ſit *rectificatiſſimus*, ſaporem ingratum ei nullum communicat, ſed ècontra *ſaporem, odorem*, & *colorem* ejus *exaltat, & ingreſſum aperit.*

3. Spiritus ſit *bene dephlegmatus*, alias non *ſola Mellis Tinctura* extrahitur, ſed & *integrum Mel* diſſolvitur. Spiritus, *per præcipitationem* in *Alcohol* rectificatus, hic *omnem paginam* abſolvit.

Vires.

Aſthmaticis, & in genere omnibus pectoris vitiis, conducit, flatus diſcutit, pituitam lentam incidit, phthiſicis ſuccurrit. Doſ. à ℈j. *ad* ʒij.

Tinctura Succini.

℞. *Sp. Vini, ter ſuper Sal. Ammoniac. rectif.,* ℥iiij.

[t 3] *Suc-*

Succin. pelluc. flav., in tenuissimum pollinem redacti, ℥j.

M.

Digerantur simul in M. B. per 2. vel 3. dies, donec fere totum Succinum dissolutum fuerit, solutionem claram in vitro exacte clauso serva.

NOTÆ.

1. Hæc *Tinctura* propriè nil aliud nisi *solutio* est, quæ, ad modum omnium corporum solidiorum, *virium augmentum* recipit à *fluiditate*, quam in solutione concipit antea stabili & *solida consistentia* gaudens. Illud producitur ob *rationes* antea dictas & adhuc dicendas, *nempe* ob *tenuitatem & raritatem partium* subtiliorem, ut & ob *fluiditatis* aliqualis à menstruo communicatæ *gradum susceptum*; adde primam & ultimam causam superius memoratam ob *menstruum* ipsum *admixtum*, quod subtilitate sua & *penetrandi vi* illas partes *imminutas* reservat, & in *motum ulteriorem* postea deducit.

2. Nisi spiritus sit *rectificatissimus*, nil efficies; *phlegma* enim *intactum Succinum* relinquit.

3. Sal Ammoniacus additur, ut *illius acie* adjutus Spiritus eo *magis penetret*, & *citius dissolutionem* promoveat; *salia* enim in illud agere manifeste demonstrant *decoctum Succini flavi, in sale communi* factum, ubi integer *color* alteratur, *à flavo in album* vergens.

4. *Aliis* insuper *salibus* acui potest Spiritus Vini ad *eandem solutionem* acquirendam.

Vires.

Delicatulis inservit in passione hysterica, dolore colico, urina & sudore proliciendis. Dos. à gutt. v. ad ʒß.

Tinctura Benzoes composita.

℞. *Florum Bensoes* ʒij.
Ol. Bensoes rectificat. cum Sp. Sal. ℈j.
Lign. Rhod. gtt. v.
Mosc. gr. iiij.
Zibeth. gr. ij.
Sp. Vini rectificatiss. odoriferi ℥iij.
Sal. Tartar. ℈ij.

M.

Digerantur simul per 4. dies, dein clarum â spisso s. a. separa.

NO-

NOTÆ.

1. Sal Tartari hic non solum additur ad *extractionem facilitandam*, sed & ad *præcipitationem nimiam præcavendam*, quoniam alias in *coagulum* abit *Tinctura*, *menstruo debiliori affusa*, ut solent pleraque *resinosa*, *in liquore valdè spirituoso dissoluta*, ut præcedens *Succinum* &c.

2. Cœtera olea, *odoris* gratia, & ut *fluidior resinosa pars* reddatur, permiscentur.

Vires.

Odoriferis aquis perficiendis apta est, cum aqua convenienti Lac Virginale inde conficitur suaveolens, si cum liquore Saturni, & grano uno vel altero camphoræ permisceatur, in vitiis oculorum, maculis, pustulis &c. conducens.

Tinctura Croci.

℞. *Croci* ℥j.
Spiritus Roris subtilissimi ℥iv.

Digerantur simul in fimo equino per dies 4. dein clarum à spisso separetur: liquor clarus denuo per diem unum vel alterum in balneo vaporoso detineatur, donec omnes fœces subsederint, quæ in satis magna adhuc quantitate deponuntur, Tincturam claram subtilissimam in vitris exactè clausis reserva.

NOTÆ.

1. Spiritum *Roris* præponimus omnibus aliis *spiritibus* in extractione *florum*, quoniam *spumosa florum compages* menstruis facilè cedit; hoc autem *menstruum Vegetabilibus naturale* esse, quis non novit? spiritus enim vini in extractione sua *etiam vires* quodammodo *alterare*, & *calidiora præparata reddere*, extra dubium est; quem *calorem* si abstractione spiritus quis *præcavere* intendit, *vires una volatiles* elevat, & *potiori virtute Tincturas spoliat.*

2. Digestionem *in fimo equino* perficiendam ducimus, quoniam *particulæ plurimæ maximè activæ* in fimo existentes equino, calore suo humido *exaltant menstrua*, & *corpora extrahenda.*

3. *Iteratam digestionem* præscribimus, *seorsim* faciendam, quæ & in aliis *Tincturis* observari potest, quoniam menstrua sæpiùs se onerant *pluri-*

rimâ saburrâ graviorum particularum, è corporibus mediante *calore majori* extractarum, quæ facilè *calore cessante fundum* petunt, & *Tincturas turbidas* reddunt, quod *iterata hac digestione* utplurimùm *præcavetur.* Sic etiam iterata hac digestione ulteriùs *subtiliantur*, & *uniuntur* fluida cum solidis.

4. Cui autem volupe fuerit, hanc *Tincturam alio* cum *menstruo* præparare, illud ipsi facile erit, mediante *digestione in M. B.* cum *menstruo spirituoso*, vel *aquâ destillatâ conveniente.*

5. Si *magis anodyna* expetatur tinctura, spirituosus liquor, ab *extracto opii Cydoniato* evocatus, huic extractioni inserviat; sic *efficax* obtinebitur & blandum medicamen, viribus, per dolores acutos nimium prostratis, inserviens.

6. Qui usui *extemporaneo Tincturas florum* comparare velit, *sequenti modo* procedat:

℞. *Florum cujuscunque generis q. v.*

Superfunde

Aquæ convenientis destillatæ q. s.

Coquantur leviter in M. B. per horam unam vase optime clauso, frigefactis omnibus coletur liquor per linteum citra expressionem, liquor tinctus usui servetur. Hæ *Tincturæ extempore* in usum sunt reducendæ; *citissimè* enim *alterationes subeunt*; *intenduntur* etiam *color*, *sapor*, & *odor* pro intentione Medici *variis additamentis salium*, ut *sale volatili*, *fixo*, *acido* & cœteris.

Vires.

Egregium est cardiacum, cephalicum & uterinum medicamentum, sudores pellit, & in genere omnibus per sudorem curabilibus proficuum est. Anodyna etiam est, cum plurimas tenues obtineat particulas, spirituositatem humorum promoventes; spiritus enim balsami instar est in omni liquore, qui ipsum conservat, & in statu proprio debito retinet. E defectu enim spiritus, & eorum fixatione: vel ad acredinem *nimiam conversione plurimi morbi & dolores. &c. Dosis à guttis* iij. *ad* ℈j.

Priori modo fieri possunt *Tincturæ omnium Florum subtiliorum*, & *volatilibus* particulis præditorum; *posteriori* autem methodo *flores frigidi dicti & astringentes* facilè extrahuntur, ut sunt rosæ rubræ, cyanus frumentorum, flores papaveris, violarum & similia.

Tinctura Cinnamomi.

℞. *Spiritus Vini, super* ℔ß. *Cassiæ Ligneæ rectificati*, ℥x.

Cin-

Cinnamomi acutissimi ℥ij ß.

Digerantur simul in M. B. per 24. horas, dein clarum à spisso separetur, & usui reponatur.

NOTÆ.

1. *Nullum* addimus in hac præparatione *sal*, ut nobilissimum hoc aroma in *sapore vel odore* non alteretur, quibus mediantibus vires suas exercet. Additione etiam *alcali salis Tinctura non* admodum *grata è rubicundis simplicibus* sese sistit: imo extractas cum spiritu vini *rubentes cinamomi* particulas, *lixivium tartari* præcipitat, quod & in Cariophillis, aliisque hujus farinæ *acribus* aromatibus, contingere solet. Spiritus etiam per præcipitationem rectificatissimus *vix aliquem* inde extrahit *colorem.*

2. Spiritum hunc primò rectificamus, ut *odore & viribus volatilibus menstruum jam impregnatum Cinnamomo* accedat: etenim *Cassiam ligneam*, & *Cinnamomum* in destillandis spiritibus *parum differre*, nisi in majori vel minori acrimonia partium, norunt ferme omnes.

3. Quantitas *Cinnamomi augeri*, vel *imminui* potest pro intentione Medici.

4. *Composita* etiam fieri potest *Tinctura Hippocratica*, si præscriptæ *Tincturæ* adduntur.

Flaved. Cit. ʒij.
Macis ʒj.
Garyophill. Cubeb. an. ℈ß.
M.

Sic & *alia aromatica* addi possunt, ut tinctura fiat pro *Aqua Vitæ extemporanea* conficienda:

℞. *Tincturæ superioris Cinnamomi* ℥x.
Garyophillorum ℈ij.
Nucis Mosch.
Cubebarum,
Macis, Cardamomi, ana ʒj.
Galangæ minoris,
Coriandri, ana ʒß.
Corticum Citri exteriorum ʒj ß.
Pomor Chinens. ʒij.
Mosch. gr. j.

Misce, digerantur simul per duos vel tres dies, dein Tinctura clara separetur ad usum, qui *sequens* est:

℞. *Spiritus Vini vulgaris* ℥x.
Tincturæ hujus ʒ. *unam vel alteram.*
Syrupi Sacchari Cand. q. s. ad gratiam.
M.

Fiat Aqua vitæ aromatica gratissima.

5. *Fœces* post extractionem *residuæ destillationibus denuo aptæ* sunt, itaque non rejiciendæ.

Vires.

Cardiaca est Tinctura, lipothymiæ & omnibus cordis affectibus frigidis conveniens, spiritus refocillat & exhilarat; ultima Tinctura etiam stomachica est, & cerebrum confortat, morbisque frigidis convenit pro delicatulis. Dosis q. s. ad gratiam in vehiculo convenienti.

Eodem etiam modo fieri possunt *Tincturæ aromatum*: e. g. ubi *gariophilli* sunt extrahendi, rectificetur spiritus *super cassiam garyophillatam*: in quibus autem simplicibus *nulla alia* adsunt ejus naturæ *viliora*, assumuntur eorum loco *abjectiores partes*, ut *caules*, *stipites*, *folia* & *simplicia* eorum *cariosa*, quæ in *magna satis quantitate* destillationi committuntur; quibus autem visum fuerit *super ipsa etiam simplicia* rectificare spiritum, illum *tanto majoribus viribus* imbuent, sed *pretiosiora* evadunt medicamenta, cum aliâs præcedentia simplicia *vix alii usui* destinari queant, & exhibeantur *majori in dosi*. Cuicunque autem *merus Vini spiritus placet*, is suo utatur genio pro extrahenda *Tinctura minus odorifera & grata.*

Elixir Proprietatis Paracelsi absque acido.

℞. *Aloës lucidæ,*
Myrrhæ resinosæ,
Croci optimi, ana ℥j.
Salis Tartari ℥ß.
Spiritus Vini rectificati ℥xx.

Digerantur simul per sex dies in B. M. vel, quod melius, in fimo equino; dein liquor clarus supernatans effundatur, & in loco calido per diem unum vel alterum detineatur, donec fœces omnes subsederint, dein reponatur ad usum, in aliud vitrum effusa tinctura.

Eli-

Elixir Proprietatis cum acido.

℞. *Spiritus Sulphuris per campanam* ℥ij.
Spiritus Vini Tartarisati ℥viij.

Digerantur simul in arena per duos vel tres dies, huic menstruo temperato postea adde

Croci ℥ß.

Digeratur seorsim per tres vel 4. horas, dein adde

Myrrhæ, cum Sale Ammoniaco contritæ, & in aere detentæ, ad faciliorem suarum partium extractionem, & post horam unam vel alteram Aloës, singularum ℥ß.

Digerantur simul in M. B. per diem unum vel alterum, dein supernatans liquor à fœcibus separetur, & ulterius subsidere permittatur, antequam in vitris debitis reponatur ad usum mediante levi, post separationem fœcum crassiorum, continuata maceratione.

NOTÆ.

1. Absque acido præparatum *Elixir faciliùs extrahit*, & *magis exaltat simplicia* ratione *salium fixorum*, quæ *compagem ramosorum* corporum *reserant* & attenuant, ita, ut menstruo ingressus aptior evadat; ubi ècontra *fluida salia ramosas* particulas utplurimum *condensant*, & *meatus occludunt*, ut menstruo potiùs ingressus denegetur, præsertim, ubi *salia spirituosiora*, & maxime *alcalina* ibidem antea *occultata* delituerint. *Frivola* igitur Cujusdam est *objectio: si hic acidum non conveniat in hisce particulis ramosis, ergo nullibi. Camphora* enim *solida per spiritum nitri fluidam* oleosam recipit *consistentiam: Oleum garyophillorum fluidum per eundem, solidum*, & durum *fit. Frigida* etiam Ejusdem est *argumentatio: Elixir sine acido est non-ens, quoniam Paracelsus & ejus sectatores, quasi vero, illud tali modo non conficiunt.* Si *Paracelso commentum* hoc licuit *suo modo* concinnare, quare & *aliis idem jus* non relinquitur, ut *methodo suâ* eadem simplicia extrahenda proponant, dummodo *Naturæ & Arti non repugnent?* si vero in vivis adhuc ille Observator, & meus Censor rigidus existeret, ab Ipso, vel ejus Sectatoribus obnixe rogarem, ut meo & publico commodo *verba Paracelsi explicarent*, quæ, ingenue fateor, mihi, & plurimis, ut credo, aliis, *adhuc valde incerta & dubia* sunt.

2. In *Elixire acido* menstruum *prius præparatum* abhibemus, ne *acida capsulas* illas *ramosas lædant & occludant*, quod plerumque fit, ubi

acida incautè *ramosis & viscosis superfunduntur* particulis: *contrahuntur* enim *viscoso-ramosæ* partes, & *aspera* inæqualis redditur *superficies* mediantibus acidis, illas partes *præcipitantibus*, & *inordinato* modo disponentibus, eodem fere modo, ut *corium ad ignem* propiùs admotum *rugas* contrahit, vel prout *præcipitata inertia* involvuntur, quod hoc mediante menstruo præcavetur.

3. Cum *aliis etiam menstruis*, *vel acidis*, *vel salinis volatilibus*, extractio horum simplicium fieri potest, e.g. cum *spiritu salis*, *nitri*, & *vitrioli dulcificatis*, ut & cum *sale volatili oleoso*, & *spiritu antiscorbutico*, ita ut *quodcunque conveniens* intentioni Medici *menstruum* recipi possit; sic in *frigidis* morbis *salia volatilia*, & *spiritus antiscorbutici*, in *calidis* autem morbis *menstrua temperata acida* prosunt: & digestio *quo diutius* continuatur, *eò melius*, quod in omnibus *Tincturis* est observandum, præcipuè iis, quæ *exaltatione* indigent.

4. *Non unas* easdemque actiones offerunt hæc duo *Elixiria*, sed *pro diversitate modificationis*, quam inire coguntur particulæ hæ ramosæ, cum *differentibus* hisce salibus, variant *sapor*, *odor & color*, omnesque inde resultantes actiones.

Vires.

Præservativum est egregium in putredine, peste, scorbuto, morbis, & febribus ferè omnibus, vermes necat, sudores pellit, & leviter alvum solvit, ictero medetur, & pro ratione menstrui additi, variant etiam ejus vires. Dosis à guttis x. *ad* ʒj. *in vehiculo.*

Elixir Camphoræ.

℞. *Camphoræ* ℥ij.
Alcohol Vini, è Frumento parati, ℥xx.

Misceantur simul, & destillentur per retortam in M. B., spiritum destillatum cohoba quater vel quinquies super eandem Camphoram, donec Camphora volatilisari incipiat, & spiritus eâ maximè imprægnatus existat, huic spiritui adde

Croci ℥ß.
Opii ʒij.
Macis
Nucis Moschatæ ana ʒiij.

Digerantur simul in fimo equino per 6. vel 7. dies, dein fœcibus separatis spiritus tinctus asservetur sub nomine Elixiris.

NOTÆ.

1. Ad facilitandam *volatilisationem Camphoræ digestio* præcedens adhibeatur *in fimo equino*, & dein fiant cohobationes.

2. Si quis *magis temperatum Elixir* petat, addat Alcoholi Vini præcedentis unciam unam vel alteram *Spiritus Nitri* rectificatissimi, cujus consortium *Camphora* non plane respuit, sed mediante eo in *oleiformem liquorem* reducitur sola *affusione*, & *levi maceratione* sequenti modo:

℞. *Camphoræ* ℨj.
Spiritus Nitri fortissimi ℨij. *vel* iij.

Stent in levi calore per horam semis, sic omnis Camphora degenerat in oleaginosum liquorem & Spiritui Nitri supernatat, qui deinde separatur; hic autem liquor Spiritu Nitroso orbatus, in *Camphoram* iterato degenerat.

3. Repetitæ fiunt *cohobationes super Camphoram*, ut *particulis volatilioribus Camphoræ* Spiritus optimè imprægnetur, &, ne tam *ingrato sapore mixturas inficiat*, ac si *Camphora in substantia* ibidem tantum fuisset *dissoluta*; quibus autem visum fuerit, illam *in substantia cum cæteris simplicibus digestioni* committere, iis liberum esto arbitrium: hac tamen cum observatione, ut *media* respectu *præcedentis per destillationem exaltandæ*, ad summum *tantum* recipiatur *Camphoræ quantitas*; *sequenti* autem modo etiam optimum inde fit *Elixir*:

℞. *Camphoræ*,
Myrrhæ,
Croci, ana ℥ß.
Contrajervæ,
Garyophillorum, ana ℥j.
Opii ℨj.
Alcohol Vini, super Lignum Sassafras destillati, ℥xx.
Misce.

Digerantur simul in fimo equino per sex septemve dies, dein supernatans liquor, à sedimento separatus, usibus dicendis reservetur.

4. Vis anodyna augetur in hoc *Elixire* addito *Opio*; cui autem volupe fuerit *ad externum usum* præparare, sufficit *solam Camphoram volatilem mediante sp. frumenti* reddidisse, ut statim *poros obstructos* subeat, & aperiat.

5. Anodyna *Camphoræ vis in* ejus *volatili* parte, sua figura, spiritibus nostris amica, *balsamica* instructa consistit, quæ juncta particulis *levissimis ramosis simul acida involvunt*, & *aciem* eorundem hoc modo *mitigant*. Ejus *vis non tam magna, nec diutina, qualis in opio* conspicitur, quoniam *hæc duo ad modum salis volatilis & salis fixioris* operantur; sic *Camphora tenuibus* suis particulis *citissime in motum* reducitur, & avolat, *Opium* instar salis fixioris *cito quidem motum init, sed* illum *diutius* etiam *conservat* ob particulas crassiores *terrestres*, quibus *implicita* hærent illa *salia*, quamvis sæpius æque volatilia, ubi proprii juris utraque fiunt: videantur ea, quæ *alibi de fermentatione* variorum corporum magis vel minus fluidorum & tenuium diximus.

Vires.

Egregiè anodynum utrumque est medicamentum, & sudoriferum, in morbis pestilentialibus & contagiosis summi levaminis, venenis resistunt & putredini, dolores sopiunt. Dosis à guttis ij. *ad* xx.

Elixir Citri.

℞. *Corticum Citri exteriorum* ℥xx.
Pomorum Chinæ ℥viij.
Spiritus Vini optimi ℔viij.

Destillentur post macerationem quatuor dierum, Spiritui destillato adde
Corticum Pomorum Chinæ recentium ana ℥ij.
Citri ℥iiij.
Croci ℈j. *ad tingendum.*
Ambræ gryseæ gr. ii.
Syrupi, è recenti succo horum Citriorum parat., ℥vj. *vel* viij.

Macerentur simul, donec limpida fiat mixtura flavescens, quæ seorsim asservetur.

Elix. egregium anti-Epilepticum.

℞. *Flor. & Fol. Lavend., Rorismar., Majoran., Salviæ, ana m.* ij.
Castor. ℥ij.
Camphor. ʒiij.
Sp. Vin. pint. iij.
Sal. Ammoniac. ℥iv.
Sal. Tart. ℥iij.
Aq. Lavend., vel alterius convenientis, q. s., ut innatare possint simplicia.

De-

Destillentur simul post digestionem dier. iij. vel iv., donec pinta j. ß. prodierit. Spiritui profecto adde

Ol. sem. Rutæ. gutt. xxx.
Succin. rectificatiss. gutt. xx.
Macis stillat., Juniper. ana gutt. xl.
Vitriol. Lunæ ℥ß.
El. vitriol. Mart. ℥j.
Jovis puriss. ʒvj.
M.

Fiat mediante digestione unio partium exacta ad suos usus reservanda.
Dos. *à gutt.* iij. *ad* xx. *in vehiculo.*

Aqua Pæd-anti-Epileptica nobilissima, sive Aq. anti-Epileptica puerorum.

℞. *Flor. Tiliæ,*
Herb. Charefol. q. s.

Fermententur simul, & destillentur. Liquorem destillatum denuò rectifica supra recentes herbas, & flores leviter fermentatos, dein usui servetur.
Dos. *à* ʒj. *ad* ʒij.

Essentia, seu Tinctura, Regia.

℞. *Moschi.* ℈ß.
Zibet. gr. v.
Ambr. gris. ℈j.
Ol. Cinam. gtt. iij.
Lign. Rhod. gutt. ij.

Excipiantur omnia
Sal tartar. ʒß.
M.

optimè, donec omnia unita sint: dein adde
Spir. Vin., super Flor. Aurant. & Rosar. pall. recent. rect. ℥ij.

Reponantur simul in loco calido (vel in calore solis, si tempus anni patiatur) ad digestionem per dies iij., bis in die materiam agitando. Sic fiet Essentia odoratissima, à fœcibus subsidentibus per inclinationem separanda.

Vires. *Cardiaca est, præcipuè si gutt.* ij. *Ol. Cinnamom. in compositione addantur in mixturis, & summoperè conducit, ut medicamenta graviora evadant, & fœtor tollatur.*

Inde-

Inde etiam præparantur aquæ odoriferæ, Moſchatæ dictæ, & Ambratæ, ſequenti modo:

℞. *Aq. Roſarum.* ℥j.

ei infunde

Hujus Eſſentiæ gutt. j. *vel* ij.

& erit fragrantiſſima.

Inde etiam fit *Aqua Vitæ Ambrata*, ſi in pinta j. guttæ ad ſummum xx. hujus Eſſentiæ infundantur: & ſic de aliis liquoribus quibuſcunque. *Vinum* etiam fit *Moſchatum*, ſi in pinta j. gutta i. vel ij. infundatur.

Sequenti etiam modo concinnari poteſt Eſſentia fragrantiſſima.

℞. *Fl. Roſ. pallid. rec.* ℔xxx.
Aurantior. rec. ℔j ß.
Lavend. ℥ij.
Melilot. ℥j.
Rad. Irid. Flor.
Lign. Rhod.
Santal. cit.
Gran. Macalep,
Sem. Moſc. an. ℥i ß.
Cort. Citr. exter.
Pom. Chinens ext. an. ℥ij.
Cinamom. acut. ℥iiij.
Caſſ. Gariophill.
Macis an. ʒvj.
Benſoes, Storac calam. an. ℥iij.
Sachar. ℔v.
Aq. comm. ſive ejus loco alicujus conven. odor q. ſ.

Fermentationi committantur per debitum temporis ſpatium, donec mediante deſtillatione blanda ſpiritum fundant ardentem.

℞. *Hujus rectif. Spiritus.* ℥v.
Ambr. griſeæ ʒß.
Moſc. ℈j.
Zibeth. ℈ß.
Sal. Tartar. rec. calcinat. ℥ij.

M. f. ſ. a. Elixir odoratiſſimum.

Vires. *Excellentiſſimum eſt cordiacum, ſpiritus vitales recreans, tam odo-*

odore, quam sapore, vires labefactatas redintegrans, ac malignis halibus resistens. Confectiones, & conservæ, odoratissimæ inde fiunt, si in singulis unciis gutt. iij. *vel* iv. *permisceantur. Insuper fumigationi inservire poterit ad perfumigandas cameras, linteamina, vestimenta, ut strophiola, & similia, sequenti modo:*

℞. *Aq. Rosarum*
Lavendul. ana pint. ß.
Essentiæ Regiæ ʒj.

Hic liquor evaporationi committatur super ignem, si camera perfumanda sit. Linteamina verò, & vestimenta, eo humectentur, & lentè exiccari permittantur. Qui etiam tabacum amant, inde odoriferum facere optimè poterunt.

Dos. *Internè à gutt.* j. *ad* iv.

Essentia metallica ad Vermes.

℞. *Sacch. Saturn.*,
Vitriol. Martis, ana ℥j.
Mercur. dulc. ʒij.

Misce optimè simul, & superfunde
Sp. Vin. opt. Gall. q. s. ad supereminentiam aliquot dig.

Digerantur simul per dies ij., donec rubedine summâ spir. tingatur: Spiritum tinctum decanta, & usui serva.

Vires. *Omnibus obstructionibus, vermibus, & ictero convenit: alvum & vomitum movet, si in majori dosi assumatur: menstrua movet, apostemata interna, & putrefactiones tollit.*

Dos. *à gutt.* ij. *ad* xx.

Essentia Asthmatica.

℞. *Mellis opt.*
Rad. Liquirit. ana ℥iv.
Flor Benzoës,
Opii præparat., ana ʒj.
Camphor. ℈ij.
Ol. anisi, ʒß.
Sal. Tartar. ℥j.
Sp. Vin. rect. q. s. ad supereminentiam aliquot. dig.

Digerantur simul per aliquot dies. Dein tinctura filtretur, & usui reservetur, addendo ad singulas Essentiæ uncias

Tinctura Croci. ℥j.

Vires. *Omnibus pectoris & pulmonum vitiis succurrit, dolores lenit, faucium asperitatem tollit, tussi inveteratæ medetur, humores acres, & subtiles, magis incrassat, & acredinem eorundem mitigat.*

Dos. *à gutt. x. ad* ℈ij.

Essentia anti-Hysterica.

℞. *Castor. opt.*
Asæ fœt. ana ℥ß.
Ol. Succin. ʒj.
Rutæ, ℈j.
Sabin. ʒß.
Camphor. ℈j.
Sp. Vin., super alcali opt. rectif. ℥x.
Sp. Corn. Cerv. proprio sale volat. impragn. ℥ij.

Digerantur simul in B. M. per tres quatuorve dies, dein clarum à spisso separatum usui serva. Fœces remanentes addito recenti Sp. Vini, spiritum fundunt antihystericum per destillationem.

Vires. *Summum est anti-hystericum, antiparalyticum, & antiepilepticum: sudores egregiè movet in peste; apoplexia, febribus malignis, podagricos dolores discutit, fœtum expellit.*

Dos. *à gutt.* iij. *ad* ʒß.

NOTÆ. *Superius omissæ circa Elixir Citri.*

1. Possunt & *alia aromata in destillatione & extractione* addi, ut inter cœtera *præcipuè Cinnamomum*, hac tamen cum cautela, ut semper Corticum Citri *sapor & odor prævaleat*; sic sequens fit compositio:

℞. *Corticum Citri* ℥x.
Pomorum Chinæ ℥iij.
Cinnamomi ℥ij.
Seminis Coriandri ʒj.
Benzoës,
Storacis calamitæ, ana ʒß.
Spiritus Vini ℔v.
M. fiat destillatio s. a.

In extractione autem si *Cinnamomum* addatur, non opus est addere *Crocum*, ut & absque *Croco* superius *Elixir* fieri potest; *Cinnamomi* verò dosis extrahendi tantum tertia vel quarta pars, respectu superioris dosis in

in deſtillatione eſſe debet, quoniam guſtus ejus nimis præpollet.

2. Quibus Crocus non arridet, *coccum vel ſantalum rubrum* recipere poſſunt.

3. Syrupus ſi *fortiſſimo acido ſucco* imbutus expetatur, *recens expreſſus* ſuccus *in M. B. evaporetur ad medias* partes, & exinde *Syrupus* conficiatur: illud enim ſedulo *notandum, nullos tales ſuccos acidos igne nudo vel in arena eſſe evaporandos: amaricantem* enim & *empyreumaticum* recipiunt *odorem & ſaporem*.

4. Qui *gratiorem* & *minus acrem* è *Corticibus* Citri expetit *ſpiritum*; prius *cum aqua communi* deſtillet, vel coquat, *dein* exempti Cortices *in Spiritu Vini macerentur*, & poſtea *deſtillentur*.

Vires.

Cardiacum temperatum eſt medicamentum in lipothymia, omnibuſque cordis affectibus conveniens, ventriculum corroborat, & ſpiritus vitales refocillat. Doſis à ℈j. *ad* ʒij.

Eſſentia Alexipharmaca, & Bezoartica.

℞. *Rad. Valerian.*
Petaſitid.
Angelic.
Imperator. ana ℥j.
Herb. Scord.
Menth.
Rutæ ana m. j.
Sem. Leviſtic.
Cumin.
Aniſ. ana. ʒij.
Cardamom. min.
Cubebar. ana ℥ß.
Gariophyllor.
Nucis moſcat. ana ℥j.
Sp. Vin. vulg. ℔v.

Digerantur ſimul cum *ſ. q. Salis Alcali* ℥j. vel ij. per dies ij. ad minimum, deinde duæ tertiæ partes abſtrahantur. In ſpiritu prolecto denuo infunde

Lign. Saſſafras,
Cort. Arantior.
Citrior. ana ℥iij.

Digerantur per hor. 24. & destilletur ad medias. Cum spiritu hoc extrahe tincturam ex

Rad. Contrayerv. ℥ij.
Croci ℥j.
Rad. Angelic.
Imperator.
Valerian.
Petasitid. ana ℥vj.
Myrrh. elect.
Resin. Guajac. ana ℥ß.
Sal. Tartar., intensissimo igne calcinati, vel Scoriar. Antimon. per hor. j. calcinatar. fortissimo igne. ℥ji.

Digerantur simul in B. M., quò diutius, eò melius.

Nota. Si pro febribus intermittentibus etiam expetatur, *extraction. cort. Chin. Chin.* ℥ij. addere convenit.

Vires. *Incomparabilis est hæc Essentia ad plerosque morbos, & febres malignas, quas omnes radicitùs tollit: venenis præsentaneum est remedium: variolas citissimè curat. (Plerumque convenit in statu morbi)*

Dos. *à gutt.* iij. *ad* ℈ij. *ubi sudores in magnâ copiâ expellendi sunt.*

Pesti maxime adversatur: convenit omni sexui, & ætati.

Elixir Anodynum.

℞. *Spiritum Vini sequenti modo rect.*

℞. *Vitriol., lento modo ad albedin. calcinat., vel in sole, vel in furno* ℔j.
Nucis moscat.
Croc. ana ℥ij.
Camphor. ℥iv.

Superfundantur iis

Sp. Vin. opt. ℔v.

Digerantur simul per dies iij. vel iv., dein destillentur ad medias. Fœces evaporentur leni igne ad siccitatem, & sp. destillatus fœcibus denuò superfundatur. Destilletur, ut ante, donec pinta circiter supersit.

℞. *Opii, præparat. cum aq. destillatâ, & ad consistent. extracti evaporati,* ℥j.
Croc. opt. ℥ß.
Nucis mosc.

Lign.

Lign. Aloes,
Cinnamom., *ana* ʒ. vj.
Camphor. ʒ. ij.
Santal. citrin. ℈iiij.

M.

& digerantur ſimul, quò diutiùs, eò melius, ad minimum per ij. dies.

N. B. Cum ſpir. Vini vulgari, rect. ſuper ſale alcali ſine deſtillatione, idem fieri poteſt.

Vires. *Anodynum eſt, & dolores quoſcunque mitigans, ſomnum leniter inducit, hilares reddit, in febribus & morbis acutis optimè conveniens. Inſuper effervescentiam ſangvinis nimiam ſedat, ſi cum Vitriolo factum ſit, ut ſuperius. Si verò cum ſale alcali, ſimul etiam menſes movet, aperit, & ſudores ciet. Plerumque etiam permiſcetur ſudoriferis. Sic ſudorifera multò melius, & faciliùs operationes ſuas efficiunt.*

Doſ. *à gutt.* iij. *ad* xx.

Elixir Menſtruale, ſeu Uterinum.

℞. *Herb. Roriſmarin.*
Rutæ,
Sabinæ, *ana m.* ij.
Lavendul.
Majoran.
Pulegii,
Matricar. ana m. j.
Rad. Cyperi rot.,
Lauri, *ana* ℥ß.
Lign. Saſſafras,
Cort. Arantior. ana ℥j.
Sem. Dauci,
Leviſtic.
Aniſi. ana ℥vj.
Cinnamom. ℥ij.
Spir. Vin. Gallici pint. iv.

M.

Conciſa, & contuſa macerentur per xxiv. hor., deinde deſtillentur ad medias. Spiritum prolectum miſce cum *ana ſp. Vini Gallici recentis*, & ſuper eaſdem herbas rectifica, eandem operationem tertia vice repetendo. dein

℞. *Limat. Martis.* ℔j.
Crem. Tartar. ℔ iß.
Aq. commun. ℔ viij.
M.

Coq. ſimul, donec colore rubro liquor tinctus ſit. Liquorem filtra, & ad conſiſtentiam Syrupi evapora, & uſui ſerva. Ultimò

℞. *Spir. ſuperioris part. tertiam,*
Croci opt. ℥ß.
M.

Extrahatur ejus tinctura. Secundò:

℞. *Alteram tertiam part. Spiritûs,*
Rad. Cyperi rot. odor. ℥iß.
M.

Extrahatur tinctura. Tertio

℞. *Reliquam Spir. partem*
Extracti Martis inſpiſſat. q. ſ.
M.

Extrahatur tinctura. Tincturas omnes confuſas ſimul uſui ſerva.

Doſ. *à* ʒß. *ad* ʒij. *in omnibus uteri affectibus, fœtu pellendo, & ſecundinis, &c.*

Clyſſus, ſeu Quinta Eſſentia Menthæ,

℞. *Menthæ ſiccæ leviter conſciſſæ q. v.*
Aquæ communis tepidæ q. ſ.
Sacchari octavam partem reſpectu Menthæ,
Fermenti Cerevíſiæ cochleare unum vel alterum

ut fermentationem ſuſcipiant. Fermentatione ceſſante poſt duas vel tres circiter ſeptimanas deſtilletur liquor, ſic prodit ſpiritus una cum oleo; Spiritum hunc ab oleo ſeparatum rectifica ad ſummam uſque puritatem. Dein in cineres reduc magnam ſatis quantitatem ſtipitum Menthæ, ut inde ſal elixiviari poſſit ſecundum artem

℞. *Salis hujus partes duas,*
Olei partem unam.
Spiritus ſubtiliſſimi partes v.

Digerantur ſimul in M. B. per quatuordecim dies vel ulterius, donec omnia fere unita ſint, liquor hic poſtmodum uſui reſervetur.

NO-

NOTÆ.

1. Hæc Quinta Essentia in *balsamum*, sive *saponem* albicantem reducitur, si loco *Spiritus* optimè dephlegmati recipiatur *phlegmaticus*, ut *sal* extempore in eo *dissolvi* queat, sic coctione mediante *in unam massam* coagulantur, mollem *instar balsami.*

2. Loco proprii salis etiam *aliud fixum* recipi potest, præcipue, si *exactè alba & alcalia* sint.

3. Ubi *fermentatio* fieri nequit, *Spiritus vini*, ternis vel quaternis *cohobationibus*, imprægnetur particulis *volatilibus* illius simplicis: sic postea *proprio cum oleo & sale fixo* ulterius procedi potest, &, ut in omnibus, sic præcipuè in hac operatione *digestio* primarium obtinet locum: hac enim mediante *unio & exaltatio* fit particularum tam *fixarum*, *quam volatilium*, quæ præcipua *intentio* in hac operatione est.

Vires.

Egregium est confortativum ventriculi, vermes necat, flatus discutit, sangvinis coagulationem impedit. Dosis à gutta j. *ad guttas* x. *vel* xij.

Eodem modo ex *Melissâ*, *Lavendulâ*, *Majorana*, omnibusque aliis herbis Aromaticis *Q. E.* fieri queunt.

Succus inspissatus Chelidoniæ.

℞. *Herbæ Chelidoniæ q. s.*

Contundatur in mortario lapideo, donec Succus inde exprimi queat; Succus hic in B. M. detineatur per sex vel septem horas, donec omnes fœces subsederint, quæ à liquore claro supernatante separentur; liquor autem in M. B. bulliente evaporetur ad consistentiam pilularum, postea ad usum in vitro clauso reservetur.

NOTÆ.

1. Omnis *evaporatio Succorum* optimè procedit in *M. B.*, minus in arena, multò minùs igne aperto, quoniam facillimè alterantur, & *empyreumaticum* quendam *saporem* & *odorem* retinent, hoc modo præcavendum. Ob hanc causam inter *Chymicas* operationes *evaporationem & condensationem succi repono*, ut pateat, quasnam alterationes & immutationes *calor diversus* præbeat, ut &, in qua parte *salia* consistant, prout mox sequitur.

2. In *vitro clauso* reservari debent Succi tales; quoniam alias facilè

aëris

aëris humidum admittunt ob *ſalia interna* ibidem deliteſcentia, quæ ab Aëre *per deliquium* ſolvuntur: cavendum etiam eſt, ne *nimis* molles & *humidi Succi reponantur*; aliàs enim *ſitum* contrahunt, & pereunt, ni *alia encheireſi* præcaveatur.

Vires.

Ictero & febribus convenit, ſudores movet, venenis adverſatur, vermes necat. Doſis à ℈ß. ad ʒß.

Aloë Violata.

℞. *Aloës lucidæ* ℥iv.
Succi Violarum recentis ℥xx.

Mixta detineantur in M. B. continuè agitando, donec Aloë ſoluta ſit, fœcibus in fundo remanentibus, ſolutio limpida, per decantationem ſeparata, ulterius evaporationi committatur in eodem balneo ad conſiſtentiam pilularum, quæ ad uſum reſervetur.

NOTÆ.

1. Præcipua *purgandi* vis in *Aloës* partibus *viſcoſis* conſiſtit, ideoque *reſinoſæ* ſub forma fœcum latitantes, in hac præparatione *extractioni* ulteriori inſervire queunt *in ſpiritu vini*, ad *balſamationem corporum mortuorum* conficiendam.

2. Iterato *ſolutio* hæc tentari poteſt mediante *recenti ſucco*, ut tantò magis *Aloë* eo imprægnetur ad lubitum nempe Artificis.

3. Aliis etiam ſuccis & aquis diſſolutio & imprægnatio tentari poterit; ſic dicitur *Aloë Roſata*, ſi cum Succo Roſarum, *Aloë lota*, ſi cum aqua ſeparatio partium facta fuerit.

4. Omnia *purgantia*, & pleraque *extracta*, *efficaciora* eſſe ſolent in parte *viſcoſa*, quam *reſinoſa*: ideoque *opium* extractum *mediante aqua* communi ſtillatitia *efficacius* deprehenditur, quam quod mediante *ſpiritu vini* tincturam ſuam depoſuit. Inde etiam facilis patet *ratio*, quare *ſcammonium* cum *aqua communi* extractum *plus unico* operetur *grano*, *quam reſina* ejus *quatuor granis*; utpote particulæ hæ *ſalinæ viſcoſæ facillimè diſſolubiles*, à ventriculi ſalino humore *ſtatim* ſubiguntur & *alterantur*, ubiècontra *reſinæ pertinacius ſolutioni reſiſtentes* ſæpius *nullo* modo *alteratæ* dejiciuntur; vel hîc aut illic *plicis* ventriculi, aut inteſtinis adhærentes, continuam vel *nauſeam vel diarrhœam* procreant. Ultimo etiam pro nobis agit *ſententia Chymicorum*, quæ in *ſale fermentabili*

purgandi

purgandi vim residere affirmat, quod *in parte viscosa* potius latitare, quam in *resinosa* verſimile videtur, præcipue, quoad *fixiora ſalia*, quæ & *facilius in aqua, quàm in ſpiritu vini* diluuntur. Ideoque ratio patet, quare *Spiritum Vini phlegmaticum* præponamus rectificato in *extractione reſinarum.*

Vires.

Leniter purgat bilem & melancholicos humores, menſtrua etiam promovet. Doſis à gran. v. ad ʒβ.

Reſina Scammonii.

℞. *Scammonii, groſſô modô contuſi, q. v.*

Ei ſuperfunde *Spiritum Vini vulgarem ad ſupereminentiam aliquot digitorum*, ſtent in digeſtione per 24. horas; dein ſolutionem limpidam affusâ aquâ communi præcipita; ſic illico lacteſcet, liquor hic evaporationi committatur, donec ſpiritus omnes fugam tentarint; ſic in fundo ſubſidebit Reſina, ab aqua ſupernatante ſeparanda, & exſiccanda ſuper patinam vitreatam.

NOTÆ.

1. *Spiritus* etiam *rectificatus* adhiberi poteſt, verùm *Reſinæ vis purgandi* à menſtruis illis ſubtilioribus *ramoſis infringitur*; maturantur enim, dulcificantur, & *volatiliſantur ſalia interna acria*, unde *è purgantibus* fiunt magis *ſudorifera.*

2. *Reſina* hæc *minus* purgat, quam *ipſum ſcammonium.*

3. Tincturæ huic ſi *ſal tartari* addatur, *Reſinæ præcipitatio* impeditur, & ſic *non inefficax purgans remedium* evadit, *ſub forma liquida* aſſumptum.

4. Exſiccatio *diutinum* ſatis requirit *tempus*, antequam *ab omni humido* liberatæ fuerint partes *Reſinoſæ*; patinæ autem ne *adhæreat*, *oleo* quocunque *expreſſo ſuperficies* ejus *inungitur.*

5. Liquor *ſpirituoſus abſque* additione *aquæ* communis etiam *abſtrahi* poteſt mediante deſtillatione, qui *ſpiritus* ad *eoſdem uſus*, *vel ad alios* reſervari poteſt.

Vires.

Pituitam, ut & ſeroſos & melancholicos humores expurgat. Doſis à granis IV. *ad* ℈j.

Eodem modo conficiuntur omnes Reſinæ.

℞. *Extractum agarici.*

Agarici rasi q. v.

Superfunde ei aquam bullientem. Reponantur ſimul, donec frigefacta ſit aqua. Aquam hanc per linteum cola. Colaturam evapora ad Extracti, ſeu pilularum, conſiſtentiam. Dein in uſum ſervetur.

Nota 1. Super remanenti Agarico aqua recens ſuperfundi poterit, ut deinde denuò fiat Extractum, ſed hoc priori multò debilius fit, & etiam tormina ciere ſolet.

2. Eodem modo parari poſſunt omnia purgantia Extracta, ut fol. Sennæ, Hellebor. nigr. &c.

3. Si partes reſinoſæ in aliquo ſubjecto extrahendo præpolleant, pars aliqua Sal. Tartari (ſcil. reſpectu ſimplicium extrahendorum pars octava, vel quarta) cum parvâ qnantitate, id eſt, cochleari. j. vel ij. ſpir. Vini, addenda ſunt, qui ſp. Vin. additur, poſtquam aqua ſimplicibus ſuperfuſa fuerit. Hoc modo extrahuntur Scammon. Jalappa, Turbith, & cœtera reſinoſa.

4. Anglis, & Hollandis, Agaricus levis, & albus, Germanis ponderoſus magis placet.

Vires. *Bilem, & pituitam, & humores aqueos expurgat, flatus tamen generat, unde oleis carminativis, vel ſpiritibus illis, Extractum permiſcendum eſt. Inde ſequenti modo fit Extractio leniſſima, omnes humores purgans.*

Extractum, leniſſimè omnes humores purgans.

℞. *Raſur. Agaric.* ℥ij.

Fol. Senn. ℥iij.

Aniſi. ℥iv.

Rhabarbar. ℥ß.

Hiſce ſuperfunde aquam ebullientem, & procedatur, ut ante. Poſt colaturam edulcoretur mediante ſyrupo aliquo conveniente, & dein uſui propinetur.

Hæc unica doſis eſt, & pituitatem valde lentè expurgat, & humores omnes melancholicos, & biliofos. Non datur, pro qualitate, purgans melius Agarico.

Extractum anti-febrile.

Abrotanum incidit, aperit, menſes, & urinam, movet: antiſcorbuticum eſt: vermes necat: ſangvinem purificat. Paratur inde Extractum antifebrile hoc modo:

℞. *Ab-*

℞. *Absynth. vulgar.*
Fol. Card. ben.
Summit. Centaur. min.
Abrotan. ana mj.

Scindantur, & contundantur parumper. Contusis superfunde sp. Vin. rect. ad supereminentiam dig. j. Digerantur simul per XXIV. hor. Deinde tinctura clara separetur, abjectis fœcibus.

Nota bene. Si sp. Vini non conveniat, aut non expetatur, evaporetur tinctura ad medias.

Dos. *Tinctur. ab* ℥ß. *ad* ℥j. *horâ unâ antè paroxysmum; egregiè tollit febrem tertianam, & cottidian. præcipuè, si Camphoræ gr.* j. *aut* ij. *singulis dosibus admisceatur. Convenit etiam in ventriculi debilitate.*

Extractum Antipestilentiale maximarum virium.

Petasitis multum balsami continet, radix sc. Ego balsamum inde paravi, æmulum balsami copaibæ. Egregium est antipestilentiale; unde apud nostrates nomen suum sortita est, Pestwortel. Paratur inde Essentia Bezoardica, si cum rad. Imperatoriæ & Valerianæ earum Tinctura extrahatur mediante spir. vin. rectificatiss. Paratur inde etiam Extractum antipestilentiale seq. modo:

℞. *Rad. Angelic. Imperator.*
Valerianæ, Petasitid. ana ℥j.
Gentian. ℥ß.
Bacc. Laur.
Rad. Cav. ana ʒij.
Croc.
Gariophill. ana ʒj.
Ol. Juniper. Succin. ana. ℈iv.
Cortic. Arantior. ʒj.
Sal. Tartar. ℥ß.
Spir. vin. rect. ℥xij.

Primo pulverisentur radices omnes, qui in pulverem redigi possunt. Admisceantur iis pulveribus in mortario olea, dein adde Sal Tartar. omnibus, dein in vitro iis superfunde spir. vin. Extrahatur ex iis Tinctura mediante digestione per dies iij. vel iv. dein clarum a spisso per decantationem separa.

Vires. *Convenit in omnibus morbis per sudorem curabilibus, præcipuè*

contagiosis. Si contra venena hæc Essentia paretur, addatur singulis dosibus pulver. Contrayerv. ℈j. *& mira efficies.*

Dos. *à* ʒj. *ad* ʒij. *in vino vel convenienti liquore.*

Magisterium Herbarum.

℞. *Herbarum cujuscunque generis q. v.*

Iis admisce Sal Alcali in vigesima circiter parte, plus vel minus, prout libet, dein adde sufficientem quantitatem Aquæ communis, coquantur simul leni igne, ut saturato colore imbuatur liquor, tincturam per subsidentiam clarificatam præcipita cum solutione aluminis crudi, in aquâ communi facta; sic in pulpam quasi coalescet, & descendet pulvis, pluribus additionibus aquæ communis edulcorandus, postea exsiccandus.

NOTÆ.

1. Magisteria hæc si ex radicibus, floribus, & similibus *coloratis* fiant, dicuntur *laccæ*, & *pigmentis* inserviunt.

2. Sunt, qui inde *Lapidem Bezoar factitium* facere satagunt *sequenti* modo:

℞. *Cornu Cervi,*
Rasuræ Eboris ana q. v.

Coque in s. q. aquæ communis per aliquot horas, donec gelatinam deponant, in gelatina hac immisce magisterium ex herbis antidotalibus confectum, salv. rut, scord. & similibus, inde fiat primò minuta pilula & exsiccetur, exsiccata denuo immergatur tepidæ gelatinæ, hæc mixtura sic continuò accrescit, & super inducitur cortex cortici, ut in *lapide Bezoar naturali* conspicitur: eodem fere modo, ut **Calculus humanus** *à* parva, vel *nimis angusta meatuum constructione, è minimis* depositis & *retentis Calculi minutiis*, continò *coagmentatur*, & *sensim* ab alluvie *succedentis* urinæ, *viscosis &* crassis particulis refertæ, in magnam satis molem *agglutinatur*, & pondere suo augetur.

In hujus *productionem*, quoniam multa de ejus *artu & progressu* ventilantur, hic inquirere, eamque *secundum meam experientiam* paucis *explicare* animus est, quod non extra limites hujus operationis erit, cum fere *eodem modo* res sese, *ut* de lapide Bezoar *diximus*, habeat. *Calculus*, cum sit præternaturale *concretum solidissimum*, *in ipso fluido* productum, *tres* agnoscere potest suæ *concretionis & indurationis causas*, 1. *salia*,

salia, *terrestres particulas combinantia*, 2. locorum, seu potius *vasorum*, *angustiam*, *solidis*, *fluido innatantibus*, *percolationem difficiliorem reddentem*, *vel plane* interdum *negantem*, 3. *exiccationem seu privationem potissimi fluidi interni*.

Salium actionem hic requiri, & *necessario* concurrere, nemo sanæ mentis compos negat; sed *quænam salia* illud efficiant, *quonam modo* hoc perficiant, de iis lis est. Indubitabilis est *lex naturæ*, *nulla corpora statum suum mutare*, *nisi coacta*, id est, nisi *aliorum* corporum interventu *pori*, *vel meatus* horum *repleantur*, *expulsis*, vel magis saturatis, ibidem *antea contentis*, particulis, unde *figuræ immutatio* propriè tantùm hic respicitur. Ex hac *regula* facile sequitur, *nunquam* aliquod *corpus per se* consideratum, posse *sui interitus*, *vel alterationis esse causam*, nec *ejusdem figuræ corpuscula diversissimas actiones*, quamdiu *in illa figura* & mixtura perstant, *producere*, multò minus *hanc figuram* posse *perstare integram post separationem corporea mixturæ*. Brevitati igitur studentes inde concludimus, *hanc coalitionem præternaturalem causam* agnoscere *externam*, qua mediante partes *terrestres* ab *aquosis & salinis secessum* fecere, in statu suo plane *immutatæ*. Novi *spiritum Gorgonium*, verbo satis horrendo, ab aliquibus, ne videantur nihil dicere, *pro causa* in scenam produci; verum ille *spiritus*, *sensus* nostros fugiens, *manus* etiam experimentantis deludit. *Aliquid* autem videntur dicere, & plurima pollicentur, qui per *analysin Chymicam* in partes divisum *Calculum* suis Auditoribus demonstrant, & *sal volatile*, *naturæ* nostræ, omnibusque solidis & fluidis Animalium partibus familiare, & *amicum*, *inculpant*. Quasi verò idem *sal volatile* corpori *vitale* sit jam *lethale*, *sine ulla præcedenti causa* & ratione *sese ab oleo suo separans*, postmodum *terram* aggrediens, in *Lapidem* cudendam. Sed velim, tales mihi & aliis *ullum* demonstrent *oleum*, à suo *interno sale liberatum*, quod non *in terram* vel *fuliginem*, *nullo modo cohærentem*, decidat. Hinc egregia illa sequi debet ratio, *sal sese separat à sua levissima conglobata terra*, *ut eandem postea alio modo aggrediatur & transmutet*. Sed quam hæc implicent *difficultatem* noverunt *peritiores Chymici*, qui *verba sine experientia* pauci æstimant: Nam ubi *semel* mixtura *terræ* à suo humido & *sale* fuerit *discontinuata*, *non* ita facile *consortium denuo admittit*. Si vero *alia* esset *terra* ibidem *vicina*, an & illa suo non scatet *sale*? imo, quamdiu illa *divisa* retinetur in *poris* & *meatibus urinæ*; illo enim *fuga* elapso, *terra* est *iners*, & *mixturas* reddit *turbidas*, & *inæquales*. *Destillationem* credimus in pluximis corpusculorum *diversas partes contentas* educere, sed non tamen

inde *primæ coalitiones & ortus rerum* designari possunt, imo nec semper *omnes partes constituentes*, quoniam *pertinacissima* sæpius *unione* ita ligantur, ut *divortium* postea *minimum*, vel *nullum*, vel plane *immutatum* admittant; quod patet in *spiritibus acidis* super Venerem, Saturnum, corallia, calcem &c. fusis, è quibus nullus, ut credo, saltem aliquo modo *in Chymicis operationibus* versatus, *eundem* sibi polliceri auderet *spiritum*, per ignis torturam extrahendum. *Labilis* igitur est *sententia Chymici*, *nullas alias* adfuisse *combinationis causas*, *nisi eas*, quas suo more *divisas obtinuit* particulas. Illæ enim partes tantopere *situm & figuram* suam *mutare* potuere, ab ingressu & continuo *transitu materiæ subtilis*, *aëris*, *aquæ* &c. ut plurimis hic illic *abrasis*, *alioque modo dispositis*, à *prima mixtura & productione* toto cœlo *differant*. Haud ignotum insuper *Chymiæ* saltem *limina transgresso* esse potest, corpora *terrestria* per *impetum externum*, & per *collisionem salium*, *sui generis & figuræ salia* & *spiritus incarceratos*, & pro maxima parte *illæsos reservare*, in tubulis & capsulis durioribus *inclusos*: unde è *magisteriis* & *præcipitatis spiritus iidem* sæpius educuntur, qui *antea* pro corrosione *inservierunt*, vel ibidem *præextiterunt*. Illud *infinitis exemplis* demonstrare possem, sufficiunt autem *sequentia* notissima experimenta. In *tartari vitriolati* confectione, mixtura requiritur *acidi spiritus vitrioli*, & *alcali tartari*, hæc si confundantur, *albissima* fundum petit *massa alcalina*, *ex oleo tartari decidua*, quæ, nisi violentius *agitetur*, ab *acido superfluente* non attingitur. *Luna* per *aquam fortem corrosa*, postmodum cum *oleo tartari*, vel quocunque sale alcali *præcipitata*, optimeque per aquas affusas *salibus* exterioribus *privata*, *fusibilis* non est *sine* multa *jactura lunaris calcis* per mixturam *spirituum acidorum*, unionem viciniæ prohibentium; addito autem *sale alcali in majori copia*, *acida salia* primum expelluntur, aut *mortificantur* in ipso *igne fusorio*, tubulos illos maxime referante, & *salium* liberum *ingressum* & *egressum* procurante &c. unde liquando *confluit metallum acido sale liberatum*. Tandem, qui *salem volatilem* pro *causa* agnoscunt, eos unquam *experimentis ratiocinia sua fulcire* posse valde dubito, cum non ita facile in corpora *mere terrestria illaqueari* sese sinat, nisi à *contrario* ibidem delitescente *sale* coerceatur à fuga ulteriori: mihi, quod sciam, *nullum tale experimentum* hucusque cognitum fuit. Ut autem *salis volatilis innoxiam actionem* tuear, *urinæ & Calculi* exinde oriundi *historiam naturalem experimentis confirmatam*, quantum possibile, breviter proferam.

Corpora eatenus *fluida* dicuntur, quatenus *figura* divisa eorundem in mini-

minimis particulis *rotunda*, vel porosissimæ *sphæricæ proxima* existit, quæ sphœrulæ ab *ætheris influxu*, interna salia, & aquam aere gravidam in levem expansionem reducente, *circumagitantur*. *Fluiditas* hæc *cessat*, quamprimum *oblongæ* planæ & *rigidæ partes*, *salinæ & densæ terrestres* fiunt, unde *non tanta interstitia* derelinquentes illæ superficies arctius compressæ, *humorem aquosum* pro maxima parte eliminando, *duritiem* & *rigiditatem* concipiunt. Idem contingit in nostro *Calculo*; *Urina* enim *colamen serosum nostrorum humorum*, per glandulas *suo modo figuratas*, & proprio corpore *salino* instructas, perfluit, *oleosis* & *salsis leviter muriaticis*, *terræ ulteriori junctis*, *constans particulis*, quæ ab *aquoso plurimo consortio* diluuntur, & *cribratione calida* in minimas guttulas dispescuntur *sphæricas*, prout in lacte & emulsionibus *majores globuli* in multa copia apparent. Hæc corpuscula *libero motu juxta se invicem* fluunt, & *placide percurrunt* sua vasa, quamdiu illa *figura porosa ac rotunda* perstat corpusculorum *ramosorum terrestrium*, & quamdiu *suâ terrâ sal muriaticum compescitur*. Sed *vitiata figura*, & *turbata mixtura*, *in se mutuo ruentium* particularum signa certa præcedentia exhibuerunt, ut in *vinis*, aliisque liquoribus, ante *fermentationem* turbatis, ad oculum patet; *sic in nephriticis*, *idem designatur* per *dolores colicos*, *nauseam*, *vomitum* & *urinæ pallidam turbationem* fere eandem, ut in musto fermentante &c. *Muriatica* dixi *salia* latitare *in Urina*, id est, acido-salsa, & *non mera salia volatilia*, talia nempe, qualia per destillationem eruuntur, quod probatur sequentibus experimentis. *Nulla* observatur *effervescentia* illius *salis urinosi*, *in* naturali adhuc *Urina* existentis, *cum acido*. 2. *Præcipitat Urina Mercurium* in pulverem *album*, qui aliquo modo rubet secundum Urinarum *intensiorem* vel *dilutiorem* colorem flavum aut rubrum; idem vero pulvis est ejusdem notæ *albus*, *ac ille*, qui cum *sale communi* muriatico fit, si Urina limpida & aquosa existat. Plane contrarium observatur in *salibus volatilibus Urinæ*, *salis ammoniaci* &c. *nigram*, vel ad minimum *obscurè gryseam præcipitationem Mercurii* in aqua forti soluti, efficientibus. 3. *sal volatile nullum ex Urina recenti* obtineri potest, quamvis *sal extricatum* manifesto *sapore* & *odore* sese offerat, quod & in reliquis suis *actionibus* manifestatur, signo *acidi præsentis*, *salium fugam coercentis*. Oleum enim, ut diximus, pro maxima parte seorsim sub forma *minimorum globulorum internatat* Urinæ, quod è *sale volatili*, *intermixto terræ leviori conglobatæ*, conflatur. Hisce experimentis innixo, *sequentia ratiocinia* verisimilia, si non vera, deduci posse mihi videntur: 1. Hanc *acidita-*

tem,

tem, quæ pro *muriatico* illo *leviori ſale* conſtituendo requiritur, poſſe *augeri* & *intendi*. 2. Ex *aciditate* illa aucta *placidum* particularum juxta ſe invicem *curſum* alterari debere, ob *ſalis* illius *ingreſſum in poros olei*, cujus ope *ſal volatile ſpirituoſum* inde *partim deturbatum*, *partim incarceratum* conſpicitur. 3. Statum corpuſculorum *terreſtrium*, quæ una *cum ſpiritu & ſale hoc oleum* antehac conſtituebant, plane *rigidiorem* & *immobiliorem* fieri debere; eodem modo, ut *oleum terebinthinæ cum oleo vitrioli*, *oleum garyophillorum cum ſpiritu nitri*, in duram & *ſolidam* vertuntur *conſiſtentiam*. 4. Hæc è *ſphœrica* figura, *ramoſam* & *fibroſam oblongiorem*, per *alliſionem* & impetum illum, ut & per *ſalium majorem accumulationem*, induentia, facile *arctius* nunc hamulis & ramulis ſuis necti, expulſo *humido intermedio*. 5. Hinc ſenſim per *calorem* ulterius in *lapideam duritiem* illas partes *terreſtres* velut excoqui, ubi *æqualiori cortice* ſeu involucro obductæ fuerint ad *externam dilutionem præcavendam*. 6. Quamdiu autem *non admodum adhuc clauſa & compacta* fuerit illa *ſubſtantia muriatica*, *ſalia* in magna ſatis quantitate potuiſſe ibidem *irretiri*, quæ inſtar clavorum *tanto majorem rigiditatem* inducere debuere. 7. Verum, prout in varia *coagula*, majora & minora, ut & in *flocculos minimos*, plerumque præcipitata rediguntur, quæ in *diverſos duriores grumos* vel *criſtallos* temporis tractu, ſi tantum in eodem liquore *diutius* perſtent, *coaleſcunt*: ſic & *infiniti generis*, & *figuræ Calculos*, *arenulas* & *viſcoſas molles*, nondum ad ultimum concretas, *particulas*, hic produci neceſſe eſt, quæ *forma* externa, *colore* & *conſiſtentia*, ratione *loci*, (in quo *producti* fuere, vel *indurati Calculi*) *ſalium præcipitantium*, & *terreſtris corporis præcipitati*, à ſe invicem *differunt*, uti ſparſim in aliis operationibus notavimus, & adhuc uberius notabimus.

Hæc de *Calculi ex nimio acido Urinæ productione* ſufficerent, niſi *experimenta* aliqua addere ad majorem *elucidationem* placeret. Urinam à depreſſo, & *non extricato*, *ſale volatili* dependere *ſequens experimentum* demonſtrat: Urina jam *turbida nephritici* ſuper ignem poſita per ſe turbatur in *grumos*, ab actione majori illius *acidi coagulantis*; verum *addito ſale volatili ammoniaci*, vel, quod melius, *urinæ*, limpida inſtar ſanorum fit in coctione, mortificato nempe acido. Idem experiri licebit in *Urinis hydropicorum*, *phthiſicorum*, & ſimilium, quæ per ſe ſuper ignem *coagulatæ ſolutas ſe ſiſtunt* additis *ſalibus alcalicis*, quod ipſum egregio modo illorum *ſententiæ* patrocinari pro illo tempore videtur, quamvis in plurimis aliis morbis contraria experimenta illius hypotheſis falſitatem evincant, aut ſaltem maxime enervent, nempe *omnes morbos*

ab

ab acido oriundos esse, quoniam innumeræ urinæ ab acidis limpidæ ac diaphanæ evadunt. Hinc non mirum, *Calculos* ab aliis, & à me *in plerisque corporis partibus* observatos, qui & per *tussim*, & per *vomitum* ejiciebantur ob easdem causas. Ab *acido addito* eædem Urinæ *denuo*, ut ante, *turbantur*. *Urina recens in Arte Tinctoria* vices *muriatici salis* supplet, *vetusta salis volatilis alcalici*, quod in ligno Brasiliensi, & in omnibus *rubris coloribus* unusquisque experiri potest. De *præcipitatione Mercurii alba per Urinam* diximus. Convertitur Urina facillime ratione sui salis in *nitrum & sal ammoniacum*, quod ab ejus *acido interno* derivandum est, adjuvante *aereo sale acido*, qui & nobis per *inspirationem* communicatur. *Nephriticis* doloribus correpti *vomitus acidos* utplurimum obtinent, & *sudores*, *aceti halitum redolentes* &c. &c.

Restat jam inquirendum, *quare salis acidi, aut fixi pauca, aut nulla vestigia in destillatione appareant*, quoniam nimirum plane *fixata sunt in sua terra*, ibidemque alterata per mixturam; sic, ut credo, nullus negabit, *cum aceto saccharum Saturni* confici, è quo *nunquam spiritus denuo acidus* ejusdem notæ elici poterit; sic *spiritus nitri*, *calci vivæ superfusus*, *albus & vix acidus*, contra naturam spiritus nitri, denuo in destillatione ascendit; sic *aciditas vix ulla è tartaro* producitur, si igni committatur, quamvis illa sit *manifesta* in ipso. *Acida* insuper *alcalicis* secundum artem juncta, intime *sali volatili* uniuntur; sic *spiritus salis ammoniaci*, mixtus cum *aceto destillato*, à *volatilitate* sua non desistit, imo *sp. nitri*, in mediocri quantitate *sali volatili* junctus, vix ac ne vix quidem deprehendi poterit, nec *denuo* ab ipso *separari*. Quid igitur *de Calculi acido* dicemus, ex parte *intricato terræ ramosæ*, cujus ope plerumque *volatile & alcalinum* fit, ut in *putrefactis vegetabilibus*, è quibus *antea plurimum salis*, *& spiritus acidi* obtineri *per se* potest, sat manifeste patet, ut & in *nostro ventriculo*, ubi *acida & muriatica* assumpta per concussionem & mixturam fiunt *salina volatilia*, maxima ex parte *alcalia*, quæ toti corpori exaltando, & in *debito motu conservando* inserviunt: per *muriaticam subtilissimam inspirationem* autem *aëris*, & *halitum ventriculi levissimum acidum*, in amica & *non superflua copia* exceptum, illorum *nimia tenuitas* prohibetur? &c. &c. Illud absorptum *partim latitat in suo alcali*, *tam fixo*, nempe *terra*, è qua *erui nequit*, prout nec ex minio calcinato & similibus, *quam volatili sale*; partim *dilutum* & expulsum illud fuit in *sero*, manifesta & corrosiva quasi *acredine* sese orificio vesicæ offerente. *Quod*nam vero *acidum*, & *cujus figuræ* sit, hoc opus hic labor est inquirere; non enim

quodvis acidum cuivis corpori, etſi alcalino, figendo vel coagulando inſervit: *proportionata* debet eſſe *figura* utriuſque *ſalis & terræ*, antequam ſe mutuo diverſimode afficiant. Sic plurima ſunt *acida*, quæ *ramoſa fluidiora* non attingunt, vel *fluidiora* reddunt; ſic ſpiritus nitri *oleum ligni ſaſſafras non* arripit, *Oleum garyophillorum ſtatim* ſubintrat, quamvis utrumque *fundum* petat in aqua, *camphoram liquidam* reddat &c. *Aqua regia calculos* non ita diſſolvit, ac ſuperfuſa *aqua fortis*.

Sed ultra limites brevitatis hic egreſſum excuſatum habeat *Æquus Lector*, quem *reliquis*, ad hanc materiam *requiſitis*, detinere amplius nolo, ne patientia Ejus abuti videar. Sicco igitur pede tranſeo reliqua experimenta & ratiocinia, *de lapidum in macrocoſmo generatione*, *de deſtillatione Urinarum nephriticarum*, quæ minorem *ſalis alcalici* fundunt copiam, *de rubedine ejus Urinæ manifeſta per additionem Sp. Nitri*, de *albo ejus coagulo per acetum deſtillatum*, *de citrino limpido colore per ſpiritum alcalinum volatilem* &c. Nec attingam quæſtionem, *an dentur lithontriptica*, & *quænam maximè convenientia ſint medicamenta antinephritica*, *an balſamica* & *oleoſa ſalia involvendo*, *vel*, quod veriſimilius eſt, *partes fibroſas obliniendo*, ne *roſionem acido-acrem* in illas partes inſtituere poſſint, *actiones ſuas abſolvant*. Hæc omnia nimis longa omittens concludo, nunquam rationem illam eſſe validam, *aliquod corpus ex ejuſdem figuræ particulis eodem modo conflari*, *prout in analyſi Chymica diſflatur*. Sic enim totum corpus humanum, & *quodvis animale in oleum*, *ſal volatile*, *& terram* reducitur, majori vel minori *aquæ* copia inſtructa, quæ *phlegmatis* nomine venit. Sed ad penſum noſtrum, cujus fere obliti eramus, redeundum.

3. Etiam cum *aliis acidis ſalibus* fieri poteſt *præcipitatio*, ſecundum intentionem nempe Artificis; ex *alumine* enim plures etiam præcipitantur *partes terreſtres*, quæ ſeſe magiſterio *permiſcent*.

Vires.

Vires eaſdem obtinent, quas ſimplicia: Verùm paululum, ratione mixturæ ſalinæ, alteratas, ideoque ſæpius præſtat ipſa ſimplicia pulveriſata recipere, hæ enim partes nihil aliud ſunt, *niſi pulviſculus tenuior mediante ſale alcali & aqua extractus*, *& à contrario ſale fluido præcipitatus*; in omni autem *ſubſidentia* partium *terreſtrium*, cum plurimæ ſalinæ ſe implicent, *ſimplices eas eſſe* nunquam cenſemus; &c. *Doſis pro ratione ſimplicis major vel minor eſt.*

CAP.

CAP. XVI.

De Balsamis.

BAlsama sunt *particulæ crassiores unctuosæ*, *mediæ consistentiæ inter unguenta & olea cocta.* *Triplicis* plerumque dantur *generis*, vel *nativa simplicia*, vel *composita*, *è* diversis *oleis crassis*, vel sulphureis durioribus particulis, junctis *oleo fluido*; vel sunt *olea crassiora*, subsequentia *post oleum magis fluidum* in *destillationibus*; ultimò etiam hisce addi posset *oleum destillatum vetustius*, quod temporis tractu *fluidissimas* deposuit particulas, *fuga* aërem petentes, & corpus terrestre deserentes. Secretiori modo etiam fiunt *Balsama è salibus & oleis*, secundum artem junctis, & in *consistentiam saponis* redactis, quorum *exempla sequentia methodum præparandi* demonstrant: Quod verò ad *Balsama naturalia* attinet, illa eodem ferè modo produci censemus, ac *olea*, *post destillationem* à spiritu sensim exhalante *crassiora* facta, unde *lentorem* sibi acquisiverunt, ob plurimas nempe particulas *terrestres remanentes*, *paucissimas* verò *spirituosas*, unde *Balsamum Copaivæ*, *Peruvianum*, & similia. Plurima *Balsama* autem *levi destillatione*, à particulis terrestrioribus liberata, *olea* fundunt *subtilissima*, *excepto Peruviano.*

Balsamum Sulphuris vulgare.

℞. *Sulph.*, *vel Florum ejus*, ℥ij.
Salis Tartari ℥j.

Misceantur, & liquefiant exactè, donec atro-purpureum induant colorem, hisce postea pulverisatis adde

Olei Terebinthinæ ℥iv.

Coquantur simul in phiolâ vitreâ in arenâ repositâ per tres horas; dein omnibus frigefactis clarum à fœcibus separa, & ad usum serva.

NOTÆ.

1. Etiam absque Sale Tartari *Sulphur* in *Balsamicam* dissolvitur *substantiam*; verùm *non tantæ efficaciæ*, quoniam, *acido* ejus hoc modo *mitigato*, *potentius* austeris & *acidis* circa pulmones *halitibus*, & *pituitæ* magis *incidendæ* conducit.

2. Etiam *major quantitas* olei Terebinthinæ adhiberi potest; ut autem *absque jactura* illud fiat, mixtura illa, *cucurbitæ vitreæ* imposita, *alem-*

alembico munita decoquatur; sic omne *oleum Terebinthinæ transit* alembicum, quod *alias perit*, remanente in fundo *Balsamo crassiore*.

3. *Balsamum* etiam *stillatitium* inde fieri potest, si mixtura, retortæ vitreæ imposita, *ad siccitatem* usque *abstrahatur*; sic *primò* elevatur spiritus Terebinthinæ, *secundò* oleum leviter flavescens, *tertiò* Balsamum crassum seorsim excipiendum; oleum hoc *primum & secundum* super *fœces iteratò* destilletur; sic omne sensim *Sulphur* transit in *Balsamum*.

4. Etiam *alia olea* loco Olei Terebinthinæ adhiberi possunt, ut sunt oleum *succini*, *juniperi* & similia. Unde dicitur *Balsamum* illud *succinatum*, *juniperatum*, &c. secundum differentiam oleorum adhibitorum.

5. Si verò *olea carminativa* recipiantur, ob *facilem* eorundem *empyreumatis* contractionem *sequenti* potiùs modo procedatur:

℞. *Massæ Sulphuris densioris suprascriptæ* ℥ij.
Olei. Anisi ℥iij.

Coquantur in B. M. per octo horas, materiam sæpius agitando, postea frigefacto vase Oleum supernatans tinctum usui reponatur. Sic & *Balsamum* stillatitium *crassius præcedens* recipi potest, cui tantum *olei alius stillatitii* admiscetur q. s., ut debita dilutione *Balsami* consistentiam acquirat.

6. Ex hac etiam massa *Tinctura Sulphuris* brevissimè obtinetur, addendo *Spiritum Vini leviter rectificatum* ad supereminentiam aliquot digitorum; sic Spiritus Vini saturatur *colore subrubro Sulphuris*, qui mediante *digestione* magis ac magis *intenditur* ratione *salini vehiculi*, *sulphureas* & *ramosas* particulas, tam *Sulphuris*, quam ipsius *menstrui exaltantis*.

7. Balsamum hoc nihil aliud videtur esse, quam *copula Sulphuris cum Oleis stillatitiis*, quæ acceleratur additione *salis fixi*, vincula illa *acida infringentis*, & texturam *Sulphurei* corporis *reserantis*, ita ut *cuivis* postea *menstruo* pateat ingressus, imo non solum *oleis*, verùm & *spirituosis*, ut & ipsi *aquæ communi*; salia enim fixa sunt tanquam *claves*, quibus mediantibus aditus ad intima *ramosorum corporum* penetralia patefiunt, quod & postea ulteriùs observabimus. Mirandum autem est, *Sulphur* per se, vel cum aliis additamentis spirituosis, vel salinis, *nunquam nisi in flores* redigi, quocunque etiam regimine ignis; cum *oleis* autem stillatitiis & expressis *facilè alembicum ascendere* sub formâ fluida *Balsamicâ*, quoniam, ut mihi videtur, quodammodo *inflectuntur*, & *magis molles* fiunt *Sulphureæ acidæ rigidæ* particulæ, consortio oleorum fluidorum:

quam-

quamvis *ferè omne oleum* denuo *avocari* possit restante solo *Balsamo sulphureo*; *ut* &, quoniam *spiritus internus oleorum* additorum, magis *rarefactas & mobiles* videtur reddidisse particulas *austeras & acidas internas*, in *Sulphuris* compage existentes. Eodem modo ut *plurima naturalia corpora*, *pistillo* tantum *unita magis fluidum vel firmum* obtinere solent statum: sed de hisce in *alio Tractatu* latius, ubi *corporum statum naturalem* ulterius examinabimus.

Balsamum *Saturni* eodem fere modo conficitur è *saccharo Saturni*, & *Oleo Terebinthinæ*, à quo *oleum* denuo ad *crassitiem Balsamicam* avocatur mediante destillatione. Hoc *Balsamum* si ulterius urgeatur fortiori igne, fundit oleum rubrum crassius, *Oleum Saturni* plurimis Authoribus dictum; cum revera nil aliud sit, nisi *oleum Terebinthinæ crassius* redditum ab *halitibus acidis* & spirituosis *Aceti*, *in sale Saturni* existentis, sese huic insinuantibus, ut pleraque solent acida: minima autem pars, vel *fere nulla*, *Saturni* cum oleo dicto *ascendit*. Dantur autem *metalla* & *mineralia*, quæ & *colorem*, & *partes aliquas* dimittunt, imo & *Saturnus* rite tractatus plurimas sui partes *in altum ascendere* patitur. Sic è *cupri* dissoluti *cristallis Balsamum* fit, oleum stillatitium *viride* fundens &c.

Vires.

Pulmonum vitiis succurrit, unde conducit asthmati, tussi & similibus; urinam provocat, & calculum pellit. Dosis à gattis iij. *ad* ʒß.

Balsamum Mortuorum.

℞. *Aloes lucid.* ℥vj.
Myrrh. elect. ℥viij.
Bensoes,
Storac. calam. an. ℥j.
Sp. Sal. comm. rect. ℥iiij.
Vin. rect. ℔iiij.
M.

Digerantur simul in MB. per 2. vel 3. dies, materiam sœpius agitando, donec saturo colore tinctus liquor appareat, quo decantato utere.

NOTÆ.

1. Sp. Salis additur, ut *salis volatilis motus & fuga*, è *quibus putrefactio*, *cohibeantur*; Storax & Bensoin, præter alios usus, *odorem exhibendi* gratia addita sunt.

2. Cum Sp. Salis & Vini extrahi possunt *& alia resinosa*, quæ *cadaveris colorem* non mutant, cui deinde *vernix conveniens ad aerem arcendum* superinungi potest.

Vires.

Cadaveribus condiendis & præservandis à putredine inservit, quo undique illiniuntur, unde dicitur pollinctura: ipsa autem cadavera hac mixturâ imbuta & exiccata, mumiæ appellantur. Præter usum dictum interne etiam exhiberi potest in morbis chronicis, vermibus, putredine &c. Dos. ad ℈ij.

Liquor Balsamicus albus.

℞. *Sp. Terebinth.* ℥j.
Ol. Succin. citrin. ʒj.
Myrrh.
Camph. an. ʒiij.
Sp. Frumenti ℔vj.
Sal. comm. ℥vj.

M.

Destillentur simul, quamdiu limpidus per serpentinam effluxerit liquor spirituosus.

Hujus Spir. prolecti ℔iij. adde
Terebinth Venetæ albiss. ʒiij.
Gumm. Copal. ʒj.

Stent in loco frigido, aut saltem non admodum calente, per dies tres aut quatuor, aliquoties liquorem de die agitando, ut levissimas excipiat hasce resinosas particulas, dein usui reconde.

Vires.

Iisdem usibus inservit, nempe cadaveribus præservandis, iisque sensim sine magna coloris jactura indurandis, &c.

Balsamum Nephriticum.

℞. *Ol. Amygdal, dulc. recent. expr.* ℥iiij.
Papav. alb. rec. expr.
Lini rec. expr. an. ℥ij.
Nucist. expr. ℥ß.
Petræ, ʒv.
Bals. Copayv. ʒvj.

de

de Peru ℥ij.
Ol. Junip. ℈iiij.
Anis. ʒj.
Vitriol. ℥j.
Camphor. ℈ij.
M.

Agitentur ſimul, donec inſigniter calefiant, & nigrum acquirant colorem, ceſſante calore digerantur in M. B. per 2. dies, ſœpius materiam agitando, dein ad uſum repone.

NOTÆ.

1. *Calor & Color* ab olei Vitrioli admixtione procreantur, quod impetum faciens in particulas *ſpirituoſas, in ramoſis* deliteſcentes, eas *rigidiores* reddit, ubi *meatus* interſtitiaque occupaverit: unde *ſolidius* corpus redditur *& craſſius*, à plurima *tranſpoſitione irregulari particularum terreſtrium opaca* & magis colorata fit *mixtura*, unde *intenſa rubedo.*

2. Quo *recentiora Olea* aſſumuntur, eo *viribus* propriis eſſentialibus *magis dotatum Balſamum* acquiritur: nam eorum partes *ſpirituoſæ* non raro *immutantur inteſtino motu*, vel *pereunt exhalando.*

3. Oleum Vitrioli debet eſſe *rectificatiſſimum*, alias vix cœtera olea aggreditur, unde *nulla debita mixtura, nec conſiſtentia* obtinetur: identidem inſervit *ſpirituoſo nimio motui compeſcendo* cœterorum *Oleorum*, qui non ſemper *tam vehemens in hoc morbo curando* deſideratur, ſed potius, *ut leniat & blande pellat.* Nec eſt, quod de *corroſiva aciditate olei Vitrioli* nobis metuamus, cum *illius ferocia planè mitigata, imo ſublata* appareat in *ramoſis craſſis* particulis & *ſalibus ſpirituoſis* incarcerata, ut patet in ſulphure &c.

4. Abſque *digeſtione* etiam in uſum adhiberi poterit poſt plenariam refrigerationem. Ea autem fit ad exactiorem partium *unionem*, & majorem *acidi cicurationem.*

5. Præſtat Olea mixta *parum calefacere* in M. B., *donec unita* ſint, dein *guttatim tepenti oleo* infunde acidum Vitrioli, *donec omnia mixta.*

Vires.

Temperatum eſt medicamentum, in renum doloribus, ut & flatibus ſummi uſus, urinam & calculum pellit, anodynum eſt, pectoris vitiis ſuccurrit. Doſis à gtt. x. *ad* ʒj.

Bal-

Balsamum Odoriferum.

℞. *Olei Nucis Moschatæ, ad albedinem mediante Spiritu Vini redacti,* ℥ij.
Olei Jasmini odoratissimi gutt. x.
Cinnamomi,
Garyophillorum ana gutt. ij.
Ligni Rhodii gutt. vj.
Zibeth. gr. iij.
Moschi gr. IV.
Ambræ gryseæ gr. vj.
Misceantur exactè, & tingantur cum parva quantitate Laccæ Florentin., ad usum in pixide reservetur.

NOTÆ.

1. Dosis Oleorum potest *augeri, modò ne nimis liquida* fiat massa.
2. Ingredientia *Olea quæcunque* assumi poterunt, secundum intentionem Medici, ita ut *vilius vel pretiosius* præparetur *Balsamum.*
3. Sequenti methodo *cætera* etiam facilè *Balsama* fieri queunt, si respectus *primo* habeatur *colorum*, e. g. si *ex herbis viridibus olea*, è quibus *Balsama* conflantur, extracta fuerint, etiam magisteria herbarum viridium adhibeantur; si è *corticibus* vel *fructibus* hujus vel illius *coloris*, è quibus *magisteria* non tam aptè fieri queunt, conficienda sint *Balsama*, recipiantur *colores propiùs accedentes*: e. g. è *cinnamomo* confecto *Balsamo* adde unam partem *boli Armenæ*, tres *magisterii curcumæ*; si è *garyophillis* conficiatur, adde ipsos *garyophillos* subtilissimè pulverisatos. *Secundò* attendendum est summopere ad *olea addenda*, an *magis vel minùs fortia* existant, unde etiam *quantitas oleorum augenda vel minuenda. Tertiò & ultimò alia* etiam *corpora Balsamo constituendo crassiora* adhiberi queunt, ut sunt *cera, axungia lota*, &c. Verum, quoniam facile *rancida* evadunt, *avolante* nempe *subtiliori oleo fragrante*, præponimus illa *Olea*, vel *seva duriora*, è quibus omnis *odor & sapor* menstruo spirituoso *extracti* fuerint, postea unum idemque erit, *quod corpus* assumatur: non, quoniam magis olea retinent, sed, quia *oleis deficientibus illa corpora inodora* existunt, adeoque *rancida evadere nequeunt* &c.

Vires.

Plerumque odoris gratia illinuntur huic vel illi parti ad cerebrum & spiritus refocillandos.

Balsamum florum Hyperici, ut & quorumvis aliorum.

℞. *(Folior) Flor. Hyperic. Chamill. &c. s. q.*

Infundantur *Ol. Terebinth.* Digerantur simul per dies, ij. vel iij., donec colore illius simplicis imbutum sit. Dein coletur Oleum, & exprimatur. Oleo huic recentes adde flores, vel herbas, & denuò procede, ut ante, operationem hanc ter, vel quater, repetendo. Oleum deinde clarum tinctum aquæ superfundatur, & evaporetur mediante coctione, donec Balsamum resideat, vel destilla leni igne per retortam, in arena, donec quarta circiter pars supersit in fundo retortæ. Sic obtinebis Balsamum crassum (unctuosum, instar sangvinis rubicundum) quod ulterius, si lubet, in sole, vel hypocausto, in formam duriorem redigi poterit. Hujus ℥ß. Olei ℔j. tingit.

Nota. Si ex herbis calidis oleum fundentibus, ut menth. majoran. roremarino &c. fiat operatio, oleum proprium stillatitium, post Balsamum factum, affundatur.

Mixtura cum oleo olivarum tali modo fit: Clarefiat Olei ℔j. in B. M. bulliente, dein sensim infundatur Balsam. ℥j. & miscendo simul uniantur.

Vires. *Insigne est vulnerarium, nervoso generi optimè conveniens, si gutta j. vel ij. vulneri instillentur. Internè curat omnia apostemata, ulcera, hæmorrhoides internas, & fistulas ani sanat.*

Dos. *à gr.* iij. *ad* ℈ß. *bis in die.*

Calculum etiam summopere pellit: & melancholiæ hypochondriacæ subvenit, scilicet internè sumptum.

Balsamum Apoplecticum.

℞. *Ol. Nucist. sive Nuc. Moschat express.* ʒij.
Mosch. gr. viij.
Zibeth. gr. x.
Ol. Rorismarin. gutt. vj.
Lign. Rhod. gtt. x.
Jasmin. gtt. xx.
Balsam. Peruvian. q. s.
Misce fiat Balsamum s. a.

Primò in cochleari magno æneo liquefit Oleum Nucistæ, spatulâ agi-

agitatur. Quando frigefieri incipit, admiscentur olea, agitando post singulorum instillationem. Postremò tantum Balsami Peruviani instillatur, q. s. ad colorem rubro-nigrescentem inducendum. Instillatur autem partitis vicibus, spatulâ semper agitando, & bene miscendo.

CAP. XVII.

De Salibus Compositis Mineralibus.

Salia composita ea dicuntur, quæ è particulis *fluidis & solidis* confecta sunt. Quamvis sub hoc nomine *omnia muriatica salia* recenseri possint, *tam naturalia, quam artificialia*, utpote quæ è *diversis* sæpius *solidis* corporibus, *fluido* vehiculo *inclusis*, constant: nos tamen hic nil aliud, nisi *menstrui salini fluidi impraegnationem particulis terrestribus mineralibus* supponimus. Hisce subacidis & austeris salibus & *Tartarum*, ob ejus cum præcedentibus *congruam* naturam, adjiciemus. Salia ergo hæc sunt mera *ramenta mineralium*, latitantia *in meatibus & interstitiis salis acidi*, quo mediante *læsionem continui* passa sunt. *Vitrioli* nomine, *Alchimistis sacro*, utplurimum veniunt. Ratione *saporis* etiam cognomina sibi vindicarunt, *ut saccharum Saturni à dulcedine* &c. Duplicis dantur *generis*, *naturalia vel artificialia*; *naturalia* differunt ratione *corporum solidorum*, à variis terris & halitibus acrioribus *divortium* perpessorum. *Ars*, imitatrix naturæ, iisdem vestigiis insistens, è *diversis fluidis salibus*, *corporibus solidis objectis*, sibi *differentis figuræ & formæ* particulas austeras compingere solet, in *firmam cristallinam* substantiam redactas, ob *fluida* nempe *salia*, *terrestribus*, cretaceis, & mineralibus undiquaque *circumsepta* & *repleta* particulis. Diversitas autem plurima conspicitur ex *actione salium in corpora solida*: ita ut plane *differat* inter se invicem, *quod sal*, *vel quod corpus* assumatur, cum *unum idemque sal*, quod *hæc corpora solida* reddiderit, *alia fluida* efficiat, ubi nempe valdè exiles, *nec oblongæ nimis* partes *rigidæ* fiunt, sed tantum particularum *flexibilium aquosarum intermediarum* retinuerint, quantum sufficiat *globulis materiæ æthereæ excipiendis*, & *in transitu continuo* conservandis, unde salium illorum *fluiditas* dependet. Talia insuper sæpius corpora dantur, quæ *viciniæ læsionem* à transitu, vel superficiali impetu *salium* passa, in *pulverem* siccum decidunt, *minima* cum mixtura *fluidi salis* in *solido* corpore calcinato. Sic & *salia terræ* suæ imminutæ *inviscata*, ejusque *tegumento obducta*, in quibusdam

dam operationibus *latitant*, *solidamque* ineunt *consistentiam*, *excluso aëris* ingressu, & *repletis meatibus corporis terrestris* in figura externa jam alterati: quod in *mineralium sulphure inflammabili*, similibusque experimentis patet. Ultimo etiam *salia*, quamvis *intime quasi unita* videantur, & inseparabili nexu ligata *corporibus firmis*, attamen instar omnium fere *fluidiorum*, facile *consortium* derelinquunt, vel mediante *motu*, vel *occursu alius corporis*, cui *facilius* ob pororum & meatuum aptiorem dispositionem *adhærere* possunt: quæ ulterius persequi nimis longum esset. E præcedentibus facile liquet, genuina *non dari talia simplicia salia, ex mineralibus, metallis, & terris* quibuscunque arte Chymica producenda, sine ope *salium externorum*. Sed aliqua superest *quæstio* dirimenda, *an* nempe *acida in poris alcali lateant*, *an vero alcalia in poris acidi*. *Priorem* sententiam *plerique* defendere conantur, suis non destituti ratiociniis, *posteriorem ego* sub certa limitatione propugno, hisce *fretus experimentis & ratiociniis*. Ubi *alcalia* plenarie latitantia *in acidis* propono, illud tantum de salibus alcalicis, *exiguis* nempe *illis pungentibus particulis*, *fluido essentiali privatis* affirmatum volo, quoniam illa nihil efficiunt, nisi acidorum *salium oblongorum*, *rigidorum*, aquæ innatantium, *interstitia replere*, unde *idem sal durius*, attamen *ejusdem notæ*, *ac acidum* fuerat, prodit. Efficacia *aciei* autem *illorum salium* eodem modo *hebetatur*, ac siquis *dentium serræ* acutissimæ *interstitia* repleret corpore *terrestri lignoso*, attamen aliquo modo *prominente acie* illorum *dentium*, *debili* jam *actione* vires suas exercentium: sic & illa *salia muriatica facta integram aciem figuratam* reservant, sed non adeo *longam*, nec *liberam*. Idem utplurimum contingit in *solutionibus*, ubi *salia* sese onerant sua *terra*, cujus *meatus & interstitia* superficierum subingrediuntur, *non poros*, prout plurimi volunt; illis enim *perforatis*, & *alio modo* per consequens *dispositis*, *immutantur corporum* status, tam ratione *salis dividentis*, quam ratione *terræ divisæ*. Differentia *spirituum salinorum*, è *solutis* illis corporibus *denuo eruendorum* per destillationem, à *collisione salium*, in *latera interstitiorum terrestrium impingentium*, dependet, utpote quorum laterum duriorum ope magis ac *magis oblongæ & rigidæ* partes in *alia ramenta* dividuntur &c. Sic & non minoris notæ *alterationem* illis salibus affert *terra*, in *motu* illo *abrasa*, *sali* etiam in minori vel majori quantitate *permixta*. In *oleis* autem & conglobatis terrestribus particulis alio modo sese res habet; illa enim *salia* ubique *circumsepta* sese habent ut vitellum ovi, suæ testæ inclusum, vel prout eadem *serra vaginæ inclusa*. Secundum *differentiam* igitur *in-*

volucri rarioris vel *densioris*, ea sese offerunt *magis* vel *minus obtusa*; *mollia vel dura* &c. Concludimus igitur, *meatus* aliquo modo *mutuos* repleri, sed præcipue inter *oblonga acuminata interstitia salis* detineri & latitare *alcalia*, quod præter alia etiam *solus sapor* demonstrat, & *solutio* vel receptio *alius terra in jam repleto sale*, quod fieri non posset, si *salia acida in alcali* latitarent, ex: gr: in præcipitatione Lunæ per Venerem, Veneris per Martem &c. Ad rem ipsam nunc properamus.

Vitriolum Martis.

℞. *Limaturæ Martis purissimæ* ℥j.
Olei Vitrioli ℥iiij.
Aquæ communis ℥x. *vel* xiij.

Coquantur levi igne, donec nulla amplius fiat limaturæ solutio; liquorem calidum filtra per chartam; sic post horas aliquot crystalli apparebunt virides, qui sensim accrescunt; post 24. horas liquor supernatans separetur, & leniter denuo evaporetur ad pelliculæ apparentiam, ut iteratæ crystallisationi possit committi: crystallos omnes exsicca inter duas papyros, exiccatas usui repone.

NOTÆ.

1. Si in coctione debita *deficiat aqua*, *recens* est adjicienda.

2. Si ob *nimis magnam* aquæ copiam *crystalli minores* tantum producantur, *majores* fient, si mediante *ulteriori* coctione *superfluus humor* tollatur.

3. *Non nimio calori* committatur in *exsiccatione*; illico enim *flavescit* Vitriolum, ideo potius *in umbra* exsiccetur.

4. Vitriolum hoc nihil aliud est, nisi *congeries particularum aquosarum & acidarum*, *cum ramentis ferri*, *mediante acido attenuatis*, *adeo*, *ut in meatibus fluidi liquoris innatare possint*. Perfecta autem *determinatio* fieri nequit *Limaturæ* & *Olei*, quoniam *variante Oleo* acido Vitrioli, etiam *major vel minor copia ferri* dissolvitur, unde & copia *crystallorum* vel *augetur* vel *minuitur*. An verò *Sulphur* aliquod *anodynum in Vitriolo* existat, mihi verosimile non videtur, quamvis negare nolim, *metallicas & minerales* particulas, *spiritibus acidis annexas*, *sulphuris inflammabilitatem* sæpius mentiri: illam tamen potiùs *actionibus salinis*, quàm *metallicis* adscribendam dicimus; etsi *conjunctio utriusque necessariò* requiratur, fluidi nempe in solido; rarissimè enim *ignes* conspiciuntur

tur *alius naturæ*; ſic *ærugo flammam* præbet *cæruleam*, quamvis *nullum* adſit *ſulphur*. *Salia retinaculi* vel *vehiculi* loco inſerviunt plurimis, *fixioribus* & *fluidioribus* particulis, quamvis *eſſentiam* & *formam* rei *non invertant*; quod apparet, ubi denuo *ſalibus liberata* illa corpora *priſtinam* induunt naturam; hujus ergò naturæ eſſe *Sulphuris* præparationem *Anodyni* Authorum credimus, quæ fit mediante *præcipitatione cum oleo tartari*, *vel ſublimatione* cnm *ſale ammoniaco*, quamvis hoc præponamus illi. Idem eſto judicium *de cæteris metallis*; non autem innuimus, *inutiles eſſe* tales præparationes, ſed *ſuis* etiam *laudibus* conſtare credimus, ſecundùm intentionem Medici, corpuſcula illa hoc vel illo modo *ope ſalium* dirigentis.

5. Prout *naturalia Vitriola* in terræ gremio à *ſulphuris communis acido halitu* producuntur; ſic & *Chymicus* per ejuſdem *flammam metalla corroſa in Vitriolum* reducit *ſeq:* modo:

℞. *Limat. Cupri* ℥ij.
Sulphur. vulgaris ℥vj.

Deflagrent ſimul in teſta, vel cruciburlò. Huic maſſæ pulveriſatæ eandem recentis Sulphuris adde copiam, procedendo ut ante, idque tertio repetatur. Objiciatur dein aeri humidiori, vel pulvis aqua conſperſus leviter humidus in aere reſervetur per aliquot dies in patina terrea vitreata, aut, quod melius, in vitro planiori, donec ſalia, ab aere & humido aquoſo fluorem aliquem nacta, magis ex interſtitiis metalli, quibus mediante igne ſe altius inſinuarunt, reſolvantur. Diſſolvantur poſtmodum ulterius hæc ſalia metallo imprægnata per aquam communem, & criſtalliſentur ſecundum artem in criſtallos cœruleas, *Vitriolum Veneris* dictas.

6. Cum *aliis* etiam *ſalibus criſtalli Vitriolicæ* obtineri queunt, *differentes* autem ratione *ſalis*: Ex: gr: cum *ſpiritu ſalis flavo-viride*, cum ſpiritu *nitri rubrum ſal ex Marte* producitur, quod etiam ſatis maniſeſtat, *acida non plane latitare in alcalicis*.

Vires.

Vitriolum Martis vermes necat, obſtructiones tollit, cachexiæ medetur. Vitriolum Veneris vomitum ſat atrocem movet, & efficacius eſt præcedenti. Doſ. prioris à gr. ij. ad ℈j. *poſterioris à gr. j. ad* ℈ß.

Hoc modo etiam *cætera Vitriola* fieri queunt è quibuſvis metallis.

Saccharum Saturni.

℞. *Ceruſſæ in lamellis adhuc exiſtentis, Belgice ſchilpwit, (prout nem-*

pe lamella plumbi integra corrosa fuit pulverisatione) ℥j. Pulverisetur exactè, pulveri huic affunde *aliquot* ℔. *Aceti destillati*, coquantur leviter, spatula continuò materiam agitando, donec media circiter pars Aceti evaporata fuerit. Dein liquorem à fœcibus subsidentibus separa, & recens iis affunde Acetum, procedendo, ut ante, in coctione, quamdiu dulcescere velit Acetum affusum. Liquores omnes confunde, & super recentem parvam quantitatem Cerussæ Plumbi suprascriptæ evapora, ad quartæ circiter partis remanentiam. Evaporatum clarum infunde patinæ stanneæ, fumo sulphuris leviter obductæ, stet in loco quieto per duodecim horas; sic in integram massam, ex leviusculis crystallis constantem, reducetur. Quod supereft liquoris, in his crystallis latitantis, effundendum est per inclinationem: cristallisata massa inter duas papyros leniter exsiccetur in umbra: postea ad usum reservanda reponatur.

N O T Æ.

Si liquor *nondum bene evaporatus* fuerit, in *crystallos* abit quidem, sed *panciores*, ideoque *crystalli* potiùs cum *liquore dissolvi*, & *leniter evaporari* queunt, ut *iteratæ crystallisationi* committantur.

2. A *multo calore* in *exsiccatione* summè est cavendum, quoniam *facilè liquescunt crystalli.*

3. Liquor residuus *denuo* post evaporationem levem *crystallisationi* committi potest; *ultima* autem post omnes crystallisationes *aqua restans*, dicitur *oleum Saturni*, seu *liquor* ejus.

4. Inde etiam *cerussa tenuissima* præcipitatur sub nomine *magisterii*; *cosmeticum* exhibens sat album.

5. Omnis illa *plumbi materia in cerussa*, denuo in *plumbum reduci* potest mediante *fusione.* Obiter hic notabimus, *quamcunque calcem plumbi & stanni* potiori in parte *reducibilem* esse in metallicam pristinam consistentiam, si *cum oleo raparum & colophonia* misceantur, & flammæ objiciantur, sic liquefit, & *ad fundum descendit metallum*, vel *in grumos coalescit* à *fœcibus eluendos.* Quæ *calces irreducibiles* sunt ob *internum acidum*, nexum earum impedientem, *fortiori igne in vitrum* abeunt.

Vires.

Febribus ardentibus, inflammationibus, & pectoris vitiis succurrit, externè

ternè vitiis oculorum, eryſipelati & omnibus affectibus calidis proficuum eſt. Doſis à gr. ij. *ad gr.* viij.

Cryſtalli Viridis Æris.

℞. *Viridis Æris* q. v.
Pulveriſetur exactè, pulveriſato affunde *Acetum deſtillatum* ad ſupereminentiam aliquot digitorum, coquantur leviter, donec omnis Ærugo ferè diſſoluta fuerit. Liquorem filtra, filtrato immitte bacillos quercinos, ſic poſt dies aliquot concreſcent Cryſtalli obſcurè virides, qui cum bacillis eximantur, & exſiccentur, exſiccatos decute à bacillis, & uſui ſerva: Liquor poſt cryſtalliſationem reſtans, ulterius evaporari & cryſtalliſari poteſt.

NOTÆ.

1. Ex ipſâ *limaturâ Cupri Cryſtalli* fieri queunt, ſi conſperſa limatura *Aceto deſtillato*, per aliquod tempus in *aëre* detineatur, ita tamen, ut *exſiccari non* permittatur *continua* mediante *irroratione*, donec in *Æruginem* convertatur, quæ *coctioni ulteriori*, ut ſuperiùs dictum, committi poteſt.

2. Ex hiſce *Cryſtallis* fit *Acetum* illud *Eſurinum Zwelferi*, ſive *Spiritus* Ejus *Veneris* tantopere decantatus; hæc autem præparatio cum nil aliud admittat, niſi *Acetum*, *cum ramentis Cupri concentratum*, ideo nil aliud illum liquorem eſſe inde deſtillatum credimus, niſi *fortiſſimum Acetum, à phlegmate* ſuo *liberatum*: eodem modo, ut *ſalia omnia fluida* conſortium *mineralium & terreſtrium* particularum maximè ambiunt, à quibus *leviores* particulæ *glabræ & flexiles facilè fugam* tentare ſolent, ut in oleo vitrioli, cœteriſque ſpiritibus *acidis* patet.

Quod autem *Celeberrimum Virum* illud tot encomiis extollere fecit, erat ipſius *volatilitas*, qua mediante, *corpore jam corroſo*, *in altum aſcendit integrâ potiori ſuâ aciditate.* Cujus *ratio non aliunde* mihi petenda videtur, quam ab *acidi mere concentrati* fortitudine, unde tam *pertinaciter acidum ſuum retinet* in ipſa ſeparatione à corpore ſoluto. Illa ergo mihi dependere videtur ab *interno ſpiritu volatili ſalſo-ſulphureo Aceti, volatiliſato & exaltato mediante levi efferveſcentia ſuper Cuprum:* adde, quod *Ærugo* ex uvarum expreſſarum reſiduis *fœcibus*, *tartareo-volatili ſucco gravidis* (qui exaltatur fermentando) *in ipſo motu Cuprum rodente*, præ-

præparetur &c. Contrarium enim videmus in *acidis fortissimis fixioribus* accidere. Acetum *interno spiritu* scatere, & eo posse *liberari*, experimenta innumera demonstrant, ut in salis Saturni, & magisterii coralliorum *spiritu ardente*.

3. Colorum ut obiter mentionem faciamus, illos *maximè variare à salium additamentis*, in hac operatione videmus, ubi *affuso aceto viridis*, *affuso spiritu nitri cæruleus* emergit Color, ideoque à *varia modificatione salium*, & hisce mediantibus, *diversa dispositione particularum terrestrium* multi *variique*, ut paulo ante diximus, oriuntur Colores. *Differentia* autem, quæ in Coloribus apparet, non solùm in eo consistit, quod hi vel illi emergant *pulvisculi colorati:* sed etiam *pro varia additione salium disponentium*, *diversa* etiam *effecta* & actiones planè differentes, in *medicis & mechanicis operationibus* exhibebunt; sic mediante *spiritu salis ammoniaci* Color elicitur *egregiè cæruleus* è Cupro, attamen non perstans, sed *in aëre fugax*, ob *volatilitatem* illius *spiritus*, facilè corpus deserentis, unde & *modificatio* illa cessat. Mediante *sale ammoniaco* itidem fit *Ærugo*, sed *nimis mordax*, & *acris pulvis* pigmentis minus inservit; sic & mediante *spiritu nitri*, *vitrioli* & similibus, qui etiam ipsum *nimis dilaniant*, in *pulvisculos tenerrimos*, minúsque visibiles redactum, unde *menstruo illo fluido obruta* particulæ *minus colorata* existunt, & *pigmentis inutiles* rejiciuntur. Mediante autem *aceto* in *viridem* redacta *Venus solutionem*, *pigmentis maximè accommoda* est, quoniam *levissimo suo acido*, corrodente ejus superficiem, illis particulis molem *corpoream sat magnam* relinquit, ut in *pulverem pictorium* abeat *sat vividum*. Coloris autem *cærulei in viridem mutationis*, hæc mihi *causa* videtur. Pernotum est, ex *cæruleo & flavo viridem* oriri Colorem, *flavedo oleaginosa in Aceto* igitur delitescens, juncta *cæruleæ Veneri solutæ* virorem intensum communicat. Sic *solutio Veneris* in aqua forti valde *cærulea*, *obscure viridis* redditur addito *Marte flavo*. Hoc colore obducti panni *exhalationes continuas subtiliores* edunt, *camerasque integras*, hisce coloratis investitas, *odore suo* inficiunt, quod *præparatis* cum *aceto* pigmentis passim observatur: *Fermentatus* enim hic *liquor vegetabilis* facilè *aëris motui* ulteriùs obedire solet, nisi in *alio corpore*, majorem soliditatem ipsi inducente, retineatur: quod hîc monere voluimus per transgressum. Qui autem *varient* hæc *diverso modo colorata* corpora *in viribus Medicis*, non est hujus loci, quoniam *integer* ferè *libellus* requireretur phœnomenis illis ritè investigandis & explicandis. Sufficiat sæpius inculcata breviter reiterasse, nempe, ex coalitione, seu miscela, *duo-*

duorum aut *plurium* corporum, oriri *diversificatum* superficierum mutuarum situm, nexum ac ordinem, unde per consequens actionum mobilium absolute prosilit *differentia* mechanica.

4. Inde fit *atramentum scriptorium viride*, si in levi quantitate *phlegmatis aceti destillati crystalli* dissolvantur, solutioni addatur sufficiens quantitas *gummi Arabici*.

Vires.

Chirurgicis operationibus inservit, ut & plurimis Chymicis ad menstrua non contemnenda inde præparanda; insuper pictoribus summi est usus in tenuioribus illorum coloribus, quos laccas vocant; mundificat egregiè vulnera, unde emplastris, ungventis & liquoribus permiscetur, oculorum vitiis succurrit, si granum unum in uncia una aquæ permisceatur; internè vomitum movet sat violenter. Dosis à gr. ij. ad gr. vj.

Tartarus Vitriolatus Vulgaris.

℞. *Salis Tart. albissimi q. v.*

Superfunde ei

Olei Vitrioli limpidi q. s.

donec non amplius ebulliant simul, neque ullam effervescentiam admittant, quod dignoscitur agitatione materiæ: cessante motu fiat evaporatio lenis ad siccitatem usque salis albissimi; continua in evaporatione materiam spatula lignea agitando, præcipuè, ubi ad finem inclinat, id est, ubi sicca apparere incipit materia, dein usui serva.

NOTÆ.

1. Quò *magis lympidum est Oleum Vitrioli*, eò *albicantius* obtinetur *sal*.

2. Loco Salis Tartari etiam *Oleum Tartari per deliquium* recipi potest.

3. Quo *magis gratum* expetitur illud sal, eò potentius *acidum* est addendum: aliàs enim ob *alcali non bene saturatum*, *urinosus* evadit *sapor ingratus*; sed *secundum intentionem Medici* præparatio instituenda. De iis autem certus qui esse velit, *propria manu* illud præparet necesse est, quoniam maximè *variat* illius salis *vis ab affusione* magis vel minus copiosi *acidi*.

4. Quoniam *ad nutum* acidorum *disponuntur alcalia*, an hic sal *Tartarus Vitriolatus* dici possit ambigo, potius ille *Vitriolum regeneratum*, *metallicis particulis orbatum*, dici posset. Ut autem talis sal obtineatur,

viribus suis integris dotatus, *seq:* modo procede:

℞. *Ol. Tart. p. d.* ℥viij.
Cryſtall. Tart. albiſſ. ℥vij.
Sp. Vitriol. Vener. rectif. q. ſ., vel in defectu ejus
Olei Vitrioli ad albed. rectificati q. ſ.

Miſceantur primo exacte Ol. Tart. & Criſtall. ejus, digerendo in M. B., donec ſolutio plenaria facta fuerit, filtretur dein, filtrato liquori inſtilla guttatim Spiritum Vitrioli; leniter poſtea evaporetur ad ſiccitatem ſuper aquam bullientem, maſſam uſui repone. Sic integrum Tartarum Sp. Vitrioli aſſociatur, unde ex binis fit compoſitus Tartarus Vitriolatus; nam præcedenti modo ex quocunque *Sale Alcali* & Oleo Vitrioli talis ſal componi poteſt, ubi ne hilum quidem Tartari accedit.

5. Sp. Vitrioli, rectificatus *ſuper proprium Oleum*, cremori Tartari permixtus, mediante M. B. excellentiſſimas præbet *criſtallos*, gratiſſimo acido *ſitim & fervorem* extingventes, *febrileſque ardores* mitigantes.

Vires.

Digeſtivum eſt & deoppilativum, unde convenit ſuppreſſis in menſtruis, cachexia; & urinis ciendis, ut & in febribus ardentibus, & purgantibus ſtimulandis. Doſis à gr. ij. *ad* ℈j.

Eodem modo & *Tartarum ſulphuratum* fieri poteſt, ſi loco Olei Vitrioli recipiatur *Spiritus Sulphuris per campanam*, ita etiam *Tartarum Nitratum* paratur.

Cremor Tartari.

℞. *Cryſtallorum Tartari pulveriſatorum q. ſ.*

Diſſolvantur in ſ. q. Aquæ ferventis, ſolutio poſt levem ſubſidentiam in aliam ollam effundatur, ibidemque agitetur baculo ligneo, donec pulviſculus ad fundum decidat albus; tunc iterato effunde liquorem clarum, qui denuo commoveatur, ut ante, ſic & ibi deſcendet pulvis rutilans albus, inſtar minimorum cryſtallorum ſplendens; hic inter duas papyros exſiccetur, & ad uſum ſervetur.

NOTÆ.

1. In *prima* olla ſubſident *cryſtalli non bene diſſoluti*, & parva fœcum copia, in *ſecunda Cremor* ſeu *Cryſtalluli craſſiores*; in *tertia leviſſimus Cremor*; *hoſce pulveris* diverſis effuſionibus *ſeorſim exceptos*, quamvis in

in viribus non plane credamus *differre*; attamen curiositatis gratia *seorsim excipiendos* & asservandos præscribimus ob *diversam eorum albedinem & levitatem:* quo *leviores* ejus particulæ *diutius in aqua frigida permanent dissolutæ*, eo *citius operantur*; in hunc enim usum præcipue hic pulvis præparatur.

2. Inde etiam fieri potest *Cremor Tartari Chalybeatus sequenti* modo: Injiciatur ebullienti liquori, Tartarum continenti, circiter vigesima pars limaturæ Martis purissimæ, sic unicâ vel alterâ ebullitione, & agitatione cum spatulâ ligneâ, viribus Martis imprægnatus evadet, procedatur postea, ut ante; summè autem cavendum est, *ne nimis diu in coctione detineantur*; sic enim *Tartarus fieret vomitivus* solubilis, *& rubedine infectus, ingratior*, sed *leviusculè* tantum *imprægnatus* esse debet *Martis viribus & tinctura.* Eodem etiam modo fit *Tartarus emeticus*, additione nempe *Mercurii vitæ*, vel *vitri Antimonii* subtilissime pulverisati; sed *coctio* ibi *major* instituenda, quoniam *non tam cito vires suas deponit in acido*, in quo & *vis* ejus *emetica cicuratur*, neque inficit *alio colore* Tartarum; sed summè *observandum* est, ut *bene subsideat pulvis ille emeticus*, *antequam solutio in aliam ollam effundatur.*

Vires.

Stimuli loco purgantibus inservit, urinam & calculum pellit, nephriticis succurrit doloribus. Dosis à ℈j. *ad* ʒij. *Tartarus Chalybeatus menstrua promovet, vermes necat, cachexiæ & obstructionibus medetur. Dosis à* ℈j. *ad* ʒj. *Tartarus emeticus vomitum sat facilem movet, pituitam & cœteros vitiosos humores educit. Dosis à gr.* v. *ad* ℈ß.

Tartarus Solubilis.

℞. *Tart. crud.* ℥viij.
Salis Tart. ℥v.
Aquæ communis q. s.

Dissolvantur mediante ebullitione in M. B., solutio filtretur, liquori filtrato superfunde Acetum destillatum, donec non ampliùs effervescat, & subacidus liquor evaserit, disparente ingrato urinoso sapore, dein evapora ad siccitatem, lenissimo sub finem igne M. B.

NOTÆ.

1. Idem *Tartarus Solubilis* fieri potest ex mero *sale Tartari & Aceto destillato invicem mixtis*, donec omnis *effervescentiâ cesset*; at præcedens ope-

operatio *compendiosior & viliori pretio* obtinetur ob *Tartarum* admixtum, quod *minoris* constat, & *magnæ* aceti destillati copiæ *vices* sustinere potest.

2. Sal volatile, ex *ammoniaco sale* prolectum, rite cremori Tartari sociatum, postmodum cum *Spiritu Vini alcoholisato & alcalisato* digestum ac exaltatum, nulli secundum præbet *sal muriaticum*, *lymphæ stomachicæ*, spiritibusque nostris, apprime conveniens.

3. *Dissolubilitas Tartari in aqua frigida* impeditur à particulis *ramosis*, *salia* illa *ambientibus*, & *ingressum aquæ frigdæ negantibus*; deposito verò in *fœcibus* ramoso involucro, *facilis ingressus* patet *aqueis* particulis; *Acetum* autem destillatum additur, ne *ingrato sapore urinoso* nauseabundus evadat, sed *proprio* tanquam *acido saturatus gratior* gustui sese sistat.

Vires.

Easdem possidet cum præcedenti cremore, sed penetrantiores, & citius operationes perficit suas; in nephriticis doloribus summè prodest, ut & in menstruis ciendis. Dosis à ℈ß. *ad* ℈iiij.

Nitrum Phlogiston & Inflammabile.

℞. *Spir. Nitri* ℥iij.
Urinæ ℥vj *vel* viij.

Misceantur exacte tamdiu, donec effervescentia sedata fuerit, dein ad medias evaporetur, ut in cristallos liquor cogi possit. Quod liqudum superest, ad cuticulam usque, vel ad siccitatem, in MB. redigatur, & usui servetur.

NOTÆ.

1. Spiritus Urinæ *dosis exacta* determinari nequit; nam secundum *salis volatilis* ibidem delitescentis *copiam*, *saturatio acidi* procuratur.

2. Idem Nitrum cum *quovis sale volatili Animalium* fit, ut & cum *spiritu salis ammoniaci*, & *sale urinæ*.

3. Quamvis in *calore dilutum* & fluidum appareat *sal*, attamen *in frigore coagulatur*.

4. *Inflammabile per se* est illud sal ob *oleosas crassas particulas*, *in sale volatili* delitescentes, quæ junctæ *sulphuri tenuissimo Nitri*, *materiæ subtilis motum celerrimum* recipiunt, & quaquaversum circumrotantur, quæ-

quævis obvia *violenta sua agitatione* de loco pellentes ope *tenuissimorum salium* &c.

Vires.

Præstantissimum est sal, naturæ amicum, in quibusvis fere morbis conveniens; respondet enim sali nitroso aëreo. Dosis à ℈ß. ad ʒß.

Nitrum Nitratum.

℞. *Nitri purissimi* ℥vj.
Spiritus Nitri optimè rectificati ℥iv.

Destillentur in retorta vitrea ad siccitatem, spiritum destillatum bis super sal restans cohoba, ultimò ignem ad incandescentiam usque augendo, ut spiritus superflui tollantur, massam restantem fractâ retortâ exime, & ad usum serva.

NOTÆ.

1. Nitrum etiam *Oleo Vitrioli* imprægnari potest eodem planè modo, unde *Nitrum Vitriolatum*, & *Sulphuratum* fit, si cum *spiritu sulphuris* misceatur destillando.

2. *Urinosus & amaricans sapor*, mediante *proprio spiritu* tollitur pro maxima sui parte, & *spiritus* ob consortium sui corporis ex *parte fixatur*, qui alias mediante *vehiculo plurimo aquoso*, ut in *spiritus salis augmentatione* diximus, *augmentatus* ascendit; ideoque, quo *fortior* adhibetur *spiritus*, eo *melior* in hac operatione. Quod autem *non omnis spiritus è Nitro* evocari possit hoc modo, demonstrant *destillationes irritæ salium absque mixtura intermedia terræ*. Tantum *fluidi salis* retinent *salia muriatica*, quantum in duritiem aliquam reducere queunt, & *coagulare* mediantibus particulis *terrestribus*, & *punctis suis minimis*.

3. Spiritus *abstractus*, in M. B. rectificatus, optimus est pro Spiritus Nitri *dulcificatione* obtinenda. Hic etiam essentificatus Liquor, genuinas *Nitrosi spiritus* vires possidet, ac exerit. Pro *solutionibus mineralium* etiam unice eligendus, si voti compos esse desideret Artista.

Vires.

Refrigerans est egregium, & sat gratum in febribus ardentibus, julapiis, gargarismatis & similibus, putredini dentium & fœtori oris summopere convenit, bilis effervescentiam compescit. Dosis à gr. iij. *ad* ℈j.

Eodem modo & *alia salia* propriis vel aliis *spiritibus* imprægnari possunt, ut *sal commune*, *sal gemmæ*, & similia.

Lapis Prunellæ.

Liquefiat *Nitrum* in crucibulô, liquefacto ſenſim inſperge duodecimam partem *Florum Sulphuris*, deflagrato Sulphure ſal reſtans in placentulas, vel lamellas tenues reducatur, eximendo Nitrum liquidum cum fiſtula tabacea, per vices quaſi guttatim effundendo ſuper laminam ferream; ſic frigefactum albiſſimum, & uſui commodum evadit.

NOTÆ.

1. Pro ratione *adhibitæ quantitatis Sulphuris variat* etiam *confectio* hujus *ſalis*, ideoque *vel major vel minor quantitas florum Sulphuris* adhiberi poteſt, ſecundùm intentionem nempe Medici.

2. Operatio hæc nil aliud eſt, niſi *levis fixatio Nitri*, quoniam in genere *Nitrum in fixiorem* reducitur *ſubſtantiam* fluidiori interna ſubſtantia, cum *Sulphure tenuiſſimo* fugata: unde etiam *integrum Nitrum fixum* reddi poteſt in *actione continua florum Sulphuris*, ita ut planè *in alcali* degeneret, ut fit mediantibus carbonibus. Aliquod *ſulphur arſenicale*, *in Nitro* latens, nunquam reperi, cum ſit potius *balſamum vitale*, *in aëre diſperſum per radios ſolares*, *intricatum poſtea in ſale communi*, ita ut illa *correctione*, quam aliquis cum *Sulphure vulgari*, *putatitio alexipharmaco*, intendit, non indigeat, niſi ob præcedentes rationes.

3. *Nitro-ſulphureum* etiam *ſal* fieri poteſt, ſi *Nitrum* cum media vel æquali parte *Sulphuris* detonetur in crucibulo, vel teſta candente, materia detonata *tam diu ulteriùs calcinetur*, *abſque fuſione* tamen, donec *in gryſeum* vertatur *colorem*; ex hoc pulvere extrahe *ſalem* mediante *aquâ*, & *criſtalliſa* ſecundùm artem, ſic *ſal* obtinetur *ſubamaricans*, magni in febribus uſus.

Vires.

Sudores movet, febribus adverſatur, incidit humores craſſos, æſtum febrilem mitigat, & inflammationibus conducit. Doſis à ℈ß. *ad* ℈ij.

CAP.

CAP. XVIII.

De Calcinatis.

Calcinata dicuntur ea, *quæ mediante quocunque corpore movente, viciniamque aliorum duriorum corporum lædente, in calcem seu pulverem minutum redacta sunt.* Inde facile patet, hanc operationem nil aliud esse, nisi *pulverisationem Chymicam mediante sale, aquâ, & materiâ subtili confectam.* Primarium locum hæ operationes obtinent in *solidioris compagis* mineralibus & metallis, ut & in ossibus, ungulis, & cornibus animalium, utpote durioribus, & firmæ cohæsionis eorundem partibus. Sic *& reliquæ partes*, in cineres & *pulveres* per privationem violentam fluidi reducuntur; at vero de illis hic tractare non proposui, sed tantum de *solidissimæ structuræ particulis. Variâ* autem methodo *salia in actum* reducuntur; proinde *variat* etiam calcinandorum præparatio; quoniam autem *nulla* unquam fit *actio* corporum moventium seu *fluidorum, ubi occurrunt solidis*, quin *plurima* irretiantur *in corporum firmorum poris*; ideo necesse est, ut *cautus sit* Artifex, æquè in *salibus*, quam in *caloris diversis gradibus* adhibendis, quibus corpora *calcinanda* objiciuntur. Hæc igitur *sequentia* perspecta habeat, ne *vires immutatæ*, & *corpora*, hoc vel illo modo *à particulis moventibus disposita*, toto cœlo sæpius *differant à scopo* proposito:

1. Particulæ corporum, *naturali mixtura sua* gaudentium, *nullam læsionem* admittunt violentam, quin manifeste in *viribus* suis (*ex alia dispositione mechanica, & mixtura partium*) *alterentur.*

2. Summopere attendat Artifex ad *gradum ignis*, rite ut adhibeatur; hoc enim *motu, magis vel minus aucto*, corpuscula *salina* vel *diutius perstant*, irretiuntur & retinentur, *vel fugantur*; unde corpus *solidum majoris vel minoris efficaciæ* postea eruitur.

3. Summopere *attendendum*, an corpora ipsa solida *malignâ vel benignâ* polleant qualitate; etenim, quæ *maligna per* se existunt, *maligniora* sæpe evadunt *mixturâ salinâ*, ipsorum *acrimoniam* stimulante, nisi *talis* naturæ fuerint *salia*, quæ corpus ipsum *alterent*, & salia ibidem contenta *acria deturbent*, vel ipsius *consortium* derelinquant, vel conjunctione corporum *mitigentur*, & *ferociam* mutuam *deponant*; ut in *sequentibus* amplius patebit. Variant ergo corpora *Calcinata* ratione *motus corporis fluidi internè hærentis, & à pororum situ & figura, &* dextra

tra vel finiſtra Artificis *experientia*; inde enim *ſucceſſus bonus vel irritus* medicamentorum dependet.

4. Salium elotio mediante aquâ, quam *edulcorationem* Chymici vocant, *an ſemper ſit adhibenda*, multum diſceptatur inter Authores: nos illam *exactè* fieri poſſe negamus, cum ſepimentis & *involucris terreſtribus* obducta ſalia nulli lotioni parere ſoleant, ob *introitum aquæ* in corpora ſolidiora *negatum*; illa autem ſalia, quæ *nullis adhuc tegumentis* involuta, ſui juris exiſtunt, facile in *aqua* abripiuntur, & à particulis craſſioribus *ſegregantur*. Non autem opus eſſe ſemper *lotione* cenſemus, in illis præcipuè, ubi *malignitas nulla* adeſt, vel particularum acrimonia *mutuo conſortio* deletur; *facilem* enim *diſſolutionem* particularum firmiorum promovent admiſſa *ſalia fluida ibidem commorantia*: ubi corpora *firma* alias *ferè nullius* efficaciæ ſunt.

5. *Duplicem* plerumque ob *uſum Calcinatio* inſtituitur: *Primo*, ut *facilius aſſumatur medicamentum*, in pulverem ſubtiliſſimum redactum: *Secundo* ut menſtruis poſtea *benignioribus* compages illa *reſerata* corporum *facilius pateat*, quæ in propriâ maſſâ *omne ſæpius menſtruum* deludunt, ut in operationibus ulterius conſpicitur.

Objectionibus alicujus reſpondere *vix* ſemper *operæ pretium* eſt, dicentis, *non in omni Calcinatione* fieri *pulverem*, vel *diviſionem viciniæ corporum* procurari, ut in Calcinatione Cornu Cervi, Saturni, Veneris &c; nec requiri ſemper *acres* particulas, quoniam *Ignis*, *Aqua*, & *Mercurius acredinem nullam* obtinent, ut illi placet. Sed, ut veræ Chymiæ ſectatoribus aliter *ſeſe rem habere* demonſtrem, *ſequentia*, ut mihi ſaltem videtur, ſufficient. *Viciniæ læſio* eſt *ſuperficiecularum major à ſe invicem diſcontinuatio*, quæ fieri nequit, niſi *ſeceſſu corporis intermedii*, quo mediante ſibi invicem jungebantur. Illud de loco pelli non potuit *per ſe*, nec à *quieto* & mere *immobili* corpore: Ergo per *motum*, *reliqua corpuſcula inſtigantem* & abradentem; ſi vero illa corpora *nondum ita ſegregata* fuerint, ut *ſingulæ*, prout ipſi placet, *atomi* ſuos deſcribant *terminos ſeparatos*, attamen *pulverulentam* conſiſtentiam cum acquiſiverint, id eſt, ubi *nexus* jam *diſſolutus* ferme *in omni ſuperficie* fuerit, merito *pulvis* nominari poteſt; quoniam corpus illud *minima etiam tritura in pulverem* abeat, quod antea *nullo piſtillo* dividi poterat; ſic enim lævigati *pulveres cohærent per ſolam aquam* &c. *Acredinem motui junctam* adeſſe debere ad corporum *diviſionem* faciendam, illamque præter ſupra nominata abunde *ſequentia* demonſtrant. Nullum dari corpus *ſimplex* in rerum naturâ, teſtatur continua *Experientia*; hinc *Aqua*, matrix &

re-

cipiens omnis solidi & fluidi, *mixturæ salinæ expers* nullibi conspicitur, sed latitantes & *diffusæ acutæ* hæ particulæ non adeò nervis nostris per vellicationem *sensibilem* sese offerunt, ideoque sub titulo *menstrui insipidi* plurimis impostoribus prostat. Hæc *salia* autem corporibus, quibus *adhærere*, & in quæ *impetum facere* possint objecta, per *exhalationem leviorum partium*, postmodum sese manifestant in hisce jam *divisis* & *corrosis*. *Mercurii fluiditas* quæso unde deducenda; nisi ab ejus *sphœrica figura* tenerrimarumque metallicarum partium, *spiritu velocissimo* interno turgidularum, dispositione, facile à materia subtili in *circumrotatione* perpetua una cum particulis metallicis crassioribus per se immobilibus, retentarum? Hujus *acrimoniam* ejus *vapor* & *solutio* illud demonstrat, *salivatio* & *humorum* crassiorum *resolutiones* in arte Medica idem coarguunt &c. Non mirum igitur, talem *efficacissimum acrem spiritum*, *sepimentis* tot obductum; *insipidum* crassioribus nervis apparentem, tantas producere posse *actiones*; sic *dulcia & insipida plurima vegetabilia*, per ignem *spiritum decorticatum* fundunt *acerrimum*. Utinam ab *involucris spiritum Mercurii liberatum* obtinere possemus, mira forsan in *metallicis operationibus* perficeremus cum *acerrimo volatili hoc liquore*. *Ignis* descriptionem *antehac* dedimus, ut non opus sit hic repetere *spiculorum salinorum*, *à materia subtili motorum*, *acredinem*, cum illa ubivis obvia sit per ejus *actionem* in *divisione* nempe *corporum* & *intricatione* satis ponderosa *sui salis*. Quidni *ipsam materiam subtilem* quodammodo *acrem* nominem, tantum respectu sui *motus*, *exilia salium ramenta* ubique imprimentem, quæ facillime ejus *motui* parent? Hæc sufficiant pro *demonstratione*, quod *nulla* detur *Calcinatio sine motu & re acri*, id est, *materia subtili & sale*; quibus hæc non arrident, sequantur *Censoris nostri* sententiam, dicentis, *generalem Calcinationis finem* esse calcem, albam an nigram non pronunciat, specialem pro *mechanicis* & *Medicis* usibus. Sed pergendum.

Antimonium Diaphoreticum.

℞. *Antim. crud.* ℥ iv.
Nitri puriss. ℥xij.

Mixta, & in subtilissimum pulverem redacta, per vices in ollam candentem vitreatam injice, sic detonabit, post detonationem detineatur materia in igne per horam semis, ita tamen, ne fluat, dein ollam hanc injice aquæ calidæ pluviali, sic extempore omnia cum fragore dissolventur salia, quæ cum aquâ supernatante effundantur; iterata dein affusione aquæ agitetur

materia, donec lactescat à plurimo pulvere innatante: liquorem hunc albicantem effunde, & recentem denuo aquam fœcibus affunde, ut ante materiam agitando, ut alba denuo mixtura fiat, quæ à crassiore subsidente pulvere & grumis separetur mediante decantatione: hanc operationem tamdiu repete, donec albescere liquor neget. Omnes liquores à pulvisculo subsidente effunde, pulvis insipidus restans exsiccetur in hypocausto, vel in sole, & ad usum reservetur.

NOTÆ.

1. Ollam præponimus *crucibulo*, quoniam *majorem copiam* recipere potest pulveris, & *æquè facilè* in illa, quam in hoc perficitur; cui autem metus est, ne *vitrificatio Saturnina*, quâ ollæ obducuntur, damno esse possit, illi liberum est recipere *non vitreatam*: nos autem ob *faciliorem separationem*, vitreatam recipimus.

2. *Fusionem* prohibemus, ne in *alcalicam* naturam degeneret planè Nitrum, unde *regulinæ* aliquot partes ubique dispersæ conspiciuntur ex *Antimonii coalitione* & fusione admissa. Hinc *querelæ* Medicorum justæ sœpius fiunt, qui *Antimonii vim emeticam redivivam* censent, quam particulis *regulinis*, ut & *salibus* planè fixatis, *aëris motu postea revivificatis*, attribuendam esse credimus. Hoc igitur præcedente modo Nitrum *in sal fixum alcalinum non* abit, sed potius mediante *acido suo divortium* texturæ *Antimonialis* efficit, quod postea *in aliis etiam* experimentis patebit, non à fixo, sed potius ab *acido* sale hunc *pulverem Antimonialem* fieri, *diaphoreticum* dictum. Hallucinantur valde, qui huic pulveri *alcalinam* adscribunt qualitatem; nam mihi hucusque nunquam apparuit ulla *effervescentia* acidi ullius cum hac calce. Nihil aliud enim est, nisi *Antimonium sulphure & sale potiori privatum*, ut demonstrat ejus *infusibilitas* in igne etiam fusorio, illudque in ejus *reductione* ad oculum patet: nam mediante *sulphure communi* addito statim per ignem in crucibulo *liquefit*, & *pristinum* lividum striatum, vel obscurum *Antimonialem* recipit *colorem*. Falsum igitur est, quod *acidum in corpore* nostro mortificet, sed, quicquid agit, illud ratione suorum *meatuum & pororum* absolvit, & *forsan tantum ratione salium acidorum Nitri, intimius* ipsi calci *permixtorum*, quorum ope humores nostri, in illas particulas sese *insinuando modificationem* sustinent. Idem enim pulvis à *spiritu acido Nitri citra detonationem* fieri potest, ut cerussa Antimonii, & besoardicum minerale testantur, ubi, siquid *alcali* superesset, plane telleretur *per acidos spiritus*.

3. Ter-

3. Ternâ etiam calcinatione, cum *repetitâ* salis *petræ dosi* perfici potest; ob sæpius iteratas operationes autem cum *in longum* protrahatur, & *vasa* in singulis calcinationibus *utplurimum sint rumpenda*, præponimus *præcedentem* methodum.

4. E *minerâ puriore albissimum* conficitur *Antimonium Diaphoreticum*, ut & ex *Regulo*.

Vires.

Sudores movet sat leniter, unde convenit febribus intermittentibus, & morbis, per transpirationem insensibilem curandis. Dosis à granis iv. *ad* ℈j.

Crocus Metallorum, seu Regulus Antim. ruber.

℞. *Antim. crud.* ℥ij.
Sal. comm. decrep. ℥j.
Nitri ℥ij.

M.

Mixta liquefiant in crucibulo post detonationem, donec instar ceræ fluant per horam unam, refrigeratis postea omnibus crucibulum frangatur, & invenies Antimonium instar vitri nigricantis, separatum à salibus superincumbentibus, quod facilè in pulverem abit rubro-purpureum, usui reservandum.

NOTÆ.

1. Crocus hic *vulgari methodo* fit mediante æquali parte Antimonii & Nitri; vehementius autem cum operetur, *mitiorem præcedentem* exhibuimus.

2. Quare *salia hæc* consortium *Antimonii* respuant, hæc mihi videtur esse ratio. Omnia in genere corpora firma *meatibus & poris* instructa existunt, qui ab *occursu aliorum corporum*, poris & meatibus illis sese insinuantium, sœpius *replentur*, adeo, ut *cœtera admixta*, meatibus illis *non sat apta* corpora, motu illo *protrudantur*, vel *propriâ gravitate angustiâ loci pressa* subsideant. Hoc in præcedenti *duplici sale muriatico* contingit, quod leviter *Antimonii sulphur* aggrediens in prima detonatione, postea in *mutuam conjunctionem* cogitur mediante liquatione, unde *Antimonium*, interstitiis illorum salium privatum, *pondere suo* deprimitur ad inferiora vasis.

3. Rationem hujus *coloris rubro-purpurei*, Cato noster à *quasi alca-*

lisatis salibus duducit, quæ exaltant *sulphur Antimonii*, & claudendo poros, sulphur Antimonii *ab aëris injuriis* immune reddunt, ne scilicet *deflagret* &c. sed quicunque experientia instructus est, novit, pleraque, si non omnia, mineralium, imo omnium corporum, *sulphura, stricte ratione sua* modificatæ *terræ considerata*, *esse rubra*, quorum colores tantùm *accidentaliter mutantur* per varias mixturas *aquæ & terræ* altius, meatus illos ulterius replentis, ut & per modificantia *salia*. Quamvis enim *color non* sit *de essentia rei*, attamen conglobatæ illæ particulæ *vix alio modo* sese offerunt, ubi totaliter *suo sale & aqua* privatæ non fuerint; *flavedo* enim *diluta* tantum est *rubedo*, quæ in similibus etiam observatur. Hinc *Antimonium minerale sulphureum* non opus habet *alcali* ad sui coloris exaltationem, (quemadmodum hæc *salia nullo modo alcalisata* sunt) quod demonstrat ejus *calcinatio* super ignem *pro vitro conficiendo*, ubi primo *nigrum*, secundo *rubrum*, tertio *hyacinthinum* & *flavum* redditur, in qua operatione salia exaltantia nulla sunt, nisi *merus ignis*. Sulphurea *deflagrationis prohibitio à salibus* deducta *ridicula* est; *nullum* tale datur *per se inflammabile sulphur in Antimonio*; ipsum etiam *sulphur commune* additum Antimonio calcinato *inflammabilitatem* amittit, ubi Antimonio revivificato *exacte unitum* fuerit: per *salia* vero *acida & nitrosa ignis motum* sequuntur illæ *sulphureæ partes*, adeoque nullo modo *præcavere* possunt inflammabilitatem, quam sua mixtura *promovent*. Color igitur hic dependet ab *igne & sale*, sulphureas partes Antimonii partim *fugante*, partim *modificante* circa suas superficies &c. illud enim *exaltare* nequit, quod maxime *figitur*.

Vires.

Lene est vomitorium, & purgans per inferiora, in infusione, vel in propriâ substantiâ exhibitum. Dosis in substantiâ a gr. ij. *ad* ℈β. *in infusione ad* ʒβ. *in vini* ℥ij.

Vitrum Antimonii.

℞. *Antimonii, in subtilissimum pulverem redacti q. v.*

Calcinetur primo leni igne per aliquot horas, donec fumi leviores cessare incipiant, dein auge ignem ad incandescentiam usque vasis, continuo materiam agitando, donec in pulverem abeat gryseum. Pulverem hunc funde in crucibulo, donec instar ceræ fluat, dein effunde super laminam cupream, antea leviter candefactam; lentè refrigerentur omnia, ne Vitrum dissiliat.

NO-

NOTÆ.

1. In hac calcinatione si pulvis *coalescat*, iterato *pulverisandus* est, donec *non amplius* coalescat, nec in magnâ copiâ *fumos* emittat; ultimò autem ignis *intenditur*, donec in fundo pulvis *candere* incipiat, ut omnes halitus *arsenicales* & *sulphurei* dispareant.

2. Calcinatio hæc promovetur additione *salium*: e. g. *salis comm.* vel salis *gemmæ*, in mediâ parte admixti *Antimonio*, sic brevissimo tempore in *cineritium* reducitur pulverem, mediante elotione *à sale adhærente* abluendum. Si bene operatus fuerit Chymicus, *succinum citrinum* æmulans obtinebit Vitrum. Si *nimis protracta* fuerit calcinatio, in *pulverem* abit *albicantem non fusibilem*, ejusdem notæ cum *Antimonio diaphoretico*.

3. Si *Vitrum* fuerit *nimis opacum*, *iteratæ* calcinationi committendum est *per se*, vel *additâ borrace*, sic *transparens* evadit.

5. Si *carbones lignorum* in fusionem *Vitri Antimonii* injeceris, *Regulus* ad fundum descendit in magnâ satis copiâ. Per *sulphur* additum, *Antimonium crudum* reducitur lividum opacum.

Vires.

Vomitorium est summum, in infusione, vel in propriâ substantiâ, exhibendum.

Infusio autem *sequenti* modo fit:

℞. *Vitri Antim. integri* ʒij.
Vini generosi ℥xx.

Stent in maceratione per 24. horas, dein ad *dosin* ℥ij. *vinum erit emeticum.* In hac autem infusione, quamvis *Vitri pondus non* videatur *diminutum*, attamen aliquas particulas Vino communicatas credimus, à *Tartaro vini allidente derasas.*

Mirandum autem tantopere non est, hæc corpora solida *in minima* etiam *quantitate*, menstruo fluido innatantia, vehiculo salino adjuta, magnas & *stupendas sæpius* producere *vires*, quoniam assumpta *medicamenta solida* tantum agere solent respectu *suæ solutionis*, id est, quatenus *superficies maximè à se invicem divisæ*, *pororum texturam* magis obviam & *patulam* reliquerunt succis, & *humoribus externe accedentibus*, quæ *liquida* omnem alterationem *ingressui illi* debent. Hinc satis patet, quare ea, quæ in *propriâ substantiâ in quadruplici dosi* assu-

muntur, vix simplicem vel mediam admittant dosin, ubi *fluido* alicui *sali conjuncta* facilè *ingressum* humoribus nostris *admittunt*: eodem modo, ut *aqua* ambiens *fruticem*, nullo modo immutatur, sed illam *subintrans*, diversimodè in poris & meatibus illius *alteratur* & modificatur. Sic corpora *solida assumpta* humido nostro *ingressum* ubi denegant, nulla fit *immutatio*, sed lambendo superficiem illius solidi, *fluidus* spirituosus, id est *nervaceus* & *salivalis* humor immutatur ratione corporum *derasorum minimorum*, illis jam innatantium: unde *actiones* suas producit illud corpus ob *materiam spirituosam subtilem ac fluidam, poris* hoc vel illo modo *figuratis*, inclusam, vel exceptam. *Alteratus* ibidem per hanc, *exilem quamvis*, miscelam *liquor*, motu ulterius dispersus, reliquis *vicinis fluidis aliam dispositionem* inducit: unde *modificatio varia* resultat, quæ per communicationem *actiones diversas* producunt. Ubi autem *fluidum* obtinet *exactam* mixturam cum hoc illove *solido*, actiones producuntur plenariè *secundum dispositionem* variam *corporum moventium & excipientium*, prout fortius vel debilius figuram suam *retinent*, vel *communicant*.

Ut *rationes* allatæ *experimentis* fulciantur, ejus *Infusioni* ulterius insistemus. Hæc in omni Vinoso liquore *fermentante & fermentato Vinoso purgat*, & *Vomitum* ciet ob *tartareas* particulas in tali liquore *fermentabili* existentes, quæ deradunt partes *minimas Antimoniales*, earumque *rarissimam* factam *texturam* aliis *humoribus* offerunt, quos, *ulteriori intestina agitatione* & *insinuatione* in exiguæ molis particulas, ita disponunt & *alterant*, ut *convenientes*, ratione *figuræ pororum solidiorum effectus* producantur. Eodem modo, ut *metallum*, super *ignem* detentum, *acria* & *maligna* reddit ex igne per illud transeuntia *effluvia*, metallicæ vero particulæ *parum, vel nil fere imminutæ vel immutatæ* conspiciuntur, ut patet in *cerussæ plumbi* confectione mediante *menstruo fluido*, &c. Eadem *Infusio* in *aquâ* facta *vix* ac ne vix quidem *aliquas operationes* edit, ut & in *sp. vini* ob *defectum acidi Tartari*: in *aceto figuntur & alio modo disponuntur* hæ particulæ, unde potius ratione *acidi minus fermentabilis*, particulas susceptas *alio modo* disponentis, *alvum & sudores leves* solutio movet: idem etiam fit à sp. nitri & vitrioli. Hinc etiam, si *Infusio* Vitri *magis vel minus vomitum* ciere debeat, *acidiores ramosi, vel dulciores liquores vinosi* assumendi sunt.

Dosis à gr. j. *ad gr.* IV.

Re-

Regulus Antimonii.

℞. *Antim. crud.* ℥xvj.
Sal. Tartar. ℥v.
Carb. Lign. ℥iv.

Mixta liquefiant in crucibulo, liquefactæ materiæ ſenſim injice unciam unam vel alteram Nitri, donec fluidiſſima appareat, quam in mortarium calefactum ſevo illitum effunde, leniter concutiendo, ut Regulus ad fundum deſcendat: ſic refrigeratis omnibus in fundo ſubſidebit Regulus, à ſcoriis ſuperficiem obſidentibus ſeparandus. Hic Regulus iteratæ fuſioni committatur, ſuperinjiciendo levem quantitatem ſalis Nitri, ut ſcorias denuo deponat, dein ad uſum reſervetur.

NOTÆ.

1. Hic *Regulus* etiam cum *Tartaro crudo & ſale Nitri* confici poteſt, vel, quod melius, ſi *Tartari crudi* pars una cum *Nitri* parte ſemis detonata fuerit, poſtea *Antimonio* permiſceatur.

2. Hic Regulus fit *Diaphoreticus*, ſi cum *trina* parte ſalis *Nitri* calcinetur.

3. In hac operatione ſalia *alcalia*, cum *ramoſas* penetrent particulas, & *compagem* laxiorem quaſi *ſpumoſam* reddant, cœteris denſioribus particulis *ſubſidentiam liberam* permittunt; ſi autem *copia tanta* adſit *ſalium*, ut *omnes perforentur minerales* particulæ, & à ſe invicem ſegregentur, *in minima quantitate*, *vel nullus* apparet *Regulus*; ab *acido* enim *ſalium conſortio Regulina cohæſio* impeditur, ut in *Antimonio diaphoretico* explicuimus. Imò & ipſe *Regulus totus in ſcorias* abit repetitis fuſionibus, & additionibus *recentis ſalis.* Unde *aciditas ſalium* in hac operatione eſt *infringenda*, quod fit additione *carbonum*, quæ eſt ècontra retinenda & *conſervanda* in *Antimonio diaphoretico.*

Vires.

Æmulatur vires præcedentis vitri Antim., ſed mitior eſt; inde fieri queunt pilulæ, quæ dicuntur perpetuæ. Hæ introſumptæ ob texturæ ſoliditatem levem tantum admittunt ſuperficiei deterſionem ab humido gaſtrico, illis occurrente, unde vires ſuas communicant, integrâ tamen adhuc perſiſtentè formâ, ita ut per vomitum vel alvum rejectæ, iterato uſui inſer-

vire

vire queant in substantiâ. Dosis ad gr. v. in infusione eodem modo, ut in vitro antimonii.

Regulus Antimonii Martialis.

℞. *Frustor Chalyb. purior.* ℥iiij.

Candefiant optime in crucibulo, dein superinjice

Antimon., in frusta minor. redact., ℥ix.

liquefiant simul, liquatis adde

Pulveris fusorii è Nitro & Tartaro parati ℥j.,

fluant in igne per horam; dein effunde materiam in conum fusorium, concutiatur parumper conus, ut omnis Regulus descendat, refrigeratis omnibus à scoriis separandus. Regulum iterato funde, sensim injiciendo sextam circiter partem Nitri purissimi ad majorem scoriarum separationem, effusus postea in conum Regulus immotus stet ad perfectam refrigerationem, sic conspicuæ lineæ in summitate apparent instar stellæ figuratæ, unde Regulus hic stellatus dicitur.

NOTÆ.

1. Etiam *absque salium additione* idem *Regulus* fieri potest, sed *non tam purus.*

2. Si *in secundâ fusione stella* non appareat, iteratò *fusio* est *repetenda*; sæpius vero in *prima* conspicitur.

3. Omnia *metalla*, in *consortium Antimonii* rapta, *pulverisantur* & *volatilisantur*, imo & ipsum *aurum*, omnium metallorum fixissimum, nisi caute tractetur. Hinc *Regulus*, *diversis metallis imbutus*, confici potest, ut Venere, Luna &c.

Vires.

Mitior est præcedenti, & magis per inferiora purgat; inde etiam præparari possunt diaphoretica, de metallorum viribus participantia. Dosis ad ℈j.

Sulphur Antimonii Inflammabile.

℞. *Ol. Vitriol.* ℥viij.

Antim. crud. ℥xx.

Mixta per retortam vitream in arenâ positam vehementi igne sublimentur, sic primo prodit aqua sulphurea, secundò Sulphur subrubrum, quod combustibile est; alio autem modo secundum Angeli Salæ methodum fit, superfundendo aquam regiam frustulis Antimonii, grosso modo

modo contusis, unde Sulphur partim supernatans, partim adhærens Antimonio secernitur, mediante edulcoratione à salibus segregandum.

NOTÆ.

1. Pleraque *salia fluida Sulphureas* extrahunt *Antimonii partes*, quæ, quò magis sese intricant, eò *inflammabiliores* existunt; unde facilè patet *inflammabilitatem Sulphuris Antimonii* dependere *ab acido*, quoniam, ut postea *in Sulphure aurato* patebit, nunquam *flamma* obtinetur in *sulphureis extractionibus*, mediante *sale fixo* factis. Sed, qui *acidi inflammabilitatem*, per ejus *in ignem bene accensum* infusionem demonstrare conatur, eodem facile argumento *aquam ignis pabulum* esse genuinum defenderet, quoniam ignis luculenti *flammam adauget*, mediante levi sua *affusione*. Hæc autem, & illud, cum ratione *expansionis* & *rarefactionis ventiformis* ibidem suas *accidentales actiones* producant, non opus est ulterius *propositionis falsitatem* refellere.

2. *Differentiam*, prout & in plurimis aliis, sic & hic obtinet *à salis additionibus*; ita mediante spiritu *salis comm.* prodit *rubrum* præcedens butyrum Antimonii, *flavescens* autem instar sulphuris vulgaris, mediante *aquâ regiâ*, *oleo Vitrioli & sp. Nitri bezoardico* obtinetur.

3. Hoc *Sulphur* nil aliud esse videtur, nisi *conjunctio acidi fluidi salis cum ramosis Antimonii particulis*, quarum *meatus repleti solidum corpus constituunt*, *Sulphuris* nomine ob *inflammabilitatem*, & in *sale fixo dissolubilitatem* veniens. Illud enim obiter notandum venit, Chymicos *Sulphuris* nomen tribuere non solum *inflammabilibus* corporibus, sed & iis, quæ *menstruo ramoso obediunt*, *vel sale fixo dissolvuntur*, ut passim in illorum scriptis patet. *Antimonium* autem, scatens *ramosæ* texturæ particulis, facile *ab acido*, *meatibus* illis sese *insinuante* & intricante, *occupatur*, & in substantiam, *Sulphuris vulgaris* æmulam, reducitur: quoniam & *flammam cœruleam*, & *easdem actiones* admittit, nisi quod paululum *fixioris*, & *magis excoctæ* substantiæ sit, ut *Chymicis* quibusdam placet, quam à *terra antimoniali intermixta* deducere forsan poterunt, quamvis revera sua difficultate non careat hæc sententia. Qui *inflammabilitati*, *ab acido derivandæ*, contradicit, non parum sibi ipsi in censoria illa reprehensione *adversatur*, hic dicens *per acida alcalinum regulum de loco* per effervescentiam *turbari*, ut Sulphuri leviori exitus permittatur; alibi *Sulphura ab alcalicis soluta* attamen remanere *inflammabilia*. Si illa Sulphura sint *leviora*, cur non primo a-

ſcendit *inflammabile ſulphur* ſub forma florum; ſi *alcalicis juncta ardere poſſint*, ut manifeſte patet in Sulphure, lixivio tartari mixto, cur illud *Sulphur in ipſo Antimonio* non ardet? Non opus eſt hic ad *alcali* recurrere, ut *motus* ille *calidus* demonſtretur; ſufficit enim *ingreſſus fluidi in ſolidum* cum velociſſima æquè ac *celerrima* partium, ſuperficietenus ſe mutuo prementium & tangentium, *frictione*. Hiſce enim mobilibus auxiliis exprimitur *aër*, & *aqua ſuperflua*, quæ in *ventiformem expanſionem* redacta, magna cum velocia *de loco turbant* ſibi reſiſtentia corpuſcula, quorum *meatus* illa actione tamdiu *apertos* retinent, donec *extravaſata liberiori loco* fruantur. Corpus igitur *ramoſum in Antimonio* fuit, quod *ſalium acidorum inſinuatione* indiget ad ſui extricationem & inflammabilitatem.

4. Fœces reſtantes in fundo *inutiles non* ſunt, ſed in *Antimonium ſudoriferum* cogi poſſunt, *majorum* virium, quam *vulgare diaphoreticum*, cum nitro vel cum ſpiritu nitri.

Vires.

Pectoris & thoracis vitiis ſuccurrit, inſervit balſamo & tincturæ conficiendis, multo majorum virium, quam è Sulphure vulgari. Doſis in ſubſtantiâ à gr. iij. *ad* ℈ß.

Bezoardicum minerale.

℞. *Butyri Antim. q. v.*
Superfunde ei
Sp. Nitri q. ſ.,
donec efferveſcentia ceſſet, dein mixturam hanc evapora, vel abſtrahe per retortam ad ſiccitatem uſque, poſtea in crucibulo igniatur, donec nullus appareat vapor, & optimè candefacta ſit materia, pulverem uſui repone.

NOTÆ.

1. Effervescentia illa oritur ab *occurſu diverſimode fabricati*, ratione ſuæ *terreſtris* miſcelæ, *acidi*, nempe à *concentrato ſpiritu ſalis*, & *vulgari Spirit. Nitri*, quibus *intermediæ Antimoniales* particulæ exactius dividendæ, ſuas videntur conferre *actiones*. Nulla autem hic fit *præcipitatio*, quoniam *meatus ſat apti & laxi* permanent *Antimonio ſuſtinendo*. *Aqua* enim *regiæ* vires liquor acquirit, Antimonii corpus exactius *disjun-*

jungentis, illudque miris modis in suo situ *alterantis*. Hoc manifeste arguit, *nullam acidi & alcali* hic adesse *effervescentiam*, quoniam *in horum concursu fit præcipitatio* ab angustia meatuum & pororum inde producta, ubi ècontra hic *major* fit *imminutio solidi*, innatantis fluido.

2. Liquor abstractus Authoribus dicitur *sp. Nitri Bezoardicus*, sed revera nil aliud est, nisi *aqua regia*, à conjunctione spiritus salis communis cum Spiritu Nitri orta; unde etiam *aurum* dissolvit, & cœtera illa agit, quæ *aqua regia vulgaris* perficit, quamvis absque dubio *aliquæ particulæ Antimonii* destillatum liquorem *impragnare* potuerint, unde aliqualem à *vulgari aqua regia* differentiam obtinet.

3. *Iteratâ Spiritus Nitri affusione* non opus est, cum salia fluida *non amplius* in pulverem agere queant, & per consequens *nulla amplius correctione* hic opus habeat.

4. Hoc Bezoardicum, cum fiat ex *solutione Antimonii* in sp. salis, etiam *seq. modo* absque destillatione fieri potest:

℞. *Sp. Sal., cum Ol. Vitriol. pp.,* ℈j.
Reguli Antim. pulv., vel
Antimonii crudi ℥iiij.

Leviter ebulliant simul in vitro, iu arena posito, per diem unum, solutio per subsidentiam clarificata effundatur, (hic liquor æque limpidus erit, ut spiritus ante affusionem erat) ulterius evaporetur, si opus sit, leni igne ad medias, dein huic affunde Sp. Nitri, ut superius procedendo &c. Si spiritus Salis in coctione deficiat, recens affundendus est.

5. Ut *fere totum Antimonium* in flores, vitrum, & alia calcinata, reduci potest, sic & in *butyrum* eodem modo vertitur. Impossibile igitur est, hic *solas partes Regulinas* in altum propelli, nisi quis *totum Antimonium Regulum* nominare velit; *pretiosum* ergo hac præparatione obtinetur *diaphoreticum Antimonium*, quo carere possemus. *Acida duo* posse inter se *effervescere* demonstravimus in spiritu & oleo vitrioli; sic idem contingit in *oleo vitrioli cum aqua*, in *sp. nitri fortissimo cum aceto* &c.: quare autem hæc fiant, plenarie *hic elucidare* non proposui.

Vires.

Sudoriferum est conveniens in morbis & febribus per sudorem curabilibus, ut peste, variolis, morbillis &c. Dosis à gr. viij. *ad* ℈j.

Crocus Martis.

℞. *Limaturæ Martis* ℔j.
Sulphuris comm. ℔jß.

Calcinentur ſimul per horam unam cum ſpatulâ ferreâ materiam agitando, ut undiquaque pulvis Ferri Sulphuri ardenti objiciatur : pulverem hunc denuo cum eâdem quantitate Sulphuris permiſce, iterato calcina per horas duas vel tres, lævigatum deinde pulverem uſui ſerva.

NOTÆ.

1. Ferrum cum *omni injuriæ* pateat *cujuſcunque corporis fluidi moventis*, facile & hoc modo in *vicinia particularum* læſionem admittit. Mera *aqua* ſuper limaturam conſperſa, illam *in pulverem rubrum* convertet *ratione ſalis* ibidem *latitantis*, qui mediante calcinatione in *Crocum levem* convertitur; ſic & *aëris humido* objectum Ferrum corroditur, ob facilem, ut videtur, admiſſionem in meatibus aliquo modo *ſolutæ aquæ* communis, quam *denſiora metalla* reſpuere ſolent. Inde ſatis apparet, cœtera omnia *ſalina tantò citius* ibidem *divortium* poſſe facere, hac tamen cum cautelâ, ut pro intentione Medici *diverſa ſalia* adhibeantur. Quoniam *diverſitas talium præparatorum* plurimum à *mixturâ ſalium* dependet, ideo *alius Crocus* cum ſpiritu nitri, ſulphuris, aceto deſtillato, & ſimilibus confici poteſt; imo *ipſe pulvis*, ex *ſolutione vitrioli Martis* præcipitatus, ab Authoribus *Sulphuris Anodyni nomine* inſignitus, quid aliud, niſi *Crocus tenerrimus Martis*?

2. Omnia Medicamenta *è Marte* præparata, tam *adſtringentia*, *quam aperitiva*, *duplici* illa facultate prædita exiſtunt ratione *humorum in corpore* noſtro oberrantium, *& ſalis ibidem varii*, unde quibuſdam *prænominatus Crocus*, *nauſeam & vomitum* accelerare ſolet; ècontra, ſi *auſtera acris & millioſa* qualitas prædominetur, *alvum movet vel adſtringit*, & ſic in *reliquis aliis humoribus*, in ſuperiori vel inferiori corporis noſtri parte hærentibus.

3. Crocus *Adſtringens ſola* calcinatione, vel *reverberatione*, *in igne* perficitur, continuando per *duos vel tres dies*, donec in pulverem abeat *rubro-purpureum* leviſſimum. *Citius* autem abſolvitur, ſi ferrum *antea corroſum à ſalibus* fuerit, & ſic igni vehementiori objiciatur.

4. *Breviſſime Crocus Aperiens* fit, ſi limatura primo intenſè candefiat, eique deinde *Sulphur* inſpergatur, continuo movendo.

5. Cro-

5. Crocus *Adstringens in copiâ* obtinetur à bacillis Ferri, in supremitate *furni* dispositis, in quo *spiritus acidi* destillandi veniunt: nam hoc modo ab effluviis *acidorum salium & ignis* corroditur, & in *pulverem* dein reducitur *Ferrum*. Nec *merè Adstringens* hic, nec alius Crocus *mere aperiens* est, ut superius innuimus, & *insufficiens* illa mihi ratio videtur, *Martem* nempe *suo sale alcali purgare*, *eo privatum adstringere*: hoc enim modo *Vitriola* maxime adstringerent &c.

Vires.

Aperiens Crocus obstructiones tollit, vermes necat, cachexiæ conducit; lienis & mesenterii vitiis medetur, menstrua ciet. Dosis à gr. iij. ad ℈j. Crocus ultimus adstringit, diarrhœæ, dysenteriæ, & hæmorrhagiæ convenit. Dosis à gr. iij. ad ℈j.

Eodem modo *Croci* Veneris, Saturni, & cœterorum Metallorum fieri queunt.

Calcinatio Philosophica Cornu Cervi.

Suspendantur *Taleolæ Cornu Cervi* super vaporem *Aquæ ebullientis*, per horas viij. vel xij., donec in mortario in pulverem reduci queant, dein exactè pulverisatum lævigetur cum aquâ aliqua alexipharmaca super porphyritem; postea usui reservetur.

NOTÆ.

1. Quamvis *Calcinatio* hæc dicatur *Philosophica*, attamen *multum adhuc virium* à *Cornu Cervi*, hoc modo præparato, *decedit*; etenim, si *destillationi* committatur, multo minorem copiam præbet *salis volatilis*.

2. Hoc modo etiam *pleraque ungulæ & ossa* calcinari queunt; *Calcinatio* autem hæc nil aliud, nisi *fluidi superflui separationem mediante coctione* efficere videtur. Ratione *humidi interni pleraque viscosa minus facilè* pistillo obedire solent, unde potius *inflectuntur*, & *mollia* evadunt, quod impeditur, ubi illæ particulæ *magis rigidæ & solidæ* evadunt *separatione humidi* superflui; sic enim mediante *igne levi tosta ossa* vel *Cornu* in *pulverem* reducibilia existunt: sic etiam radices, cortices, herbæ, & similia *exsiccationem* præmissam requirunt, ut in *pulverem* reducantur. Hic autem *calor* adhibetur *Aquæ ferventis*, ne læsionem *empyreumaticam* patiantur, sed integra & illæsa maneant *Cornua*, suo *hu-*

mido & *sale volatili* ex parte orbata, quod *Aqua motum* celerrimum sequi solet, unde etiam *leviora* post calcinationem existunt *Cornua*.

3. Cornu Cervi ustum vulgare obtinetur *post destillationem* spiritus & salis volatilis, quod *igni aperto* postea commissum in *albam* convertitur *calcem*, ob plenariam *fugam* omnium *ramosarum & fluidarum* particularum, quæ nullo modo *in vase clauso* fugarentur ob *aëris admissionem* liberam ibidem *denegatam* &c.

Vires.

Diaphoreticum & sudoriferum est, in morbis malignis conveniens, acidum præcipuè mitigat, & cum eo in gelatinam quasi reducitur, sangvinis acrimoniam & motum nimium pro tempore sistentem; in morbillis & variolis summi est usus. Dosis à gr. vj. *ad* ℈ij.

Vulgare Cornu Cervi ustum magni apud plebem usus est, in quibuscunque fere morbis infantium, ut febribus, morbillis, variolis, & similibus. Dosis ad ʒj.

CAP. XIX.

De Præcipitatis.

PRæcipitata ea dicuntur *corpuscula*, quæ antea in *menstruo fluido* innatantia ibidem latitabant, & jam ad *soliditatem iteratam* reducta existunt, mediante *propria gravitate*, & *spontaneâ subsidentiâ*, vel ubi *meatibus menstrui angustioribus* factis ad *fundum* ruere coguntur contenta. Hæ operationes utplurimum fiunt in *corporibus metallicis & mineralibus*, *solidioris compagis* existentibus, quæ cum per se *pauci*, *& fere nullius* esse soleant *usus* in re medica, ob *soliditatem* partium, quodvis *liquidum non facilè admittentium*, ideo *prius imminuta ramenta* ventriculo offeruntur, ut *insinuationes majores* admittant particulæ *divisæ*, & hoc modo actiones suas producant. In hisce, prout & in *calcinandis*, *consortium salium* vel *nocuum* vel *proficuum* observatur, ita ut *attentum* requirat artificem & Medicum, pro *scopo* sibi proposito feliciter obtinendo; velut enim *navis* fluento innatans gubernaculo indiget, ut *ad portum integra* appellat; sic etiam particulæ *solidæ*, *fluidiori sale* undiquaque *obsessæ*, *huc & illuc* pro ratione *humidi* torrentis, & fluctuum *salinorum* impelli possunt, nisi *dextrum* obtineant *gubernatorem*. Quamvis autem *Præcipitata* corpora omnibus *salibus orbata*

ta videantur, *inclusa* tamen eadem *reservant*, quibus *tegumenti* loco inserviunt, ita ut *nullus aquæ edulcoranti* pateat *ingressus*, ut in *sequentibus* demonstrabitur.

Aurum Fulminans.

℞. *Auri, q. v.,*

Aq. Regiæ, ex Sale Ammoniaco & Aqua Forti paratæ, q. s.

Solvatur Aurum, solutioni instilla *spiritum*, *aut salem volatilem Urinæ*, donec effervescentia omnis cesset, mixturaque turbata appareat. Huic superfunde Aq. comm. decuplam quantitatem, & sponte subsidere permitte: pulverem ab Aqua supernatante per decantationem separa, & iteratò per Aquam elue, postmodum sicca in umbra. Hic pulvis est efficacissimum Aurum fulminans, sursum debilius, sed deorsum violentia summa sese mediante calore exterius adhibito exercens.

NOTÆ.

1. Idem *pulvis Fulminans* obtineri potest, si *quovis alcali*, *fixo aut volatili*, præcipitatio instituatur. *Diversa* tamen *effecta* illius Auri experietur Chymicus per *varias salium alcalinorum affusiones.* Sic *eo vehementius* est Aurum in sua Fulminis vibratione, *quo magis oleosum*, & *volatile* fuerit *sal præcipitans*, ècontra *eo debilius*, *quo sal fixius*, *tenuiori crassiorique oleo privatum* existit.

2. *Absque Sale Ammoniaco* parata ubi fuerit Aqua Regia, *minori cum successu* operatio Auri fulminantis procedit, sic etiam, si *destillata* fuerit.

3. *Fulmen* hoc ab *oleo crasso*, *in Sale volatili* delitescente, *sulphuri tenuissimo nitrosi spiritus juncto*, producitur: ubi nempe hæc unita corpuscula, in textura intricata *avidius materiæ subtilis motum recipiunt*, eundemque cum summo *capsularum Auri*, quibus coercebantur, ac *pulvis pyrius in granatis* dictis *bellicis*, disruptarum *fragore* explodunt. *Ramenta* igitur *Auri repræsentant globulos* illos *concavos* bellicos, in se continentes *nitrum*, *duplici sulphure nobilitatum*, fugacissimum, & per se inflammabile. Prout illæ igitur particulæ *solidæ meatuum orificia* ab *hac vel illa parte magis patula* obtinent ad flammam suscipiendam, inde *diversitas nisus & pressionis* dependet &c.

Pli-

Vires.

Sudoriferus est pulvis, sangvinem mundificans, epilepsiæ infantum succurrit &c. Dosis à gr. iij. *ad* ℈j.

Mercurius Præcipitatus varii coloris.

℞. *Merc. Vivi* ℥viij.
Aq. Fort. ℥xij. *vel* ℥xvj.
M.

Solvantur sec. art.; hanc solutionem divide in plures partes.

Primæ parti instilla *Ol. Tart. p. d. q. s.*, sic pulvis descendet luteus cum effervescentiâ, quâ omnimodè cessante abstinendum est ab affusione salis deliquati: pulvis subsidens eluatur mediante aqua ab omni salsedine, & usui siccus reservetur.

Secundæ parti adde *Aquam Salsam*, sic illico lactescet liquor, & pulvis decidet albus, ut ante, edulcorandus & exsiccandus.

Tertiæ parti affunde *recentem Urinam*, & incarnatum arripiet colorem pulvis deciduus, qui varius erit pro coloratione magis vel minus satura Urinæ additæ; limpidæ enim aquosæ Urinæ, eodem modo album præcipitant Mercurium, ut muria salis communis.

Ruber autem fit impropriè præcipitatus Mercurius, si *Aqua fortis* abstrahatur ad siccitatem, augendo postea ignem, donec leviter inferius candescat cucurbita cum plano fundo, in arena posita, ita tamen, ne omnis pulvis ruber appareat, sed flavescens sit crusta superior. Refrigeratis omnibus separetur superior crusta ab inferiori pulvere rutilante colorato; pulvis autem à superficie collectus, iteratæ calcinationi committi potest per se, donec etiam in rubrum vertatur colorem.

NOTÆ.

1. In hisce *Præcipitatis colorum diversitas* emergit ab additamentis *salium*, quod videtur testari, omnes *colores* potius *à sale* modificante, & vario modo corpuscula *solida* impellente oriri, non autem *mere à ramosis sulphureis* particulis: quoniam *& illæ mutationibus* variis obnoxiæ sunt, à particulis fluidis internis illas dirigentibus. *Firmum*, tanquam corpus recipiens *diversimodè* impulsum & *dispositum* à *sale*, *per materiam subtilem & aquam fluido*, statuendum credimus, quod & *de suo* communicat, quatenus nempè *externa superficierum dispositio* & *interna porum*

rorum varia redditur figura, *aequalis* aut *inaequalis.* Quod in *Arte Tinctoria*, & in omnibus *artificialibus* æque ac *naturalibus* patet.

Non ſolum autem *coloris differentiam* obſervandam proponimus, ſed & *pulveris* illius *levitatem vel ponderoſitatem*; videmus enim in *pondere* maximum *diſcrimen*; *leviſſimus* nempe eſt præcipitatus albus; *paulum gravior* incarnatus; *ponderoſior* luteus, & *omnes pondere ſuperans* ruber exiſtit. Ponderis varietatem hanc *oriri* credimus à *mutua repletione majori vel minori meatuum illorum ſalium*, qui prout *exactius* ſaturantur, eo *citius*, *fortius* & *inordatius depulſæ* particulæ contentæ *fundum* occupare coguntur; quo ſpatiola vero *majora adhuc in ſalibus acidis* permanent, eo *minori* in *copia* etiam deturbantur *internorum ſalium multitudine* ſtipatæ, unde *levior & albus* pulvis obtinetur. Sic per *fixum alcali plenarie repletum acidum obſcuros* reddit pulveres *præcipitatos*, qui *leviores* fiunt per *muriatica volatilia*, ut in *urinæ* miſcela innoteſcit. *Fixi muriatici* autem admixtione rigidi ſalis *leviſſimus & albiſſimus* fit, ubi *menſtrui fluidi meatibus* ex parte *obſeſſis*, Mercurium loci anguſtiâ preſſum ad fundum *propria gravitate*, partim deſcendere ſinit, partim *ſeſe præcipitem dare* cogit, unde in *leviſſimum & albiſſimum* cadit pulverem: nullo enim *fortiori impetu* in illas particulas facto, qui *arctius* illas ad ſe invicem adigeret, propriâ quaſi ſponte *leviſſimus* deſcendit, unde *interſtitia majora* derelicta, *aëris* & *ſalis* particulis repleta, *levitatem* ipſi addunt. *Præcipitatum* autem *rubrum*, cum ſit potius *calcinatio*, illam, tanquam mixturam in *Cryſtallulos minimas* redactam, ex *aquæ fortis nitroſis* partibus conſtantem, conſideramus, quæ *metamorphoſin* miram *colorum* ſubit, pro *remanentia majore vel minore ſalium*: ſic in principio in maſſam reducitur *albam*, poſtea *flavam*, ſubſequitur *rubra ſplendens*, ultimo, ſi *fortiori igne* urgeatur, *levior rubedo cryſtallorum expers* & ingratior, à *ſalium* nempe *defectu*. Per *ſalia alcalia volatilia* ad *nigrum* & nigro-viridem colorem vergens præcipitatur pulvis, non minimi, pro *internis uſibus*, valoris.

2. In *edulcoratione* præcipitatorum pulverum, eorum nempe, qui *abſque ſale fixo* præparati ſunt, *non rejiciendi* veniunt *liquores*, quoniam *plurimus* ibidem latitat *Mercurius*, *ulteriore præcipitatione* conſpicuus.

Vires.

Variant pro ratione ſalium internorum; prout enim fluida illa ſalia, magis vel minus debilitata fuerint, inde vires agendi fortiores vel debiliores exiſtunt. Unde in doſi, & qualitate agendi variant; ſic violentus præcipi-

cipitatus ruber & albus, mitior luteus, mitissimus nigricans. Omnes autem salivationem promovent, vomitum & alvum movent in majori dosi; unde conveniunt in lue Venerea; rarioris autem sunt usus interni; externe autem commendantur in scabie, cutaneis vitiis, & ulceribus cacoethicis; in excrescentiis carneis tollendis præcipuè ruber valet. Dosis præcipitati rubri & albi à gr. j. ad v. gr., lutei ad gr. viij.

Turpethum Minerale.

℞. *Mercur. Vivi* ℥j.
Ol. Vitrioli fortissimi ℥ij.

Mixta in arenâ vehementiore igne ebulliant, donec omne Oleum denuo evaporatum fuerit; auge demum ignem, ut inferius candeat, sic omnis Mercurius non ritè calcinatus ascendit. In fundo remanens massa alba pulverisatur & edulcoratur in *s. q. aquæ communis*, qua mediante colorem accipit citrinum; pulverem sat edulcoratum exsicca ad usus dicendos.

NOTÆ.

1. Idem fieri potest *mediante Ol. Sulph. per campanam*, in *majore* tamen *quantitate* adhibito.

2. *Brevis* sit *incandescentia vasis*, ne *omnia salia* dispareant, & Mercurii pulverem *gryseum* derelinquant; in iis enim, ut antea innuimus, *potissima vis* medicamentorum talium hærere solet, quibus privata sœpius *instar capitis mortui* sese habent.

3. *Major* etiam *quantitas* & *repetita cohobatio* Olei adhiberi potest ad *majorem fixationem*, ut sibi volunt Authores; *sufficit* autem ea quantitas, quæ Mercurio *dissolvendo & retinendo* idonea sit; *cœteræ* enim partes salinæ, *immunes avolare* solent, unde *protrahitur* sœpius *labor*, & *pretium* medicamenti *augetur*.

4. Aqua *edulcorationi inserviens* non rejicienda est, utpote in quâ *plurimus Mercurius* adhuc delitescit, educendus mediante *sale* quocunque *fixo*; sic enim præcipitatur pulvis *subruber*, *vel intensè luteus*, ejusdem fere *naturæ*, at *mitioris*, quam Turpethum minerale.

5. *Colorem* videtur assumpsisse ab *Olei Vitrioli* consortio, *minerales & terrestres crassiores* particulas in meatibus suis abscondente, quæ *adhærentes* Mercurii pulveri, primo ob *salium fluidorum consortium* magnum *albedinis* larvâ latitabant, jam vero ab illis *salibus liberatæ* particulæ,

culæ, *magis visibiles* particulæ *terrestres* factæ, *proprio* quasi *colore* procedunt, eodem modo, ut *Oleum Vitrioli debilius*, ob phlegmatis mixtionem, *rubrum* apparere solet; *phlegmate* autem *evocato* album & *limpidum* conspicitur.

Vires.

Salivationem, & alvum movet, ut & sæpius vomitum; si autem spiritu vini tartarisato subtilissimo addito digeratur per dies aliquot, dein spiritus hic beneficio flammæ abstrahatur, benignius per sudores & alvum operatur, in lue Venerea, gonorrhœa, lepra, & similibus affectibus. Dosis à gr. j. ad v.

Magisterium Marcasitæ Argenteæ.

℞. *Marcasitæ Argenteæ* ℥iiij.
Aquæ Fortis ℥vj.

Dissolvatur Marcasita leni cinerum calore, solutionem magnæ quantitati depuratæ Aquæ putealis infunde, sic lactescet, & sensim ac sensim pulvis deciduus apparebit ad fundum instar nivis albus & levis, à salium ulteriori consortio diligenter aquâ purâ eluendus, postea inter duas papyros in umbra exsiccandus ad usus cosmeticos.

NOTÆ.

1. Aqua *putealis*, ob *salis muriatici levioris* mixturam præcipitationem facilitat; depuratur autem aqua per præcedentem *coctionem* & *subsidentiam*, ne fœcibus suis *albedinem* pulveris commaculet.
2. Pulvis hic est *levissimus*, quoniam *pedetentim* nullo sale pellente descendit, quæ *levitas* & *albedo* in *cosmetico* valde commendantur, ut omnes *asperitates cutis* tollat, *loculosque* tegat & repleat.
3. Post subsidentiam prioris pulveris *alter* in majori copia *albus* præcipitari potest cum *muriâ salis communis*, ut in Mercurio albo præcipitato proceditur.

Vires.

Vomitum movet in majore dosi, sudores in minore, sed rari usus interni est; externè faciei & cuti dealbandæ inservit cum axungiis, vel mucilaginibus, quæ multo præstantiores sunt &c.

Magisterium Coralliorum.

℞. *Coralliorum rubrorum, grosso modo contusorum q. v.* Superfunde iis *Acetum destillatum ad supereminentiam aliquot digitorum*; ebulliant leviter super ignem, donec omnia dissoluta sint. Solutionem claram præcipita mediante *Oleo rectificato Vitrioli*; sic in pulverem albissimum & levissimum decidunt Corallia, edulcoratione cum aquâ communi à salibus eluenda; pulvis edulcoratus in umbra, vel supra cretam exsiccetur.

NOTÆ.

1. Idem Magisterium mediante *Oleo Tartari per deliquium*, sed *minus leve & album*, *minusque denuo dissolubile* obtinetur.

2. Omnia fermè præcipitata, *minus* post præcipitationem *dissolubilia* existunt, quam antea fuerunt, ideoque sœpius à Medicis *rejiciuntur*, tanquam Medicinæ *inutilia*. Mixtura salium & pulverum, *nulla arte* fere separabilis, servata *integri pulveris* textura, medicamenta hæc *potius composita*, quam simplicia esse demonstrat.

3. Dissolutio Coralliorum si *absque præcipitatione evaporetur*, præbet *compositum* quid è sale fluido concentrato, & Coralliis: hoc Magisterii genus dicitur *dissolubile*, quoniam *plurima salium* fluidorum *copia*, *in meatibus* suis recepta *Corallia* facile *sustinet*, & *fluiditatem* suam communicat, illa sustentando, ubi addito menstruo *fluido liquida* denuo conspiciuntur. *Non* autem unius *ejusdemque naturæ & virium* hæc duo Magisteria credimus, ob *diversissimæ* texturæ particulas salinas, *Coralliis* in majore vel minore copia *adhærentes*, prout & in aliis operationibus diximus.

4. Valde miror *Censoriam notam* Chymici Observatoris, ubi *negat*, hanc esse *præcipitationem* ob *defectum alcali & acidi*, quorum ubique summum se Patronum gerit. Sed quidnam intellexerit per *Corallia*, *in alumen redacta*, nescio; nam *insipidus* est pulvis & *indissolubilis*, quæ duo *alumini* saltem vulgari contrariantur. Quod *Oleum Vitrioli effervescat denuo* cum Coralliis, experientiæ *refragatur*. Oleum Vitrioli à Magisterio *nunquam reduci* potest, etiam *ultimis* & diu *continuatis ignis* gradibus. Metallica substantia non tanta est in Oleo Vitrioli, ut *sensibile augmentum ponderis* à *levissimis* illis *Coralliorum* pulvisculis reciperet, & tunc *potius flavum* exhiberet pulverem, ut in *Turpeto minerali* dixi-

diximus. Quid *pereat* illius Magisterii, nullibi patet, quoniam addito sale fixo *nullus vel paucissimus* obtinetur *pulvis* è *liquore* limpido *supernatante*, qui maxime cum illo sale *effervescit*, ratione mixturæ Olei Vitrioli; cum *Aceto* enim *destillato nunquam* tanta *effervescentia* producitur. Tandem non video, cur in hoc paragrapho tantum insudaverit *circa Oleum Vitrioli*, cum apertè dicat, me Oleum Vitrioli *nunquam vidisse*, sed tantum ejus *phlegma*, paratum ex, nescio quo, secundum ejus mentem, *factitio vegetabili vitriolo*. Sed condonanda hæc cum cœteris, uti & ejus *plusquam Dictatorio* statuto de viribus illius Magisterii, nulli experientiæ respondentibus.

Vires.

Adstringit, diarrhœæ & dysenteriæ convenit, effervescentiæ sangvinis biliosæ conducit. Dosis à gr. v. ad ℔ij.

Eodem modo fiunt *Magisteria Oculorum Cancri, Perlarum*, & similium.

Mercurius vitæ.

Præcipitetur *Butyrum Antimonii* in sat larga quantitate *Aquæ communis*, præcipitatus pulvis edulcoretur mediante *Aqua communi*, dein exsiccetur ad usum.

NOTÆ.

1. *Prima* affusa aqua, si *diutius perstet* super pulverem, *acidior* semper evadet, & pulvis *instar crystallulorum minimorum* splendet.

2. Aqua, *fluidis illis salinis* particulis imbuta, *Spiritus Vitrioli philosophici* nomine apud Authores indigitatur, si phlegmate abstracto *liquor acidus* remaneat. Hunc autem liquorem potius *spiritum salis* esse dicendum evincit destillatio Butyr. Antim. mediante *solo spiritu salis*, unde liquor, *recenti Antimonio* affusus, *denuo* Butyrum exhibet. Aurum etiam dissolvit, & operationes easdem, quas *spiritus salis*, perficit.

3. Pulvis hic nil aliud, nisi *flos Antimonii* est, mediante *sale fluido evectus*, qui & in regulum & vitrum abit.

4. Idem pulvis obtinetur ex mera *solutione Antimonii, vel reguli* ejus, *in sp. salis*, ut superius in *bezoardico minerali* descriptum est; non autem opus *evaporatione præmissa* illius solutionis cum statim pulverem *deciduum in Aquâ comm.* præbeat.

5. *Mitior* fit Mercurius vitæ, si *prius* in aquâ comm. *sal tartari* dissolutus fuerit; sic enim *spiritus acidi* cicurantur.

Vires.

Emeticus est sat violentus; corrigitur autem, si salium atrocia mitigetur additione aliorum salium spirituosorum digestus, & postea spiritus vini super ipsum deflagratus fuerit. Dosis à gr. j. ad gr. IV.

Sulphur Auratum Antimonii.

℞. *Scoriarum Reguli Antimonii superficiem occupantium q: v:* Pulverisatis superfunde *Aquam communem*, coquantur simul, donec saturato colore tinctus appareat liquor, liquorem hunc filtratum præcipita mediante sale quocunque fluido, ut *Aceto destillato*, *Aqua Tartarisatâ*, *Spiritu Vitrioli*, & similibus, pulverem præcipitatum edulcora s. a., dein exsicca, & usui repone.

NOTÆ.

1. Si *subtile* & *levissimum* expetatur Sulphur Auratum, in *magna quantitate aquæ scoriæ decoctæ primo subsideant*, donec liquor ad *teporem* redactus sit, dein *filtra*, & *præcipita*; sic magna pulveris *crassioris* copia subsidebit, & separabitur, ita, ut *solæ leviores* postea præcipites dentur particulæ.

2. Quo *major copia salium* adhibita fuerit, eo *major quantitas Sulphuris* obtinetur. Hæ scoriæ nil aliud sunt, nisi *mixtura fixiorum salium*, quæ acie sua *perterebrarunt* particulas *ramosas* & *magis terrestres* Antimonii, quas in aqua communi *retinet dissolutas*; postea vero consortium ineuntia *duo illa salia*, *majora & longiora* fiunt, quam ut sufficiant *meatibus* illorum *ramosorum corpusculorum divisis retinendis*, unde illa *proprio pondere*, *vehiculo* suo *orbata*, & *angustia loci pressa* ad *fundum* descendunt sub forma *pollinis tenuissimi rubri*.

Vires.

Vomitivum est, in minima autem dosi etiam sudoriferum. Dosis à gr. j. ad gr. viij.

CAP. XX.

De Mineralium & Metallorum Tincturis.

ULtimus fere *Chymicorum scopus* eſt *corporum exaltatio & extractio*, id eſt, partium ignobilium à nobilioribus *ſeparatio*, ulteriorque per additamenta *attenuatio*. Hanc in *pleriſque Vegetabilibus & Animalibus*, naturaliter jam *per ſalia ſua* in partes varias diviſis, facilius aſſequi poteſt Artifex, prout in *titulo de Extractis* demonſtravimus. *Metalla* vero, *denſiori* textura gaudentia, *pauciſſimo interno ſale* inſtructa, *arctiori* & æqualiori partium copula unita, *non æque facile* ſuarum conſtituentium particularum *divortium* permittunt, ut & *Mineralia*, ſi *pauciſſima* excipias, quæ, ſolo *ſulphure*, *aut copioſiori ſale* maxime *poroſæ terræ* intermixto, à Metallis *perfectius excoctis* differunt. Haſce igitur operationes *ultimis hiſce pagellis* ſubnectere viſum fuit, utpote, meo Judicio, in plurimis *ab aliis* præteritis *differentes*. Quamvis enim *Tincturæ* nomine gaudeant corpora *ſolida colorata*, *menſtruo limpido innatantia*, parum tamen à *ſolutione* hæ differunt, niſi ratione *menſtrui*, vel *corporis jam colorati*, ideoque *non debere* hanc Tincturam particulis *ramoſis ſuam colorationem*, ſed *tantum* ipſis *metallicis*, *varia texturâ & ſitu* gaudentibus, ut & *ſalinis*, illas diverſimode diſponentibus, veroſimile eſt. *Exacta* particularum *Mineralium* analyſis vix obtinetur, ut ſtatim innuimus, ut *omnimodè* unæ ab aliis differant: quamvis *Chymici* multum de tali glorientur, ut & de *irreducibilitate* ſuorum corpuſculorum tingentium *in corpora priſtina*. Attamen negare nolim, plurima *dari menſtrua*, quorum *copulà* particulæ *metallicæ adjutæ*, *fugam* facillimè tentare, & *manus Artificis ſubterfugere* poſſint: ſed illud ratione *fluidi volatiliſantis* fit, quo *ſpoliatæ fugacitatem* ſuam facile deponunt, & formam *priſtinam* ſœpius *reaſſumunt*. *Conjunctio* etiam *aliquot* corporum *ſolidorum per ignem*, *mutuos poros & meatus* occupantium, non levem *inconſtantiæ* notam imprimit, ubi *minerale ſulphureo-ſalinum volatile* una ſecum fortiori ignis motu in altum abripit *fixiores perforatas*, & *undique obſeſſas metallicas* particulas, ut exempli gratia, ubi *antimonium & plumbum* aliis metallis juncta illa *volatiliſant* & corrodunt. *Menſtrua* autem, ſub quorum nomine etiam *ſalia fixa* recenſemus, quoniam *diverſiſſimæ* ſunt figuræ, *differentiam* etiam *plurimam* ſuis *præparationibus* inducunt, quod & in aliis *ſolutionibus* obſervavimus.

Plu-

Plurima insuper menstrua *per se* imbuuntur hoc vel illo colore *mera digestione potius à salinis* particulis, *menstrui* corpuscula terrestria modificantibus, *quam ex ipso corpore*, Tincturæ exhibendæ proposito; unde etiam plurima *colorata* apparent *menstrua*, quæ *abstracto* denuo liquore *expertes omni colore* relinquunt *fœces*. Menstruum forsan datur *insipidum omnia solvens*; in sequentibus autem *Tincturis* nulla agnoscimus menstrua, nisi *salina & sulphurea*, quæ pro sua *intricatione* vel *dilutione*, nervos nostros *olfactorios* & *gustatorios magis vel minus* afficere possunt; semper autem *certo respectu corrosiva* existunt omnia, utpote quæ *dilaniant* & discerpunt ramenta corporum mineralium, ita ut menstruorum meatibus accommodata internatare queant. *Varietas menstruorum* in eo præcipue consistit, quod aliqua *certas*, *easque homogeneas* tantum, hoc modo figuratas particulas *in interstitiis suis* recipiant, aliqua *diversis* competant *corporibus*, fere quibusvis; sic *spiritus vini conglobatas* particulas *ramosas vegetabilium & animalium* dissolvit, modo sit *rectificatissimus*; idem verò *spiritus phlegmaticus tantum aliqua ramosa* attingit; idem *de salibus acidis* &c. esto judicium. Compositiones & mixturæ salium & sulphurum menstrua sœpius *diversissima à simplicibus* edunt, ubi salia magis repleta *rigidiora* fiunt, vel in tenuissimam & *raram* texturam divisa *gratissima* redduntur, & *blando* subtilique *modo aciem* suam *offerunt*, & corporum *cohæsionem sine manifesta violentia*, seu tumultuoso motu *turbant*; *prioris generis* sunt *aquæ gradatoriæ*, *regiæ*, *fortes* &c. *posterioris* sunt *spiritus dulcificati*, *salia volatilia spirituosa*, *spiritus vini alcalisatus*, donec fere instar *aquæ tenuissimæ insipidus* evadat &c. Hisce operationibus rite perficiendis, *prioris notæ menstrua dilaniatione* corporum *duriorum* inserviunt, si alia non adsit via, *posterioribus liquoribus amicæ corporum* nostrorum, *humoribus* convenientes *exaltationes*, & plenariæ *elaborationes* absolvuntur. Notandum autem in genere, omnes hasce *Tincturas*, *sine acido sale* paratas, *efficacissimas pro usu medico* esse, & plane innoxias; si autem *absque eo* non procedat, tamdiu per *spirituosa sulphurea* salia illa rigida sunt *imminuenda*, & quasi *inflectenda*, donec *sapore*, *odore*, & *colore grato* sese offerant, ut in *sequentibus* demonstrabitur:

Tinctura Martis Aperiens.

℞. *Crystallorum Tart.* ℥viij.
Limaturæ Martis ℥iij.
Aquæ comm. *q. s.*

Co-

Coquantur per tres, vel quatuor horas, continuo materiam ſpatulâ agitando, & in locum aquæ evaporatæ recentem ſubſtituendo, donec ſufficienter colorata appareat : evaporetur deinde ad ſiccitatem, caute ſub finem procedendo, ne materiâ aduratur.

℞. *Pulveris hujus* ℥iij.
Vini aduſti Gall., *vel Rhenan.* ℥x.

Digerantur ſimul in Mariæ Balneo per dies duos, dein clarum à ſpiſſo ſeparetur ad uſum.

NOTÆ.

1. *Accelerari* poterit ſolutio affuſione *ſpiritus nitri*.

2. Si Tartarus cum Limatura mixtus, & *leviter aquâ conſpurcatus*, per aliquot dies *aëri* objiciatur, *major copia Tincturæ*, & *facilior diſſolutio* obtinetur.

3. Spiritus requiritur *phlegmaticus* ad ejus *Tincturam* extrahendam; ut *ſalia*, quæ Martis *diſſolutionem* & attenuationem promoverunt, *una cum iis* in vehiculo ſpirituoſo diſſolvantur; ſi autem *ſubtiliſſimas tantum* particulas extrahere animus eſt, *etiam cum rectificato* obtinentur.

Vires.

Egregriè deoppilans eſt, obſtructionibus & vermibus ſummopere conducit, inſuper liquoribus Chalybeatis extempore conficiendis inſervit, meſenterium & lienem reſerat. Doſis à guttis iij. *ad* xxx. *in vehiculo conveniente.*

Tinctura Lapidis Hæmatitis Adſtringens.

℞. *Lapid. Hæmatit. lævigati* ℥iv.
Salis Ammoniaci ℥vj.

Exacte mixta crucibulo imponantur, & leni igne per horam unam vel alteram detineantur, donec vapores ceſſare incipiant, tunc auge ignem ad incandeſcentiam uſque per horam ſemis : reſtans maſſa pulveriſetur; *uncia una hujus pulveris* miſceatur *unciis tribus Spiritus Vini rectificati*, digerantur ſimul per viginti quatuor horas, dein clarum à ſpiſſo ſepara ad uſum.

NOTÆ.

1. Eadem etiam *Tinctura* Adſtringens obtinetur *è fœcibus in fundo reſtitantibus* florum lapidis *Hæmatitis*, ut in *ſublimatione* diximus.

2. E *floribus Lapidis Hæmatitis* obtinetur *Tinctura magis Aperiens* eodem modo *cum Spiritu Vini*.

3. Hic pulvis eſt reſiduum *ſal acidum fixius Salis Ammoniaci*, *adhærens in actione* ſua particulis mineralibus *Lapidis Hæmatitis*. Ille La-

pis cum sit minera Martis, Tincturæ Martis nomine prostare potest; nam eodem modo etiam ex *ipsâ limaturâ Martis* cum Sale Ammoniaco *Tinctura* fieri potest earundem virium. Quoniam autem *mineralia facilioris* sunt *dissolutionis*, quam *metalla*, ob eorum *porositatem*, & corpuscula plurima lapidea *terrestria*, & *salina interstitia*, ideo *ex illis pleramque* medicamenta assumuntur *præparanda*. Mixtura autem *intertextorum corpusculorum* optime examinanda venit, *benignæ*, an *malignæ* sint qualitatis; nam plurima talia *arsenicali sulphure maligno* scatent, hinc utplurimum *actiones* illorum medicamentorum perturbantur. In hoc autem Lapide Hæmatite *Tinctura Solaris* inesse perhibetur, unde *potius ex illo*, *quam è Marte* Tincturæ hæ præparantur &c.

Vires.

Summè adstringit, in quibuscunque fluxibus sistendis summè proficua est Tinctura, in diarrhœa, dysenteria, lochiis nimiis, & similibus. Dosis à gutt. ij. *ad gutt.* x.

Tinctura Antimonii.

℞. *Mineræ Antimon* ℔j.
Salis Tart. ℔ij.

Detineantur in igne vehementissimo per sex vel octo horas, dein refrigeratis omnibus massa pulverisetur, huic pulveri superfunde *Spiritum Vini Tartarisatum ad supereminentiam aliquot digitorum*, digerantur simul per tres vel quatuor dies, donec sangvinis instar rubicunda evadat Tinctura, sœpius materiam agitando, dein ad usum à fœcibus separata reponatur.

NOTÆ.

1. Quo *diutius* ignis continuatur, eo *melius*, ut *in fluore continuo* Antimonium perstet, magis ac magis à particulis *noxiis* liberandum, & à *salium punctis penetrandum*, & dividendum, ut tanto facilius *menstruo pareat*.

2. *Fœcibus* post extractionem Tincturæ *residuis*, *recens Spiritus* superfundi poterit, an *denuo colorem* impertire velit; si autem *neget*, *iterata fusione* Tinctura *eadem* obtinetur, addendo parum *recentis salis fixi*.

3. Hæc extractio fit è mixturâ particularum *salinarum fixiorum & sulphurearum* Antimonii. Dissolutiones autem Antimonii etiam fieri *queunt* mediante *acido*, ut è *vitro* Antimonii *cum aceto destillato*, è *regulo* Antimonii cum *aquâ regiâ*; unde *colorata* etiam fiunt menstrua.

Hæc acida cum *vim ejus emeticam* obtundant, simulque ope eorum *sulphureæ* partes Antimonii *cicurentur*, *alicujus usus Tincturam* præbent pro intentione Medica; hæc autem *præscripta* cum sit *alcalina*, & ratione *salis*, ut & *menstrui* abhibiti *penetrantissima*, *omnem* fere *notam* absolvere *felicissime* potest, quoniam *alcalia acidis* in praxi Medica ubivis sunt *præponenda*, non autem ob solam *coagulationem*, (quæ & sœpius *per alcalia* produci potest etiam ob præcavendam, sed alias *experimentales rationes*, quas hic recensere nimis longum foret.

4. Sic & è *sale Tartari solo*, *violenter calcinato*, Tinctura fit fragrans obtinetur, quæ revera nil aliud est, nisi *exaltatio* & modificatio *particularum Spiritus Vini*, mediante *Sale Tartari*, subtilissimis *effluviis ignis* imbuto.

Vires.

Sangvinem egregiè mundificat, obstructiones tollit, sudores promovet, spiritus confortat. Dosis à gutt. iij. *ad gutt.* xx.

Tinctura Veneris.

℞. *Limaturæ Veneris* ℔j.
Sal. Ammoniaci ℔ß.

Mixta detineantur in aëre, ut fere diffluant, & viridem colorem deponant, dein retortæ impone, & per arenam primo liquorem evoca, ulteriori postea igne flores Salis Ammoniaci, subtiliori pulvere cupri impraegnati, ascendunt, qui fractâ retortâ eximendi, & in aquâ, sale tartari impræghata, præcipitandi. Pulvis subsidens leviter eluatur, dein exsiccetur; huic superfunde *menstruum* è *duabus partibus Sp. Vin. rectificatiss. & una parte Sp. Salis Ammoniaci opt.* præparatum, digerantur in phiolâ arctissime clausa in B. M. per 2. vel 3. dies, Tincturam à fœcibus separatam usui repone.

NOTÆ.

1. Eadem Tinctura, sed *minus exaltata ex ærugine* fit, & *vitriolo Veneris.*

2. Fœces in inferiori parte vasis *post sublimationem residuæ*, si coquantur in *aqua comm.*, & filtrentur, præcipitant etiam *flores*, & *majorem pulveris copiam* exhibent, ob partes *alcalinas volatiles* in floribus latentes, quæ cum sale acido fixiori *præcipitationem* efficiunt *partium cupri*, ibidem contentarum.

3. Ex *Lunâ ratione Veneris admixtæ* itidem color emergit gratissimus *cœruleus majorum* adhuc *virium*, & *gustus valde amaricantis.* Si vero

ab omni Veneris amplexu liberata exiſtat Luna, *albi* coloris *flores* aſcendunt, è quibus *nulla Tinctura* obtinetur.

Vires.

Antepileptica eſt, obſtructiones reſerat, vermes necat, gonorrhœa conducit. Doſ. à gtt. ij. ad x. Externe oculorum vitiis ſuccurrit, ſi aq. roſar. permiſceatur.

Tinctura Solis.

℞. *Fol. Auri* ℥j.

Redigantur in pulverem ſubtiliſſimum in mortario vitreo per 6. vel 8. horas terendo, donec in purpureum abeat colorem; huic ſuperfunde
Sp. Sal. Ammon. acid. dulcif. ℥ij.
M.

Stent in digeſtione per 6. vel octo dies ſœpius materiam agitando; ſic Tinctura intenſe flava obtinetur uſui reponenda.

N O T Æ.

1. Eadem Tinctura cum *ſp. ſal. comm. dulci* fieri poteſt, ſed *hæc* multo *penetrantior* eſt.

2. Quo *exactius & diutius* Aurum lævigetur, eo *citius & melius* Tincturam ſuam deponit, quod & in *omnibus mineralium & metallorum Tincturis* obſervabile eſt.

3. Menſtruum poſt extractionem *avocari* poteſt mediante *deſtillatione*, ſi ita videatur; hoc autem ideo *mixtum* relinquo, ut *vehiculi loco* inſerviat, & *penetrandi vim* adaugeat.

4. Hæc Tinctura exhibita poſt *levem adſtrictionem dulcedinem ſummam* refert, & quæcunque *ingeſta dulci & grato ſapore* imbuit, quod fit à diſpoſitione *ſucci nervorum* alteratâ per intricationem, ſive potius aliquali *ſalivæ præcipitatione* circa glandulas *ſalivales*, unde *illa craſſitie* nervos *demulcet*, & *dulcedinis* guſtum refert ob particulas acres, *viſcoſis* illis *implicitas*, ut non raro à *ſaliva condenſatione varia* accidit. &c.

Vires.

Acidum infringit, acrimoniam partium fluidarum impedit, cordis affectibus conducit, diarrhœam, & quoſcunque alvi, uteri & narium fluxus, & hæmorrhagias compeſcit. Doſis à gtt. ij. *ad* viij. *in vino.*

SE-

SECTIO SECUNDA,

METALLURGIAM

Exhibens Contractam, Rationibus & Experimentis Instructam.

Metalla sunt corpora solida subterranea, terra porosiori, & sale potiori privata. Ea distinguuntur à *Mineralibus*, stricte ita dictis, *splendore* seu *lævitate superficiei* longioris & planioris, & *malleabilitate*, id est, solidiori partium cohæsione, & *fixitate* in igne.

Metalla *duplicis* dantur *generis*, *Nobilia* vel *Ignobilia*.

Nobilia ea dicuntur, quæ *fulgore* & *fixitate* cœteris *præcellunt*; ea *duo* dantur, Aurum & Argentum. *Ignobilia quatuor*, Cuprum, Ferrum, Stannum, & Plumbum. Hisce sex ob puritatem, splendorem, & ponderositatem *Mercurius sive Argentum vivum* adjungitur, *malleabilitate* autem & *fixitate carens.* E *mineris & fodinis* omnia Metalla extrahuntur, quæ *rarius simplici & puro Metallo* scatent, sed plerumque *matrices, lapides, terramque salino-sulphuream* admixtam habent, quæ omnia *separanda*, ut *Metallum purum* emergat, omnibus fœcibus liberatum; quæ operatio dicitur *Depuratio.*

Depuratio est *separatio* partium *puriorum Metallicarum* à *mineralibus quibuscunque heterogeneis* admixtis.

Ob *pretium* nobiliorum Metallorum aliter cum his, aliter cum aliis agitur: *triplici* plerumque *methodo* proceditur, *Solutione*, *Fusione*, & *Cupellatione.*

Solutio duplici modo peragitur, vel mediante quocunque *Salino Menstruo*, vel *Mercurio currente.* Præcedit utplurimum *solutio Mercurialis*, quæ Amalgamatio dicitur, nisi mineræ *puriores* sint, vel *valde steriles*, & volatili sulphureo halitu dotatæ. *Solutio in Mercurio*, quam nominant *Amalgamationem*, *seq: modo* fit:

℞. *Mineræ Auri vel Argenti v. g.* ℔. C.

Redigatur in pulverem subtilem, quem in *Aquæ comm. s. q.* dilue, huic mixturæ adde 10. *vel* 12. ℔. *Mercurii Vivi*, prout nempe major vel minor

nor pulveris mineralis quantitas, & abundantia in eo Metalli existit; agitentur in cacabo ferreo, mola ferreâ instructo, per aliquot horas, sic omnis Mercurius in grumos redactus per totum liquorem dispergetur, & ferè quodcunque Metallum nobile in pulvere existens ab eo dissolvetur. Ubi sufficiens agitatio peracta fuerit, subsideat pulvis affusione Aquæ eluendus, quæ tamdiu affundenda, movenda, denuoque effunda, donec turbari Aqua amplius neget. Mercurius à pulvere per linteolum trajiciatur rarum vel densius, prout copia fœcum major vel minor adest, hunc Mercurium à metallicis partibus liberabis per retortam terream, vel ferream in igne nudo positam, transit hoc modo in recipiens frigidâ semiplenum, remanet in fundo retortæ metallum, fusione postea in unam massam cogendum.

Hæc massa metallica plerumque adhuc mixta & *composita* conspicitur ex Auro, Argento, Cupro &c. pro qualitate nempe *mineræ*, è quâ extractum Metallum. Ad illorum à se invicem *separationem duplici viâ* pervenitur, *humidâ vel siccâ*, ut terminis *Alchymisticis* utar.

Sicca absolvitur *tribus adminiculis*, *Antimonio* voraci, *Saturno*, vel *Cemento*. Antimonium, lupus Hungaricus dictus, omnia *devorat*; *& volatilisat Metalla excepto auro*, si rite tractetur: sequens est processus.

℞. *Antimonii* ℥iiij.
Metalli mixti ℥iß.

Fundantur simul addito *pulvere è Tartaro & Nitro detonatis præparato*, sic ad fundum secedit regulus, Metallicis partibus imbutus: scorias pulverisatas iterato funde cum pulvere carbonum, ut, siquid Metalli & reguli supersit, separetur. Regulum omnem super cupellam, ex ossium cineribus confectam, violenta ignis torturâ follibus adhibitis, in auras pelle, restabit dein aurum purissimum.

Cementum fit è variis *salibus*, omnia *Metalla excepto auro rodentibus* & imminuentibus. Pulvere hoc salino rite præparato, *Metallicæ lamellæ* (quæ *crassitiem dorsi tenuis cultri* nunquam excedere debent) undiquaque obruuntur. Dico, præcedentem requiri *præparationem salium*, ne *omnia Metalla* lædat, & per consequens *ipsum aurum* tollat, ut *sequens methodus* demonstrat: dicitur autem *Cementum Regale*, quoniam *Auro, Metallorum Regi*, depurando à mixturâ aliorum inservit:

Cementum Regale.

℞. *Vitrioli Cyprii* ℥j.

Ni-

Nitri ℥ß.
Aluminis rupei,
Salis Ammoniaci an. ℥ij.
Æruginis ℥j.

Exacte pulverisata misceantur, & patellæ terreæ non vitreatæ superfusa calcinentur ad exhalationem omnis humiditatis, optime spatulâ ligneâ materiam movendo; ubi vapores cessarint omnes, in pulverem restans corpus reducatur, quo pulvere undique obruatur *Numisma*, *vel Lamina ex Auro & Argento composita*, sensim ignis admoveatur pixidi cementatoriæ, & pedetentim ad incandescentiam vasis usque urgeatur, sic abluto & separato dein pulvere restabit Aurum, à mixturâ Metallorum liberum, & purum. Sin autem ad summam perfectionem non pervenerit, iterato pulveris illius examini subjiciendum erit.

NOTA.

Argentum ne pereat, è pulvere salino *recuperari* potest *fusione cum sale tartari & cupellatione.*

Cupellatio vulgaris fit per *Saturnum* seu plumbum; *spiritus* enim *Mercurialis Saturni* existit tam *edax*, ut omnia *Metalla* imminuat & penetret, instar *Mercurii fixioris*: seu, ut apertius loquar, situs *pororum & meatuum in plumbo* est talis figuræ, ut *materia subtilis*, eos ingrediens, ibidemque (pro minimo temporis puncto) moram trahens, *aliasque* particulas *solidas evehens*, in tantum *illius consortio* modificetur in suis *effluviis*, ut *aliis* corporibus communicata *vim* suam illis *impertire* queat, sœpius sat violentam: sic *Lamina Aurea*, *super plumbum* fusum detenta, *friabilis* evadit; imo, nequis miretur hanc *communicationem & alterationem* materiæ subtilis, experimenta sat multa nobis quotidiè obviam veniunt in *liquoribus fermentantibus*, & in *halituosum* motum resolutis; sic, ne à plumbo digrediamur, in *cerussæ plumbi* confectione *vapores aceti*, Saturnum perforantes *tam noxii* evadunt, ut paralysin, tremorem, constipationem alvi, imo non raro mortem ipsam inducant. Exemplis ulterioribus illud, & sequens *confirmare nimis longum* esset, non semper à *spiritu interno*, ibidem in corpore latente, sed potius à *corporeis ramentis divulsis* actiones dependere: quanquam non negem, *aliqua* talia *minima ramenta* vix ac ne vix quidem *in pondere* &c. percipi posse, ita ut *qualitas fere sola* actionem, illæsa quantitate, produxisse videatur. Sed ad rem. *Cupellatio fit sequenti modo:*

Cu-

Cupella prius fiat ex *cineribus ossium* debite pulverisatis, *cum aquâ* unam massam coactis, posteaque s. a. fabrefactis in *circulo ferreo*, dein subtilissimo ossium pulvere *in superficie* illinatur: ultimo *lente* exsiccetur, ne *rimas* contrahat; hæc cinerea Cupella *vasi terreo*, ab utroque latere *foraminibus oblongis* instructo, in anteriori parte *plane aperto*, ut metalla introduci possint, imponatur, detur *ignis carbonum sensim augendus* ad summum usque gradum ubi omnia *bene candefacta* sunt, plumbum inferatur, plumbo per fusionem tremulo adde quartam circiter partem *argenti per vices*, ne scilicet plumbum *ab ebullitione sistatur*, & operatio retardetur; continua dein ignem summâ cum violentiâ *in* eodem *furno ventoso*, donec *colores varii in superficie metalli* apparere incipiant, quibus cessantibus à *motu* & *apparitione*, *metallum fixum immobile* conspicitur, signum *perfectæ operationis*. Dein *metallum exime*, *scoriis* Saturni & æris ad latera illius *rejectis*. Sic *Saturnus*, filios suos devorans temporis tractu *Solem* & *Lunam* evomit *perfectiores & puriores*.

In præcedenti operatione *mixtura Solis & Lunæ*, seu auri & argenti remanet, cujus separationem fieri posse diximus via sicca duplici modo, Cemento, vel Antimonio; verum, quoniam *pleraque*, *vel omnis argenti pars* hoc modo *perit*, ideo *sequenti viâ humidâ* hæc separatio *melius* succedit.

Menstrua duo cum dentur, hisce *purioribus metallis quasi propria*, ad ea *recurrendum* erit.

Primum, *soli Auro* dicatum, *Aqua Regia* dicitur, quæ *lavacrum minerale Solis* ab Authoribus nominatur, fitque præcipue *è sale communi*; *additamenta* enim, *vim* & ferociam illius salis *ut adjuvent*, dicata sunt; sic *è sale ammoniaco*, salem communem obtinente, *& nitro*, vel *spiritu* ejus, fit Aqua Regia, ut & è *sale communi solo*, *& spiritu nitri*; imo *spiritus salis communis* est Aqua regia, *Metallorum Regem* quoniam solvit per se, quod aliæ aquæ rarissime facere queunt, nisi *ejus adminiculo*.

Secundum, *Lunam* solvens, menstruum est *Aqua Fortis*, inde *separatoria* Aurifabris dicta, quoniam separare à se invicem facit *argentum ab auro*. Modus procedendi talis est:

Si mixtura *auri* sit *major*, adjicitur aliqua quantitas *argenti puri*, ut in triplâ, quadruplâ, vel majori parte *superet* aurum suo pondere; hæc mixtura in *granula* reducitur, ut *undiquaque* aqua Fortis superfusa *penetrare* metallum possit; stent in digestione, donec *solutio cesset argenti*, relicto *pulvere nigricante* in fundo, qui à *consortio ulteriori* (si aliquod adhuc supersit) liberandus, effusâ præcedenti solutione, & *additio-*

ditione recentis aquæ Fortis; ubi *nulla amplius* fit *diſſolutio*, pulvis reſiduus *aquâ* optime *eluatur* ab omni *aciditate*, qui igne fuſorio *addito ſale alcali* in metallum reducibilis eſt. Luna ſoluta *præceps redditur* è poris & meatibus aquæ Fortis mediante *cupreâ laminâ*, vel *ſale communi*, vel, quod optimum, *ſale tartari*, ſic in pulverem deſcendit *albicantem*, vel *gryſeum*, à *ſalibus aquæ* adminiculo *liberandum*. Quoniam autem omnia *acida conſortium partium metallicarum* non modo non lædunt, ſed & in *igne* detentæ hæ partes *fugam* tentare ſolent, illorum alis adjutæ, ideo *ſaturanda* veniunt, & *obtundenda* ſalia acida pertinacius *lotioni* reſiſtentia, *intime* pulveri metallico *juncta*, *admiſcendo ſalia alcalia* in mediâ vel anaticâ parte.

Hæc metallorum puriorum *ſeparatio* & *depuratio* multo *melior* eſt *cupellatione*, quoniam *metalla non ſemper omnia* hoc modo ſeparantur; teſtis ſit *Luna cupellata*, apud aurifabros communiter proſtans, quæ in ſolutione *colorem cœruleum* impertit, qui à *mixturâ Venereâ* dependet: hoc autem modo *cuprum ſolutum* permanet æque in aqua *Regia*, quam aqua *Forti*; ſiquid autem cupri, *præcipitatione* mediantibus *ſalibus* facta, deſcendat; affuſione *iteratâ menſtrui recentis* extrahi poteſt.

Aquæ, è quibus metalla *nobiliora decidua* facta fuerint, non ſtatim *rejiciantur*, ſed additâ *magnâ aquæ communis copiâ* ſubſidere permittantur per tres vel quatuor dies, ſic, quod *reliquum* eſt metalli, ad *fundum* properabit, à liquore ſupernatante *ſeparandum*, quod, ut ante, cum pulvere *reduci* poteſt.

Liquor *ſuperſtes* inſervit *nitro* conficiendo, ſi *ſuper ſal commune*, *cum calce vivâ optime calcinatum*, projiciatur.

Mineræ *Metallorum Ignobilium* explorantur, nunquid *metalli Nobilis* contineant:

Primo Toſtione cum ſalibus, unde *ſulphura crudiora* admixta (*veræ deſtructionis & fugæ metallicæ inſtrumenta*) partim *fugam tentant* mediante *igne*; partim *figuntur* à *ſalibus*. Nota, ſic etiam *mineræ puriores*, *ſulphure aliquo volatili ſcatentes*, tractari poſſunt. Elotæ à ſalibus mineræ cum æquali parte *Saturni granulati* miſcentur, igneque fuſorio adhibito *funditur metallum*, *in minerâ* contentum, una *cum plumbo*, quæ ad *fundum* depoſita à *ſcoriis* ſeparantur *ſuperincumbentibus*, explorato dein *pondere Saturni augmentum metallicum* deprehenditur, quod, ſi *ſufficiens* ſit, *cupellæ examini* ſubjicitur, ſin inſufficientia adſit metalli, Saturno admiſcendi, ſufficit *iterato & tertio* illum imbuere, ſic in cupellâ *Solem & Lunam contentam* deponet, ut ſupra.

Secundo, *Diſſolutione in menſtruis* convenientibus, procedendo, ut *in viâ humidâ* dictum eſt. [gg] Mi-

Mineræ Ignobiles contusæ grosso modo *stratificantur cum carbonibus* in furno anemio fusorio, follibus dein *igne* evecto ad *summam* usque *violentiam*, mineræ *metallicas* partes *fusione deponunt*, quæ in infimâ parte furni colliguntur, & à fœcibus jam separatæ *iteratæ fusioni* in *crucibulis*, vel *vasis majoribus* committuntur, circa quorum *fundum tubulus* existit, *liquato metallo exitum* secundum lubitum Artificis præbens, ut *in unam massam*, *vel in varias formas* & figuras reducatur.

Mineræ pauperiores à *lapidibus & terris* adhærentibus, & permixtis depurantur *Triturâ & Lotione*; Tritura *lapides* à mineris metallicis segregat, ubi grosso modo contunduntur; *Lotio pulverem terrestrem* abducit, in fundo *subsidente graviori metallicâ* parte.

Mercurius, inter metalla referendus, *segregatur*, & *è minerâ* suâ sulphureâ *eruitur* addito quocunque alio *terrestri alcalico* corpore; eodem enim modo *Mercurius*, (prout sal omne volatile) compedibus alligatur, & *quasi figitur acidis*; quo, addito *fixiori* aliquo *corpore*, cui se insinuare, & *arctius adhærere* possit, facile particulas *velociores* derelinquit, unde *mediocri calore* propulsæ sui juris fiunt. Propellitur Mercurius in recipiens, *aqua semiplenum*, ut in Chymia dictum.

De mixturis *artificialibus* Metallicis, tam ad *ornatum*, quam ad *meliorem sub malleo*, *&c. tractationem*, hic agere non proposui; obiter tantum notabimus *sequentia*:

Metalla *Nobilia* rarius *pura* dantur. Sol enim & Luna *Venere* delectantur. Auri color *ea* intenditur. Malleabilitas Lunæ *inde* promovetur.

Fragilitas, id est, metallorum ad *malleum* sustinendum ineptitudo, *duabus è causis* ortum trahit, *vel à superficiei* exilitate, in quâ se invicem contingunt, ut in maxime puris metallis nobilibus; hæc *nectuntur meatuum aliquali repletione* addito alio metallo congruo; *vel ab acido*, *viciniam corporum lædente*, ut non raro fit, tam ab *interno sulphureo acido*, *in mineris* delitescente, quam ab *externo carbonum* sale, metallis occurrente; illud acidum diversis *tollitur*, *alcali volatile vel fixum continentibus*: sic corium, cornua, sal tartari, pulvis carbonum lignorum, sæpius *metallo fuso* injiciuntur.

Lapidis calaminaris mixtura cum cupro *æs* facit *flavum* in fusione; multo autem *intensior* ejus fit *color*, *aurum æmulans*, ex marcasita argentea, & parva quantitate tutiæ cum cupro mixtis, & fusis.

Regulus antimonii, *stanno* vel *plumbo* junctus, illa *splendida & dura* reddit, præcipue autem stannum splendorem argenti æmulatur, si cum regulo Venereo misceatur.

Mars

Mars in *chalybem* vertitur cum *salibus fixis*, *alcali volatili* unitis, id est, *mediæ naturæ*, *seq:* modo:

Fiat stratum super stratum cum *ungulis animalium*, (inter quas *equinæ* præcellunt ob copiam *salis volatilis*) *sale communi*, & *laminis Ferreis*, ita, ut *fundus*, & *suprema pars vasis* sale & ungulis cooperta conspiciantur, operto dein vase *ignis sensim augeatur* ad plenam *incandescentiam* usque per aliquot horas, calcinatum Ferrum ob *duritiem Chalybis* nomen induit. Imo *chalybeam* naturam acquirit Ferrum *candefactum*, in *aquis similibus extinctum*, ut in liquore vermium, decoctione ungularum &c.

Mercurius *fluiditatem deponit* ab *halitibus austero-acidis* metallorum, ut & in amalgamate, seu mixturâ metallicâ; facile autem *recipit fluidam* consistentiam, si *vaporibus* illis, vel *metallo liberetur*, ut supra innuimus: ex eodem rite præparato *diversa* fieri queunt, eodem modo, ac ex aliis *metallis solidis*.

Incrustatio unius metalli super aliud fit cum *Mercurio vel Salibus*. *Mercurius*, *fluidiores* reddens partes metallicas, illas *extendit in superficie*, & simul *mobilibus suis particulis ingressum* præbet *in alia metalla*, quo per *ignem* fugato remanet *crusta metalli solidi*. *Salia* idem agunt: dissolvunt enim, & *in minima ramenta* discerpunt metalla, quæ aliis dein s: a: juncta, *coquendo* nempe, vel *superficiem fricando* alterius metalli, cum illo liquore *superficiem obducunt*. Exemplum unum aut alterum addemus.

Deauratio Argenti.

℞. *Solutionis Auri, in aquâ Regia facta, q: v:*
Aq: Comm. ana partes æquales,

In hoc liquore madefiant lintea, quæ siccata leniter calcinentur, donec in pulverem abeant: hoc pulvere salivâ humectato fricetur *lamina argentea* quæcunque, antea optime à sordibus purgata, & Aureum adsciscet colorem.

Deargentatio Æris.

℞. *Fol. Argenti* ℥j.
Salis Comm. ℥jß.

Pulverentur, & misceantur exacte, pulvis calcinetur ad levem usque incandescentiam in crucibulo, donec Sal à crepitatione suâ plane cessarit. Pulveri huic admisce eandem quantitatem *Tartari crudi Rhenani*: dein

℞. *Laminas*, *vel quæcunque ex ære fabricata*, illa decenter purgentur

per levem ignitionem & fricationem, ut ſuperficies nitida appareat, cui mediante coctione in aqua communi ſuperducatur *Argentum*, in ſuperiore pulvere deliteſcens.

NOTÆ.

1. *Si cruſta Argentea non ſat craſſa* ſit, *iterata* coctione *craſſior* redditur addito *recenti* pulvere in aqua communi.

2. *Depuratur ſuperficies Æris*, cruſtâ Argenteâ *obducti*, à ſalibus adhærentibus cum *arena* lota, & *aquâ calente leviter fricando.*

3. Ut *omne ſal acidum* tollatur, mediante *creta* expolitur; ſic non facile *æruginem* contrahit, quæ *ab acidis* oritur.

Ferrum obducitur *cupreo colore*, *fricando*, vel *coquendo vitriolum Venereum* in aquâ, cui immerguntur *laminæ ferreæ.*

Farina *Laterum auri colorem* intendit, ſi cum ea cementetur, ut & *Ærugo* ratione cupri &c.

Metallum ſtricte ita dictum eſt *mixtura metallica ex cupro & ſtanno, vel plumbo, ut & pauca quantitate Argenti. Ponderoſius* eſt *ſimplicibus metallis* ob *denſitatem* & *repletionem pororum & meatuum*, qui replentur à *mutua* mixturâ, unde etiam *minus ſpatium* occupant *compoſita* metalla, quam *ſimplicia* eadem obtinuere. *Fragilius* eſt *ob ante dictas rationes*, tum etiam *ob nimiam pororum & meatuum penuriam*, unde *flecti & reſilire nequit*, *ſed rumpitur* ab ictu. Mixtura illa attamen ita componenda, ut *nimiam fragilitatem non* obtineat, id eſt, ut *plena non* fiat *repletio* meatuum.

Spiritus *volatiliſſimus ſubacidus fluiditatem* Mercurio videtur conciliaſſe; metallis autem *ſulphuris fixioris acido-auſteri* magis excocti qualitas *ſoliditatem* induxiſſe credibile eſt: Ideoque ad *Mercurios metallorum* conficiendos Artifices Chymici *ſalia*, quæ vocantur ab ipſis *reſuſcitativa*, in uſum revocant, conſtantia ex *aceto deſtillato*, *ſalibus fixis, & volatilibus*, quæ *longa digeſtione* ſeſe metallicis particulis *inſinuare* queant, poſteaque ab illis mediante *deſtillatione ſeparari.*

Colores *varii* emergunt è metallis tam *in fuſione*, quam *in ſolutione.* Sic in *vitro* & *gemmis coloratis* conficiendis *ſequentes colores* emergunt.

Aurum *flavum intenſiorem & rubro-purpureum* ex mixturâ alſus mineralis addendi colorem *communicat.*

Argentum *cæruleum cæleſtem* colorem impertitur.
Cuprum *cæruleum & viridem* inducit.
Ferrum *hyacinthinum & flavum* obtinet.
Stannum album *opacum* reddit vitrum.

Plumbum

Plumbum *flaveſcentem & ſubviridem* tincturam deponit.

Hæc metalla *calcinata & præparata* eſſe debent, ut *in vitrum* etiam *reducibilia* ſint.

In *parva* quantitate cryſtallo, vel vitro permiſcentur, ut *diluto colore* gratiores ſint.

Compoſitio metallicorum pulverum *alios* etiam *colores* exhibet, ut ex Marte & Venere *viride* redditur vitrum &c.

In *Arte Tinctoria* metalla *uſum eximium* obtinent *ſic*:

Solutio Solis *purpureum* præbet colorem.
Lunæ *nigredine* corium inficit.
Veneris *virorem* inducit egregium.
Martis *atro* imbuit colore.
Jovis *leves & lucidos* efficit colores.
Saturni *obſcuros ingratos* reddit eoſdem.

Hæ colorum *differentiæ* etiam *vario* modo intorquentur *ab additamentis diverſis*; ſed de his in præſentia ſatis.

Sapores metalla ſoluta *valde differentes* exhibent, omnes tamen *auſtero-adſtrictorio guſtu* pollent, in quo uno conveniunt; *diverſitas* autem *ſequens* in illis obſervatur:

Aurum *dulcedine* manifeſtâ, *adſtrictionem* auſteram *ſequente*, dotatum eſt.
Argentum egregiè *amaricat*, unde non immerito *abſinthium metallicum* dicitur.
Cuprum cum *levi amaro* guſtu, *auſterum* eſt.
Ferrum *dulcedine adſtrictoria* gaudet.
Stannum ferme inſipidum, *adſtringens* tamen eſt.
Plumbum *dulcedine* manifeſta ſeſe exerit, *ſubſequente auſtero* ſapore, contrarium plane auro.

Hæc, brevitati ſtudens, in *iterata* hac editione, Lectori Amico candido, & ingenuo animo, *ſtudio publici boni*, communicare volui: ſiquid forſan *durius* dictum fuerit, vel ſententiæ Veſtræ *non conſonum*, me *facilem* monitis Doctiorum ſtatuo recipiendis; *docilem* ubique me reperient, ſi *ſapienter*, ſed *non ſcurriliter*, dictis vel ſcriptis, *veriora* aliqua docere non dedignentur, cum in errores omnes incidere poſſimus. *Blanda* igitur & *docta* reprehenſio, quæ *ratione & experientia vera* ſuffulcitur, omni auro pretioſior Mihi ſemper erit, tum in *Admonitoris Egregii ſententiam* non ſolummodò *pedibus*, ſed toto *animo* ituro, ita, ut Victori *primus* gratuler. Vale.

INDEX.

A.

Abrotani vires quæ? 170
Aceti destillati præparatio & vires. 118. seq.
Philosophorum præparatio & vires. 119. seq.
Acetum adsumtum, cur sudores faciat? 59. seq.
esurinum Zwelferi unde conficiatur? 191
quid sit? 116
quomodo generare in seipso possit vermes? 117
spiritu interno gaudet. 192
Acida an in poris alcali lateant, an verò alcalia in poris acidorum? 187
Acidum non ex omnibus deflagrare licet, quamvis insit. 177
omnium morborum causa est. 176
solum non est causa morborum, à vino nimio ingesto oriundorum, 137
Aerem & aquam esse vel fuisse in animalibus, vegetabilibus, & mineralibus probatur. 42
Æris deargentatio ut instituenda? 235. seq.
viridis crystallorum præparatio & vires. 191. seqq.
Aeris & aquæ differentia quæ? 41
tanquam magni hujus Macrocosmi Recipientis, operationes. 73. seq.
Agarici extracti duplex præparatio & vires. 170
Alcalia acidis in praxi ubique præferenda. 227
Alchymia quid? 2
Alembicus s. capitellum stanneum ac vitreum quid? 26
stanneus tubulatus quid? 26
Aloë habet vim purgandi. 168
Aloës violatæ præparatio & vires. 168
Amalgamatio quid sit? 229
Animalium textura quæ? 76
tincturæ, v. g. castorei, ut parentur? 149
Antiepilepticæ S. Pædantiepilepticæ, nobilissimæ puerorum aquæ, præparatio. 159
Antimonii acidulæ aquæ præparatio & vires. 44. seq.
butyri præparatio & vires. 141. seq.
butyrum quid sit? 141. seq.
unde rubrum, unde flavescens fit? 319
cinnabaris ex butyro antimonii præparatio. 142. seq.
diaphoretici præparatio & vires. 201. seq.
florum præparatio & vires. 140. seq.
inflammabilitas dependet ab acido, & quid sit? 209
reguli Martialis præparatio, vires, & unde dicatur stellatus? 208
præparatio & vires. 207. seq.
sulphuris aurati præparatio & vires. 212
inflammabilis præparatio & vires. 208. seq.
tincturæ præparatio & vires, 226. seq.
vitri infusionis præparatio & vires. 205. seq.
præparatio & vires. 204. seq.
Antimonium omnia metalla pulveri-

sat-

fat. & volatilisat. 208
Antiscorbutica vegetabilia quæ? 34
Antiscorbutici spiritus præparatio. 72. seq.
Aqua dissolvit partes, & salia decarcerata propellit. 97
Aquæ calidæ magni sunt usus. 29, & è quibus fiant? 29
& spiritus differentia quæ? 29
simplices quid? 27
vegetabilium officinales quid? 27
Aquæ fortis præparatio & vires. 124. seq.
Aqua fortis cur argentum dissolvat? 126. seq. 222. seq.
regia cur aurum dissolvat? 126. seq. 232
ut præparetur & adhibeatur, cum & sine destillatione præparata? 124. seq. 232
Aquarum frigidarum, in officinis extantium, magna farrago est superflua. 29
simplicium vires quæ? 41. seq.
species quæ? 24. seq.
Arantiorum corticum aquæ præparatio & vires. 33
essentiæ præparatio & vires. 146. seq.
Aromata è quibus particulis constent? 52
Aromatum tincturæ, e. g. tinctura cinam. ut fiant? 154
Argenti deaurationis modus. 235
in aqua forti solutionis modus quis? 232. seq.
viâ humidâ optima reproductio. 232
Argentum æmulans massa unde habenda? 235
quem colorem in vitris, gemmis, & arte tinctoria communicet? 237
solvit aqua fortis. 232
solutum cujus saporis? 237
Auri color quomodo exaltari possit? 236
fulminantis præparatio & vires. 215. seq.
viâ humidâ optima reproductio. 232
Aurum æmulans massa unde haberi possit? 234
quem colorem in gemmis, vitris coloratis conficiendis, & arte tinctoriâ communicet? 237
solvit aqua regia. 231. & cur? 126
solutum cujus saporis? 237

B.

Balsami apoplectici præparatio. 185. seq.
Balsamici liquoris albi præparatio & vires. 182
Balsami florum hyperici albi præparatio & vires. 185
odoriferi præparatio & vires. 184. seq.
Balsamus post levem destillationem fundit oleum subtilissimum, excepto Peruviano. 178
producitur, ut oleum. 178
quid sit? 178
quòtuplex? 178
Benzoës florum præparatio & vires 136
tincturæ compositæ præparatio & vires. 150. seq.
Bezoardici lapidis factitii præparatio. 172
mineralis præparatio absque destillatione. 211
præparatio & vires. 210. seq.
Bismuthi flores possunt parari, ut antimo-

timonii. 141
Bursæ pastoris aquæ præparatio & vires 37. seq.

C.

Cadavera ut condiantur, & à putredine præserventur? 182
Calami radicis olei præparatio & vires. 56. seq.
Calcinata quid sint? 199
si intendantur, quid maximè observandum? 199. seq.
Calcinationis philosophicæ C. C. præparatio & vires. 213. seq.
Calcinatio nulla sine motu & re acri. 207
quid? 15
quotuplex? 16. 200
si instituitur, an semper fiat pulvis? 200
Calculi per tussim & vomitum rejecti sunt. 177
Calculus quibus ex partibus constet? 173
quomodo generetur? 172. seqq.
Calx plumbi & stanni quomodo reducatur in pristinam metallicam consistentiam? 190
Camphoræ elixiris præparatio & vires. 156. seqq.
Camphora qui tundenda? 136
quomodo fluida reddenda? 155
unde vim suam anodynam habeat? 158
Capitelli terrei descriptio. 26
Cardui bened. aquæ præparatio, vires, & dosis quæ? 30. seq.
salis essentialis præparatio & vires. 110
Caryophillorum olei præparatio & vires. 53. seq.
Cassiæ ligneæ olei & aquæ spirituosæ præparatio, vires, & dosis. 54
Castorei tincturæ præparatio & vires. 148. seq.
Cementi regalis præparatio. 230. seqq.
Cementum fit e variis salibus, arrodit omnia metalla, excepto auro 230
Cephalici spiritus præparatio & vires 71. seq.
Chalybs ex Marte ut paretur? 235
Chymiæ definitio 1
finis qui, & quotuplex? 1. seq.
objectum. 1.
species quæ? 3.
Chymicorum ultimus scopus quis sit? 223
Cinnabaris plerumque adulteratur. 140
quid sit? 142
vulgaris præparatio & vires. 139. seqq.
Cinnamomi tincturæ præparatio & vires 152 seqq.
Citri elixiris præparatio. 158
Clyssi, s. Q. E. menthæ præparatio & vires. 166. seq.
Clyssus quid? 142
Coagulationis historia. 23. seq.
Cochleariæ aquæ præparatio & vires. 34. seq.
Cohobatio quid? 19
Corallia non solvuntur. 93
Cornu C. crystalli an ex acido, & ut fiant? 93. seq.
olei, & salis volatilis præparatio & vires. 93. seq.
philosophicè calcinati præparatio & vires. 213. seq.
salis volatilis in magnis crystallis præparatio. 91
ustum ut acquiratur? 214
Corpora duo, vel plura coalita & mixta diversificant superficiem. 192. seq.

non

non mutantur, nisi coalita. 173
Corpus non ex iis semper constat particulis, in quas resolvi potest. 175. seqq.
nullum datur simplex. 200. seq.
omne quot constet particulis? 5.
Corrosio quid? 17
Cortices floribus diutius macerantur. 32
Croci Martis tam adstringentis, quàm aperientis præparatio & vires. 212. seq.
Croci metallorum color unde? 203
præparatio & vires. 203. seq.
Croci tincturæ præparatio & vires. 151. seq.
Crocus Veneris, Saturni, & aliorum metallorum fit, ut crocus Martis. 213.
Cupellatio unde, & quomodo fiat? 231. seqq.
Cupri dissoluti crystalli præbent balsamum. 151
Cuprum quem colorem in vitro, & gemmis coloratis conficiendis & arte tinctoria præbeat? 237
solutum cujus saporis? 237
D.
Depuratio metallorum quid sit? 219
Desiccatio quid? 17
Destillatio quid sit? 18
Destillationis species quot? 19
Digestionis utilitas. 167
Digestio quid sit? 19
E.
Edulcoratio num semper in calcinatione adhibenda? 200
quid sit? 200
Effervescentia quid sit? 200
Elixiris anodyni præparatio. 164. seq.
camphoræ præparatio & vires. 156. seqq.
temperata magis compositio. 157. cum adhuc aliâ compositione omnium optimâ. 157
citri præparatio & vires. 154. cum notis eam spectantibus. 162. seq.
egregii antiepileptici præparatio, & dosis. 158. seq.
uterini s. menstrualis præparatio. 165. seq.
Elixir proprietatis Paracelsi absque acido. 154
cum acido. 155. seq.
quid? 142
Essentiæ alexipharmacæ & bezoardicæ præparatio & usus. 163. seq.
antihystericæ præparatio, & vires. 192
asthmaticæ præparatio. 161. seq.
fragrantissimæ præparatio, & vires. 160. seq.
metallicæ ad vermes præparatio & vires. 161
quid sint? 142
quomodo è vegetabilibus parentur? 147
s. tincturæ regiæ præparatio. 159. seq.
Essentialia cur quædam salia dicantur? 111
Extracta in qua parte efficaciora sint? 168
quid sint? 142. seq.
sunt duplicis generis, liquida vel solida. 142
Extracti antifebrilis præparatio & vires. 170. seq.
antipestilentialis maximarum virium præparatio & vires. 171. seq.
Extractio latè sumta quid sit? 17
strictè dicta quid sit? 19
Extractionis species, 19

F.

Fermentata cur ad aliquem acorem vergant, & cur acor differat? 115. seq.
Fermentationi quæ particulæ resistant, & quæ eam promoveant cum causa? 60. seq.
quod vas optimè conveniat? 65
Fermentationis signa. 58
Fermentatio num in sangvine bene constituto existat? 65
Fermentatio quid sit? 21. seq.
Ferrum quem colorem in vitro, & gemmis coloratis conficiendis & arte tinctoria communicet? 237
qui cupreo colore obducendum? 36
solutum cujus sit saporis? 36
Filtratio quid? 19
Fixatio quid? 24
Flores & folia spiritum ardentem præbent, sed earum virium cum simplicioribus spiritibus, & cur 69. seq.
vegetabilium distingvuntur in subtiles & frigidos. 152
Florum substantia & tractatio quæ? 31
Fluida quatenus corpora dicantur? 174. seq.
corpora situm & figuram variant, fundunt tamen oleum, sal volatile, phlegma. 196
ubi occurrunt solidis, nulla fit actio. 199
Fluviatilis aqua quid? 28
Fœniculi seminis olei præparatio & vires. 48. seqq.
Fontana aqua quid? 27
Frigida vegetabilia cur adstringant? 36. seq
Frumenti spiritus ardentis præparatio & vires. 61. seq.
Fumariæ aquæ præparatio & vires quæ? 40. seq.
Fumigatio quid? 17.
Furnorum historia. 24. seqq.

G.

Galbani olei præparatio & vires. 85. seq.
Gorgonius spiritus non datur. 173
Guajaci ligni olei & spiritus præparatio & usus. 77. seq.

H.

Hæmatitis florum præparatio & vires. 134. seq.
lapidis tincturæ adstringentis præparatio & vires. 225. seq.
Hirundinum aquæ præparatio, & vires, & dosis. 45. seq.

I.

Iatrochymia quid? 2
Ignitio quid? 17
Immersio quid? 17
Incrustatio metallorum ut peragatur? 235
Iuniperi ligni olei præparatio, vires, & dosis. 79. seq.

L.

Laurini olei destillati præparatio & vires. 87. seq.
Lutum quid sit, ejusque species recensentur. 27

M.

Maceratio quid? 19. seq.
Macis olei præparatio, vires & dosis. 55. seq.
Magisteria quæ sint? 143
Magisterii corall., ocul. cancr., perlarum, & simil. præparatio & vires. 220. seq.
dissolubilis præparatio. 220
herbarum præparatio & vires. 172. seqq.
marcasitæ argenteæ præparatio & vires. 219
Martialia medicamenta omnia ratione humorum, in corpore oberrantium,

tium, vel nauseam & vomitum promovent, vel alvum movent, vel adstringunt. 212
Martialis aquæ præparatio & vires. 44
Martis tinctura fit, ut hæmatitis. 226
Medicamenta adsumpta maximè alterantur ab humoribus dissonis & inæqualibus. 135
Mellis spiritus præparatio & vires. 64. seq.
Menstrua quæ sunt? 224
temperata unde constent? 130
Mercurii dulcis præparatio & vires. 137. seqq.
sale communi mediante alia præparatio & citior. 138
Mercurii acrimonia unde? 201
fluiditas unde? 201. 236
præcipitati colores dependent ab additamentis salium. 216
colorum variorum præparatio & usus. 216. seqq.
pondere differunt. 217
segregatio. 234
sublimati corrosivi corrosiva acredo unde? 137
differentia in operationibus à dulci. 139
præparatio, 136. seq.
alia & facilior. 137
vitæ præparatio & vires. 221. seq.
Mercurius dulcis cur sic dicatur? 138
est sextuplex. 9
1. Spiritus quid sit, & quòtuplicibus modis producatur? 8. 9
vitæ est flos antimonii. 221
Metalla cur inepta ad malleabilitatem? 234
ignobiliora quomodo, & quotupliciter examinentur? 233. seqq.
methodo triplici, tractantur. 229
nobiliora rarius dantur pura. 234
non liquefiunt? 93
quid sint? 219
quotuplicis generis? 229
tinctoria in arte varios communicant colores. 237
varios colores in vitris & gemmis coloratis conficiendis præbent. 236. seq.
Metalli fragilitas unde? 236
ponderositas unde? 236
soliditas unde? 236
strictè dicti partes constituentes. 236
unius super aliud incrustatio quomodo procedat? 235
Metallorum amalgamatio ut peragatur? 229. seq.
mineraliumque inter se differentia. 229
nobiliorum depuratio quid sit? 229
separatio & solutio optimè fit cupellatione. 233
ut instituenda? 230. seq.
solutio duplici modo peragitur. 229
solutorum sapor quis? 237
Metallum qui acido sale liberetur? 174
Metallurgia quid sit? 2
Mineralia inter & vegetabilia quæ differentia ratione salium. 139
metallis facilioris sunt dissolutionis. 226
Mineralium & metallorum inter se quæ differentia? 229
Mortuorum balsami præparatio & vires. 181 seq.

N.

Nephritici balsami descriptio. 182. seq.
Nephritici habent vomitus & sudores acidos. 177
Nitri dulcis spiritus præparatio & vires 131
generatio ut absolvatur? 121
nitrati præparatio & vires. 197
phlogisti & inflammabilis præparatio & vires. 196. seq.
spiritus cur non deflagret? 121 seq.
rubicundo prodeat vapore? 120. seq.
præparatio & vires. 120. seqq.
Nitro-sulphureum sal ut præparetur? 198
Nitrum nullum habet sulphur arsenieale. 198
Nivalis aqua quid? 28

O.

Olea empyreumatica cur sic dicantur? 77
unde fiant? 76. seq.
essentialia cur majorum virium præ spiritibus ardentissimis? 59
sic dicantur? 48
mutantur & pereunt. 183
odorifera ex inodoris ut fiant? 48
Olei duplex principium. 10
genera quot? 11
princip. Chymicorum, s. sulphur, quid? 9
productio. 9. seq.
Oleorum essentialium duplex phœnomenon quod? 47
primordia, status quotuplex? 46
vires & modus operandi 46. seq.
Oleum essentiale ferè nunquam præbent vegetabilia quædam, & cur? 48
ut acquiratur copiosum, necessaria est vegetabilium exsiccatio. 51
ut paretur èx aromatibus, & eorum vires. 52
Opiatarum pilularum præparatio. 144. seq.
Opiatorum medicamentorum duplex forma, solida scil. & fluida. 144
Opii tincturæ Helmontianæ præparatio. 144
præparatio & vires. 143. seqq.
Opium, mediante aqua extractum, efficacius. 168
qui vim anodynam exerceat in corpore? 145. seq.
Ossa calcinantur ut C. C. 213

P.

Palustris aqua quid? 28
Petasites balsamum præbet egregium: paratur etiam ex in essentia bezoardica & extractum antipestilentiale. 171
Philosophorum olei, s. de lateribus dicti, præparatio & vires. 86. seq.
Phiola quid? 26
Phlegmatis, principii Chymici, descriptio. 13
Pilulæ perpetuæ purgantes unde conficiantur? 207
Plantaginis aquæ præparatio & vires. 35
Plumbum quem colorem in vitris & gemmis coloratis conficiendis, & arte tinctoriâ communicet? 237
solutum cujus saporis? 237
Pluvialis aqua quid? 27
Pollinctura quid sit? 182
Pomorum spiritus præparatio. 63. seq.

Præcipitata corpuscula quæ dicantur? 214
Præcipitatio quid? 17
Principia Chymicorum quid, & eorum examen. 5. seqq.
Prunellæ lapidis præparatio, & vires. 198
lapis quid sit? 198
Purgandi vis in sale fermentabili hæret. 168. seq.
Purgantia in qua parte sint efficaciora? 168
Purgatrix vis in quo consistat? 38. seqq.
Putealis aqua quid? 27
Putrefactio quid? 20

Q.

Quintæ essentiæ menthæ præparatio & vires. 166. seq.
Quinta essentia quid sit? 142

R.

Radices floribus diutius macerantur. 32
Recipiens quid? 26
Rectificatio quid? 19
Resinæ omnes præparantur, uti scammonii. 169
quæ sint? 143
Retortæ descriptio. 26
Reverberatio quid? 17
Rhodii ligni olei præparatio & vires. 57
Roris Majalis spiritus præparatio. 70. seq.
spiritus cur aliis præferendus in extractione florum? 151
Rosarum spiritus ardentis præparatio. 70. seq.
Ros quid sit, ejusque natura 73. seq.

S.

Sabinæ olei præparatio, vires & dosis quæ? 51
Sacchari Saturni præparatio & vires. 189. seqq.
Salamandræ cruor quid sit? 120
Sal ammoniacum quid sit? 99
commune princeps est salium omnium. 123
è duplici materia generatur. 123. seq.
essentiale magis Chymicum ut præparetur, ejusque vires. 111
in genere quid sit? 115
Salia alcalia & subacida quomodo liberentur, & subtiliora fiant? 82
composita quibus particulis constent, quid sint, & quotuplicia? 186
edit diversa omne corpus, & cur? 52
eliciendi artificialia è vegetabilibus duplex methodus. 110
essentialia cur quædam dicantur? 111
fixa unde constent? 110
fluida quid sint? 115
in sua mixtura duabus particulis dotata unde mutuentur, & quid ex in fieri possit? 114
per se unde constent? 110
quomodo operentur? 109
resuscitativa quid sint? 236
spirituosa quibus constent particulis, & quotuplicis generis? 46
sunt productum aliquod materiæ subtilis. 109
Salina figura in ortu credibiliter est unius figuræ. 90
Salini principii historia. 11. seq.
summa necessitas, it. diversitate variat. 109
Salis ammoniaci spiritus acidi dulcificati præparatio & vires. 132
alcalici præparatio & vires. 99
communis spiritus præparatio & vires. 123. seq.
vitrioli oleo mediante præparatio. 122. seq.

differentia. 12
essentialis gratissimi & efficacissimi præparatio & vires. 112
mixti præparatio & vires. 112. seq.
principii historia. 11. seq.
volatilis extemporanea præparatio & vires. 100
aromatici, destillatione parati, præparatio. 103. seq.
digestione parati, præparatio. 103
oleosi absque spiritu nitri præparatio. 100
carminativi & stomachici præparatio & vires. 105. seq. ut & adhuc alius præparatio. 136. seq.
cephalici extemporanea præparatio. 102. seq
& aromatici extemporanea præparatio. 102
extemporanei præparatio & vires. 108
febrilis & stomachici extemporanea præparatio. 103
nobilissimi pro delicatulis, egregii odoris & saporis, præparatio & vires. 108. seq.
præparatio & vires. 100. seq.
Veneri oppositi præparatio. 108. seq.
uterini extemporanea præparatio. 102
sudoriferi præparatio & vires. 101
temperati s. muriatici oleosi præparatio. 104
Saliva unde constet? 52
Salium figura in ortu credibiliter est unius figuræ. 90
ortus, denominationes, proprietates. 90
rarefactio unde consistat? 115
Sal volatile cur emergat ex animalium fibrosa & ramosa textura? 91
cur ex animalibus producatur, & quomodo ibi in animalibus salia operentur? 90. seqq.
fixatum non dat spiritum inflammabilem. 92
Sambuci florum aquæ præparatio & vires. 32
Sangvis, lympha & spiritus quomodo in corpore oriantur, & quomodo differant? 91
Sassafras ligni olei præparatio, vires & dosis. 57. seq.
Saturni balsami præparatio. 181
oleum s. liquor unde præparetur? 190
sacchari præparatio & vires. 189. seqq.
Scammonii resinæ præparatio & vires. 169
Scammonium aqua comm. extractum, cur plus operetur resina? 168
Scordii salis præparatio & vires. 113
Solis lavacrum minerale quid sit? 232
tincturæ præparatio & vires. 228
Soluta corpora ad naturam fluidi accedentia cur majoris efficaciæ? 137
Solutionis modus duplex. 4
species variæ. 15
Solutio quid sit? 3. 4. 5. 15
in genere? 4
varia. 4. 5
Spiritus boni signum quod? 61
est sextuplex. 9
fumans continuè ut paretur? 128
nitri bezoardicus nil nisi aqua regis est. 211
unde paretur? 211
s. Mercurius quid sit, & quotuplicibus modis producatur? 8. 9
sunt primordia salium. 110

vi-

vitrioli philosophicus spiritus salis potius vocandus. 221
ut paretur? 221
Spirituum ardentium partes constituentes. 58
Stannum quem colorem communicet? 237
solutum cujus saporis? 237
Sublimatio quid? 17. 18. 132. seq.
Succi inspissati chelidoniæ præparatio & vires. 167. seq.
Succini olei & salis volatilis præparatio & vires. 88
tinctura est tantum solutio. 150
tincturæ præparatio & vires. 149. seq.
Succinum conficiendi commodus modus. 89
unde sal accipiat, & quomodo induretur? 89
Succus inspissatus quid sit? 143
Sudores unde procreentur? 60
Sudorifera aliis hic vel ibi cur præstent? 60
Sulphur an in vitriolo aliquod anodynum sit, dubitatur. 188
anodynum quid sit? 212
cur nonnisi cum oleis stillat, & expressis in alemb. ascendat? 180. seq.
Sulphureum principum quid sit? 9
Sulphuri actu inesse oleum acidum, probatur. 130
Sulphuris balsami descriptio & analysis. 180
præparatio & vires cum oleis carminativis? 180
vulgaris præparatio & vires. 179. seqq.
duplex pincipium. 10
florum præparatio & vires. 133. seq.
genera quot? 11
olei per camp. præparatio & vires. 129. seqq.
productio. 9. 10
sub nomine quid apud Chycos veniat? 209
tinctura unde habenda? 180
Sulphur Suecicum optimum est. 129

T.

Tartari chalybeati præparatio. 195
conditio & vires. 81
cremoris præparatio & vires, 194. seq.
emetici præparatio. 195
olei fœtidi cum spiritu volatili præparatio & usus, 80. seqq.
salis tincturæ præparatio, vires, & unde constet? 147. seq.
volatilis præparatio & vires. 83
sal tincturam fragrantem præbet. 227
solubilis præparatio & vires. 195. seq.
spiritus subtilioris compositi præparatio & vires 82. seq.
vitriolati præparationis fundamentum. 174
vulgaris præparatio duplex, & vires. 193. seq. nitratus & sulphuratus eodem modo conficitur.
Terebinthinæ olei, gratius compositi, præparatio & vires. 85
præparatio & vires. 84. seq.
Terræ s. terreni principii historia. 14. seq.
Tinctura florum extempore ut paretur? 152
Martis aperiens ut paretur cum viribus? 224

menstrua agnoscit salina & sulphurea 224
quibus particulis colorem debeat? 223
quid sit? 223
solaris inesse perhibetur hæmatiti, 226
Tonitrua oriuntur â majore aëris fermentatione. 71
Turpethi mineralis præparatio & vires? 218, seq.

V. U.

Vasa Chymiæ inservientia quæ? 26, seq.
Vegetabilium & mineralium inter se differentia ratione salium quæ? 139
quæ textura? 76
Veneris spiritus Zwelferi unde conficiatur? 191
tincturæ præparatio & vires. 227. seq.
vitrioli præparatio. 189
Vermes quomodo possint generari in aceto? 117
Vini spiritus absque destillatione præparatio. 67. seq.
boni signa. 66
præparatio. 66. seq.
rectificati compositi tartarisati præparatio. 68. seq.
Vitriola naturalia unde producantur? 189
Vitrioli Martis præparatio & vires. 188. seq.
olei præparatio & vires. 127. seq.
oleum ut in spiritum reduci possit? 128
Veneris præparatio. 189
proprietas. 128
Vitriolum ex aceto, pomis &c. Angli Chymici deridetur. 128
Martis quid sit? 188. seq.
omni sale & oleo orbatum an in liberiore aëre reviviscat? 128
Ungulæ calcinantur, ut C. C. 213
equinæ cur præstent aliis ad reddendum sal volatile? 93
Ungularum equorum, alcis, & similium, oleum & sal volatile præparatur, ut oleum, & sal volatile C.C. 94
Urina aquæ potoris plus salis volatilis continet, quam vini potoris. 97
cur vertatur in nitrum & sal ammon.? 177
Urinæ inspectio cum signa certiora, quam pulsus & lingva, præbeat, ideo ab eruditis & expertis Medicis probatur, ab ignaris & fastuosis rejicitur, cum ampliore discursu. 94. seqq.
spiritus & ejus salis volatilis præparatio & vires. 96. seqq.
subtilioris præparatio & vires. 98
Urina in destillatione nullum reddit sal acidum, & cur? 177
Urinam gaudere muriaticis salibus probatur. 175
vinum non bibentium esse acriorem â sale fixo negatur. 97
Urina quibus particulis constet? 175

Z.

Zinci flores parantur, ut antimonii. 141

FINIS.

JACOBI LE MORTII
M.D.P.E.C.

PHARMACIA
MEDICO-PHYSICA,

Ratione & Experientia
Nobilitata.




PHARMACIA MEDICO-PHYSICA

Rationibus & Experimentis instructa.

CAPUT I.

De Pharmacia in genere.



Harmacia, Galenica dicta, est *Ars, bene præparandi simplicia, & miscendi composita.*

Bona *Præparatio* ea est, quæ corpora quæcunque, quantum fieri potest, in statu naturali integro conservat, salvo vel aucto odore, sapore, colore, cœterisque qualitatibus.

Bona *Mixtura* ex æqualitate & integritate compositi apparet, ita ut massa e diversis conflata, tanquam unum idemque in omni sua parte corpus, sese exhibeat.

Pharmacopœia à *pharmacorum* seu medicamentorum, tam noxiorum, quam proficuorum, confectione decenti nomen desumsit.

Objectum hujus Artis est, *corpus quodcunque manibus Artificis comprehensibile*, quatenus nempe medicamentis exinde præparandis capax est: unde tria *Regna* illi parent *Minerale, Animale* & *Vegetabile.*

Mineralia, utpote durioris & solidioris compagis, infimum in hac

Arte locum obtinent, præcipue pro internis medicamentis; quoniam ruditer præparata nullos, vel nimis debiles, vel vehementiores, & corpori noſtro inimicos, edunt effectus. Tardioris efficaciæ ratio 1. videtur dependere à *pororum & meatuum denſitate*, *& fixitate particularum*, ubi nempe pauciſſimum fluidum æthereum admittunt, ſuccuſque ſalinus noſtri ventriculi pauciſſimus, ibidem ſeſe inſinuans & permiſcens, modificationem & alterationem fere nullam, vel pauciſſimam exhibere ſolet, ſecundum illam regulam: *Metalla non agunt, niſi ſoluta*: Quæ ſolutio attamen non ſemper pro ultima partium imminutione eſt habenda. 2. *Ratio nimiæ activitatis* eſt petenda è *pororum & meatuum laxitate*, & *corporis ſolidi in fluido liquore inconſtantia*, rudimenta *præbente motus & alterationis majoris*, quia corporibus internis ſcatent *fluidis acrioribus ſalinis metallicis* per motum inteſtinum extricandis. Hæc corpuſcula, ſalinis *particulis æthereis* gravida, vehementiorem impetum in alia illis occurrentia faciunt, præcipue ubi & illud internum fluidum, ab externo, poris illorum corporum ſeſe inſinuante, adjuvatur. Hinc per illam miſcelam ſuccedunt *metamorphoſes* iſtorum corporum, de *utraque figura* participantium, naturalem ſtatum hoc modo deſerentium; unde continuo motu illo ſubſequentes *fluidæ particulæ*, ſenſim omninò degenerantes, integrum *corpus fluidum* inquinant, & ad ruinam trahunt, vel alia quæcunque edunt *ſymptomata* leviora vel acerbiora.

Primi generis ſunt ea, quæ *menſtrua* requirunt *valida* & *fortia* ad ſui imminutionem & plenariam diſſolutionem, unde lympha noſtra nimis debilis, *præcedentem illorum corporum alterationem* expetit, antequam illa ulterius ſubigere queat, ita ut mutuam immutationem ſuſtineant. Notandum enim, hæc denſa corpora plerumque ita dejici per alvum, ut aſſumpta fuere; quoniam *nulla unquam procedit alteratio fluidi, niſi in ſolido, & vice verſa*; ſæpius menſtruum adhibitum *fluidum* differentis figuræ *corpus* ſubintrans *ſolidum*, de *ſua natura* illi *communicare*, & viciſſim ab illo *pati*, quod plerumque in *ſalibus* obſervabile eſt.

Plurima autem *immutatio* fit in *ſolido corpore*, pauciſſima à *fluido* derivatur. Unde neceſſario ad perfectam actionem abſolvendam competit *fluidi liquoris ingreſſus in ipſos poros & meatus ſolidi corporis*, non autem, ut ſolummodo externam lambat *ſuperficiem fluidus liquor*. Hinc non mirum, *metalla fixiora* nullos vel paucos edere effectus, ſi in *ſubſtantia* aſſumantur, niſi ubi occurrunt lymphæ ſalinæ *acres & acidæ*, ſic aliqua inde ramenta decerpta *actiones aliquales* producere ſolent, ut in

praxi Medica sæpius obſervatur. Quo autem particulæ *metallicæ* magis exaltatæ & ſubtiliatæ ſunt *in ſale debito*, ita ut citiſſime uniantur *ſucco penetrantiſſimo*, eo celerius & fortius ſuas vires proferunt, aliquando ſat violentas, pro diverſitate illius *humoris ſalini*, vehiculi & modificatoris locum ſupplentis, ut in *Mercurio* & ſimilibus patet.

Secundi generis ſunt ea, quæ *facillimam læſionem ſuæ viciniæ* admittunt, & cohæſionem levem tantum obtinent; unde *cuivis fluido* fere cedunt, & citiſſime à *ſucco ſalino noſtro* correpta ſubitaneam accelerant *ſolutionem*, eique intime ſeſe permiſcent, ad motum inteſtinum progredientes, minimoſque poſtmodum tubulos ſubeuntes, è qua poſtea *alterationes*, & diverſimodæ *actiones* producuntur, ut in *Marte*, &c. videre eſt.

Finis Pharmaciæ eſt *Antidotus* vel *Venenum*.

Sub *Antidotis* recenſentur omnia, quæ corpori noſtro introſumpta, debita doſi, & tempore debito, *nulla noxia ſymptomata* inducunt, ob facilem convenientiam partium & pororum mutuam. *Venena* ea dicuntur, quæ contraria figura pororum & meatuum inſtructa, *ſuccum noſtrum* lymphaticum ſpirituoſum adeo *corrumpunt*, ut reliquæ *ſanguinis* & *humorum maſſæ*, ut & *nervis*, *ſuccus* ille occurrens, eam vehementius afficiat, & hos maligne vellicet; unde totalis ſæpius *deſtructio corporis* ſubſequitur: quibus adde plurimas *acres* & *corroſivas*, ibidem latitantes, *particulas*, facile occurrentes aliis *fluidis ibidem oberrantibus*, quas ſtatim ita diſponunt, & ad nutum ſuum trahunt, ut eorum *motum*, molem & figuram ſequantur, eodem modo, ut *acida* pleraque ad nutum ſuum diſponunt *alcalina*, & pleraque *muriatica*, mutuam ubi miſcelam exactius permiſerint, prout etiam *diverſa muriatica acidave* commixta, diverſis terris nobilitata, *neutra* in entia faceſſunt, id eſt, ordine inverſo contrarias ſæpiſſime actiones proferunt.

CAP. II.

De Principiis Pharmaciæ fundamentalibus.

UT in omni *arte fundamenta* aliqua jacienda ſunt, quibus reliqua *moles* ſuperſtructa firmiori *compage* ſubſiſtere poſſit: ſic & in hac, *Principia* ſeu *Elementa ſua*, non ſolummodo *corporum*, ſed præcipue *compoſitionum* exinde reſultantium, præmittemus, quæ tria hic recen-

ſentur, prout in *naturali* & *artificiali corporum ſtatu* plerumque nobis occurrunt, nempe

Principium Viſcoſum,
Ramoſum,
Terreſtre.

Omnis in *corpore naturali* particularum diverſitas facile *hiſce tribus* annumerari poteſt. Late autem hic propoſita *principia* explicantur; nempe omnia illa uni claſſi adſcribenda ducimus, quæ *unum eundemque effectum* ſortiuntur, hoc vel illo modo tractata, & inter ſe in uno tertio conveniunt. Sic enim & *Chymici*, plurimique alii, *ſua fundamenta artis* nobis obtrudunt, ut *ſulphur*, pro quocunque *inflammabili*, ubi plurima reperiuntur *ſulphura*, mediante illa arte producta, quæ *flammam* plane reſpuunt, ſed in aliis cum *ſulphure* tamen conveniunt. Itaque non ut *primigenia corporum exordia* conſideranda ſunt, ſed prout illa *partium* diverſitas in naturali corpore *ſenſibus noſtris obvia* ſit, & conſpicua in hac *arte* redditur, præcipue in *mixturis, compoſitionibuſque* variis, artificioſa *methodo* jungendis; ideoque valde neceſſaria ſcitu eſt. *Subtiliſſimam ratiocinandi methodum*, à *Phyſicis* tantopere decantatam, hic præterimus, utpote quæ ſæpius magis conducit ad *aciem ingenii* exercendam, & non raro fatigandam, quam ut dextras reddat Artificum *manus*, ſummopere in quavis arte acumini ingenii jungendas, ad perfectiores elaborationes obtinendas & proſequendas. Quoniam autem deſtitutis hac *externa* partium *notione*, *interna particularum cognitio* valde mutila nobis eſſet, & *mixtio* indecens occurreret, ideo hanc præmittendam cenſuimus, ut tanto facilior à *minoribus* ad *majora* detur *progreſſus*, & à *notioribus* ad *ignotiora* per *gradus*, *Tyrones*, vix ſemper Phyſicis ſpeculationibus apti vel deditì, aſcendere, ſi velint, poſſint.

CAP. III.

Explicationem horum Principiorum continet.

Corpus Viſcoſum illud dicitur, quod particulas obtinet plurimas *aqueas*, in paucis *ramoſis* & *terreſtribus*, inſtar *veſicularum* inflatis, contentas, in *aqua* & *aquoſis menſtruis* diſſolubiles.

Celeberrimum & maxime naturalem locum, quaſi *primordium* in omni *corpore*, & *ejus productione*, obtinet. In *viſcoſitate* enim, ſeu, ut

ut apertius loquar, *Vesicositate*, vel *vesicatione*, & dilatatione *corporum* terrestrium, *fluidum æthereum* & *aquosum* plurimum admittentium, prima *rudimenta* cum differentiis (ob figuram pororum &c.) in iisdem conspicuis, manifesta fiunt. Hoc siquidem modo disposita *corpora solida*, in *loculis* & *capsulis* suis, tanquam in matrice, recipiunt & recondunt *fluidum succum æthere gravidum*, qui ibidem (*particulis salinis* instar *spiculorum* & *cuneorum intermixtis*) continuum motum & *propulsionem* lentam exercens, *particulas* terrestres *solidas*, *fluido* illi innatantes, apto modo disponit continua appositione *cellularum & vesicularum*, humido interno gravidarum, perpetuis insuper *meatibus* & *poris* instructarum: Per quos canales continua *pressio* ex halitibus inferioris *terræ* & *aëris* vicini circumflui absolvitur, unde *nutritio* & *communicatio* amica illarum partium conservatur. Hinc involucrum, *corticis* nomine gaudens, requiritur, ipsum vegetabile ambiens & tegens, ne *pressio* illa irregularis fiat, vel interrumpatur, vel effluvia impura suum *chaos* petere queant, ad exteriorem ambitum delata: unde *germina* & sensim integra *corpora* emergunt, pro diverso *situ* interno *pororum* & *meatuum*, varia.

Animalium sperma & semen *viscosum* ubique notissimum.

Metalla autem & *mineralia*, in *terræ* interiori gremio producta, mollem & *viscosam* in *nativitate* sua obtinuisse *formam*, abunde à *Metallurgis* & *Fossoribus* exclamatum; nam *halitus* minerales subterranei, gravidi *materiâ subtili*, è *terræ* centro exclusi, compagem *terræ* ferientes, & hic illic abradentes, in altum elevantur, propiusque ad exteriorem *superficiem* protruduntur, ubi postea, pro diversitate *matricum* excipientium, perfectæ vel imperfectæ *excoctionis* & *materiæ* diversa prodeunt *mineralia*.

Ramosam autem induunt naturam omnia *viscosa*, ubi superflua *aquæ* copia privantur, sive *arte*, sive *naturâ*. Sic videmus, *vegetabilia ligna* temporis tractu à *viscosorum* serie in *ramosam substantiam* transire, ubi expulsione *radiorum solarium* plurimo *aquæ* consortio liberata fuerint. Externæ verò circa corticem partes, à circumfluo *aeris* humido continuò irroratæ, *tubulos* suos & *meatus* sat laxos retinentes, non interruptam *succo alimentario* viam derelinquunt, inde *viscosa* illa *pars* remanet minus densa & lignosa. Hæ autem *differentes particulæ* ideo tantum statuuntur, ut *Artifici* facilior *methodus* & *via*, ritè circa *mixturas* procedendi, sternatur: ut in *operationibus* ulterius patebit.

Hæc corpora relationem obtinent ad *phlegma Chymicorum*, *spiritu suo turgidum*.

Ramosæ particulæ sunt crassæ, terrestres, *globulorum* & *ramorum* ad instar *spiritui* subtilissimo, & plurimæ *ætereæ materiæ* innatantes, sibi invicem beneficio illius *spiritus* moventis junctæ, & mediante pressione circumflui *aeris* in unam *massam*, facillime tamen ab externa vel interna *causa* divisibilem, coactæ; cujus *materiæ* & *spiritus* ope postea sunt *flexibiles* & *fluidæ*. Hujus explicationis *ordo*, si *Physicam* potius *Scientiam*, quam *Pharmaceutices Artem* tractare vellemus, requireret exactiorem *oleorum* delineationem, quoad minimas eorundem *particulas* & *figuram*, ex: gr: an *igneæ* in iis lateant *partes*, vel externè *motus* ille celerrimus accedens, *rotationem* tam violentam, in *tubulis* & *angustiis* irretortis *corporum ramosorum* exceptus, efficiat: An *oleum* sit *homogeneum*, & *destructionem* sui *individui* non patiatur, vel potius heterogeneum, quod in partes differentes à se invicem secedat, ubi *corpuscula terrestria* sua gravitate, *spirituum salinorum* ope privata, in latera quæcunque proxima decidunt &c. Sed tales *quæstiones* & discussiones alii *loco* & *tempori* reservamus: ideoque numerantur hic pro omnibus subjectis *inflammabilibus*, id est, quæ *materiæ subtilis nutum & motum* sequi possunt, ut &, quæ in *oleosis & spirituosis* inflammabilibus dissolvi queunt.

Hæ *particulæ* prædictæ respondent *spiritui & sali volatili oleoso Chymicorum*, casdemque operationes exercent, at debiliores, quoniam non æquè à *fæcibus* suis depuratæ, neque tam subtiles, existunt, ob plurima involucra terrestria, actiones earundem retardantia.

Differunt ergò à *viscosis* ratione minoris *copiæ* admixtæ *aquæ*, quæ *spiritum* internum velociorem in illis quasi submergit & debilitat, unde mutuus *globulorum* nexus intricatus alteratur, qui in *vesiculas* inflantur oblongas aqua tumidas; qui corporum status injuriis magis obnoxius existit ob facilem *aëris* ingressum, aquosas illas *particulas* in *motum* rapientis, & carceres illius diffringentis, ut in *mucilaginibus*, é seminibus, oleo crasso refertis, patet. Has non facile *corpus ramosum* perfert injurias ob densiorem *partium* texturam, unde *aëris* ingressus arcetur, & ob *spiritus* interni abundantiam, liberioremque progressum, quibus *putredo* præcavetur.

Terrestre principium illud omne nominamus, quod soli *pistillo* vel *salibus* obtemperat: *dura* enim illorum corporum *cohæsio* & soliditas aliis vix obedit operationibus, nisi ubi *receptaculum* aliquod liquidum, cui sese insinuare possit, obtineat. Hoc enim mediante *ætheris influentia* acceleratur, ut postea imminuatur illarum *partium* nimis firma *cohæsio*. Sic etiam ubi *salinis particulis* scindentibus & pungentibus *vicinia* illarum

rum partium læditur, ut in minimum quasi pulvisculum decidere illud *corpus solidum* cogatur, posteaque aliis *præparationibus* suscipiendis sat aptum reddatur: *Rarius enim ulla corpora non soluta & attenuata, ullas vires exserere solent.* Attamen viribus illa omnino destituta esse, negamus, quas *sæpius sat efficaces* producunt *ob pororum proprium situm & figuram, suum æthereum succum & particulas mobiles obtinentium*, quæ corporibus occurrentes fluidis, aliisque liquoribus, *spiritu salino sulphureo præditis*, illis sese insinuant, vel eosdem absorbent, atque in *meatibus* & *interstitiis* suis abscondunt, quos dein vario modo intorquent, illos ad nutum suum disponendo. Hinc diversissimi *halitus*, ex *latibulis* illis prorumpentes, reliquas vicinas *particulas* ita modificant, & disponunt, ut *effecta* & *vires* inde resultare debeant, *huic figuræ pororum* convenientes. Hæc *dispositio*, si bona sit, id est, satis apta, quæ conveniat *succo balsamico* illius *corporis*, ita ut *mixturam amicam* ineant, placidas offert vires; sin minus, *venenosa qualitate illas particulas imbutas* dicimus; quoniam *mixturam* turbant & destruunt, ut in *praxi medica* quotidie liquet; non minori etiam *efficacià contrarià benignà* pollent hæc *corpora* terrestria, quatenus *particulis* scindentibus acutis & acribus corrosivis sese insinuando, illasque onerando, obducendo & abscondendo, *vires* suas exserunt, sat sæpe *antidotales*, ut in *conchyliis*, *testaceis*, & similibus videre est.

Activa qualitas omnium harum *particularum* plurima *differentia* sese offert æquè in *praxi medica*, quam in aliis *artibus*. Cum enim omnia in genere *corpora* mixta è terrestribus *particulis* fluido permixtis ortum desumant, eaque *poris* & *meatibus* innumeris diversissimi *situs* & *figuræ* prædita sint, in quibus *materia ætherea* una cum *fluidioribus & subtilioribus salino-spirituosis particulis* excepta, & quasi irretita, pressiones suas circulares absolvit, ideo secundum eorundem differentem statum diversimodè modificatur. Insuper non raro *alterationem* plurimam ab *ipsa* sustineant necesse est illis ex *poris* & *tubulis* rectis, vel incurvatis, latioribus vel angustioribus, aut quovis alio modo dispositis, *spirituosum halitum* vario modo intorquentibus, & *succum alimentarium* diversimode afficientibus. Ex hisce non solum oritur *differentia corporum* externa, & interna, verum & mediante hac reactione *summa immutatio* sequi debet, cum & è præcedentibus *sapor*, *color*, *odor*, aliaque accidentia diversa, eorumque mutationes, ortum suum trahant.

Pori autem, in quibus hæc *materia quæcunque fluida* excipitur, nil aliud

aliud *ſunt*, niſi *canaliculi minimi & tubuli*, *etiam in minimis corporum naturalium partibus exiſtentes.* Hi ſpiritum aereum, & ſuccum fluidum aquoſum, in majori vel minori quantitate admittentes, illum *pro ſuo ſitu vario*, & *ſpiritu interno in iiſdem præxiſtente*, *diverſimode* diſponunt & alterant: Hinc in *anguſtioribus poris incurvatis* materia permeans, *ſucco ſpirituoſo interno* ſeſe permiſcens, ubique allidens lateribus, limitibus arctioribus preſſa, *magis ſubtilis*, *velocior & tenuior* fieri debet, ubiècontra latiores viæ & meatus laxi, liberum & facilem exhibentes introitum, citiſſime in altum quidem elevari ſinunt *materiam fluidam*, minus verò *ſuccum receptum & contentum* alterant & immutant: placido enim ibidem motu liberius fruens, qualitates ſuas receptas retinet, valde parum immutatas, ut in *fructibus inſipidis & aquoſis* patet. Etenim *in colliſione, preſſione & continua propulſione particularum fluidarum ſubtilitas, maturatio, & tenuitas earundem acquiritur & conſervatur.* Non minus ad rem etiam facit *varia illorum pororum diſpoſitio*, quæ minora obſtacula & impedimenta aliqua in mediis viis exhibet, per quæ *fluctuantes ſucci*, ætherea materia turgentes, preſſi *à rectilineo motu*, *deflectere* coguntur, in quibus dein plurimi viarum anfractus & anguſtiæ naturales exiſtentes, liquorem ſuſceptum, tanquam *per filtra continua* tranſcolantem, ſumme depurant, imminuunt, & *à fæcibus ſuis* ſegregatum, mediante *acceſſu* perpetuo *materiæ ſubtilis*, & *ſalium decarceratione*, exaltant, tandemque hic illic exacte in humidum viſcoſum ſuccum appropriate digeſtum alituræ deſtinant. Hæc autem *obſtacula glandulis*, *in corpore humano* diſperſis, aſſimilari poſſunt, quæ ubique ſeſe exhibent, tam ad internas reactiones, quàm ad depurationem promovendas. Hinc facilè liquet, omnia corpora à ſe invicem *differre*, non *ratione* ſolum externorum *accidentium*, & quoad *externam ſuperficiem*, ſed etiam valde *immutari* ab occurſu aliorum corporum, tam *ſolidorum*, *quam fluidorum*, quæ illo mediante in amplexum mutuum ruunt, vel ſe invicem deſtruunt, vel carceribus & vinculis mutuis diſruptis, à motu vario internorum ſpirituum concurrentium, ſe invicem exaltant & volatiliſant, vel denique *firma* & denſiora ſolida corpora *in fluidis* laxioribus abſorbent, aut ècontra *fluida in ſolidorum hiatibus* & cavernis abſcondunt, diverſaque alia phœnomena exhibent, ulterius poſtea proponenda.

CAP.

CAP. IV.

Fluiditatem particularum explicat.

Corpora omnia in genere *duplicem* in ſtatum rediguntur, *fluidum* nempe & *ſolidum.*

Fluiditas eſt circumvolutio continua partium ſphœricarum, vel ſphœricis appropinquantium, producta à preſſione materiæ ſubtilioris internæ & externæ, ope ſalium ſpirituoſiorum, in ipſis corporibus latitantium.

Eſſentia igitur *fluiditatis conſiſtit in ipſa circumrotatione* perpetua ſuarum partium, quarum ſingulæ ſuas ſuperficies diviſas obtinere debent, unde interſtitia hæc inter ſingulos globulos, occupata à materia tenuiori, *impetum externæ materiæ* adjuvare poſſunt, quæ, quo majorem expanſionem motu ſuo velociori communicat, eo magis & citius volvuntur ipſæ ſphœrulæ, unde fluidior redditur liquor & tenuior &c.

Ramoſæ fluidæ particulæ eæ dicuntur, *quarum textura liberè à ſe invicem moveri poteſt, vehiculo ſpirituoſo interno adjuta :* tenui enim materiæ innatantes *globulos, ſuper & juxta ſe invicem poſitos*, microſcopio conſpicuos, *ramoſorum figura* exhibet.

Fluidæ viſcoſæ eæ dicuntur *particulæ, quæ ſunt oblongæ, oviformes, anguillarum inſtar repentes, inter ſe flexibiles & glabræ, in quibus præpollet materia aquoſa & aërea craſſior, ut & ſalina.* Hæ non æquè conſtantes ſunt ac ramoſæ, ſed ob continuum ingreſſum ætheris, & aquoſum conſortium, particulas heterogeneas & irregulares terreſtres diverſimode agitantis & propellentis, *locum & ſitum* ſuum *non difficulter mutant*; negato autem aëre, & motu aquoſo impedito *durabiliores* fiunt : textura enim integra conſervatur, & vincula ſolida, quæ fluidis particulis obducuntur, ſpirituum & ſalium balſamicorum retinacula ſunt, illaque conſervant, & à fuga prohibent.

Hinc facile patet, *è fluido* ſtatu ortum præcipuum obtinere *omnia ſolida*, & *coalitiones* non exactas potuiſſe fieri, niſi *per debitas juxtapoſitiones particularum ſolidarum*, ſub forma *fluida* illuc delatarum, & fugato vehiculo ſubtili illuc depoſitarum, unde *pori, meatus, & interſtitia* inter illas partes manere coguntur, quæ pro *preſſione ætheris* & *fuga fluidi*, ut & *ab interno ſale*, ſunt varia.

Mira corporum textura infinitam præbet congeriem, *tubulis* innumeris perviam, in quibus, quaſi in labyrintho, *ingreſſus non æquè fa-*

cilis omnibus patet *fluidis*, niſi ubi maſſa corporis, velociori motu præditi, exactè reſpondeat delineationi & poris alterius corporis: Hoc nempe modo *fluida* in ſe *recipiunt ſolida* corpora, *poris* eorundem *convenientia*: ſic gummi lacca in ſpiritu vini, maſtichè in oleo tereb., gummi copal in terebinthina ipſa diſſolvuntur; quamvis omnia hæc præcedentia *ramoſæ* ſint naturæ, attamen & menſtrua ramoſa diverſa requirunt. Sæpius autem & *aliis menſtruis* aliquæ illorum particulæ (hoc vel illo menſtruo *non exactè* illis quadrante) avelluntur; ſed illæ potius ſeparationes & extractiones ſunt dicendæ, quàm ſolutiones; *paucæ* admodum particulæ autem, illi tantum menſtruo convenientes, hoc modo ſegregantur; id eſt, ſi *reſinoſum* aliquod ſubjectum *aquoſò menſtruo* committatur; fluidam reddit parvam quantitatem partium viſcoſarum ibidem latitantium; vel & *illas ramoſas particulas*, quibus *aqua* ſeſe inſinuare potuit, in *viſcoſam, tardius profluentem, ſubſtantiam* redigit: ſic enim & oleum in aqua maceratum, viſcoſam illam reddet, & ipſa etiam *ramoſa*, diu in aqua macerata, donec ingreſſum ibidem obtineat, in *mucilaginoſum* corpus reducentur. Sic etiam particulæ *terreſtres* fiunt *mobiles ſeu fluidæ*, ſi in poris convenientibus fluidorum corporum latitare poſſint, quæ vi ſcindente & acuta prædita ſunt, ut ſunt omnia *ſalia in fluorem redacta* mediante calore naturali vel artificiali, ut in aceto, omphacio, cæteriſque *liquoribus acido-ſalinis* patet, à quibus, tanquam à cultris, & aliis inſtrumentis, reliqua corpora *terreſtria* primò imminuuntur, poſtea abſorbentur, & quaſi deglutiuntur. Fluiditas verò hæc non niſi *ab externa cauſa* illis accedit, adeoque *mimica* potius eſt, quoniam revera illud corpus denſum & ſolidum fluidam non obtinet naturam, ſed *in minima ramenta diſcerptum* levitate ſua facile innatat poris & meatibus illius menſtrui ſalini, *cujus poris* ſatis aptè *congruens*, ibidem deliteſcit.

Quamdiu menſtrua ſatis *fortia* & *acuta* ſunt, *poroſque* obtinent *ſat laxos*, ut particulas illas ponderoſiores ſolidas non ſolùm à ſe invicem *divellere* queant, ſed & in meatibus ſuis *ſuſtinere*, tamdiu fluiditas illa perſiſtit illæſa, ſed, accedente quovis alio, *fluido* vel *rigido*, corpore, meatus illos obſtruente, replente, vel aciem eorundem liquorum debilitante, *ad fundum deſcendere* propria gravitate coguntur omnia ibidem contenta: impetu ſæpius ſat valido ad illum præcipitia redduntur, unde *priſtinam* ferè naturam induunt. Ea tantùm eſt differentia inter haſce *diſſolutiones*, & *fluiditatem propriam corporum*, ut in prima actione *ſuperficietenus* fluidi liquores corrodant & imminuant ſolida illa

cor-

corpora, ubi econtra in alterâ ipsa *fluiditas* seu spirituositas, *in poris & meatibus illius corporis solidi* insinuata, latitat; ibidemque involutum corpus *solidum* continuo permeat, undiquaque ejus partes movens: unde *ad fluiditatem perfectam requiritur spiritus salinus cingens, & cinctus in corporum debite figuratorum textura.* Ideoque in latebris solidorum sphœricorum corporum, ubi *fluida* prædominantur, *motum & propulsionem continuam* efficientia, dicitur illud esse *fluidum*; ubi autem ipsa *solida* imminuta *instar minimi pulveris discerpta* vi latitare coguntur in menstruis fluidis, dicitur *dissolutio*; sic v. g. plumbum, cuprum, & reliqua solida corpora, *imminuuntur* in aceto, reliquisque succis aliis acido-salinis; *non* autem *in fluidam* plane *reducuntur substantiam.* Si autem menstruis artificialibus juncta illa corpora *indivisibili nexu* una cum illis *coalescant*, *fluiditatem* illa *plenariam* recepisse certum est. Itaque hæc *tria requisita* necessariò convenire debent *ad fluiditatem corporibus solidis inducendam*; *primò*, ut adsit spiritus subtilior, plurimâ materiâ æthereâ refertus, qui poros illos aperire, & subintrare possit, & cum debita aquæ quantitate permixtus sit, pro corporis illius constitutione decenti; *Secundò*, ut pori sint satis convenientes ad suscipiendas illas particulas *spirituosas*, easdemque retinendas, ita ut liberè à se invicem moveri queant nulla cum cohæsione partium, ut apparet in plerisque fluidis; *Ultimo*, ut ipsa *solida ad sphœricam & globulosam* accedant *figuram*, quæ omnium facillime ab impetu quocunque moventur.

Mutua etiam *Mixtura corporum diversum* statum sæpius inducere solet.

Primo hoc modo è duobus corporibus *firmis fluidum* evadit compositum, & intimè sibi invicem illa permiscentur, si *particulæ subtiliores interne*, in hisce corporibus existentes, se invicem aggrediantur, ita ut *motum levem intestinum* concipiant, unde vinculis & carceribus suis disruptis, inclusi fluidi liquores ad exteriorem superficiem sese exhibentes, fluiditatem haud interruptam concipiunt: sic e. g. camphora & myrrha simul contusa in pultem abeunt.

Secundò fit etiam per modum *præcipitationis*, ubi particulæ *duæ contrariæ*, inter se concurrentes, *mutuos poros & meatus* replent & obsident, unde omnia contenta solida derelinquuntur, quæ jam *salibus* & *vehiculis* suis orbata secedere ad fundum coguntur; hinc fluida ibidem existentia, sui juris facta, mollem & fluidam recipiunt substantiam; v. g. ubi *saccharum Saturni & vitriolum* permiscentur, &c.

Tertiò redditur *fluidum* corpus, ubi *salina effluvia* & *aquosa* in aper-

to *aëre* recipere poteſt *ſolidum* corpus; ſic *myrrha*, *benzoë*, reliquaque reſinoſa, ſi *albumini ovi cocto* imponantur, & cellæ, vel locis aliis humidioribus, exponantur, à *ſalinis* ſubtilioribus *albuminis particulis*, & *aëris humido* diſſolvuntur, & in liquorem rediguntur oleaginoſum.

Quartò, ubi corpus *ſolidum fluido* corpori objicitur, particulæ *ſpirituoſæ in ſolido* corpore contentæ alteratæ, *fluidam* ſæpius induere poſſunt *conſiſtentiam*, quamvis *non ſemper conſtantem*, niſi quatenus ſpicula illa *ſalina* ibidem infixa permanent, ut in *camphora & ſpiritu nitri* apparet &c.

Quintò corpora fiunt *fluida* è *ſolidis*, ſi particulis *terreſtribus* & *ponderoſioribus* liberentur, ut in *deſtillationibus* omnibus patet; ut & in *oleis* naturalibus *petræ & terræ*, quæ nil aliud eſſe videntur, niſi ſubtiliores *exhalationes*, & *oleaginoſi fumi*, è *carbonibus & ſulphure minerali*, ad ſuperficiem terræ aſcendentes, auſteriore ſucco acido immunes.

Sextò ſoliditas tollitur, & firma cohæſio ſæpius impeditur ſublata *ſuperflua aquæ* copia, vires & actum *ſpiritus interni* quaſi *ſuffocantis*, *capſulas illas ramoſas* nimis diſtendentis, ut in *oleo ovorum*, & ſimilibus patet.

Septimò ſolida corporum compages *pro tempore* tollitur ab influxu & *affluxu* plurimæ *æthereæ materiæ*, motum majorem illis corporibus conciliantis; ſic æſtivo tempore plurima *ramoſa liquida* apparent, quæ hyberno tempore planè *ſolida* exiſtunt, ut *oleum ceræ*, *aniſi*, *olea*, & *ſeva* fere omnia.

Octavò, fermentatio, omniſque propulſio inteſtina corporum *ſolidorum*, *fluido liquori* irregulariter innatantium, *æthereaſque* particulas ore hiante admittentium, non minimæ *immutationis corporum* ſunt cauſæ, imò generales eſſe videntur; mera enim agitatio partium colliſoria, & de loco in locum motus inteſtinus particularum cujuſcunque corporis, ad fluidæ reſolutionis ſpeciem tardiorem & leviorem, vel vehementiorem & ſubitaneam reduci poteſt, è quibus omnes ferè expanſiones & rarefactiones, vel condenſationes & coarctationes partium pleræque reſultant, tam in natura, quam in arte.

Hic inſuper addi poſſunt *diſpoſitiones mechanicæ corporum ſe mutuo modificantium*, plurimum ad *fluiditatem* obtinendam retinendamque contribuentium, ita ut rarius ſine hac diſpoſitione aliquid circa hunc ſtatum, ut & ſequentem, obtineri poſſit: ſic ſpiritus ſalis antimonium crudum fluidum reddit, Mercurium vero in maſſam ſolidam reducit: ſpiri-

ſpiritus vini albumen ovi coagulat, reſinoſa ſolvit; ſpiritus nitri oleum gariophillorum coagulat, camphoram fluere cogit. Plurima inſuper levi corporum acceſſu aut receſſu mutationum viciſſitudines maximas ſubeunt.

CAP. V.

Soliditatem particularum inveſtigat.

Soliditas eſt partium terreſtrium, aſperiori & inæquali ſuperficie gaudentium, mutua combinatio. Hæc perficitur, ubi fluidæ particulæ, *ſolida*, quæ vehuntur in iis corpuſcula leviter *dentata*, *ſuperficiei* æque ac meatibus & interſtitiis hic illic *abruptis* alius corporis convenientis accommodantur & *ſuperimponuntur*, unde maſſæ corporum oriuntur oblongæ, denſæ, ac *ſolidæ*, avolante vel abſorpto quaſi *fluido* vehiculo.

Soliditas igitur ſeu firmitas corporum cum ſolis debeatur *terreſtribus* particulis, quæ vinculi & carceris loco fluidis exiſtunt, neceſſe eſt, ut plurima earum congeries, eaque apta occurrat in illa ſtabilienda. Nulla autem datur *terra*, quin *magis vel minus poroſa* exiſtat, & pervia plurimæ materiæ fluidæ; alias enim iners & immobilis in æternum exiſteret; unde hac ratione, admiſſo *aëre* & *aqua*, pro diverſitate ſuorum *pororum & meatuum excipientium*, diverſimodè alteratur, & viciniam ſuam mutat, id eſt inquieta, quamvis ſolida, exiſtit. Hæc autem mutatio tantò *celerior* procedit, quo *major introitus aëri & aquæ* communi patet; ideoque in ipſiſſimis *rupibus* & ſaxis, ob leviorem ingreſſum in ſpecus & foramina, terrâ vel lapideo pulvere repleta, *arbores* ſat magnæ excreſcunt, ubi in ſuperficie plane denſa & æquali, nullum ingreſſum neque retinaculum aquæ communi præbente, *nulla planta* conſpicua apparet. Eodem modo res ſeſe habet in arenis, quæ ſunt inſtar calculorum & lapidum minorum diaphanorum, magna interſtitia (ut in globulis juxta ſe invicem poſitis) admittentium, per quæ *aqua pluvialis defluens* nullibi retardatur; ita ut *materia etherea*, leviſſimam tantum moram ibidem iniens, nullamque ibidem matricem inveniens excipientem, ad ſiccitatem & ſterilitatem ulteriorem, non verò ad vegetationem & fertilitatem illos *agros* inclinare faciat. Hæc infertilitas, ut illud obiter notemus, facilè corrigitur, ſi vel *argilla conveniens*, vel *ipſa arena*, *in pulverem minorem redacta*, arenæ *groſſiori* inſpergatur: ſic enim interſtitiis illis majoribus repletis, aqua *lentius & tardius* filtratur, & magno ſatis temporis intervallo ibidem detinetur, unde facilis

 ſub-

subsequitur vegetatio per *ventiformem expansionem* ipsius *aquæ* & *salis* in tubulis arctioribus, & *fibrillarum aperturam*, in quarum poros halitus illi vaporosi se insinuare queunt, ibidem diutius moram trahentes, & innumeros secessus admittentes in illis cellulis. Per se ergò *terra* est *quieta* & *solida*. Cum autem miras sæpius ejus mutationes observemus circa varium ejus statum, sequentes regulæ & experimenta ad enucleandam *Soliditatis* naturam, quatenus in hac arte promiscue occurrunt, conducent:

1. Omnia, quæ ad firmum statum reducenda sunt, requirunt particulas *crassas*, *duras & rigidas*, in aëre constantes, si non semper, saltem pro tempore.

2. Necessum est, ut fluidæ particulæ *divortium* à solidis patiantur; & *segregari* à se invicem queant, integra tamen corporis essentia, id est, *situ*, *nexu*, *ordineque* solidi in fluido præexistentis, non admodum mutatis aut alteratis, ut oleaginosarum particularum in resinas conversio; aliàs enim pleraque divortium admittunt, sed sæpius maxima cum læsione & abolitione virium. Sic v. g. *olea fluidissima fuligines* plurimas exhibent, & corpora alia pleraque *cineres*, quæ tamen utræque particulæ exiguis vel nullis respectu pristini status viribus præditæ existunt.

3. Requiritur, ut meatus, pori, & *interstitia* mutua quam maxime *repleantur* à corporum diverso concursu & coalitione, unde *soliditatem* sæpius *fragilitas* concomitatur, ut *in metallorum* plurium *& salium mixtura*.

Hinc omnia *ramosa*, cum *sint congeries particularum terrestrium*, *fluidissimo spiritui innatantium*, *quibus sese pars aquæ minima conjunxit*, facile à sua fluiditate privantur, & solidam adsciscunt naturam,

Primò, ubi *immediato situ* juxta se invicem coalescunt à plurimo ingressu aëris & aquæ, quæ illas particulas replent & inflant, spiritumque internum subvertunt, ut in *oleis rancidis mucaginosis*, quæ crassa & duriora evadunt.

Secundò mediante *leni exhalatione particularum tenuiorum*, unde ob defectum illarum *terrestres* reliquæ particulæ, motu illo & agitatione interna destitutæ, *subsident*, immobilesque permanent, eodem fere modo, ut *pulvis vento raptus* in aëra fertur, qui cessante illo propria gravitate ad pristinam quietem denuo redit, ut fit in balsamis, resinis, &c.

Tertio à mixtura subsequente corporum *acriorum*, *spiritui interno* occurrentium, ejusque *motum* & velocitatem *infringentium*, fluida cor-

po-

pora in firmum & rigidum ſtatum reducuntur. Sic enim partes fluidæ, inſtar haſtarum erectæ, & rigidæ perſtare coactæ, reliqua contenta in ſolidam reducunt conſiſtentiam; ſic *ſpiritus ſalis*, aliaque acida, *olea fluida* in craſſa balſamica & reſinoſa reducunt corpora; ſic etiam plurima, ſucco *auſtero* imbuta, reſinoſa corpora firmam compagem illi debent, ut *ſuccinum, benſoë*, &c.

Quarto exhalatione aquæ reliqua corpora ſolida conſpicua fiunt, ut in *ſuccis viſcoſis, ſalibus*, gelatina, &c. patet.

Quinto mediante *mixtura fluidorum corporum* ſolidum ſæpe corpus emergit, ut in confuſione olei tartari per deliquium & albuminis ovi, ſpiritus vini ſubtiliſſimi & ſpiritus ſalis armoniaci, &c. patet; ſic & mediante *præcipitatione* corpora ſolida à fluidis ſecedunt, ut in *ſalibus* & terris *diverſæ naturæ* patet.

Sexto, *plurima* etiam *mineralia* & *ſubterranea* à ſtatu fluido in firmum reducuntur, ubi pori & *interſtitia* illorum *replentur* aliis corporibus *duris*, ut in *Mercurii & ſulphuris mixturâ cinnabarinâ*, & in *oleo olivarum, calce plumbi referto*, patet.

Ex hiſce præmiſſis facile *ſequentia* non levioris momenti in plurimis præparationibus colligimus:

1. mixturas corporum non ſemper eundem ſtatum *illæſum* ſervare, ſed plurima corpora ſe invicem vel *deſtruere* vel *exaltare*.

2. non omnes *præparationes præmiſſas* æque utiles eſſe, niſi acuto ſatis ingenio & induſtriâ periti Artificis & Medici factæ ſint.

3. vires compoſitorum medicamentorum non planè à *ſimplicium natura* eſſe derivandas, cum *mutuus occurſus* illarum particularum maximas *alterationes* ſibi invicem indiderit.

4. non aſpernandam ſemper eſſe *compoſitionem*, quamvis videatur eſſe *farrago inconcinna*, quoniam non raro alias motus leges *ventriculum* ſubire cogit.

5. medicamenta compoſita liquida non unius ejuſdemque operationis eſſe *vetuſtiora vel recentiora*, quoniam *exhalationem* plurimam ab inteſtino *motu* & *agitatione* particularum ſuſcipere potuerunt, & agitatione illâ continuatâ plurimam mutationem, & unionem particularum internam conceperunt; ut &, quoniam ob *fugam particularum ſubtiliorum* ad magis terreſtrem & ſolidiorem degeneres jam exiſtunt. Sed de hiſce in operationibus ulterius.

6. nil aliud hanc Artem efficere ſuis *mixtionibus*, niſi præparationem corporum medicinalium ſub formâ *ſiccâ aut ſolidâ, vel liquidâ & fluidâ*,

dâ, quibus tota Ars abſolvitur: hæc autem ritè ratiocinantibus perfacilem ſeſe exhibet ſuis Indagatoribus, ubi naturalis corporum ſitus, & internus eorundem ſpiritus, bene perſpectus ſit, debita experientia inſtructis, aliàs aut vires nativas, aut compoſitum deſtruentibus.

CAP. VI.

Diviſionem Pharmaciæ exhibet.

PHarmacia conſiſtit in *ſimplicium debita collectione*, *præparatione*, *eorundemque compoſitione* & *mixtura* decenti. *Simplicia*, cum variis dotata ſint non ſolùm *viribus*, ſed & ratione ſuæ ætatis, collectionis, & aſſervationis variam ſortiantur in *qualitatibus* pleriſque naturam, hinc neceſſariò Artifici *ſequentia* perſpecta eſſe debent, ſiquidem ea maxime faciant ad ſimplicium manifeſtas alterationes, quoad exaltationem, quoad depreſſionem, quoad immutationem partium activarum:

Primò, quæ in *vigore*, vel *incremento*, vel *declinatione* colligi debeant.

Secundò, quæ in hiſce, quæ in aliis *locis colligenda*, & in variis *loculis* reſervanda.

Tertiò, quæ *ætatem* ferant immunem à jacturâ virium, quæ non.

Quartò, quæ fugiant præparationes fortiores, quæ eaſdem requirant; quibuſque *injuriis* corpora illa per ipſam *mixtionem* objiciantur &c.

Quintò, *cui claſſi* hæc vel illa corpora ſint adſcribenda.

Reliqua, quæ obſervatu digna ſunt, ex ipſa *praxi* & *operatione* elucеſcunt; hiſce enim rite perſpectis, non tam facilis ad *erroneas* & *futiles* compoſitiones, Medicis præſcribentibus, (omni ſæpius Arte Pharmaceutica deſtitutis,) neque Pharmacopæis (manibus utplurimum ſat dextris, non tamen ingenio, neque ratiocinio debito præditis) patebit via.

Quoniam autem non omnia, uni *claſſi* adſcripta, eaſdem ſubire queant præparationes, inde ſeriem eorum conſequenter explicabimus, & quænam *differentia* in iis conſpicua ſit circa corundem *mixturas* varias. Primò ergo *collectionem ſimplicium* aggrediemur.

CAP.

CAP. VII.

De Collectione Simplicium.

Collectio est *simplicium à nativo statu revulsorum coacervatio.* Huic succedit *Asservatio*, quæ est *debita repositio illius acervi ad subsequentes usus.*

Collectio & Asservatio simplicium non omnium eadem est; imò plurima dantur, quæ fere omnem *asservationem* & exsiccationem *respuunt*, ut sunt plurima *sale volatili spirituoso gaudentia*, ut *anti-scorbutica*, *flores tenuiores* & similia, quamvis hæc urgente necessitate, quo citius, eo melius siccanda. Econtra alia dantur simplicia, quæ *exsiccationem* præmissam *requirunt*, tam ad correctionem eorundem, ut *bryonia*, & similia, succo maligno gaudentia, quam ad spiritus & salis volatilis oleosi majorem fixationem & concentrationem, ut *mentha*, *rosmarinus*, & similes resinosæ herbæ, radicesque.

Generalis intentio collectionis simplicium cum sit asservatio, ita, ut per totum annum ad usum prostare queant, sequentes gradus in ea observandi occurrunt:

Primo omnia in suis *regionibus*, quasi propriis solis natalibus, magis *vegeta*, florida, & vivacia existentia, adeoque excellentioribus viribus dotata, quantum possibile, ad usus medicos colligantur; sic crocus Britannicus, opium Thebaicum, cochlearia Batavica, cinamomum Zeilanense, dictamnus Creticus &c. à suo cœlo & solo denominationem sumpsere. In *aliis* autem locis collecta non omnino aspernanda, sed viribus inferiora aliis censenda, imo aliquando pro magna parte alterata existimanda, ut alibi docuimus.

Secundò in genere illa, quæ sunt *maximè solida*, id est, quæ ob densam pororum, & *superficierum*, *sibi invicem mutuo incumbentium*, structuram aeri & aquæ amplum ingressum negant, *durabiliora* existunt, ut *ossa*, *ungulæ*, *lapides*, *terræ* & similia, diutissimeque asservari queunt.

Tertiò sequuntur illa, quæ sunt *resinosa & ramosa rigida* compacta, qualia sunt, quæ irregulari & maxime intricato partium situ *divisionem* suæ figuræ *non tam facilem*, aëreis negatis injuriis, admittunt, ut sunt *ligna*, *radices duriores & resinosæ*, & similia.

Quartò cortices & radices viscosæ, humido superfluo, quantum possibile, spoliatæ.

Quintò semina, sale volatili gaudentia, non nimis dura, ut ſunt *leviſticum*, *aniſum* &c. Balſamum enim illud *ſpirituoſum*, arctius vinculis *ramoſis* & *terreſtribus incarceratum*, vitam ſat *durabilem* illis largitur, alias, quoad externam figuram, ſat teneris.

Sextò fructus exſiccati auſteri, ut *meſpila* &c. niſi etiam ſint ramoſæ naturæ, quoniam in ſimilibus immaturis auſteris *ſpiritus interni vix* ac ne vix quidem *involucris debilioribus*, & nimis erectis rigidis *contineri* queunt ſine jactura & fuga. Partes enim *terreſtres* nondum ſatis imminutæ nec intricatæ exiſtunt, ſed majora interſtitia admittentes, nec modificationem exactam ſpiritui ſalino communicare, nec retinaculis ſat firmis ipſum retinere potuerunt &c. Nam hic latiſſimus pateret campus de *vita corporum* diſſerendi, *quæ in eorum ſpiritu, in debitis organis circumrotante, materia ætherea propellente & rarefaciente, conſiſtit*. Sed nos brevitati ſtudentes illa hic omittemus, cum talia particularem requirerent diſſertationem; nempe, *quid* ſit *materia ætherea? an detur per ſe diverſa? quomodo agat* in *ſalia, ut exinde ſpiritus producat? quomodo hi ſpiritus ingreſſum obtineant* in *corpora terreſtria?* omiſſis adhuc plurimis aliis, unde poſtremò *vita & mors corporum* prodeat.

Septimo folia, *Ultimo flores*, ob teneram & *raram* eorundem *texturam*, ſpiritus ſalinos facile dimittentem.

Aſſervatio ſimplicium etiam *ſecundùm eorum naturam* eſt inſtituenda; ſic *crocus* amat locum non nimis ſiccum neque calidum; *moſchus* capſulis gaudet plumbeis vel ſtanneis; pleraque autem *folia & flores* ſiccos amant loculos; plurima etiam dantur, quæ humidum expetunt locum, ut *ungulæ, oſſa*, & ejuſmodi.

Simplicia etiam aliquando *aëri libero* exponuntur *ſub umbra*, ne *ſitum* contrahant, &, ne *ſpiritus internus* quaſi ſuffocetur, qui, ab aeris ventilatione libera ad *priſtinum vigorem* redux, plerumque ob privationem ſuperflui humidi antehac ibidem ſtagnantis conſpicitur; præcipuè, ſi ſimplicia ſint *viſcoſo-ramoſa*, ut pleræque *radices*, *ſemina*, *& folia*; defendantur autem ab *aëre humidiori* pleraque *merè gummoſa*, *& ſucci condenſati*: Omnia reſervanda etiam optimè â *ſordibus* repurgentur, antequam exſiccationi committantur, præcipuè *radices*, è terra recenter extractæ, à fibrillis & arena adhærente mundentur.

In *exſiccatione citiùs vel tardiùs* procedendum, prout color, fixitas, vel volatilitas particularum ſufferre queunt: ſic plurima, quæ *lentè* exſiccantur, *colorem* ſuum amittunt ob copiam *fluidi*, ſalia interna exagitantis, & ad motum inteſtinum reducentis, unde plurimæ *de loco* pulſæ

pulſæ particulæ *terreſtres*, circa ſuas ſuperficies alterantur & immutantur, & per conſequens *colorem* mutare coguntur, qui integer ſummoperè commendatur; ut in *floribus ſambuci*, *roſarum rubrarum* & ſimilibus. In talibus ergò *citiſſimè* in exſiccatione procedendum vel in *ſolis* fervidi *umbra*, vel ſœpius in *ipſo ſole* æſtivo, ſi volatilis pars non expetatur: *umbram* autem præcipuè expetunt, & levem calorem, pleraque *volatilia*, *ut flores anthos*, *lavendulæ*, & ſimilia. Summopere autem in exſiccatione attendendum, ne mutua *coaleſcentiâ* ſitum contrahant exſiccanda ob *humorem* interius latentem, qui, pelliculâ exteriori exſiccatâ, ſtagnare & *putredinem* contrahere ſolet: ideoque ſœpius illa ſimplicia moveantur, ut ab omnibus partibus æqualiter ſicca evadant, & nullibi plures cohæreant, exſiccationem protrahentes.

Collectionis modum quamvis non omnem, & quidem *ſuperſtitioſum*, admittere poſſimus, attamen rationem ejus habendam eſſe cenſemus, ut *tempore debito* colligantur, quod ſequenti modo, meo ſaltem judicio, abſolvi poteſt:

Radices purgantes autumno colligantur, ubi ſucco fixiori & magis denſo & ſalino fixiore muriatico gaudent: etenim experimentis conſtat, purgantia exaltata & volatiliſata minori efficacia purgandi valere. *Hoc* enim *tempore* materia, circa radices concentrata, ſalinis & ramoſo-viſcoſis particulis gaudet, quæ vitam ſuam internam contra hybernas injurias tueri poteſt: unde *rigidioribus particulis tartareo-nitroſis* refertæ, vires majores poſtea exhibent.

Radices ſudoriferæ inſtante vere, ubi germina prorumpere incipiunt, effodiantur; *ſpirituoſis* enim turgidæ particulis fœtui ſuo excludendo, effluviis ſalinis tenerioribus, aerem tunc temporis nobilitantibus, è terræ gremio ſurſum elevatis, in poros illos inſinuatis, aptiores ſunt, ut meatus & capſulas illas terreſtres dilatent, *æthereoque* humido, & moleculis exinde recipiendis idoneæ reddantur. Hæ ergo in principio ſuæ exaltationis valde faciles & leves exiſtunt, ut ulterius actiones ſuas in corporibus aliis promoveant, eodem fere modo, ceu *hordeum* primò in germen leve ſolet cogi ad fermentationem eo facilius ſuſtinendam; imo ut & graviora corpora ſecum in motum deducat.

Cortices menſe *Majo* incipiente, vel antequam flores apparere incipiant, avellendi, ſi *ſudoriferi* expetantur: eo enim tempore optimus ſuccus in *arboris ambitum* transfuſus eos meliorat; ſin autem mera adſtrictione pollere debeant, circa *autumnum* decorticandæ arbores ſunt.

Ligna in *autumno* cœdantur, ubi *resinosa* ipsorum qualitas, in qua princeps eorum vis consistit, à superflua *humiditate* libera, viribus majoribus imbuta exhibetur.

Flores, in prima spumosa sua dilatatione decerpti, sub *umbra* exsiccentur; sin verò *adstringentes* esse debeant, antequam expansionem ullam admittant, sunt decerpendi.

Folia in suo *statu* avulsa exsiccationi committantur; sin autem merè *balsamica* expetantur, tenuiora foliorum germina & summitates, viscosô succô madidas, in usum trahe. Ratio autem alterationis virium in *foliis hoc vel illo modo detractis*, ubi nempe *sursum vel deorsum* avelluntur, mihi nulla patet, & potius iisdem esse viribus imbuta, quoquo modo detracta, crederem.

Semina matura citissimè exsiccationi committantur, ne situm contrahant, unde externo involucro læsô citò evanidas vires exhiberent.

Fructus in loco maximè *calenti*, vel in *clibano exsiccandi* veniunt. Hi maturi asservantur vel ad gratiam, vel ad alias vires exhibendas; vel immaturi, ubi merè terrestres & adstringentes desiderantur.

In genere illa, quæ in *autumno* vel *hyeme* colliguntur, sunt maxime *durabilia* ob densiorem *pororum angustiam*, non facilem fugam spirituosis salibus exhibentem; èc contra *minus longæva* sunt ea, quæ *vernali* tempore eruuntur, ob *rariorem texturam* &c.

CAP. VIII.

De simplicium viribus & usu.

Multa cum detur farrago simplicium, quæ sœpiùs *vix in quarta parte* in usum trahitur, de rescindendo eorum numero hic ageremus; verùm, cum me imparem tot sententiis & tanto operi agnoscam, breviter & succinctè hic *aliquot* enumerabimus simplicia, quæ aliorum, & propria experientia sat valida esse constat; unicuique autem liberum relinquimus & plurima alia huic catalogo addere, cum sœpiùs, quæ huic arrident, ab alio derideantur. Nomina autem sive indicationes virium, quæ Authores imposuerunt illis, *graduum* nomine significarunt, qui â *quatuor diversis qualitatibus* dependent, *humido* nempe, *frigido*, *sicco*, & *calido*. Ut autem obiter illam differentiam intelligamus, sequenti modo illam proponere lubet.

Humidum illud omne dicitur, in quo præpollet *aqua* cum paucissi-

mo ſpiritu, & terra; vel quod materiam quamcunque aquoſam reddere potis eſt, ubi aliis occurrit corporibus, in motum per ſe, vel cum aliis, redactum; In quorum numerum potiſſimum accerſenda gummata mera, viſcoſa, mucilaginoſa, gelatinæ, julapia, ſubacida.

Frigidum dicitur, quod ſcatet *particulis acidis nitro-tartareis rigidis*, &, quod coagulum inducere poteſt aliis corporibus, illaque à motu nimio cohibere, ita ut in ſtatum aliqualem quietis reducantur. Hanc claſſem complent acida, muriatica, auſtera, aſtringentia, & viſcida craſſa.

Siccitas à *terreſtreitate* particularum dependet, cui humidæ particulæ involvuntur & excipiuntur, & leves ſalinæ particulæ intermixtæ ſunt. Sub hiſce comprehenduntur omnia alcalia terreſtria, conchylia, teſtacea, terræ minerales, calcinata Chymica blandiora.

Calor dependet â plurimo *motu particularum ſubtilium ſpirituoſo-ſalinarum, ætherea aura, ſive materiâ ſubtili* gravidarum. Hæ occurrentes aliis corporibus, iis majorem motum, &c. conciliare queunt. Ad hæc corpora referri debent olea Chymica, ſpiritus ardentes, ſalia volatilia, omnia odorifera, acria &c.

Ex hiſce mixtis *duplicatas* qualitates imaginati ſunt ſibi veteres; *humidum* nempe *& frigidum* dixerunt, ubi plurimæ rigidæ particulæ nitroſæ acidæ aquoſis implicitæ exiſtunt. Sic etiam, ubi oleoſa, ad viſciditatem coacta, aut aquæ copia obruta, lento paſſu mollique progreſſu incedere noſtros humores cogunt: Ut ſemina frigida dicta, emulſiones, julapia &c.

Frigidum & ſiccum, ubi plurimæ terreſtres particulæ ſalinis auſteris corpuſculis imbutæ ſunt, ita ut rigidiorem inferant humoribus ſtatum, ad aliqualem ſoliditatem ſeu craſſitiem reductis, ſpirituum animalium retardato motu.

Humidum & calidum, ubi ſalia aliqua volatilia, ſubtiliori materia nobilitata, aqueis latebris ſeu involucris gaudent, moderato greſſu dein procedentia, fluiditatemque debitam reſervantia.

Calidum & ſiccum, ubi particulæ ſubtiliores ſpirituoſæ & ſalinæ, terreſtribus levioribus particulis intricatæ conſpiciuntur, fortiſſimas acerrimaſque igneas vires producentes, ſpiritus noſtros admodum incitantes, lympham agitantes, ſanguinemque citatiori motu propellentes.

Hæ omnes qualitates & *temperamenta varia*, dicuntur tantùm reſpectu diverſorum corporum, non omnium; nam, *quæ huic nocent corpori, alii prodeſſe poſſunt.*

Noſtra autem corpora, è diverſiſſimis, in unas maſſas & maſſulas ſuo modo figuratas ac coordinatas, conflata, *magis amica ſimplicia* expetunt, non autem, *quæ infimum & ſupremum* gradum obtinent; quoniam in hoc, nimiò motu agitatæ particulæ limites ſuos perfringunt, & horrenda ſæpiùs ſymptomata inducunt, à materiâ nempe in illis corporibus contentâ, plane noſtro corpori adverſâ; in illo verò, *nimis tardo* curſu partium motus plenariè ſiſtitur, vel nimis retardatur, unde ad *quietem* ſive *mortem* corpora noſtra properant; hinc venena vel motu vel quiete officiunt.

Ex hiſce præcedentibus facile liquet, vires medicamentorum optime deſcribi, non ſimplici *graduum* nomine, ſed *reſolutione Chymicâ* illarum *partium*, unde vires & effecta ſimplicium quam maxime dependere ſolent. Nequis autem ſibi imaginetur, eadem deprædicari poſſe de artificialibus Chymicis ac de naturalibus, nec ſemper ex iiſdem plane partibus corpora conſtare, in quas mediante arte Chymica reducuntur, vel eadem eſſe effecta *deſtillatorum*, *ſublimatorum &c.* Abſit, Natura enim in ſua productione corporum tam mirifice ſæpius operatur, ut illa, ad noſtras antequam manus perveniant, toto cœlo â ſuo primordio differant, ut videmus in *oſſibus*, *ungulis*, *calculis*, *cornibus*, *lapidibus* &c. quæ a ſumma mollitie ad ſummam *duritiem* pervenerunt; ita ut interna ſalia & ſpiritus fluidiores, fugam capeſſentes per preſſionem continuam, nil niſi exiguam *ſalis*, *olei*, & *phlegmatis* copiam, maximam vero *terræ damnatæ* exhibeant &c. Sic non minimam alterationem, *figuræ* & *ſitus pororum* naturalium *deturbatio*, & totalis ſæpius deſtructio, adducit Medico Phyſico in eorundem viribus rite hoc modo explicandis, cum in iiſdem, & per eoſdem illa ſalia ſpirituoſa modificationes ſuas non minimi ponderis ſuſtineant. Attamen *hæc analyſis eo exactior eſt antiquorum gradibus*, quo partium ſubtilium & maxime activarum copiam demonſtrat non ſolo *nomine* obſcuro, ſed *rationali experientia*: Hinc, ut cum fructu hanc, per *motus inteſtinos & igneos*, anatomiam proſequamur, hæc ſibi proponat ſerio attentus Artiſta.

1. Spiritu *ſalino volatili* dotata in ſuo genere eſſe efficaciſſima, ob vehiculum illud tenuiſſimum in *ſaliva*, *lympha*, *ſpiritibusque* noſtris citiſſime reſolubile, extempore æthereis motibus obediens, *aliosque humores* ad nutum ſuum trahens; ut & ob *levioris terræ* conſortium, facile ubivis communicandum, ad reactiones ineundas. Sub nomine hujus ſpiritus, olea, ſpiritus ardentes, reliquique liquores Chymici aquam

aquam præcedentes, aut una cum ipsis ascendentes, comprehenduntur.

2. Sale *acido* instructa sive manifesto, sive altius latitante, debiliora sunt in suo agendi modo, nisi ubi *unitis* quasi *viribus* convellunt *terras*, easque maxime solubiles reddunt. Sunt enim hæc corpora graviora, spiritus nostros & humores *incrassant*, *coagulant* & *obtundunt*. Oleis tenuibus privata sunt, adeoque lentas reactiones proferunt, nimia *mole* instructa poros cum subire non sine difficultate queant. Unde Lector de illorum *gradibus* facile judicare poterit.

Radices.

Acorus, sive calamus aromaticus, sale acri pollet, stomacho præcipuè subvenit, & sudores movet: inde fit *Conditum*. Oleum & aquam sat acrem mediante destillatione fundit, sed ingrati est saporis.

Alcanna astringit, vulnerariis inservit potionibus; summi usus est agyrtis in oleis suis *rubro* colore inficiendis.

Allium stomachicum est, vermes & pituitam expurgat, colicis doloribus subvenit; in *peste* itidem *elixir* ex eo fit summi usus, valde calefacit, sale tenui scatet volatili acido sulphureo.

Althæa est moderata, & aliquo modo anodyna, ob mucilaginosum ejus succum, unde ejus usus summe proficuus in emolliendis & leniendis humoribus, eorumque acrimoniam mitigandis; sudores itidem leviter ciet, pellit & calculum. Usus ejus est æque externus ac internus in pectoris, renum, & vesicæ vitiis, & tumoribus variis externis: inde fit *mucilago*, *syrupus*, & *unguentum*.

Angelica est ramosa, sudorifera, antipestilentialis & alexipharmaca, sulphure volatili & fixiori impraegnata, humidum nimium exsiccat; inde fieri queunt *oleum stillatitium subtile, & extractum*.

Apium diureticum est & aperiens ob salem tenuem in eo latitantem fere muriaticum, unde & inter quinque aperientes numeratur: grata leviuscula salsedine gaudet, ubi gustatur. Usus ejus præcipuè in *decoctis aperientibus*.

Aristolochia longa & rotunda scabiei expellendæ conducunt, expectorationem promovent; externè etiam *emplastris* permisceri queunt.

Asarum vomitum movet sæpe sat violentum, ideoque rarioris usus.

Bardana, sive *lappa major* magnarum est virium ob succum salino-viscosum in sudoribus ciendis, urina & expectoratione promovendis; febribus intermittentibus convenit, præcipuè, si ex acredine humorum oriantur: viri-

viribus ſarſaparillam æmulatur, ſi in duplicata doſi aſſumatur.

Biſtorta aſtringit, auſtera & ſudorifera eſt, vomitum & ſedes nimias compeſcit, ut & fluxus quoſcunque.

Bryonia alba attenuat ob ſal acre ibidem latitans, ſeroſos humores per vomitum & alvum purgat, coagulationem ſanguinis impedit *externè*, & tumores varios reſolvit. Doſis ad ℈ß. plerumque in *infuſionibus & extractis uterinis* ejus uſus eſt ſat vulgaris.

Carlina ſudorifera eſt & alexipharmaca.

Cava vulgatiſſimi uſus eſt apud plebem in ſudoribus ciendis, præcipuè *ſub forma pulveris*, ſi cum baccis lauri permixta exhibeatur in ſcabie & ſimilibus.

Cepa incidit ob ſpiritum ſalinum volatilem copioſum; ejus pulpa ſudorem ciet, externe aduſtionibus convenit, & apoſtematibus.

China diaphoretica & diuretica eſt ob partes ramoſas & ſalinas, leniter exſiccat, unde ejus uſus *in decoctis antivenereis*, *hydropicis* & ſimilibus cachecticis morbis.

Cichoreum bilem leniter expurgat, ventriculi concoctionem adjuvat; uſus plerumque *in decoctis*.

Conſolida major incraſſat, humorum acrimoniam mitigat; ſcatet enim viſcida mucagine; pectoris vitiis ſuccurrit; uſus *in decoctis*; *externè* vero ejus *pulvis* vulnera conglutinat ob eaſdem rationes.

Coſtus amarus & dulcis calefacientes ſunt, menſibus & urinæ ciendis conducunt; amarus ventriculum corroborat, & vermes necat; uſus ejus præcipuè *in extractis*, *oleo cocto*, *& electuario cariocoſtino*.

Curcuma ob ſal ejus acre, ramoſaſque partes tenues ventriculum roborat, menſes movet; uſus vulgatiſſimus apud Indos *in cibis aromatiſandis*.

Contraierva alexipharmaca eſt & antidotalis, febribus itidem medetur, ſpiritu ſalino-volatili oleoſo gaudet blando, ſudores egregiè movet. *Doſis à gr. v. ad* ℈j.

Cynogloſſa narcotica eſt ob ſal volatile ramoſum internum, tuſſi difficili medetur, ſanguinis humores acres obtundit; uſus ejus præcipuè *in pilulis & extracto*.

Cyperus rotundus odoratus menſes movet, fœtum & ſecundinam pellit, ſudores ciet; ſpiritus enim in eo adeſt ſalino-acidus volatilis, inſtar diureticorum.

Ebulus aquam & ſerum expurgat ob tartareum ſuccum; unde convenit in hydrope: ejus *cortex* præcipuè adhibetur *in decoctis aperientibus* diureticis, anti-hydropicis.

Eryn-

Eryngium doloribus nephriticis conducit, & ſtomachum roborat.

Fœniculum diuretica eſt radix & aperiens; *uſus* ejus *in decoctis*.

Fraxinella vermes necat, utero & nervoſo generi convenit, venenis reſiſtit.

Galanga duplex eſt *major* & *minor*; hæc tenuiorum eſt partium, & virium majorum, ſtomachica eſt & cephalica, calefacit, febribus intermittentibus è cauſa frigida ortis medetur; uſus ejus *in pulvere*, vel *in extracto*, & *in electuariis*; dotata eſt ſale volatili acri, ramoſis particulis implicito.

Gentiana ſtomachica eſt, vermes necat, ſudores movet, febribus adverſatur & venenis; ejus uſus *in extracto & pulvere*; ſulphureis craſſis & ſalinis particulis inſtructa eſt.

Glycyrrhiza bechica eſt, calculum renum pellit; uſus *in propria ſubſtantia, extracto & ſucco inſpiſſato* viſcoſo-ramoſo.

Graminis radix diuretica eſt & vermes necat; uſus ejus *in decoctis*.

Helenium, ſive *enula campana*, reſinoſis & viſcoſo-ſalinis gaudens particulis, ſpecificè ſtomachica eſt, ſudorifera & alexipharmaca: uſus ejus *in condimentis, extracto* & *decoctis*, ut & *vinis medicatis*.

Helleborus albus errhinus eſt & vomitorius, ob ſal acre inibi deliteſcens volatile; rarò interni eſt uſus; maligna enim mediante miſcela producit ſymptomata.

Helleborus niger melancholiam purgat & menſes ciet; uſus ejus *ſub forma extracti*, vel *infuſionibus purgantibus, rariſſimè in ſubſtantia*: magis ad temperatam mixturam ſalinam acrem, id eſt, ſubacidam vergit, unde mitior eſt præcedenti.

Jalappa ſeroſos humores expurgat; uſus ejus *ſub forma reſinæ*, quæ in ea prævalet, & *pulveris*. *Doſis pulveris à* ℈j. *ad* ℈iv. *reſinæ a* ℈ß. *ad gr.* xxv.

Iris Florentina pectoralis & alexipharmaca eſt, menſes movet tenui ſuo ſale volatili mediante; uſus ejus *in ſubſtantia*; odoriferis etiam inſervit.

Imperatoria ſudores movet, venenis & febribus adverſatur, ventriculum corroborat; uſus ejus eſt *in ſubſtantia, vel in extractis, ut & in antidotis conficiendis*: balſamicis ramoſo-ſalinis particulis ſcatet tenuibus, per quas vires ſuas exercet.

Leviſticum menſes optimè pellit, & paſſionibus colicis & hyſtericis medetur mediante ſpiritu ſalino-volatili oleoſo interno; uſus *in ſpiritu, infuſione*, &c.

Liliorum alborum externus usus in *cataplasmatibus* ad apostemata & tumores emolliendos & maturandos; *internus* acredinem humorum temperat ob partes viscosas & mucilaginosas.

Ononis urinam & calculos pellit; usus ejus *in decoctis*; gaudet enim sale volatili acido-salso.

Pentaphylli radices febribus adversantur intermittentibus, astringunt ob sal acido-austerum; usus *in substantia*, vel *in decoctis.*

Petasites sudorifera est & alexipharmaca, balsamicum spirat odorem; & balsamum exsudat satis tenue instar ferè balsami copaivæ, si radix in taleolas discindatur; usus ejus præcipuus *in aquis antipestilentialibus*, ut & *in substantia, decoctis & extractis.*

Petroselini radices calculum pellunt; usus *in decoctis aperientibus* & diureticis; sale enim subtiliori acido-salso volatili impregnatæ sunt.

Phu, seu valeriana, sudores movet, febribus medetur, menses pellit, hepatica est; resinosis & salinis particulis referta est; usus *in aquis theriacalibus, extractis, & pulveribus antidotalibus*; theriacæ odorem fere refert.

Pimpinella saxifraga lythontriptica est, unde & nomen suum desumpsit; usus *in substantia vel decoctis*, ob acidum ibidem delitescens volatile.

Pæonia antiepileptica est, vermibus puerorum conducit; *syrupus ex tota planta* confectus, & *spiritus* tenuissimo sale anodyno volatili refertus, in usum adhibetur.

Polypodium quernum stimuli loco purgantibus additur in decoctis, melancholiam & serum purgantibus; sub-acido enim viscoso sale dotatum est.

Pyrethrum sudoriferum est, & errhinum; usus *in substantia, & in extracto*; sale acriori mediante (qui fere tartarum volatile refert) operatur; hinc & acetum è vino præparantibus summi est usus.

Rhabarbarum cum astrictione levi biliosos evacuat humores, vel saltem fœces flavo colore tingit in evacuatione: tingentibus enim particulis salinis muriaticis præditum est; tostum magis astringit. *Dos. à* ℈j. *ad* ℈iv. *in substantia*; inde conficitur *extractum*, *cujus dosis* ℈j. & *syrup.*, *cujus dosis* ℥j. *vel ij.*

Rhaponticum validiùs astringit, quam rhabarbarum, & minus purgat; magis enim terrestre est, & minori sale gaudet; usus ejus in dysenteria, diarrhœa, & similibus. *Dosis ad* ʒij.

Rubia tinctorum vulgatissimi usus apud plebem in internis læsionibus

cum

cum potionibus vulnerariis, urinam & menses insuper movet, & tinctoribus inservit; tenui sale alcali imbuta est.

Saxifragia calculum imminuit, & menses movet; sal enim ibi commoratur acido-salsum volatile; ejus usus *in substantia vel decoctis.*

Scorzonera Hispanica alexipharmaca est, & deobstruens ob internum sal tenue; usus plerumque *in decoctis & infusionibus.*

Scylla attenuat, diuretica est, crassos & viscosos humores expurgat, sœpius per vomitum ob sal acre, humores ventriculi irritans & stimulans; inde fiunt *trochisci pro theriaca*, sed fere inutiles; *pulpa* enim iis præfertur; *acetum scylliticum* & *oxymel scylliticum*, ut & pulpa; si aliis sudoriferis permisceatur, venenis resistit, & sudores movet.

Spica Celtica & Indica sudores movent, uterinæ sunt & cephalicæ: usus *in theriacalibus confectionibus & aqua*; valido sale spirituoso volatili scatent.

Tormentilla astringit, sudores movet; usus *in propria substantia & electuariis*; acido-austeras particulas terrestribus implicitas obtinet.

Turbith pituitam & serum expurgat; inde fieri potest *extractum & resina*; Dosis eadem cum jalappâ.

Vincetoxicum, *seu hirundinaria*, sudores movet, menses ciet; blando sale dotata est.

Zarzaparilla sudores movet, humores crassos attenuat; sale volatili & farinaceis viscosis partibus gaudet; thoracis affectibus conducit, ut & lui venereæ: usus ejus *in decoctis*, *rarissimè in substantia.*

Zedoaria stomachica est, vermibus & putredini resistit; sale acri aromatico repleta est.

Zinziber stomachicum est, & pulmonibus, pituita & sero obsessis, conducit; acriori sale præditum est præcedenti.

Fungi.

Agaricus pituitam & serum leniter expurgat; inde fit *resina*, cujus *dosis* ℈j.: usus ejus *in substantia ad* ℈iv. *in infusione ad* ʒij. *vel* iij.

Auriculæ Judæ inflammationibus gutturis medentur, unde plurimi usus *in gargarismatis*; viscosis & alcali-salinis particulis instructæ sunt.

Cortices.

Arantiorum doloribus colicis & ventriculi cruditati medentur, febribus intermittentibus conveniunt, sudores movent penetranti oleo; spi-

 ritu

ritu & ſale volatili ſcatent; uſus eorum *in ſubſtantia ad* ℥j. ſi externa flavedo à medulla alba ſeparata fuerit: inde fit *extractum*, *oleum* & *aqua*, quæ vulgatiſſimi ſunt uſus.

Caſſiæ ligneæ cortex magis lenit, quàm cinnamomum, & humorum ferociam obtundit viſcoſitate ſuâ; aliàs ſapore & odore cum cinnamomo convenit, ſed debiliorum eſt virium; exinde fieri poteſt *aqua* & *oleum*.

Cinnamomi cardiacum eſt per excellentiam, ſpiritus vitales recreat tam odore, quam ſapore ſuo, ſpiritu, ſale volatili, & oleo aromatico excellenti decoratur; ſudores inſuper movet, & venenis reſiſtit; ingreditur varias compoſitiones tam Chymicas, quàm Galenicas; inde fiunt *extractum*, *aqua*, *& oleum*.

Citri ſudoriferi ſunt & cardiaci, venenis reſiſtunt, & flatus diſcutiunt; inde fit *eſſentia*, *aqua*, *& oleum*, quæ & ob ſuam fragrantiam expetuntur; oleum & ſpiritus in iis abundant.

Fraxini febribus intermittentibus & putredini reſiſtunt, diureſin promovent, vermes necant; ſale muriatico tenui, & viſcoſo-ramoſis partibus præditi ſunt.

Granatorum aſtringunt, conveniunt in diarrhœa, dyſenteria, & ſimilibus tam alvi, quam uteri fluxibus; auſterum ſalem alcalicum obtinent, id eſt talem, qui & aliquo modo de acido participet.

Ligni guajaci ſudoriferi ſunt, & tenuiorum partium, quam lignum; magis enim viſcoſi ſunt, & citius diſſolubiles: in iiſdem autem cum ligno affectibus conveniunt.

Macis flatus diſcutit, ſudores movet, ventriculum corroborat, & utero conducit; inde fit *oleum expreſſum craſſum*, *oleum ſtillatitium*, *eſſentiale duplex*, *aqua & extractum*, mediante menſtruo ſpirituoſo ardente; duplices cum poſſideat partes, duplici etiam modo agit: ſubtiliori enim ſale volatili oleoſo & ſpiritu tenui penetrat, & quaquaverſum ſeſe extendit, craſſiori & balſamico oleo perſtat, lenit, & humoribus ulterius pervehitur.

Radicum capparis urinam promovent, aperiunt, & incidunt, humores craſſos attenuant; uſus eorum *in decoctis* ob acido-ſalſum latens.

Sambuci interiores diureſin ſat validè promovent, & leviter alvum movent, ſeroſos humores educendo hydropicis conveniunt eadem ob ſalia, ſed magis ad acidum tenue deflectentia, & humores ad acorem ſenſim deducentia.

Tamariſci diureſin promovent, ſplenis affectibus medentur; uſus eorundem *in decoctis* aperientibus; ſale alcali tenui dotati ſunt.

Cli-

Ligna.

Aloës cardiacum eſt, uterinum, & ſudoriferum; inde fit *tinctura*, & *ſub forma pulveris* electuaria ingreditur; reſinâ & ſale grato acido-volatili præditum eſt.

Colubrinum antifebrile eſt egregium, ſudores & alvum leviter movet, humores abſtergit, & ventriculo conducit, ut & in ictero; ſalem ſulphureum valde amaricantem obtinet, ſuccum noſtrum egregie exaltantem.

Guajacum ſpecificum eſt in lue venerea, & in humorum quorumque nimia abundantia, unde in plurimis morbis, ex intemperie eorundem ortis, conducit, ut in ſcorbuto, hydrope, paralyſi, cachexia, & ſimilibus; uſus ejus plurimus *in decoctis*; fit inde etiam *extractum* varium, ut & *oleum & ſpiritus empyreumaticus: ſalem acidum volatilem, & oleum duplex empyreumaticum* fundit; *reſinâ* copioſe inſtructum eſt.

Nephriticum à viribus nomen deſumpſit; calculum enim pellit, & renum affectibus medetur; inde fit *infuſio* & *tinctura* vario calore conſpicua ob ſalinas particulas ibidem latitantes, quæ variam modificationem illis particulis ramoſis inducunt; nam & cum aliis lignis reſinoſis idem fieri poterit, v. g. ſi guajaci ligni fiat infuſio in aqua, ſale alcali imbuta.

Rhodium odoriferis plurimum inſervit: cor enim & cerebrum confortat ſuo fragranti odore; rarius autem internè exhibetur; inde fit *oleum* ob ſuam ſuaveolentiam ſat notum; reſinoſum etiam eſt.

Santalum album & citrinum fragrantia ſunt, & aromatico ſapore & odore gaudent, ventriculo conducunt; inde fit *eſſentia*, & decoctis aromatizandis inſerviunt: tenui enim ſale volatili acido & reſinâ inſtructa ſunt.

Santalum rubrum, acidiori auſtero ſale imbutum, aſtringit præter alias vires.

Saſſafras tenuium eſt partium & valde ſubtile, ſale volatili oleoſo præditum eſt, ſcorbuto, lui venereæ, doloribus colicis, obſtructionibus uterinis, & cachexiæ medetur; uſus eſt in *decoctis*; ſed diutinam coctionem non ſuſtinet, unde ſub finem decoctionis addendum eſt, vel ab igne remoto decocto demùm infundendum venit; quò autem diutius decoquitur, eô magis aſtringit, & quo minus, eò magis aperit & attenuat; inde fit *oleum* & *aqua*.

Herbæ.

Abrotanum mas ſale volatili & ſpiritu gaudet, pauco oleo, vermes pellit, utero medetur, & febribus intermittentibus conducit.

Abſinthium ſtomachicum eſt, vermes necat, putredini reſiſtit & febribus medetur; inde fit *ſuccus inſpiſſatus*, *ſyrupus*, *extractum*, *oleum tam coctum*, *quam ſtillatitium*, craſſius attamen, & *ſal tam eſſentiale*, *quam fixum*, quod ſignum eſt, illius *ſuccum eſſe tanquam tartarum fluidum*, *pauco ſpiritu ardente refertum.*

Agrimonia ſplenetica eſt, & *in decoctis* vulnerariis convenit; ſalem obtinet alcalicum.

Alchimilla, ejus folia externè vulneribus conducunt, rariùs internè propinantur; viſcoſo & glutinoſo ſucco abundant, tenui ſale volatili referto.

Althæa humorum acrimoniam mitigat, pectoris vitiis conducit; uſus ejus tam *externè in cataplaſmate*, quàm *internè ſub forma decocti*; viſcoſa enim eſt & alcalico-ſalina.

Artemiſia uteri affectibus medetur, menſes & fœtum pellit; ſale volatili & fixo, ut & oleo ſuo beat Artifices.

Betonica ſplenetica eſt & cephalica; inde fit *aqua*; uſus præcipuè *in decoctis* diureticis & vulnerariis; ſubtiliori acido volatili inſtruitur.

Calamintha nervoſo generi convenit; ſalem ſpirituoſum obtinet pauciſſimo cum oleo.

Capillus Veneris pectoralis eſt; uſus *in decoctis & in ſyrupo.*

Carduus benedictus ſudores & urinam ciet, febribus medetur: inde fit *aqua*, *ſal*, *& ſuccus inſpiſſatus*; oleum præbet, ſed in minori quantitate, ut & ſpiritum ſalinum.

Carduus Mariæ menſes movet & urinam *in decoctis.*

Centaurium minus vulnerarium & antifebrile eſt, bilem leniter evacuat; inde fit *aqua & extractum*: uſus *in decoctis*, *& vinis medicatis*; ſal obtinet fixum & volatile.

Chamæmelon colicis prodeſt doloribus, urinam ciet; uſus in *decoctis*; ſale tenui & oleo ſubtili inſtructum eſt, ut & viſcoſis mollibus particulis.

Chamædris diureſin & ſudores promovet, podagricis & arthriticis doloribus ſuccurrit; uſus *in decoctis* ob tartareum ſal volatile in ea latitans.

Chamæpytis nervoſis affectibus ſuccurrit, urinam & menſes movet *in decoctis*; alcalicum ſalem poſſidet ſubtilem.

Cheli-

Chelidonium majus ictero medetur, febribus adverſatur, oculorum affectibus ſuccurrit; uſus *in decoctis*, *& ſucco inſpiſſato*; inde etiam fit *aqua ſtillatitia*; ſubtilem ſpiritum ſalinum acidum volatilem includit amaro cum ſulphure junctum, unde etiam ſal mixtum exhibet.

Cochlearia ſpecifice antiſcorbutica eſt, diaphoreſin promovet; ſal volatile oleoſum & ſpirituoſum plurimum exhibet; uſus *in vino medicato*, *rarius in decoctis*, niſi ubi ſub finem decoctionis injiciatur manipulus unus vel alter; inde fit *aqua*, *ſpiritus*, *& oleum*.

Dictamnus Creticus partum leviorem reddit, nervoſo generi convenit, alexipharmacus eſt, tenui ſale acido-ſalſo volatili dotatus eſt.

Epithymum melancholicos humores expurgat.

Eupatorium aquaticum hepatis intemperiem curat, lienis obſtructiones tollit, febribus adverſatur, & ſudores movet, ſcorbuticis affectibus plurimum prodeſt; uſus *in decoctis & ſucco inſpiſſato*; ſalem internum exhibet fere muriaticum, mediæ inter volatilitatem & fixitatem conſiſtentiæ.

Euphragia oculorum vitiis medetur, & leviter aſtringit; inde fit *aqua*.

Fœniculum flatus diſcutit, utero conducit, thoracis & pulmonum vitiis ſuccurrit; uſus ejus *in decocto & ſyrupo*; inde fit *aqua & oleum*; ſal volatile, ſpiritum, & oleum plurimum obtinet.

Fumaria ſeroſos & bilioſos humores leviſſimè expurgat; inde fit *ſuccus & aqua*; uſus ejus *in decoctis* aperientibus; blando ſalino-acido ſucco inſtructa eſt.

Hedera terreſtris menſes & calculum pellit, thoracis affectibus medetur; uſus ejus *in ſucco & decocto*; gummoſum ſuccum, alcali volatili ſcatentem, obtinet.

Horminum, *ſive ſcarlæa*, narcotica eſt ſuo odore, oculorum vitiis conducit, *in vino vel cereviſa infuſum* ebrietatem promovet; inde fit *aqua & extractum*; tartareo ſale tenui volatili acido imprægnatum eſt cum oleo pauciori.

Hypericon diureticum & vulnerarium eſt, prodeſt & maniacis & melancholicis; uſus *in infuſione*, *decocto & oleo*; balſamo ſalino-alcalico fere volatili gaudet craſſiori, quo mediante vires ſuas exercet.

Hyſſopus pectoris & thoracis vitiis ſuccurrit: convenit enim in tuſſi, aſthmate, urina & calculo pellendo; uſus ejus *in decocto & ſyrupo*; inde fit *aqua*; oleum etiam obtinet & ſpirituoſum ſal volatile.

Laurus menſes, urinam, & ſudorem movet; nervoſo generi maximè

mè conveniens, venenis resistit; usus ejus *in vinis medicatis & in antidotis*; oleum subtile & crassum obtinet, utrumque penetrans ob salis volatilis mixturam.

Levisticum menses movet, flatulentos humores attenuat, diuresin promovet; usus *in decoctis*; spiritu plurimo gaudet salino-volatili, pauco oleo, sed penetrantissimo.

Majorana cephalica & errhina est, uteri affectibus medetur; inde fit *aqua & oleum*; sale volatili etiam plurimo scatet, unde ejus maxima vis.

Malva emollit, & acrimoniam humorum lenit, tussi difficili convenit; usus ejus *in decoctis*; viscoso & alcalico succo prædita est.

Marrubium menses movet, ictero convenit; usus *in decoctis*.

Matricaria uteri obstructiones tollit, leniter evacuat humores pituitosos & biliosos; sale temperato volatili & oleo instructa est.

Melilotus emollit, tam *externè*, quàm *internè*, est usus ad humorum acrimoniam leniendam; usus *internè in decoctis*, *externè in cataplasmate*; viscoso-ramoso & salino-volatili succo gaudet.

Melissa cephalica & cardiaca est, menses ciet; inde fit *aqua*, *& oleum*, *& sal*, unde & *quinta essentia* ab aliquibus componitur mirandarum, ut ajunt, virium; blando sale spirituoso & oleo grato pauco prædita est.

Mentha stomachica est & sudorifera, concretiones lactis & sanguinis impedit; inde fit *aqua & oleum*, cujus summus usus in flatibus discutiendis & ventriculo roborando, alcalicum spiritum obtinet volatilem, & oleum sat largiter fundit.

Millefolium validè astringit & fluxus sistit, ut & *muscus quercinus*, ob sal austero-acidum.

Origanum sudores movet, capitis affectibus succurrit; usus *in decoctis & infusionibus*; inde etiam fit *oleum stillatitium*, tantopere in odontalgia decantatum, sale volatili acri instructum.

Parietaria calculum & urinam pellit; usus *in decoctis*; acido salso tenui succo gaudet.

Petroselinum menses, urinam, & calculum ciet, tenui sale volatili impprægnatum est.

Plantago incrassat & refrigerat, profluviis variis conducit *in decoctis*: subacido viscoso succô prædita est.

Pulegium attenuat, menses ciet, & nervoso generi convenit ob sal volatile & oleum ipsius.

Pulmonaria sputo sanguinis medetur, & pulmonum affectibus succurrit *in decoctis*, sale enim teuui alcalico gaudet.

Quer-

Quercûs folia validè astringunt in omnibus fluxibus tam alvi, quàm uteri, & narium, ob vitriolicum acidum succum in iis transfusum.

Rosmarinus nervoso generi dicatus est, venenis resistit, menses movet, & memoriam confortat: inde fit *oleum & aqua*: subtile sal volatile, spiritus, & oleum in eo delitescunt.

Ruta alexipharmaca est, uteri & capitis affectibus succurrit: inde fit *oleum & aqua*.

Sabina potenter menses, urinam & fœtum pellit: usus ejus *in decoctis*: inde etiam præparatur *aqua, oleum, & extractum*, externè *oleum* ejus etiam in frigidis nervorum affectibus conducit, ut & duo præcedentia olea: salia etiam volatilia in iis conspiciuntur valida.

Salvia venenis resistit, nervis conducit, capiti & utero dicata est: inde fit *oleum*: usus *in substantiâ, & in vino, vel cerevisia, vel decoctis*: summi usus in apoplexia, paralysi, & similibus affectibus: spiritum subtilem exhibet, & oleum penetrantissimum.

Scabiosa sudorifera est, pulmonum affectibus convenit, & venenis resistit: usus ejus *in decoctis*: alcalicis particulis instructa est, & viscosis.

Scolopendrium lienis obstructiones tollit, calculum imminuit, & sudores movet: usus *in decoctis*.

Scordium alexipharmacum est, & sudoriferum, urinam & menses ciet: usus *in substantia & decoctis*: sale temperato, muriatico quasi, instructum est, & tenui spiritu.

Serpillum menses & urinam promovet, capitis & ventriculi debilitatibus succurrit: usus *in decoctis*: spiritum præbet, & oleum subtile.

Senna obstructiones tollit, melancholicos humores expurgat: usus *in infusione, vel decoctis*.

Tanacetum potenti sale volatili & oleo præditum est amaricante: unde prodest vermibus, febribus, vertigini: inde fit *oleum, spiritus, & aqua*.

Thymus nervis succurrit, urinam & menses movet, capitis affectibus medetur: inde fit *oleum stillatitium*; acri sale volatili præditus est: usus *in decocto, vel infusione*.

Tussilago à viribus nomen desumpsit: bechica enim & thoracica est: ejus usus *in decoctis, & syrupo*: succum obtinet viscosum salino-alcalicum.

Verbascum iisdem affectibus medetur ob easdem fere particulas in eo contentas.

Verbena vulneraria est & lithontriptica: usus *in decoctis*: acidum volatile obtinet.

Violaria emollit, calidis affectibus convenit tam *internè*, quàm *externè in decocto & cataplasmate*: ſucco alcali ſalino-viſcoſo gaudet.

Flores.

Balauſtiorum aſtringunt, unde conveniunt in omnibus fluxibus: uſus *in decoctis*: ſalino auſtero ſucco madent.

Borraginis bilem temperant, cordis affectibus conveniunt: ſal temperatum volatile abſcondunt.

Calendulæ ſudores movent, præcipuè in peſte, variolis & morbillis, venenis reſiſtunt: inde fit *acetum* vulgatiſſimi uſus: ſpiritum ſalinum volatilem modicè oleoſum reſervant.

Chamomillæ emolliunt, flatus diſcutiunt: tam *interni*, quam *externi*, ſunt uſus in *decoctis* & *cataplaſmatibus*.

Crocus cardiacus eſt & anodynus, venenis reſiſtit, pulmonibus conducit, & aurum vegetabile dicitur ob maximum ejus uſum & vires in omnibus ferè morbis: ramoſo-viſcoſas, tenuiſſimo ſale volatili imbutas, obtinet particulas.

Lavendulæ nervoſo generi conducunt, urinam & menſes movent: inde fit *aqua*, *ſpiritus*, & *oleum*, penetranti & blando ſale referti ſunt oleoſo volatili.

Liliorum alborum viſcoſo ſub-acido ſucco ſcatent volatili: anodyni ſunt: inde fit *oleum infuſum*.

Meliloti emolliunt, pectoris difficultati conveniunt: uſus tam *externus*, quàm *internus*, *in cataplaſmate & decocto*.

Papaveris erratici emolliunt, hypnotici ſunt, tuſſi difficili conveniunt: uſus *in decoctis & ſyrupo*: valde viſcoſi ſunt, & ſale tenui ſcatent.

Roriſmarini utero, apoplexiæ, & capiti conveniunt: inde fit *aqua & oleum*.

Roſarum rubrarum leviter aſtringunt, capiti & cordi conveniunt, incarnatæ autem roſæ laxant: acido-auſtero ſucco gaudent ſubtili.

Sambuci emolliunt, anodyni & ſudoriferi ſunt: uſus tam *externus*, quàm *internus*: inde fit *aqua*: muriatico volatili ſpiritu gaudent, & viſcoſi ſunt.

Schœnanthi diſcutiunt, nervoſo generi conveniunt.

Stœchados utero, capiti, & nervis medentur: uſus in *ſyrupo*, & *in decoctis*: tenui ſpiritu ſalino-volatili imprægnati ſunt.

Semi-

Semina.

Anisi diureticum eſt, egregiè flatus diſcutit, pulmonibus & ventriculo conducit, lac gignit: inde fit *aqua*, *oleum*, & *ſpiritus* vulgatiſſimi uſus: ſale volatili ſpirituoſo plurimo, & oleo ſubtili gaudet, ut & pauco craſſo balſamico.

Apii diureticum eſt & aperiens.

Cardamomi minoris coctionem adjuvat, venenis reſiſtit, tuſſi medetur, & frigidis affectibus conducit: ſale acri volatili, & pauco oleo inſtructum eſt.

Carvi flatus diſcutit, ſtomachum roborat, diureſin promovet: inde fit *oleum & ſpiritus*: blandum & penetrans oleoſum ſal volatile obtinet.

Citri unum eſt de quatuor frigidis: bilis acrimoniam temperat, vermes pellit, oleum expreſſum craſſum continet, & plurimas partes viſcoſo-ramoſas.

Citrulli diureticum eſt, renibus & veſicæ convenit.

Carthami pituitam & ſerum expurgat: ſal acre includit partibus craſſis ramoſis.

Coriandri ventriculum corroborat, & grato odore compoſitiones inficit: ſpiritum tenuem ſalinum obtinet.

Cubebarum ventriculo, capiti, & pectori conducit: ſale acri aromatico præditum eſt.

Cucumeris nephriticos dolores mitigat, calculum pellit: viſcoſo-ramoſas partes obtinet.

Cucurbitæ emollit: eſt è ſeminibus frigidis, quorum uſus præcipuus *in emulſionibus* ob plurimam copiam particularum ramoſarum craſſiorum ibidem latitantium.

Cumini carminativum eſt, colicis & flatulentis humoribus ſummoperè prodeſt tam *externè*, quam *internè*: inde fit *oleum ſtillatitium*, & *emplaſtrum*: penetranti ſpiritu ſalino alcalico, ut & oleo craſſo & ſubtili imbutum eſt.

Cydoniorum emollit, inflammationibus prodeſt tam *internè*, quàm *externè*, anginæ & aphthis proficuum eſt: uſus ejus eſt in mucilagine; quam plurimam præbet, ſubtiliori ſale imbutam.

Dauci diureſin & partum promovet, ſudores movet: uſus *in decoctis*, & *infuſionibus*: ſale volatili blando & oleo inſtructum eſt.

Fœniculi ventriculo corroborando, flatibus diſcutiendis, & tuſſi mitigandæ optimè conducit, menſes ciet.

Hordeum diuresin promovet, humorum acrimoniam mitigat, sanguinis effervescentiam compescit; usus *in decocto*; viscosum est, & subacido levi sale præditum.

Lactucæ nephriticis doloribus succurrit, leviter somnum inducit sanguinem incrassando; viscoso-ramosum est.

Levistici sudores & menstrua promovet, lienis obstructiones tollit; usus ejus *in infusione*, *decocto*, & *spiritu*.

Lini emollit, anodynum est, & præcipui usus *in cataplasmatibus* ad pus procurandum: inde fit *oleum per expressionem*; valde mucilaginosum est.

Melonum acrimoniam humorum temperat, hepatis inflammationem sistit; usus *in emulsionibus*; viscoso-ramosas particulas plurimas obtinet.

Milii sudores & urinam movet, calculum pellit: usus *in decoctis*: externè etiam emollit *in cataplasmatibus*, & tumores duros resolvit: viscosum est.

Napi sudores movet, & venenis resistit: penetranti spiritu salino, & plurimo oleo scatet crasso.

Nigellæ flatus discutit, uteri affectibus medetur, lac auget: inde fit *destillatum oleum*: sale & spiritu interno pollet, ut & oleo crasso per expressionem educendo.

Papaveris albi anodynum est, ardores renum & vesicæ mitigat: inde fit *oleum expressum, & emulsio*: viscoso-ramosis gaudet particulis.

Petroselini hepati medetur, diuresin promovet, & menses movet.

Pœoniæ anti-epilepticum, uterinum, & cephalicum est.

Rutæ urinam & fœtum pellit, menstrua potenter deobstruit: inde fit *oleum stillatitium*.

Sambuci serum expurgat in *infusione*: sale acri & plurimo oleo crasso gaudet.

Santonici, seu *zedoariæ*, lumbricis adversatur: usus in *infusione, & conditis*: tenui sale volatili, & sulphure amaricante instructum est.

Staphidis agriæ vehementiùs alvum movet, & pediculos necat: sal acre possidet.

Tanaceti convenit viribus cum semine zedoariæ, unde & plerumque cum hoc adulteratur: *oleum* fundit *stillatitium*, & subtilem satis *spiritum*.

Fru-

Fructus.

Amygdalæ dulces nephriticis doloribus ſuccurrunt, præcipuè *oleum* inde *per expreſſionem* paratum; anodyna vi pollent *in emulſionibus*: ex *amaris* fit itidem *oleum expreſſum*, quod ſummi uſus apud plebem in doloribus aurium, ſi cotoneum eo madefactum illis indatur; tenui ſale impraegnantur.

Baccæ juniperi urinam & ſudores movent, venenis reſiſtunt: inde fit *oleum ſtillatitium*, *ſpiritus*, & *pulpa*; ſale volatili ſub-acido dotatæ ſunt.

Baccæ lauri ſudores movent, menſes cient, putredini reſiſtunt, flatus diſcutiunt; inde fit *oleum expreſſum*; uſus præcipuè *in pulvere* eſt vulgatiſſimus.

Baccæ ſambuci ſudores movent, & venenis reſiſtunt, illæ exſiccatæ utero commendantur, earum *acini* urinam & calculum pellunt, *ſuccus*, cum farina ſiliginea in paſtam redactus, & exſiccatus bis vel ter iterata affuſione *ſucci*, prodeſt diarrhœæ, dyſenteriæ, & ſimilibus fluxibus uteri & alvi; inde etiam fieri poteſt *ſpiritus* è recenti ſucco fermentato, qui valde diaphoreticus eſt.

Capita papaverum incraſſant, ſomnum inducunt, & tuſſim levant.

Caryophilli cordi, ventriculo, & capiti corroborandis conducunt, & omnibus frigidis affectibus conveniunt, venenis reſiſtunt; inde fit *oleum*, *ſpiritus*, & *aqua*, ut & *tinctura*; ſale alcali volatili acri inſtructi ſunt, & oleo duplici.

Caſſia fiſtularis leniter ſerum & bilem expurgat, humores emollit, pulmoni & renibus conducit; unde plurimi uſus in clyſteribus, ut & in gonorrhœa, calculo, & ſimilibus; inde fit *pulpa viſcoſa*, ſale tenui referta, citò in acorem degenerans.

Colocynthis pituitoſos & melancholicos humores potenter expurgat; inde fit *pulvis*, & *tinctura* ſeu *extractum*. Doſis in ſubſtantia ad ℈ß. ſal acre & corroſivum obtinet amaricans.

Cydonia mala aſtringunt, ventriculum corroborant: inde fit *pulpa* & *gelatina*: acido-auſtero ſucco gravida ſunt.

Dactyli ſiſtunt flūxum ventris, renibus conducunt: inde fit *pulpa*, quæ *electuaria* ingreditur.

Ficus emolliunt, arenulas expurgant, acrimoniam humorum mitigant ob ſuccum viſcoſum.

Meſpila immatura aſtringunt, calculum pellunt; acido-ſalſum ſalem continent auſterum.

Nux Moſchata omni nervoſo generi convenit balſamica vi, aſtringit, ſalino volatili tenui oleo ſtillatitio convenit capiti, utero, ventriculo, cordi, & ſimilibus, concoctionem adjuvat; inde ergo fit *oleum ſtillatitium & expreſſum*, quod tam interni, quàm externi uſus eſſe poteſt in frigidis affectibus nervorum, ut & in flatibus diſcutiendis, & cohibendis fluxibus.

Paſſulæ quæcunque emolliunt, pulmonibus & ventriculo conveniunt ob viſcoſo-ſalinum ſuccum.

Piper quodcunque humores pituitoſos reſolvit & attenuat, frigidis affectibus ſummoperè ſuccurrit, concoctionem adjuvat mediante ſale volatili acri aromatico, & oleoſo tenui.

Pruna dulcia alvum laxant: inde fit *pulpa pro electuariis*; fermenti enim acidum ſenſim augendo ſtimulant.

Ribes ſitim & æſtum febrilem optimè ſedant; inde fit *ſuccus*, & exinde *rob ribeſiorum* dictum; ſucco acido, & pauco ſpiritu interno gaudent.

Tamarindi bilem temperant & expurgant, ſitim ſedant; exinde fit *pulpa*; viſcoſum acidum gratum ſuccum obtinent.

Farinæ.

Fœnugræci maturat, emollit, & humores ad digeſtionem diſponit; ſale tenui, & oleo viſcoſo prædita eſt.

Hordei anodynæ eſt qualitatis, unde plurimi uſus in ſomno conciliando, & humorum agitatione nimiâ ſedandâ.

Radicum althææ emollit.

Conſolidæ majoris incraſſat, & humorum acrimoniam ſedat ob meram viſcoſitatem partium.

Seminis lini ad maturitatem perducit ulcera, humoreſque abſtergit & emollit.

Succi liquidi.

Agreſtæ, ſeu *omphacium*, appetitum excitat, bilem temperat, & calorem ſedat.

Cydoniorum aſtringit, *laudano Helmontiano* conficiendo conducit.

Limonum cardiacus eſt, ſitim compeſcit, appetitum promovet; inde fit *ſyrupus*.

Succi condensati.

Aloë bilem purgat, externæ putredini resistit, & *balsamum* inde fit *mortuorum*: ingreditur plurimas compositiones: inde fit *tinctura*, *elixir*, & similia: subacidum sal amaro junctum sulphuri resinoso obtinet.

Ammoniacum obstructionibus uteri & lienis conducit, externè emollit, attenuat; dissolvitur plerumque in vino vel aceto ad depurationem faciendam, ingreditur *pilulas*, *emplastra*, & similia; sal volatile subacidum habet, & oleum crassum.

Asa fœtida hystericas passiones sedat suo odore & halitu salino adusto ingrato.

Balsamus Peruvianus vulnerarius est, urinam & menses ciet, sudores prolicit; spiritum præbet subacidum, & oleum coagulans fere instar olei anisi.

Balsamus Copayvæ calculos pellit, ureteres mundificat, gonorrhœæ conducit, vulnera recentia curat; volatili tenui subacido spiritu pollet, & oleo subtili.

Bdellium urinam & menses ciet, humores attenuat, venenis resistit: *oleum* præbet, & *spiritum acidum*.

Benzoin pulmonibus convenit, suffitibus inservit, præcipuè, ubi cum styrace permiscetur: aliàs enim tussim excitat; inde fiunt *flores* & *oleum*; acrem & acidum salinum exhibet spiritum.

Camphora tota volatilis est, humorum acrimoniam lenit, anodynæ est facultatis. Falsum est, quod Authores de ea perhibent, Venerem illam extinguere; sudores insuper movet, & venenis resistit, dolores, è quacunque fere causâ ortos, dissipat, unde convenit in odontalgia, otalgia, & cephalalgia, & similibus, ut & externis inflammationibus; inde fit *oleum* & *spiritus*, &c.

Colophonia emplastra & unguenta ingreditur, ut emolliant; *spiritum acidum* præbet, & *oleum*.

Euphorbium pituitam sat vehementer expurgat, verùm causticum & inflammans est, unde rarioris usus, nisi ejus vis cicuretur acidis; sal acre possidet.

Galbanum menses & fœtum pellit, externè emollit & resolvit; dissolvitur itidem in aceto & vino ad depurationem; *oleum empyreumaticum* fundit, & *spiritum acidum*.

Glycyrrhiza expectorationem promovet, humorum ferociam lenit; unde

unde convenit pulmonibus, renibus, & veficæ, ob vifcofum alcalicum fuccum in ea contentum.

Gummi Arabicum infpiffat, fanguinis nimiam effervefcentiam retardat; vifcofum enim plane eft.

Gummi Caranne nervis conducit, tumores emollit; *emplaftra* ingreditur.

Gummi elemi emollit, capitis affectibus convenit; unde plerumque *emplaftra cephalica* ingreditur; *fal fpirituofum & tenue* obtinet cum *fubtili oleo*.

Gutta gamba per vomitum & feceffum purgat acres & ferofos humores.

Lacca diuretica eft, lienis obftructionibus conducit; inde fit *vernix Indorum*; acido fpiritu falino prædita eft, oleoque empyreumatico inftructa.

Tacamahaca dolores lenit, nervofo generi conducit, ut & affectibus podagricis; benigno fpiritu falino acido, & oleo craffo, inftructa eft.

Manna bilem purgat fat leniter, menfes promovet; diffolvitur plerumque in aqua conveniente, unde fummi ufus in puerperis, infantibus, & debilioribus ægris; *acidum* præbet *fpiritum*.

Maftiche emollit, concoctionem adjuvat, *emplaftra & olea* ingreditur: fubtili fale volatili acido inftructa eft, & oleo craffo.

Myrrha putredini refiftit, menfes movet, & paffionibus hyftericis fuccurrit, fudores elicit, unde fummi ufus in pefte, & plerifque morbis putridis, & contagiofis: *acidum* exhibet *fpiritum*, & *oleum fœtidum*.

Opium narcoticum eft, & celeberrimi ufus ad fomnum conciliandum: inde fit *tinctura*, *laudanum*, & fimilia: *alcalinum fpiritum*, & *oleum fœtidum* præbet.

Opopanax pituitam & menftrua prolicit; depuratur aceto, & ingreditur *emplaftra* ad difcutiendum: vifcofo-ramofum eft.

Pix externè emollit, in tumoribus duris fummi ufus ob falinum volatilem fpiritum, in eo delitefcentem.

Refina pini fummi ufus etiam externè in molliendis & digerendis humoribus & tumoribus: *fpiritum falino-acidum* præbet, ut & *oleum craffum*.

Saccharum quodcunque emollit, pectoris raucedinem mitigat, & condimenti loco cœteris infervit, tam ad præfervationem, quàm ad gra-

tiam : *ſpiritum* largitur in deſtillatione ſummè *acidum*, & *oleum empyreumaticum*.

Sagapenum pituitam expurgat, nervoſo generi ſuccurrit, aperit & attenuat: depuratur per acetum & vinum: viſcoſo-ramoſum eſt: *ſpiritum ſubacidum* præbet, & *oleum fœtidum*.

Sandaracha, ſeu *gummi juniperinum*, nervis & capiti convenit, hæmorrhagias ſiſtit; *vernici* inde conficiendæ commendatur.

Sanguis draconis quoſcunque fluxus ſiſtit, & aſtringit; acido-auſtero ſale donatus eſt.

Sarcocolla nomen à viribus deſumpſit: conglutinat enim & emplaſticæ facultatis eſt; viſcoſo-ramoſa eſt, & ſale tenui prædita.

Scammonium purgat pituitam, bilem & ſerum; inde fit *reſina*, & *extractum*.

Styrax calamita, & *liquida*, menſes & urinam cient, odore ſuo cerebrum confortant, ſuffumigiis permiſcentur; *ſpiritum* ſubtilem præbet, & *oleum*.

Succinum album, & *citrinum*, utero & capiti ſuccurrunt, menſes & urinam movent; inde fit *tinctura*, *oleum*, *ſpiritus*, & *ſal muriaticum volatile*, quæ paſſionibus hyſtericis ſuccurrunt, & ſummi ſunt uſus.

Tartarus albus & ruber ſtimuli loco purgantibus inſervit, extractiones *in decoctis* facilitat: inde fiunt *cremor*, *cryſtalli*, *oleum*, & *ſpiritus* acido-ſalſus volatilis.

Terebinthina urinam movet, thoracis affectibus convenit & abſtergit: hæc, quô tenuiorum partium, eô majorum virium: ſic præfertur Cypria Venetæ, Veneta vulgari: ſale volatili acido ſcatet plurimo, & oleo ſubtili.

Thus anodynum eſt, & vulnerarium, urinam inſuper movet: ſpiritu ſalino acido, & oleo dotatum eſt.

Tragacanthum humores acres mitigat & incraſſat, emplaſtica facultate donatum eſt: totum viſcoſum eſt.

Partes Animalium.

Adipes omnes in genere ratione particularum magis vel minus ſubtilium & ſpirituoſarum, inibi latitantium, majori vel minori penetrandi vi valent: in genere autem omnes emolliunt, & craſſis ſuis particulis ferociam humorum temperant, ita, ut non opus ſit ſingularum vires hic enumerare, cum plerumque illæ aliis permixtæ in uſum trahantur, ad

ad quorum vires ſeſe accommodant. Temperatiores autem ſunt butyrum, & axungia porci, è quibus ultima plurimi uſus exiſtit *in unguentis*, & *emplaſtris*, inde conficiendis.

Bezoar orientalis & occidentalis ſudores movent, venenis reſiſtunt; cordis affectibus ſuccurrunt ob partes alcalicas volatiles.

Cancrorum oculi calculum pellunt & atterunt, nephriticis doloribus ſuccurrunt: plurimi uſus in gonorrhœa, ut & in ſudoribus movendis & acido infringendo: ſale alcali inſtructi ſunt volatili.

Cantharides veſicatoriæ ſunt, diureſin & menſtrua ſat potenter promovent: ingrediuntur *emplaſtra: in ſubſtantia* autem cum acidis admixtis mitigantur: ſal acre corroſivum latitat in hiſce cum oleo penetranti.

Caſtoreum nervoſo generi conducit, apoplexiæ, paralyſi, & ſimilibus affectibus, ſuccurrit, paſſionibus hyſtericis reſiſtit, ſudores movet: ſale volatili, & particulis oleoſis plurimis impræġnatum eſt.

Cera alba & *flava* incraſſat & maturat, *emplaſtris conſiſtentiam* plerumque conciliat ob partes valde craſſas, & intricatas ramoſas pauciſſimas ſpirituoſas.

Cornu cervi ſudores movet, venenis reſiſtit, humorum efferveſcentiam compeſcit: inde fiunt *gelatina*, *ſal volatile*, *oleum*, *ſpiritus*, *cornu c. uſtum vulgare*, & *philoſophicum*.

Ebur ictero medetur, alexipharmacum eſt, vermes necat, humorum ferociam mitigat: *ſal volatile* obtinet, & *oleum empyreumaticum*.

Hirci ſanguis concretionem ſanguinis impedit, aſtringit & calculum imminuit: ſal volatile plurimum abſcondit in particulis viſcoſo-ramoſis.

Ichthyocolla aſtringit & incraſſat, glutinis loco firmiſſimi inſervit: tota viſcoſa eſt, & craſſa.

Lucii mandibulæ acredinem humorum tollunt & leniunt, pleuritidi medentur, ulceribus ſcorbuticis proſunt, ſi pulvis parti affectæ inſpergatur; ſal volatile blandum, in particulis ſuis viſcoſis latens, obtinent.

Mel abſtergit, aperit, humores lenit, pectoris vitiis ſuccurrit, *condimenti* loco plurimis aliis inſervit; inde fit *hydromel*, *tinctura*, & *ſpiritus ardens per fermentationem*; *ſpiritum* etiam valde *acidum* per ſe exhibet, & *oleum fœtidum*.

Moſchus odore ſuo ſpiritus vitales reficit.

Sperma ceti resolvit, dolores lenit, & cùm sevis & axungiis convenit calefaciendo & humectando; sale volatili dotatum est, & oleo foetido.

Zibeth odore suo cor reficit, anodynæ qualitatis est, & humores attenuat; *volatilem salem* exhibet.

Mineralia.

Ærugo mundificat potenter, & detergit ob acido-salsum spiritum cupro associatum.

Æs ustum validè astringit, ulceribus putridis conducit.

Alumen omne astringit; inde fit *spiritus acidus*, *aqua* & *alumen ustum*, quod magis acidum fit exhalatione nempe phlegmatis, unde corrodit.

Antimonium rarissimi est usus *in substantia*, nisi præparatione præmissa, ut & aliquando *in decoctis antivenereis*; inde fiunt varia præparata, ut *vitrum*, *crocus*, &c.

Argentum foliaceum memoriæ confortandæ conducit.

Argentum vivum lumbricos necat, salivationem movet, externis cutaneis vitiis medetur: rarissimè autem *in substantia* exhibetur, ast plerumque *in infusione*, vel *decocto*, vel, ubi præparatum fuerit; inde fit *sublimatum corrosivum*, & *dulce*, *præcipitatum*, & similia; spiritu minerali acido velocissimo dotatum est.

Arsenicum album, *& Auripigmentum*, venena sunt, quibus non facilè fidendum, quoquomodo præparatis; variæ autem inde præparationes fiunt, ut *oleum*, *rubinus*, *arsenicum fixum*, & similia; acri caustico & corrosivo sale scatent, motui nostro inimico.

Aurum foliaceum cordis affectibus conducit, & diaphoresin promovet; sale subdulci præditum est sulphureo.

Bolus alba rarioris est usus interni, cum sufficiant duæ sequentes in astrictione, & similibus.

Bolus Armena sudores movet, acidum infringit, & venenis resistit; salsum volatilem acidum spiritum includit.

Bolus vulgaris astringit, hæmorrhagias sistit; acido-austero sale vitriolico scatet.

Borrax menstrua & partum promovet; composita est plerumque è diversis, unde muriatica evadit.

Cerussa plumbi astringit, externis cutis affectibus medetur, acidos & acres humores mitigat; ingreditur diversa *emplastra*, & *unguenta*; exinde etiam fit *sal*.

Chalybis limatura tam aſtringit, quàm aperit, ratione humorum in corpore oberrantium, menſtrua promovet, cachexiæ medetur & vermes necat.

Cinnabaris ſudores movet, externè ulcera maligna & Venerea ſuffitu ſanat; idem etiam ſuffitus in parva copia ore exceptus ſalivationem & vomitum movet, ſed abſque periculo; mixtura eſt ſulphuris & Mercurii.

Lapis Armenus melancholicos expurgat humores, ut & *lapis lazuli.*

Lapis calaminaris acredinem humorum, ad ulcera delabentium, mitigat, illaque cicatrice obducit.

Lapis hæmatites quoſcunque fluxus ſiſtit; inde fit *tinctura*, & *flores.*

Lithargyrium auri, *& argenti* aſtringit, vulnera replet; plurima ingreditur *emplaſtra* & *unguenta*; ejuſdem qualitatis eſt *minium*, & reliquæ *calces plumbi.*

Sal Ammoniacum diaphoreſin promovet, & febribus reſiſtit, obſtructiones tollit; inde fiunt *ſpiritus*, & *flores*; compoſitum eſt è ſale volatili & acido.

Sal petræ putredini reſiſtit, bilis efferveſcentiam compeſcit, febribus adverſatur, ſudores movet; inde fiunt *ſpiritus acidus*, *nitrum fixum*, & *lapis prunellæ.*

Sulphur venenis reſiſtit, thoracis & pectoris vitiis ſuccurrit, ſudores promovet; unde convenit in peſte, variolis, tuſſi, ſimilibuſque aliis; inde *oleum acidum* emergit, ut & *flores*, *tinctura*, &c.

Terra ſigillata ſudores movet, & venenis reſiſtit, leviterque aſtringit; *ſubacidum* præbet *ſpiritum.*

Tutia conſolidat & abſtergit; oculorum affectibus medetur.

Vitriolum quodcunque vomitum movet, ſed inter ea potentius Venereum, quam Martiale; externè detergit & mundificat potenter; compoſitum eſt ex acido & metallo.

Marina.

Ambra gryſea ſpiritus vitales corroborat ſuo odore.

Corallium album & rubrum utraque leviter aſtringunt, cordis affectibus ſuccurrunt, acidum oberrans temperant; inde fit *magiſterium*; *ſpiritum ſalinum volatilem* exhibent.

Corallina vermes necat, & expellit; eodem ſpiritu turget.

Margaritæ acidum infringunt, cor exhilarant, febribus ex acido oriundis adverſantur.

Pumex

Pumex dentifriciis immiſcetur, cicatrice vulnera obducit, quoniam acidum infringit, ei ſeſe inſinuando.

CAP. IX.

De præparatione Corporum Viſcoſorum.

PRæparatio corporum Galenica eſt *imminutio eorundem, molliorum in pulpam diverſam, duriorum in pulverem, ut faciliori poſtea uſui inſervire queant.*

Simplicium præparatio *variis modis* perficitur, pro *diverſa* eorundem externâ & internâ particularum *figurâ, formâ, & pororum diſpoſitione*, huic vel illi operationi & mixturæ magis accommodâ: etenim non ſemper ejuſdem generis corpora, quæ quoad externam *ſuperficiem* videntur in omnibus convenire, *internum eundem ſitum*, &c. obtinent; hinc ergo diverſimode manibus Artificis ſubjiciuntur. A *prima* igitur *corporum ſerie* pro *principiis antea datis incipiemus.*

Viſcoſa, Pharmaceuticis operationibus ſubjicienda, vel *pulveriſantur*, vel *coquuntur*, vel *extractioni committuntur.*

Pulveriſatio fit antecedente *exſiccatione*, ut particulæ aquoſæ, illis craſſioribus particulis intricatæ, pro maximâ ſui copiâ ſeparentur; hæc verò *exſiccatio* pro ratione ſimplicium, texturâ craſſiori & tenaciori gaudentium, *leniter* fieri debet:

Primò, ut particulæ craſſiores, involucri loco exiſtentes, ſenſim dilatentur, quò *exhalationi aquæ* commodum exitum præbeant.

Secundò, ne *ſitum* contrahant, & *rancida* illa corpora evadant, unde conſequenter diſſolutionem continui admitterent ob plurimam *aquam* intermixtam; hinc enim omnes *mucilagines*, *gelatinæ*, & ſimiles præparationes viſcoſæ, facilè alterantur ob maximam *aquæ* copiam, ibidem in *veſiculis* illis latitantem, quæ facilè inflantur, & perrumpuntur à quocunque interno vel externo *motu*, & *humido*, ulterius ibidem accedente, niſi ad ſoliditatem duriuſculam humoris privatione reducantur. Fit autem vel *leni hypocauſti calore*, vel *lento igne*, ne particulæ terreſtres ullo modo *aduſtionem* admittant, ut in *ſuccis inſpiſſatis*, *gelatinis*, *mivis*, & ſimilibus, in quibus præcipue *B. M.* adhibendum, quod *humido* ſuo *calore* nullas læſiones particulis terreſtribus communicare poteſt; ubi autem *plurimæ* merè *terreſtres particulæ* intermediæ adſunt, quæ glutinoſitatem impedire poſſunt, calori *vehementiori* ſubjici debent,

ut althæa, rhabarbarum similesque radices, folia, & cortices; nisi etiam plurimæ particulæ volatiles à nimio calore fugentur, ut in *seminibus calidis majoribus*, *floribus odoriferis*, & similibus, patet, in quo casu cautiùs procedendum; imò & mixtura *corporis sicci terrestrioris* alia corpora *humidiora* volatilia recipit, ut utraque *pulverisationem* admittant.

Plurima dantur etiam simplicia, quæ quasi in *filamenta* oblonga diducta, in *pulverem* vix ac ne vix quidem reducibilia sunt, unde convenit illa *ante pulverisationem* instituendam minutas in partes *conscindere* & imminuere, ut postea *pistillo* magis obediant: sic *schænanthum*, *spica*, & similia, tractantur.

Alterum genus simplicium molliorum & *flexibilium* datur, quod necessariò *intermedias* requirit *particulas fragiles*, quæ illa corpora rigida & dura efficere possunt, ut sese imminui patiantur; sic *agaricus*, *pulpa colocynthidis*, & similia, requirunt *gummata admixta*, cum quibus bene imbuta & exsiccata pulverisationem subeant.

Torrefactio, & *levis assatio*, etiam in plurimis *viscosis corporibus durioribus* permittitur, ut particulis subtilioribus & *aquosis*, quæ flexilem & tenacem *cohærentiam*, & *mollitiem* illis particulis conciliabant, spoliata, remanentes partes *fragiles* evadant, & *pistillo* obediant; sic omnia *ossa*, *cornua*, *ungulæ*, & similia, præparantur. Hæc exsiccatio autem *duplici* fit *viâ*, *igne immediato* adhibito, *vel humido calore*, ex. gr. ubi super *vaporem aquæ bullientis* suspenduntur, vel ubi leviori ignis calori subjiciuntur; utraque autem *præparatio* in unum collimat, quoniam & in hac & in illa pondus imminutum obtinetur, & *spoliatum corpus fluidioribus* suis particulis existit, unde reliquæ rigidiores factæ terrestres in *pulverem* facile decidunt; attamen multo magis perit *nativa vis igne nudo*, unde solæ terrestres, fixis salibus implicitæ, partes remanent omnibus reliquis fugatis. *Assatio* itidem fit, ut magis astringentia & terrestria fiant corpora, subtiliori sulphure & sale suo privata, ut in *rhabarbaro*, *nuce moschata*, & similibus, apparet. Ultimò & ad *colorem intendendum* assatio levis præmittitur, ut *in nucibus gallis*, quæ duplo majorem colorem *leviter assatæ* præbent; sic etiam in vitriolo & similibus.

Coctio fit præcedente *maceratione*, vel *digestione*.

Maceratio valde est necessaria in omnibus coquendis: etenim mediante hac liquores additi sensim in *dilatatis meatibus & poris* alterius corporis sese *insinuare* possunt, ita, ut postea particulas *convenientes* subtiliores, in corpore

hoc

hoc existentes, *suis poris accommodare*, & in *fluidiorem* statum reducere possint; præcipuè autem in *durioribus particulis* hæc præmittenda ob *pororum tenuitatem & irregularitatem*, qui à *menstruo aquoso debiliore* non tam facilè *penetrari* possunt, *nisi* primò *dilatentur*, & extendantur: *ubi enim nullus datur fluidi ingressus in solidum*, *nulla etiam alteratio*, *& communicatio fieri potest*. *Major* autem vel *minor aquæ* copia requiritur pro ratione corporum *viscosorum*: quæ enim sunt *mucilaginosa*, *magnam* satis *aquæ copiam* quasi absorbent, ut *semen cydoniorum*, *radices althææ*, *consolidæ majoris*, *semina* omnia *frigida*, & similia *farinacea*; ut & *merè gummosa*, & *glutinosa*, & *oleo crasso imbuta*; *minimam* autem requirunt *aquam*, quæ particulas obtinent *salinas magis terrestres*, & *duriores*, ut sunt *radices bistortæ*, *tormentillæ*, *folia sennæ*, *rhabarbarum*, & similia. Plurima etiam *vario modo coctioni subjecta* variare solent suam *operandi actionem*; sic aliqua solam *infusionem* expetunt in aquâ *calidâ*, ut *vires* integras subtiliores deponant relictis fœcibus terrestribus; sic *purgantia* plerumque tractantur *sequenti* modo:

℞. Fol. senn., agar., vel cujuscunque alterius, q. v.
Aq. fere bullientis cujuscunque q. s.,

misceantur, semotâ ab igne aquâ fiat *infusio vase clauso*, donec omnis liquor *frigefactus* fuerit, quem *percola* ad usum citra magnam expressionem; si autem *particulæ ramosæ* aliquæ adsunt, convenit *aquam spirituosam*, ut vinum, hydromel &c. recipere, vel aqua communis sale alcali conveniente acuatur.

Digestio ob easdem rationes, in maceratione dictas, adhibetur; *Differt* autem à *maceratione*, quod illa absolvatur *absque calore*, hæc autem *cum calore*; fitque plerumque in *durioris* substantiæ corporibus, ut *lignis*, *radicibus*, *corticibus*, &c.

Extractio corporum *viscosorum* plerumque mediante *aqua*, vel aquoso menstruo, perficitur, vel, ubi succus contentus *prælo* extrahitur, vel, ubi tincturam suam *menstruo* communicant simplicia sicca; sic fiunt *tincturæ rosarum*, &c. ut & florùm & foliorum quorumcunque ad extemporaneum usum in *aquâ debitâ*; sin autem *asservari* debeant hæ particulæ extractæ, ad *siccitatem* mediante *evaporatione* reducendæ sunt. Sic fieri potest *extractum absynthii spissum*, *cardui benedicti*, & similia, nisi quis succos malit inspissatos, ex recenti herba confectos: ut situs autem præcaveatur, oleum crassum iis paratis superfunditur.

CAP.

CAP. X.

De præparatione Corporum Viſcoſo-ramoſorum.

Difficilis eſt horum corporum plenaria *ſeparatio*, niſi fiat *diverſis* mediantibus *liquoribus*, *ſeorſim* iis *admixtis*, vel, ubi ſuperfluâ humiditate evaporatâ ad *ramoſam* conſiſtentiam accedere cogantur *viſcoſa*; in genere autem *ramoſa* particulæ *durioris* ſunt *texturæ*, & tenacioris cohæſionis, ita ut non tam facilè menſtruis quibuſvis cedant. *Pleraque* autem *ligna*, *cortices*, & *radices*, *duabus hiſce particulis prædita* eſſe experientia demonſtrat, cum duplici plerumque menſtruo pareant; ſi autem extractiones & coctiones è *diverſis ſimplicibus* faciendæ ſint, tam ramoſis, quàm viſcoſis, primò *ramoſa fixiora*, deinde *viſcoſa*, addenda ſunt: ſic enim ligna præcedunt cortices & radices, præcipue in maceratione & infuſione, quoniam *particulæ molles & glutinoſæ*, per menſtruum diſperſæ, ulteriorem exceptionem particularum *duriorum reſinoſarum* impedire ſolent, niſi menſtruum ſit *planè ramoſum* & *ſpirituoſum*, in quo *reſinæ facilius* diſſolvuntur, *viſcoſa difficilius*: ſic enim *primò viſcoſa*, *deinde ramoſa* infunduntur & extrahuntur.

Ramoſa volatilia, *viſcoſis prædita* particulis, *leni calore* tractanda ſunt, ne vehementiori igne particulæ *ſubtiliores* auferantur, & derelinquant particulas *terreſtres* inertes & ingrato, auſtero, ſapore præditas, niſi mera aſtrictio expetatur, ut in *ligno ſaſſafras*, *ſeminibus calidis majoribus*, & ſimilibus, liquet; hæc autem ſimplicia, *groſſo* modo *contuſa*, vel *conſciſſa*, poſt decoctum jam præparatum adduntur, ut calida mediante infuſione *vires* ſuas *tenues* & *aromaticas* exhibeant.

Viſcoſa ſæpe in *ramoſis fluidis liquoribus* percoquuntur ad extractionem & conjunctionem facilitandam cum ſuis menſtruis heterogeneis; verùm non ſemper optato cum ſucceſſu; quoniam *poſt exhalationem aquæ aduruntur* potiùs particulæ *viſcoſæ*, quàm ut ullas vires menſtruis talibus impertiant; præcipuè, ſi *merè mucilaginoſæ & glutinoſæ* fuerint, unde plerumque vel *nullas*, vel *pauciſſimas* tantùm, vires olea & unguenta talia obtinere ſolent, ut patet in *oleis coctis roſarum*, *de mucilaginibus*, & ſimilibus, quoniam illud *menſtruum craſſum ramoſum congeneres tantum* ſibi partes elicere poteſt.

Extractionis vero illius *methodum* dabimus, quomodo nempe *integris & ſalvis viribus* ejuſmodi *olea & unguenta* fieri queant, ubi ad illa perventum fuerit.

Odo-

Odorifera si coctioni subjicienda sint, *alembico superposito* particulæ *subtiliores* excipiantur, ut postea cum decocto jam facto *permisceri* queant: *vel* fiat decoctio *in B. M.* cum simplicibus non diu maceratis; *vel* præcedenti modo dicto *sub finem decocti*, ab igne jam removendi, injiciantur, & arctius *cooperiantur*, ne quid exhalet, ad plenariam refrigerationem usque illic ea relinquendo.

Farinæ, vel aliæ quæcunque *sordes*, simplicibus adhærentes, quæ ingratum & turbidum decoctum efficere queunt, primò removendæ, *eluendæ*, & expurgandæ sunt, antequam operationi subjiciantur; sic *hordeum* ante decoctionem *lavatur*, ne *turbidum* decoctum reddatur, *Post decoctionem* simplicium viscosorum cum *spumâ albuminis* ovi, vel *per subsidentiam*, *clarificantur* decocta, quæ *ad teporem* reducta sint, antequam percolentur: sic enim plurimæ adhuc fœces ad fundum *subsident*, quæ aliàs vehementi ebullitione imminutæ, ipsum *colatorium transeunt*, unde decocta minus grata & pellucida evadunt: si planè *limpida*, & *levi* tantùm qualitate & quantitate virium è simplicibus infecta, decocta expetantur, primò aqua *fervefactioni & ebullitioni* committatur, dein simplicia optimè lota injiciantur; hoc modo pro julapiis *rosæ*, *hordeum*, & similia plerumque coquuntur.

Ungulæ, *cornua*, *ossa*, & cœtera, quæ *glutinosis* gaudent particulis, *diu* maceranda sunt, & sat *longo* tempore coquenda; *abbreviatur* autem *coctionis tempus* additis *salibus* cujuscunque generis: sic enim facilem *ingressum* aquæ communis, & *dilatationem* particularum majorem admittunt, ut in *mucilaginem* & *gelatinam* vertantur: hac arte fiunt *gelatinæ CC*, *eboris*, &c. ubi autem mediante coctione *liquor deficere* incipit, *recens* semper substituitur in sat largâ quantitate, quoniam post gelatinæ confectionem ulterius semper *evaporari* potest.

Extractio viscoso-ramosi fit mediante *aquâ*, ubi *sola viscosa* extrahenda sunt; sin autem *merè* sint *gummosa* & *glutinosa*, est tantùm *solutio*, quoniam *integra* corporis substantia in eâ dissolvitur *nullis* separatis particulis, nisi fœcibus inutilibus. *Spirituosa* & *oleosa menstrua viscosas* particulas non, quatenus viscidæ & gummosæ sunt, *extrahunt*, sed tantùm *ratione crassiorum ramosarum particularum*, è quibus *viscosæ componuntur*, & quæ poris ramosis convenientes sunt; sic *spiritus vini rectificatus* è mucilaginosis & *viscosis tincturam* quandam extrahit; non verò *glutinosus* & crassus evadit, sed spiritus *phlegmaticus*, quatenus plurimas *viscosas* simul dissolvit, ratione sui phlegmatis *glutinosus* fit; sic & *oleum* recipit particulas *ramosas* sibi convenientes è *viscidis* corporibus; non

 autem

autem *viscidum* & *crassum* redditur. Sola enim *aqua* in causa est *inflationis & dilatationis illarum capsularum ramosarum*, ut in mucilaginem viscosam abeant, quâ negatâ, vel separata, *cessat* ejus corporis viscidítas. Hinc facilè patet, erroneam Pharmacopæorum consuetudinem esse, ut simplicia *plurima magnâ aquæ copiâ* obruant, & repleant, antequam illa *ramosis* adjiciantur *liquoribus* ad *extractionem* inde conficiendam, quasi magis lævia, mollia, & glabra existerent hoc modo præparata, & majorum virium, cum revera *oleum* illud *adjectum*, *quatenus ramosum*, nil aliud extrahat, nisi ipsas particulas *ramosas*; imò hac mediante viâ, & procedendi modo divortium fit plenarium inter *ramosa* & *viscosa* corpora, ut se invicem plane respuant, & *mucilaginem* in fundo sub forma fœcum, *picis* instar nigricantium, rejiciant, oleumque, ut dicitur, & operam perdant; *sequenti* autem modo facilis est eorundem elaboratio, ita, ut vires aliquas communicent *viscosa ramosis*.

℞. Quæcunque simplicia, *mucilaginem* continentia, ut sunt *semina frigida*, & *oleaginosa crassa*, *radices althææ*, *consolidæ maj*. &c. *recentium*, si haberi possint, irrorentur levi quantitate *vini*, *sale tartari impragnati*, & macerentur in B. M. per horas duas vel tres, ad facilitandam imbibitionem, *porosque aperiendos*, ut menstruo postea *facilius* cedant; hisce conscissis, vel leviter contusis, superfunde *oleum conveniens* in s. q., stent in digestione in M. B. per duos, tres, quatuorve dies, vel in sole æstivo, per sex septemve dies, ebulliant deinde in M. B. per horas duas aut tres, ut simplicibus, pleràque suâ humiditate privatis, *oleo* cum *ramosis segregatis* jam corpusculis plenariè uniendo locus cedatur ad *exactiorem mixturam*, quod & in plurimis operationibus Chymicis usuvenit, dein fiat colatura *calida* cum levi expressione.

Hæc simplicium *insolatio*, *vel infusio*, *bis vel ter in eodem oleo* reiterari potest, ut tanto majoribus viribus imprægnetur; si autem simplicia *recentia* non adsint, sicca *humectentur* cum mediâ parte *vini tartarisati*, & mediâ *aquæ* communis, ita ut tantum *humiditatis* absorbeant, quantum fere in statu vegetante, & naturali humido, obtinuerunt, deinde eodem modo procedatur: hæc enim humectatio requiritur, ut calore mediante meatus & interstitia illarum particularum magis *dilatentur*, ita ut oleo expresso per se satis crasso ingressum ulteriorem admittant, quo mediante *secretio & extractio* particularum citius absolvitur; hoc modo *integra* illa simplicia suas *facile* vires communicant, quæ aliàs per inutiles illas *mucagines* rejiciuntur, vel, si aliquas communicent, satis *empyreumaticæ*, & *viribus* genuinis *orbatæ*, sunt.

Un-

Unguenta eodem modo tractari queunt *molliora*, ita, ut non solùm *colorem* genuinum, sed & *odorem* naturalem fragrantissimum obtineant, ut *unguentum Martiatum*, *populeum*, & similia, ut in operationibus latius.

Notandum, *viscosas* particulas, pro *temporis* adhibiti spatio, & *menstruis* variis iis adjectis, *varium* acquirere sœpius statum, ita ut non una eademque ratio sit, quamdiu in *hoc*, *illove menstruo* detineantur viscosa maceranda, coquenda, vel extrahenda: sic enim ad plenariam dissolutionem absolvendam *ichthiocollæ* ad *vina defæcanda*, requiruntur *septimanæ aliquot*, ut *faciliùs* postea vino intimè *permisceatur*, & *fœcibus* illius *intricata* eas ad *fundum* descendere cogat; ècontra verò tenacius & firmius exinde *gluten* fit, si post levem *aliquot horarum* macerationem illa percoquatur, & extempore ad usum applicetur; *fermentativum* enim motum hæ dissolutæ partes tractu temporis ineunt, vincula tenacia magis ac magis infringentem: sic etiam, si *viscosa aquæ ferventi* injiciantur, potius *aduruntur*, & *contrahuntur*, unde *indissolubilia* evadunt, & nullas postea communicant particulas exclusæ aquæ.

CAP. XI.

De præparatione corporum Ramosorum.

R*Amosæ*, quorum textura *magis crassa* & *irregularis* existit, easdem, at *magis artificiosas*, præparationes subeunt: *tenacem* enim ob *cohæsionem* partium, difficiliorem ingressum cœteris particulis externis admittunt in poris & *meatibus* hisce *arctioribus*, unde non tam facilè à quacunque causa, vel occursu aliorum corporum alterantur.

Spirituum penuria, & *submersio in aquosis* particulis, plerumque *retardat motum* hujus vel illius corporis, & plurimas actiones in mutuo corporum occursu impedit, unde viscosa necessario *celeritatem motus* ramosis particulis cedere coguntur, quam & *diutius conservare* videmus ob intricatam texturam, unde per consequens non tantis motibus subjecta viscosa esse queunt, cum *intermedia aqua* actiones vehementiores impedire soleat, & mutuum concursum, collisionemque particularum retardare; ut innumeris experimentis Chymicis patet, ubi *spiritus phlegmatici* quietam admittunt mixturam, & ècontra eadem *menstrua optimè dephlegmata* vi in mutuum amplexum ruunt, sat magnâ præcedente luctâ, ut in oleo vitrioli & terebinthinæ, spiritu nitri & vini, opti-

optimè rectificatis & similibus; sic etiam ramosæ particulæ, spiritu velocissimo gaudentes, facilius alii corpori, cui occurrunt, spiritu heterogeneo prædito, mutuam exaltationem vel depressionem particularum communicant, ut antea in fluiditate & soliditate explicavimus. Viscosa vero facillime alterantur ab *aëre*, *aqua*, & *ex eis orto motu intestino*, (quibus non tam facile ramosa mera obediunt) & sæpius totaliter destruuntur: sed hic tantum agimus de motu ex occursu diversorum corporum faciendo, & oriundo.

Trituratio eorundem *rarissimè præcedente exsiccatione* perficitur, nisi, ubi particulas *viscosas* sibi conjunctas corpus ramosum obtinet, quæ humiditatem avide majorem admittunt, unde *pulverisatio* impeditur. Ob easdem etiam rationes rarius *ramosa plura* inter se invicem conteruntur, *ne diversitas particularum subtilium*, in illis existentium, *triturationem difficilem* reddant, vel planè impediant. Ubi autem *merè ramosa* unctuosa existunt, ad *pulverisationem* facilitandam *pulveres* magis *terrestres & sicci* illis permiscentur, vel simplicia integra, siccis & terrestribus particulis gaudentia, eis adduntur. Sic nux moschata zinziberi, vel aliis, jungitur, ut & semina calida majora, garyophilli, & similia, cum radicibus, corticibus, herbis, vel similibus siccioribus.

Exsiccatio, si perficienda necessariò sit, quoniam vel ab aëris humido, vel locis humore scatentibus imprægnata fuerunt ramosa, fiat *lenissimo calore* solari, vel hypocausti, vel furni tepidi, ne *subtiliores fluidæ* particulæ, in meatibus & poris illis ramosis detentæ, in *motum majorem* concitatæ, potius adurantur & fugentur, quam exsiccentur: *longiori* ergo *tempore* indigent, *quam viscosa*, ob *texturam* partium *irregularem*, ut sunt omnes resinæ, & succi resinosi. Pistillo vehementiori subjicienda non sunt; magis enim in *placentæ formam* adigerentur *absque* ulla *pulverisatione*: vehementi enim illa agitatione particulæ internæ *fluiditatem* quandam adipiscuntur, & *cohærentiam* mutuam partium terrestrium mediante eâdem promovent, ita ut quasi arctius ad se invicem *circumflectantur* molliores factæ, ut solent igne leniori liquefacta; *lævigatio* igitur potius instituenda in mortario *absque* multa *contusione*; ut mastiche, olibanum, gutta gamba, myrrha, & similia; ubi unctuosa & molliora sunt simplicia, pistillum & mortarium *oleo expresso*, vel *amygdalis contusis* leviter illinantur, ne alicubi adhæreant, ut camphora, scammonium, & similia.

Seorsim autem, ut ante diximus, *singula ramosa pulverisanda* veniunt; *Primò*, *ob spiritus interni diversissimam naturam*, quæ varias immuta-

tio-

ctiones ex mutuo illo occursu subire posset: *Secundò, ob texturæ variam soliditatem, firmiorem, vel debiliorem*, cum *hæc diutinam* requirant pulverisationem, illa verò *extempore* in pulverem decidant minima cum agitatione; Tertio, ob *subtilioris spiritus*, & particularum salinarum volatilium è plurimis ramosis sub pistillo exhalationem relicto corpore, viribus suis potioribus spoliato. Convenit igitur talia *cum valde siccis & fragilibus particulis aliis* permiscere, ut citissimè in pulverem abeant; vel sufficit illa in *hyeme*, ubi omnia fragilia & rigida sunt, contundere.

Ramosa, ut ante diximus, cum *spiritu diverso* scateant, inter ea, quæ *spiritu austero & subacido* prædita sunt, *duritiem & soliditatem summam* obtinent, & pro diversitate illius spiritus variat etiam *cohæsio*, ita ut non solùm pistillum vehementius requirant, sed & menstrua sæpius plurima respuant, ut succinum, gummi lacca &c. *Citissimè* autem hujus naturæ ramosa in *pulverem reducuntur*, vel *dissolvuntur*, si primò spiritu suo, & sale superfluo, liberentur mediante *leni liquefactione*, quâ particulæ *fugaces* in *vapores* resolvuntur, cœterasque *magis terrestres*, mortario & menstruis denudatas, *relinquunt*, ut patet in succino. In hac autem præparatione *virium* respectus est habendus, quæ sæpius hoc modo non parum *debilitantur*, & *immutantur*, nisi ubi pro *vernice*, & similibus conficiendis, præparentur.

Coctio igne nudo rarissimè in usum venit in ramosis particulis, ob copiam particularum *terrestrium crassiorum, fundo vasis* citissimè *adhærentium*, & *empyreuma* contrahentium; *admittitur* autem, ubi ramosa expetuntur, particulis *volatilioribus destituta*, incrassante & emplasticâ vi tantùm prædita, ut & ad superfluam *aquæ* copiam evaporandam; sic & mediante *aquâ* adjectâ *empyreuma præcaveri* potest in *coctione*, quæ aqua addenda est *oleo* ante coctionem; alias enim facilè *extravasatur*, vel *crepitare* solet, oleum cum periculo Artificis & jactura olei; nunquam autem ad plenariam humiditatis privationem oleum percoquatur, nisi ob rationes ante dictas.

Jam sæpius innuimus, spirituosas particulas esse varias in oleis: secundum hasce regulas etiam *coctio vel est adhibenda, vel non*: ea enim omnia, quæ *spiritu salino volatili* gaudent *subtiliori*, respuunt omnem coctionem; *Primò*, quoniam citissime fugam tentant; *Secundo*, ob odoris empyreumatici contractionem facilem; *Tertio*, quoniam hæc ramosa præ cæteris facilè texturam integram deturbant, ut in oleo anisi, fœniculi, & similibus patet. Hinc igitur nullo modo coctio *talium* simplicium est admittenda, vel in proprio, vel in alio oleo, nisi *in M.*

B. *Fœtor* autem oleorum facilè corrigitur mediante quocunque *acido*, in digestione oleis adjecto. *Aciditas*, & salium acriorum puncta, in oleis expressis tolluntur, vel infringuntur ad *usum* præcipuè *externum*, mediantibus *salibus calcinatis*, vel *cineribus herbarum*, vel, ut solent pictores, *in vasis plumbeis*, calcem etiam plumbi admixtam obtinentibus; olea illa *in sole* diutius detineantur, donec planè limpida & clara evadant; sic & plumbi ipsius superficies *cuticulâ albâ* obducta & corrosa apparet instar cerussæ, à particulis acidis & austeris in oleo latitantibus. Sic & *extempore* cum omnibus *cretaceis*, testaceis, conchyliis, & calce quâcunque plumbi, sale fixiori gaudentibus, hæc olea *coctioni* committuntur, quæ tamen non limpida permanent; sic olea illa fiunt anodyna, & incrassantia: hinc facilè patet, quare *emplastra* aliqua *magis* detergant & *mundificent*, ubiècontra iisdem additis fere simplicibus, alio modo præparatis, *potius* incrassent & *cicatrisent*, quoniam in illis particulæ acidæ & austeræ promoventur, in hisce autem planè infringuntur; e. g. in diachylo simplici, & diapalma, unde etiam & *coloris immutatio* dependet.

Coctio etiam instituitur in ramosis, ubi *odore genuino spoliare* subjectum, Artificis intentio est: vel, ubi alio quocunque gratiori illud imbuere statuit, depresso vel sublato plane naturali; sic *axungia porcina* cum aquâ odorifera & fragranti repetita coctione imbuitur odore illius, & fœces in quacunque coctione ad fundum deponit, ita ut gratior tam *odore*, quam *colore*, evadat; sic etiam mediante spiritu vini rectificato tinctura & color extrahitur sevi, ceræ, & similium, quæ odore denuo destituta mediante coctione pro *balsamis* inde conficiendis inserviunt. Porro etiam *ad coloranda seva* coctio instituitur, si, e. g. primum res tingens humectetur spiritu vini, ut dilutior evadat, & facilius tincturam suam in coctione deponat: sic cera tingitur cum curcuma, aliaque seva & axungiæ cum foliis vel floribus cujuscunque generis; in qua operatione observandum, ut *post coctionem in M. B. calente detineantur* per horas aliquot, ut omnes *fœces* mediante hac digestivâ liquefactione leviore ad *fundum* subsidere possint, quæ postea refrigeratis omnibus spatulâ deradantur.

Coctio itidem instituitur, ut molliora ramosa *fugatis subtilioribus* particulis *in magis solidam* consistentiam redigantur; sic terebinthina, balsamum copayvæ, & similia, coquuntur ad *pilulas* inde conficiendas.

Extractio ramosorum fit mediante *digestione*, *maceratione*, *vel coctione*, eaque perficitur *menstruis heterogeneis vel homogeneis*.

Ho-

Homogenea menſtrua ſunt vel *oleoſa*, vel *ſpirituoſa*; *oleoſa craſſa* diſſolvunt & extrahunt quidem particulas ramoſas duriores, poris ſuis convenientes, ſed in *minima tamen quantitate* ob craſſitiem particularum propriam, &, quoniam ſpiritus internus ferè tantùm ſufficit propriæ fluiditati retinendæ: ideoque ſœpius talia adduntur, quæ *ſpirituoſioribus*, *& ſalinis volatilibus* abundant *particulis*: ſic *terebinthina quaſi univerſale diſſolvens menſtruum omnium ramoſorum duriorum* exiſtit, unde & *diverſis oleis* adjicitur ad facilitandam unionem & ſolutionem; hinc eſt, quod ferè omnia *emplaſtra*, *unguenta*, & ſimilia præparata, ingreditur; ſic & oleum petræ, terræ, ſimiliaque tenuiorum partium craſſioribus oleis permiſceri queunt.

Colliquatio ramoſorum diſſolutionis videtur eſſe ſpecies, cum illa aliis corporibus, ſubtiliſſimo ſale alcali gaudentibus, objiciuntur, quæ *humidum aëris* admittentia in *liquorem* diffluunt oleaginoſum; hæ verò particulæ, denuo humido illo ſpoliatæ, *priſtinam* induunt ſolidam conſiſtentiam, ut apparet in myrrhâ, benzoë, maſtiche, &c. quæ ſuper albumen ovi, vel bryoniam, vel raphanum excavatum, exponuntur in cellâ.

Menſtruis etiam *heterogeneis* diſſolvuntur, vel fluidiores redduntur gummi-reſinæ ad earundem *depurationem* à fœcibus perficiendam: Hæc autem operatio pro varia intentione Artificis diverſis menſtruis abſolvitur. Sic cum vino, vel aceto, vel alio quocunque liquore ſalino, ſpirituoſove, diſſolvuntur gummata ferulacea, myrrha, bdellium, & ſimilia.

Depuratio itidem perficitur, ubi *vapore liquoris bullientis* reſina in linteolo ſuſpenſa *mollior* redditur, & ferè liquatur, ut poſtea mediante *colatura* à ſegmentis lignorum, & ſimilibus fœcibus, ſegregentur, vel, ut *ſponte* fluidiores factæ reſinæ per linteum ipſum quaſi *filtrentur*, & deſtillentur per deliquium.

Trituratio oleoſa ſimplicia ſæpius permiſcet aquoſis menſtruis & liquoribus; quoniam autem à plurima agitatione globulorum ramoſorum *ſuperficies* illarum particularum *oblonga & lævis* reddita conſpicitur, *albo*, vel ad albedinem vergente *colore*, ſeſe hi liquores compoſiti exhibent, unde *lactis* nomine veniunt, & *emulſiones* appellantur: ob facilem verò alterationem harum partium, jam ferè à ramoſa ſerie in viſcoſam claſſem deſcendentium, plurima aquâ refertarum, non diuturnæ durationis exiſtunt, ſed *extemporaneo uſui* tantum ſunt præparandi.

CAP.

CAP. XII.

De præparatione corporum Terreſtrium.

*T**Erreſtria* ob maximè duras & ſolidas particulas, ſuper ſe invicem accumulatas, *piſtillo* utplurimum ſubjiciuntur, operationeſque ſat vehementes ſuſtinent, quæ tamen *diverſæ* ſunt *ratione ſoliditatis, & cohærentiæ majoris vel minoris.*

Coctio in iiſdem ſæpius adminiſtratur, ubi *ſalinæ particulæ, latitantes* in ipſo corpore, ab externo menſtruo acuato dilatatæ, vires aliquas pollicentur: vel, ubi ſimul adſunt *gummoſæ, aut reſinoſæ* particulæ; tunc enim menſtrua convenientia adhibentur. Sic, ubi ad *ramoſam* vergunt naturam, *ſpirituoſa* adhibentur, ubi ad *viſcoſam aquoſa*, ubi merè *terreſtrem* naturam poſſident, *ſalibus* acuata menſtrua illas imminuunt, & diſſolvunt. Hæc autem corpora, niſi menſtrua obtineant valida, requirunt *ſat diutinam macerationem* præcedentem, antequam diſſolvi ſeſe ſinant: hoc modo ipſa ſæpius *aqua*, quamvis debilis, *particulis ſuis æthereis ſalinis* ibidem latitantibus, ſenſim ac ſenſim diſcerpere ramenta illius corporis, illaque ulterius imminuere ſolet; ut poſtea vires ſat manifeſtas edant, præcipuè, ubi aquâ humectata & conſpurcata talia corpora *aëri libero* objiciantur; ut ipſæ ſubtiliores *ſalinæ, circumvolitantes in aëre*, particulæ ibidem intricari, & actiones ſuas in corpus objectum denſum exſerere poſſint: ſic enim plurima *mineralia*, metalla, & lapides, groſſo modo pulveriſata, vel limata, in *pulverem* tenuiſſimum decidunt, *crocum* in aliquibus dictum, ut e. g.: in Marte, imò & ſæpius *fermentativum motum inteſtinum* hoc modo ſuſcipiunt, ut ſpirituoſas poſtea dimittant particulas, ut in antimonio, ſilicibus, & ſimilibus artificioſe tractatis, patet.

Tritura & Lævigatio ſola locum obtinet in hac corporum claſſe, ut & in omnibus illis, ubi *paucæ ſpirituoſæ, plurimæ rigidæ & terreſtres particulæ*, prædominantur; hæc operatio non eſt levis momenti in hac Arte, ut attenuatæ corporum particulæ facilem admittere queant diſſolutionem, ubi menſtruo fluido occurrunt. Reſpondet *calcinationi Chymicorum, quæ* etiam *nil aliud* eſt, *niſi ſubtilis pulveriſatio corporum duriorum, tam via humida, quam ſicca*, niſi quod à menſtruis ſalinis admixtis immutetur *ſpiritus corporum internus*, & ſæpiùs in totum deſtruatur: *rariſſimè* enim, *vel nunquam*, illis planè privari poſſunt pulveres calci-

ci-

cinati, ubi in hac Arte integra essentia spiritus interni illæsa, quantum possibile, conservatur; attamen in disruptione suorum carcerum aliquo modo *fugam* quidem *tentare* solet, ut patet in odore & subtili halitu simplicium pulverisandorum; sed hic quodammodo *resarciri* potest mediante *aëre*, *rore*, vel similibus, quibus mediantibus revivificationem quasi obtinent, quod solùm de mineralibus, metallis, & lapidibus dictum esto, quæ *spiritum internum acido-sulphureum volatilem* comprehendunt, ut patet in limaturâ quâcunque metallicâ, quæ, etsi centies aëri exponatur, & denuo destillationi committatur, *semper metallicum spirantem odorem* exhibet *aquam*, *tenuiori sale gravidam*. Sed de hisce in operationibus latius.

Post triturationem vulgô præcipiunt Authores *Lotionem*, mediante *aquâ communi* faciendam, ut à particulis grossioribus, & arenulis, liberentur; verùm, quoniam potissimo, vel omni, *sale* interno vivificante *spoliantur*, ideo non absque ratione hæc *Lotio rejicitur*; sin autem *pulvis* expetatur subtilissimus, hoc modo præparatus, sequente modo procedatur:

℞. *pulverem* quemcunque, affunde sat largam *aquæ* quantitatem, & agitetur liquor, ut omnia turbida appareant, dein leviter subsideat, ut omnes *crassiores* particulæ ad fundum descendere possint, hinc effunde à *fœcibus*, in fundo remanentibus, aquam turbidam, fœcibus recentem superfunde, iterato, ut antea, effunde, idque tam diu continuetur, donec *ponderosiores*, & *arenosæ*, particulæ subsideant, decantatæ omnes aquæ linquantur, donec limpidæ pulveri supernatent, aquam hanc per decantationem separa, & pulverem subtilem lentè exsicca *in sole, vel M. B:*, aquam itidem evaporatam pulveri s. a. admisce, ut tenui sale, ibidem delitescente, denuo imprægnetur; hic pulvis erit, ut dicunt, impalpabilis. Hæc operatio circa terras, bolos, & lapides exercetur, & *assimilatur magisteriis Chymicis*. Hæc quoad singulorum corporum diversas præparationes sufficiant.

CAP. XIII.

De Simplicium partibus constituentibus in Mixturâ Naturali.

Primò observandum est, principia tria ante dicta in plerisque Vegetabilium, Animalium, & aliquorum Mineralium, corporibus natu-

ralibus reperiri, ideoque *corpora ſingula*, *diverſa* etiam poſſe *menſtrua* in ſuis præparationibus admittere, quæ non minimam anſam præbent immutandi qualitatem virium, ubi *extractioni vel diſſolutioni committuntur.*

Menſtrua enim adhibita vel *diluunt*, ſi ſint *aquoſa*, aut *exaltant*, ſi adhibeantur *ſpirituoſa ardentia & ſalina volatilia*, vel *deprimunt*, *figunt*, & *retardant*, ſi *acida* exiſtant. Sic & *diverſitas*, majorque ſimplicitas *texturæ particularum extractarum*, *alias* cogitur inire, vel efficere, fermentationes, modificationes &c. ſi cum *aliis ſuccis* exactius miſceantur, quæ paſſim obvia ſunt experimenta in *Chymia & Praxi Medica.*

Secundò, non ſtatim credendum eſt, unum idemque menſtruum *ramoſum* ſufficere omnibus *ramoſis*, *aquoſum* omnibus *viſcoſis*, quodcunque *ſalinum* menſtruum *terreſtribus*, &c. Sed ob texturæ diverſiſſimam figuram ſœpius *haſce* vel *illas* ſaltem patiuntur ab integro corpore *avelli* particulas, *unde* tantum minimâ quantitate colliguntur, *aut* ſucceſſu infidô experimentis debite non reſpondent, aut intacta corpora extrahenda liquores adhibiti relinquunt. Ideoque *mixtura naturalis corporum*, quoniam *plerumque abundat promiſcue omnibus hiſce* intermixtis *particulis*, præcipuè in Vegetabilibus & Animalibus, aquoſum menſtruum ſæpius *viſcoſas & ramoſas aliquas* diſſolvet particulas, ibidem latitantes, & *ramoſum* ex eodem corpore menſtruum *ramoſas & viſcoſas quaſdam* particulas arripiet ob mutuam intricatam cohæſionem, & metamorphoſin, quam facillime acquirunt. *Ab addita* enim *aqua* ſeſe inſinuante interſtitiis corporis *ramoſi*, *fit viſcoſum*; unde facile, niſi exſuperet nimia aqua, *ramoſa* corpuſcula *ramoſis* menſtruis cedunt, & affinitatem priſtinam recipiunt: ut in ſeminibus frigidis &c. patet, quæ per ſe olea expreſſa præbent, macerata autem in aqua communi mucilaginem &c. Prout autem non unus idemque effectus è *vino* eſt ſperandus, qualis ex *ejuſdem ſpiritu* ſubtiliori, ſic vires & hæ, quamvis ejuſdem fere ſint indolis, & ex *iiſdem natalibus* ortum trahant, multum differunt. *Utræque* etiam particulæ *menſtruo aqueo-ſalino* mixtæ & combinatæ excipiuntur: ſic e. g. lignum guajacum reſinoſo-gummoſum decoquitur in *aqua*, *ſale alcali imbuta*, ut punctis illis minimis aqueæ glabræ & flexiles particulæ acuatæ ingreſſum in ipſa ramoſa corpora obtineant, & *limpida* decocta efficiant. Summopere autem *attendendum*, quænam particulæ ſalinæ, ſpirituoſæ, vel aquoſæ menſtrui loco adhibeantur, cum illæ ſœpius vim illorum corporum *adaugeant*, vel

depri-

deprimant: hoc enim modo *antimonium*, *ſpiritu nitri* corroſum, *ſudoriferum & fixum* evadit, ubi ècontra mediante *ſpiritu ſalis emeticum & volatile* redditur; ſic & infuſiones antimonii in *vino* planè alius ſunt efficaciæ, quàm in *aceto*. Idem etiam de *Mercurio*, & ſimilibus aliis metallis & mineralibus, ſentiendum eſt; imò & eadem ſententia valet circa *animalium & vegetabilium diverſas præparationes*, *exaltationes*, *vel depreſſiones* mediantibus liquoribus diverſis addendis, nempe, illa præparata toto ſæpius cœlo differre, ſi cum ſpirituoſis ſalinis acidis, vel alcalicis, vel mere aquoſis, tractentur. Sed hæc paſſim in *meis* occurrunt *obſervationibus* & *experimentis*; imò *medicamentorum miſcela* cum *humoribus noſtris diverſimode* conſtitutis idem teſtantur, ubi per *diverſiſſimas vias* effecta ſua edunt, pro varietate mechanicæ acquiſitæ diſpoſitionis, molem, figuram, & motum, alterantis, de quibus alibi plura diximus.

Menſtrua autem *ramoſa craſſa* planè nullas vel ſaltem pauciſſimas alterationes in diſſolutionibus, & variis operationibus corporum ramoſorum conciliant, ſed illa fere *integra* plerumque derelinquunt, liquori ramoſo quaſi innatantia, niſi ubi *contrarium* planè *internum ſpiritum* admittunt, & extractione mediante plurimas ſegregare faciunt *fœces* tam viſcoſas, quàm terreſtres. Ratio eſt, quoniam *omnes in ſubſtantia*, ſola mediante *digeſtione*, *particulæ* diſſolvuntur in ipſis menſtruis, nullo *motu interno fermentatitio*, particulas illas alio modo diſponente, *ſitumque partium alium inducente*, ibidem conſpicuo; ſic maſtiche, ſandaracha, ſimileſque gummi-reſinæ, integræ in *oleis* tam *expreſſis*, quàm *ſtillatitiis*, facilè abſorbentur; ſin autem hæc corpora *aquoſo* menſtruo acuato committantur ad diſſolvendum, plurimas fœces, & minimam particularum copiam dimittunt; ſuas enim tantummodo, illius *poris convenientes*, partes excipiunt, reliquæ in *fundo illæſa* perſtant cum fœcibus.

Agendi vis in medicamentis, ut paulo ſuperius innuimus, mirificè alteratur, ubi corpora, diverſo modo elaborata, in uſum trahuntur, tam ob *menſtruorum conſortium*, quam *ob differentes à ſe invicem partes exceptas*. Sic *aquoſa extracta citiſſimè operandi* vim obtinent, eamque *cito abſolvunt*, ob facilem *fermentandi*, & diſſolvendi qualitatem, in aliis corporibus fluidis; *ramoſo* autem menſtruo extractæ *reſinoſæ particulæ tardius operantur*, ſed *longiori tempore* perdurant, antequam earum actio plenariè abſolvatur; niſi *ſpiritu copioſo*, inibi diſſolutionem adjuvante, inſtructæ ſint, ut rariores & ſubtiliores exiſtant, ad *fermentativum mo-*

tum magis aptæ. *Tardioris* enim corpora illa ſunt *diſſolutionis*, & pertinaciter reſiſtunt *fermentationibus*, in quibus dein diutiſſimè illæſa perſtant, antequam vehiculo aquoſo uniantur, & motum inteſtinum plenarium ſubeant, unde & aliquando *glutinis* inſtar tenacis, ventriculo vel inteſtinis adhærentis, vomitus, ſeceſſus, vel alia quæcunque ſymptomata, producunt, ut in jalappâ, guttâ gambâ, ſcammonio, opio, &c. patet. *Anatomia* autem ſimplicium facillime perficitur *ſequenti* methodo:

℞. Corticis, Radicis, vel Ligni cujuſcunque, q. v.

Hiſce ſuperfunde primò *aquam*, poſt macerationem debitam coquantur, decoctum coletur, colatura ad conſiſtentiam pilularum evaporet; *fœcibus* ſuperfunde *ſpiritum vini*, digerantur ſimul per duos treſve dies, ut *tincturam* deponant, quam claram evapora; ſic in fundo *reſina* apparebit; reliquæ autem fœculentæ particulæ ſunt merè *terreſtres*, è quibus *ſal fixum* per incinerationem, ſed in parva quantitate, elici poteſt. Notetur autem, *macerationem breviſſimam* requiri, alias multum aquæ, partibus ramoſis ſeſe inſinuans, reſinoſas plurimas partes *perire* facit: imo *ſufficit* aliquando *ſuperfuſio aquæ calidioris*, ad extractionem ſine coctione, vel maceratione, abſolvendam. Sic *primo viſcoſum* mediante *aquâ*, *ſecundò ramoſum* mediante *ſpiritu vini*, extrahitur, *tertiò fœces* tantum ſuperſunt; ſic & *viceverſa* primo reſina, dein gummi ſeparari queunt. Hac autem cum *cautela* tractanda ſunt illa corpora, ut ea, quæ *magis* inclinant ad *viſcoſam* naturam, *primò cum ſpiritu vini rectificato* extrahantur, *deinde fœces* remanentes *cum aquâ* ulteriùs diſſolvantur; *econtra* verò, ubi textura eſt ramoſa, ſufficiet, prius adhibuiſſe aquam, deinde ſpiritum vini, niſi quis tantùm intendat unicas tantùm obtinere *potentiores* ex illo ſimplici particulas; ſic *ſcammonium*, *jalappa*, & ſimilia, primò cum aquâ extractionem aliqualem admittunt, deinde cum ſpiritu vini ulterius ramoſas particulas deponunt; ècontra verò *radices althææ*, & ſimiles, præmiſſam ſpiritus vini affuſionem expetunt, dein decoctionem in aquâ.

CAP.

CAP. XIV.

De Subterraneis.

M*ineralia*, *metalla*, & in genere omnia *ſubterranea*, paucis ſaltem exceptis, rariſſimè haſce omnes ſubeunt *extractiones*, & *diviſiones corporum*, quamvis & varias actiones, & paſſiones ſubeant *menſtruis* mediantibus affuſis. Firmior enim & ſolidior compages particularum, quo magis ab intricato nexu liberatur, ita, ut in *minima ramenta* dividatur, & ſimul vehiculi loco *menſtruum* affuſum obtineat, eo majores inde non raro ſuas producere ſolet vires. Segregantur quidem in aliquibus particulæ *ramoſæ*, vel, quæ videntur aliquo modo eſſe *viſcoſæ*, ſed revera à *texturâ particularum, alio modo mediantibus liquoribus diſpoſitâ*, *figuram* & formam *talem mentiuntur*, cum non raro maximè exaltata talia corpora *priſtinam* denuo *conſiſtentiam* ineant à vehiculis ſuis ſegregata, quamvis, ut ante innuimus, *diverſitas* ſumma plerumque conſpicua ab *additamentis* fiat. Ratio eſt, quoniam ille *ſpiritus*, hiſce particulis junctus, in *mollem* ſimul cum terra minerali vertitur conſiſtentiam, illam in quamcunque partem dirigit, & illi hanc illamve differentem figuram utplurimam inducit mimicam; ſic etiam ſæpius internæ particulæ *fluidæ*, in *corpore hoc minerali* exiſtentes, adjutæ ab externo aëre fluido, illud in *pulverem* vertunt, ubi poroſam ſuperficiem lambens illam ſenſim dividit, eamque in *æruginem*, vel *ferruginem*, vulgo dictam, decidere cogit. *Aëris* autem & cujuſcunque *humidi* ingreſſus impeditus illam læſionem facilè præcavet. Sic oleo quocunque mediante expreſſo, ſevis, & quacunque *pinguedine*, omnis *actio* etiam *ſalium retardatur*, quoniam vel *nullus*, *vel paucus admodum*, *ingreſſus patet ſalibus in ramoſa corpora*, hic tamen penetrant, & vi ſibi viam parant ſalia, omni phlegmate orbata ubi exiſtunt. Hinc non ſemper culpandi veniunt Authores, cum pro voto *ſucceſſus experimentorum non ſemper optatus* fit; ſæpius enim menſtrua, hoc vel illo modo tractata & elaborata, felici vel infelici exitu ſuos Artifices proſequuntur, ut alibi latius.

Pulveriſatio, quæ cum *ſalibus* in metallis, & mineralibus, perficitur, etiam mediante *igne* abſolvi poteſt; ſic plumbum, ſtannum, & ſimilia, mediante ſola *ignis* vehementiâ in *calces* abeunt; in aliis autem metallis pulviſculi ulterius attenuati mediante igne *croci* dicuntur, ubi in pulverem

levem mediante reverberio flammæ abeunt. Hi pulveres autem omnes, quocunque modo tractati, *priſtinam* reaſſumere poſſunt *metallicam naturam*. *Salia* ergo, & *ignis*, nil aliud ſunt, niſi *piſtilla Chymicorum*; *fumus* itidem & *vapor* acris, metallicæ ſuperficiei allidens, illam lædit, & in minutum *pulverem* decidere cogit; ſic & *vapor Saturni*, *& Mercurii halitus*, vel in propria ſubſtantia adhibiti, agunt.

Lævigatio ſuper porphyritem, vel molam philoſophicam, in hiſce Galenicam calcinationem abſolvit; ubi *aëreo ſale & aqua* per *circumgyrationem diutinam* imprægnantur, & *ſalia interne latitantia* per diſſolutionem & diviſionem cellularum & ſuperfiecularum in apricum educta, aliquando *liquores* illius *metalli*, vel *minerales* potabiles, efficiunt. Unde, quo magis fuerint lævigata, eò magis efficacia, & *crocis Chymicis* non ſolum *æquiparanda*, verum ſæpius *præponenda* exiſtunt ob plurimas rationes, nempe *primò*, quoniam *pauciſſimas* admittunt *miſcelas ſalinas* extraneas; *ſecundò*, ob *contextum* mechanicum minimarum *ſuperficiecularum minus læſum*, quam in Chymicè calcinatis; *tertio*, ob *magis aſſervata interna ſalia*, particulaſque mobiles & fluidas; *quartò*, ob *perſtantem diſſolubilitatem*, & reactionem cum acidis, quas *non æque* conſervant *Chymicâ* torturâ parata &c.

CAP. XV.

De ſimplicium variâ Alteratione in Mixturis.

HÆc præcedentia, quoad *methodum generalem ſimplicia præparandi*, ſufficiant; jam autem *variam* ſimplicium actionem & paſſionem ab *occurſu aliorum corporum* in mixturis perſcrutabimur.

Naturæ curioſiſſimus Artifex, in tam copioſa ſimplicium farragine, divinum ſuum artificium ubique ob oculos ponit in diverſis eorundem non ſolùm *externis* accidentibus, ſed *præcipuè internis*, quæ tam intricata ſunt, ut altius abſtruſa eorundem textura nobis abſolutam & omnimodam penetrandi ad *interiora* ſpem in pleriſque adimat, cum innumeræ immutationes, & labyrinthi plus quam Dædalei ibidem nobis obvient in quacunque corporum anatomiâ. *Ramoſa* enim à *ramoſis* differunt, *viſcoſa* & *terreſtria diverſiſſimam* ſæpius à ſe invicem *figuram obtinent*, ita ut ejuſdem claſſis ſimplicia reſpuant hanc mixturam, quam alia ejuſdem ſpeciei corpora haud difficulter admittunt. Hæc varietas, ut diximus, tam à *ſuperficie diverſâ*, quàm à *figurâ pororum & mea-*

tuum

inum dependet; sic *aurum* requirit salia non solùm acida fluida, sed suo modo *peculiariter disposita* ad ingressum in poros illius obtinendum; *argentum*, plurima acida respuens, solam fere aquam fortem admittit; *antimonium* pro diverso scopo Artificis diversa requirit salia: ut pro *regulo* conficiendo *salia lixiviosa*, ut & pro aurati *sulphuris* ejus extractione; pro *fixitate* autem ejus adjuvandâ requirit *salia acida & muriatica nitrosa*. *Euphorbium*, cœteraque vegetabilia, sale acri caustico interno gaudentia, expetunt *salia fluida acida*, quæ *vires* eorum *obtundere*, & quodammodo *figere* illorum *activitatem* queunt, ut in *cantharidibus*, aliisque insectis, patet. Sic & plurima dantur, quæ *cuivis fere liquori* cedunt, ut *cuprum*, *ferrum*, plumbum, &c. quæ ferè omnibus salibus obviis imminuuntur, unde postea & ramosis, & aquosis, obedire solent menstruis.

Dantur etiam plurima corpora *ramosa*, quæ, sepimentis & *involucris* obsessa, *ingressum* menstruis, vel aliis quibuscunque particulis, *denegant*, ubiècontra hisce *sublatis* facilem læsionem & *dissolutionem* particularum *admittunt*; sic *succinum per se* solum admittit *menstruum spirituosissimum*, omni phlegmate orbatum, ad suam dissolutionem; *facilè* autem ab omnibus aliis *ramosis* excipitur, si mediante *liquefactione* ab austeris salinis particulis liberatum fuerit: sic *benzoin* in *flores* redactum cuivis *menstruo spirituoso & ramoso* paret, *gummi lacca* reliqua ferè omnia ramosa crassa menstrua respuit, *spiritum* verò *ardentem dephlegmatum ambit*.

Est & alterum *ramosorum genus*, quod abundat particulis *viscosis*, circumcirca *resinosis ambientibus* & involventibus, quibus tanquam tegumenti loco inserviunt; hæc corpora requirunt *menstrua intermedia*, quæ plerumque adhibentur non ad totalem *dissolutionem*, sed potius ad *depurationem*, nisi quis separationem particularum instituere velit mediantibus diversis menstruis: sic *gummi sagapenum*, *ammoniacum*, &c. dissolvuntur in *aceto*. Illud enim obiter notandum venit, *depurationem* posse fieri menstruis *heterogeneis*, *dissolutionem* autem & *extractionem* requirere menstrua *homogenea*; præcipuè in *gummi-resinis* locum obtinet *depuratio* ita dicta; nam & dissolutiones & extractiones depurationes dici possent. Hinc nempe *duplicia* talia *simplicia* prostare solent, vel quæ *naturaliter pura* existunt, ut *storax calamita*, *sanguis draconis*, &c. *in guttis* dicta, vel quæ *fæcibus & sordibus inquinata* existunt, ut illa, quæ vulgariter prostant. Ad *solutionem* autem plenariam & *extractionem* faciendam requiruntur hæc *tria*:

Pri-

Primò, ut menstruum præditum sit particulis valde *fluidis* & *mobilibus*, ita ut *motum* aliqualem etiam aliis corporibus illi objiciendis impertire, illaque in *fluiditate* retinere possit.

Secundò, ut *particulis & poris convenientibus* tam corpora dissolvenda, quàm menstrua sint prædita, ex: gr: menstrua *particulas subtiles, acutas, & aliquando rigidas*, obtinere debent, ut poros corporum *irregulares* penetrare possint, particulasque à mutua cohæsione divellendo interstitiis suis accommodare postea faciant.

Tertiò requiritur *clara* & perspicua post subsidentiam fœcum *tinctura*, quæ signum est veræ solutionis & separationis particularum impuriorum à purioribus. Omnes ergo operationes, quæ ab hac differunt, *depurationes* tantùm *superficiales* dici queunt.

Tertium genus ramosorum est, quod solis obedit menstruis *oleosis crassioribus*, vel *subtilioribus*, respuens fere omnes alios liquores *spirituosos*, qui aliquando *nullam vel exiguam* saltem portiunculam attingunt, ut sunt gummi elemi, mastiche, thus, olibanum, & similia, nisi spiritus sit ab omni phlegmate liberatus.

Notandum est præcipuè in hisce simplicibus, *terebinthinam* tanquam *menstruum* existere *universale*, tam ad *solutionem*, quàm ad *mixtionem* faciendam illorum corporum; imò plurima dantur in hoc genere *resinosa*, quæ *terebinthinæ* consortium immediatum expetunt, antequam ullo modo dissolutiones ulteriores admittere velint: sic *gummi copal* primò dissolvi debet in *terebinthinâ*, alias *difficilius* cum aliis *oleis* permisceri sese sinit absque empyreumatis contractione.

Datur etiam maxima *differentia*, *quibusnam oleis hæc corpora dissolvantur*, quoniam, ut antea diximus, internæ particulæ mutuam *destructionem* sæpius admittunt, vel crassities mutua particularum corpus crassum & iners relinquere videtur ad balsamicam accedens naturam; sic *sulphur* in oleo lini coctum induratur, in oleo raparum & terebinthinæ debita proportione coctum & admixtum molle & fluidum permanet. Imò & *color* observandus venit; sic illa, quæ in *M. B.* dissolvuntur, *magis clara* & limpida existunt, ècontra, quæ *igne aperto*, *flavedine* aliqua plerumque tincta apparent ob faciliorem partium adustionem.

Quantitas corporum *dissolvendorum* respectu menstruorum dissolventium est varianda; sic oleis crassis *octava* vel *decima* tantùm *pars* est addenda corporis solidi, in tenuioribus oleis & magis fluidis latitare queunt corpora densiora in *quartâ*, *tertiâ*, vel *mediâ parte* respectu men-

menſtrui, imò aliquando majorem, aliquando minorem copiam admittunt.

Ultimum horum genus eſt, quod ſolis *ſpirituoſis* mediante *fermentatione paratis* menſtruis obedit. In hoc genere, ſicut & in reliquis, magna datur *differentia menſtrui adhibendi.* Sic aliqua corpora requirunt menſtrua intermedia, *phlegmate pauco* imbuta, ut jalappa, guajacum, & ſimilia, pro *reſinis* inde conficiendis; alia autem reſpuunt *omnem aquam*, & ſolum *ſpiritum ſubtiliſſimum* expetunt, ut ſunt gummi lacca, benzoin, ſuccinum &c.

In *ſpiritu ſubtiliſſimo* etiam *olea* diſſolutionem admittunt, & omnia ferè ramoſa recipit & extrahit ſpiritus ſubtiliſſimus, præcipue alcaliſatus: ſi autem ullo modo *phlegmaticus* fuerit, nullus ſucceſſus inde eſt optandus.

Junguntur & *ramoſa aliis* corporibus mediante diſſolutione, quæ conjunctio *triplici modo* fit:

Primò mediante *ſale alcali*, ubi particulæ illæ rigidæ poros ramoſorum corporum perterebrant, ita, ut eorum *interſtitia majora* reddantur, unde ingreſſus *aquoſo* menſtruo poſtea patet, ut in *ſapone* conficiendo obſervatur; imo hiſce mediantibus *alcalicis* particulis, debito modo dilutis, & artificiosè præparatis, lege artis in *fermentationem & motum* rapi poſſunt ramoſa, cui aliàs pertinacius reſiſtunt.

Secundò mediante *ſaccharo*, ubi nempe ramoſa fluida, plerumque ſtillatitia, in eo excipiuntur & in *pulverem* reducuntur, qui pulvis *elæoſaccharum* nominatur, quaſi oleo-ſaccharum diceres.

Tertiò mediantibus quibuſcunque *pulveribus viſcoſis & terreſtribus*, qui particulas illas ramoſas & oleoſas abſorbere queunt in trituratione, ut poſtea cum eo aliis menſtruis permiſceri poſſint.

Quartò etiam mediante *ſpiritu vini*, qui illas particulas diſſolvens, & in minimas guttulas imminuens, eas aliis liquoribus ſæpius inſtar *lactis* innatare facit.

Terreſtria, prout de hiſce vel illis particulis *ramoſis vel viſcoſis* participant, hoc vel illo modo tractari debent; ſin autem *merè rigidas, duras, terreſtres*, particulas poſſideant, vel ſoli *triturationi, vel calcinationi*, obediunt; illa autem, quæ triturationem reſpuunt, *ſulphuris vulgaris* adminiculo plerumque imminuuntur, adeo, ut facilè poſtea in *pulverem* ſubtilem abeant, ut in metallis præparandis patet, v. g. in plumbo, & ære uſto, croco Martis, & ſimilibus, ita, ut *ſulphur quaſi generale diſſolvens* reſpici poſſit *in hoc genere particularum.* *Plenaria* autem *ta-*

lium corporum *dissolutio requirit menstrua fluida salina*, ut acetum, omphacium, &c., ut latius in Chimiâ patet.

CAP. XVI.

De Qualitate corporum immutandâ & alterandâ.

CUm plurima dentur *simplicia*, quorum particulæ subtiles internæ *noxiâ* qualitate præditæ sunt, illæ correctione aliquali indigere videntur, ita, ut ferocia earundem mitigetur; sic etiam, si intentio sit, *vires debiles*, & quasi prostratas, resuscitare, vel ferociam particularum exaltare, & acredinem earundem intendere, mediantibus *additamentis*, quæ *vehiculi loco* inservire queunt, illud absolvi potest. Hoc modo *vires* quorundam simplicium *mitigantur*, addendo *contrarias* aliquas *particulas*, quæ hasce ibidem latitantes figere, & in motu suo coërcere possunt; sic *cantharidum* sal acre cicuratur mediante aceto, spiritu *nitri*, vel quocunque acido: hoc modo *scammonium*, fumo sulphuris imbutum, innoxium evadit; ita etiam *euphorbii* acres calidæque particulæ à spiritu vitrioli, succo limonum, & cœteris acidis affusis tolluntur, ne tantum ardorem concilient. Econtra *aciditas* plurimorum simplicium *infringitur* additamentis particularum *terrestrium*, & *salibus alcalicis*. Sic etiam *agendi qualitas nimium intenditur additione* aliarum particularum *acrium*, quæ corrosivam & venenosam illius corporis qualitatem augere queunt, ut in Mercurio, antimonio, & similibus patet, quæ additamentis quibusdam salinis ita acuuntur, ut caustica & deleteria facultate prædita summè *noxia* evadant, internumque usum dissuadeant, nisi aliis denuo præparationibus, vel additamentis ferociam suam deponant.

Non autem semper additamenta & præparationes hæ *successum* speratum producunt, quoniam sæpius illa simplicia per se satis *innoxia*, viribus suis & efficaciâ maximâ spoliantur, ut & *agendi vis plenariè* aliquando tollatur.

Dantur etiam alia *præparationis* genera, quæ qualitatem manifestam simplicium *alterare*, & sæpius *immutare* solent; sic plurima, *fermentatione* mediante, aliâ facultate imbuuntur, ut theriaca, Mithridatium &c. Alia, arctius sibi invicem unita, *ab omni fermentatione prohibentur*, ut trochisci, lapides artificiales, & similia; imò & plurimi *pulveres* valde viribus discrepant pro *ætate* sua, id est, si vel recentiores sint, vel

vel antiquiores, quoniam *exhalationem* plurimam admittunt ſæpius in ipſa pulveriſatione, vel *ſitum* temporis tractu contrahunt, & particulas ſubtiliores amittunt. De hiſce autem in operationibus latius.

CAP. XVII.

De Compoſitione Medicamentorum.

Compoſitio eſt *debita ſimplicium, debitò modò præparatorum, aſſociatio, ut medicamentum inde, è diverſis conflatum, tanquam unum ſimplex, appareat.*

In *Compoſitione* Medicamentorum ſunt obſervanda

1. *Unio* partium, mediante ſolutione corporis duri in poris convenientibus corporis fluidi.

2. *Conjunctio* partium heterogenearum, quæ coguntur ſibi invicem adhærere, mediante corpore quocunque ramoſo, vel viſcoſo, vinculi loco cœteris exiſtente.

3. *Modus intermedius*, id eſt, ubi partim uniuntur, & partim junguntur ſibi invicem mediantibus particulis magis fluidis, cœteras ſolidas excipientibus.

Hiſce ergo tribus omnis conſtat compoſitio.

Unio plerumque locum obtinet in *liquidioribus fluidis*, & transparentibus compoſitionibus, ut ſyrupis, oleis, & ſimilibus quibuſcunque præparationibus, ubi nempe ſolida in fluidis latitare & innatare coguntur.

Conjunctio ſtrictè ita dicta, ut & *illa*, quæ fit *modò intermedio*, in cœteris *ſolidioribus* medicamentorum formulis occurrit, ubi partim ſibi invicem uniuntur corpora, partim miſcentur, partim mutuo nexu cohærere coguntur, in trochiſcis, pilulis, emplaſtris, unguentis, & ſimilibus.

De *pulverum Compoſitione* nihil eſt, quod agamus, quoniam *mera* eſt *congeries corpuſculorum, ſeorſim in mixtura ſubſiſtentium, abſque ullo artificio confuſa, niſi tantum, ut ſingula corpora debito modo tractentur, ut in pulverem abeant*, quod in ipſis operationibus patebit.

CAP. XVIII.

De Syrupis.

Syrupi sunt *medicamenta liquida, è saccharo confecta.*

Hi triplicis dantur *generis* pro diversâ simplicium, è quibus præparantur, constitutione & naturâ, quæ *vel* ipsâ *afficiuntur*, *vel afficiunt saccharum.*

Primi generis sunt *Syrupi acidi.* In hisce *duo* observanda veniunt; *color* nempe, & *consistentia. Color* sacchari ab acidis particulis plerumque intenditur: cum enim saccharum plurimis *ramosis* abundet particulis, facilè in apricum producuntur mediantibus quibuscunque ferè *salibus*, præcipue, si motum & agitationem majorem cum illis sustineat: *præcipitationis* enim aliqualis specimen efficiunt *acida cum sacchari* particulis subtilioribus *salinis*, unde particulæ terrestres ramosæ, è latibulis suis propulsæ, magis manifestæ fiunt; (hasce autem particulas *acriores* plurimas existere in saccharo, & quibuscunque ferè dulcibus, manifestè arguit Chymia: *oleum* enim *fœtidum*, & *spiritum acerrimum è saccharo* & similibus per *destillationem* exhibet, pluribus mineralibus spiritibus vix cedentem,) hinc *irregularem* acquirendo figuram, *poros indirectos*, & magis obliquos, efficiunt, unde in rubrum & magis flavum degenerant colorem. Inde Chymici occasionem sibi arripuerunt, *tincturam è saccharo* hoc modo præparato, extrahendi, quæ revera nil aliud est, nisi *modificatio particularum sacchari mediante acido*, *non autem plenaria segregatio*; quemadmodum & in plurimis aliis tincturis hallucinari solent. Præcavetur autem sequente modo: si saccharum ad consistentiam tabulati primò redigatur, postea ab igne remoto saccharo, & leviter refrigerato, acida infundantur: sic enim *minori motu* præditæ particulæ, *minorem* etiam & leviorem *vim* saccharo inferunt. Hæc autem tantùm de hisce *Syrupis* intelligenda sunt, quæ *nullo colore* præditi esse debent, & limpidi requiruntur; in illis verò, ubi non interest, *sintne tincti, vel non*, vel, ubi acida ipsa tincturam obtinent, *coctionem* mutuam facilè sustinere queunt ad consistentiam debitam.

Clarificatio succorum acidorum per subsidentiam fieri debet.

Hoc modo *sequentes Syrupi* præparantur *acidi*;

Pri-

Prima Syruporum Classis.

Syrupus Limonum.

℞. *Sacchari purissimi* ℔iij.
Aq. communis q. s.
Coquantur simul ad consistentiam tabellati, dein ab igne remotis sensim adde
Succi Limonum recentis, q. s. M. fiat s. a. agitando *Syrupus.*

Nota in hisce, & sequentibus *Syrupis*, si expetantur fortiores acidi vires, in *M. B.* ad *tertiæ partis exhalationem acidus succus committatur*, imo & *ulterius* concentrari potest exhalatione sui phlegmatis.

Si *nobiliores* è *Limonibus*, Aurantiis &c. expetantur vires, mixto & confecto tepenti syrupo insperge succi *recentium* corticum aliquot guttulas.

Eodem modo ex *Aceto*, & *quovis acido succo* recenti, syrupi fieri queunt.

Vires.

Refrigerat, cardiacus est, sitim & inflammationem levat.

Syrupus Acetosæ.

℞. *Sacchari clarificati, ad consistentiam tabellati percocti*, ℔iij.
ab igne remoto adde
Succi Acetosæ, ad medias in M. B. evaporati, q. s., M. f. s. a. *Syrupus.*

Vires.

Sitim compescit, leniter refrigerat & incrassat, febribus ardentibus convenit.

Hoc modo etiam fiunt *Syrupus Agrestæ*, *Cydoniorum*, *Granatorum*, & similes, qui omnes refrigerant, & blande astringunt, ventriculum corroborant, putredini resistunt, & cardiaci sunt, præcipuè in morbis, à causâ calidâ, & *motu nimio sanguinis* originem trahentibus.

Notetur in hisce *Syrupis* præcedentibus, illos debere esse consistentiæ *satis crassæ*, non nimis liquidæ, præcipuè, si in vasis non arctè clausis reservandi veniant, quoniam acida ad modum omnium *salium* aëris humidum facilè admittunt, unde nimis liquidum & fermentabilem *Syrupum* redderent.

Secunda Syruporum Classis.

Hujus generis sunt *Syrupi*, qui conflantur è simplicibus, *odoriferis volatilibus* particulis donatis; hi *diligentiori* methodo elaborandi veniunt, ut particulæ *fixiores volatilioribus non destituantur* in ipsa præparatione; simul etiam, ut *Color*, *Odor* & *Sapor*, quantum fieri potest, integra *asserventur*. *Duplici* plerumque fiunt methodo, merâ tantùm *infusione & maceratione*, vel *coctione & destillatione*,

Infusio & maceratio in floribus plerumque tantùm celebratur, præcipuè, ubi textura particularum valde tenuis existit, ita, ut à quocunque *fortiori motu* colorem & odorem sœpius citissimè evanidos obtineant, vel, qui & facillimè alterentur à quâcunque *causâ externâ*. Illud plerumque observandum est in floribus *cœruleis*, utpote qui color quàm *celerrimè evanidus* est, & alterationes varias suscipit; in quâ confectione etiam attendendum est, quinam liquores adhibeantur, quoniam aqua putealis ob salsedinem ei permixtam *in viridem* declinare facit colorem, aliaque salia, vel salino succo imbuta menstrua, illos flores exhibere faciunt *rubrum purpureum*, vel alium quemcunque colorem; *Coctio* autem & odorem & colorem planè immutat, ideoque *sequenti modo* procedatur:

Syrupus Violaceus.

℞. *Flor. Violarum q. v.*

Mundentur à caliculis viridibus, hisce superfunde

Aq. pluvialis coctæ q. s.

ut bene humectentur, stent in B. V. per sex, vel octo horas, dein fiat colatura, cujus

℞. *s. q.* & immisce *sacchoro, ad consistentiam tabellati percocto*, ut s. a. redigantur in *Syrupum.*

Nota, si recipiatur loco Aq. pluvialis aqua stillatitia radicum iridis Florentinæ, fragrantissimus evadit *Syrupus*, sed non in tantum refrigerat.

Vires.

Refrigerat, acrimoniam humorum temperat, bilem compescit, thoraci & cordi convenit.

Eodem modo conficitur *Syrupus florum Cyani*, & similium.

Secundus modus *Syrupos* è volatilibus conficiendi *sequens* est, ut mediante

diante *coctione* per alembicum particulæ subtiliores volatiles abstrahantur, colatura deinde, *albumine ovi* clarificata, percoquatur cum sacharo clarificato ad consistentiam duriorem; hisce postea adde aquam stillatitiam spirituosam, ut in *sequentibus* patet.

Syrupus Artemisiæ Fernelii.

℞. *Rad. Fœniculi,*
Helenii,
Iridis,
Levistici,
Pœoniæ,
Rubiæ tinctorum à ℥ß.
Herb. Artemisiæ Mij.
Betonicæ,
Calaminthæ,
Chamædrios.
Chamepithyos,
Hyssopi,
Hyperici,
Majoranæ,
Matricariæ,
Melissæ,
Nepethæ,
Origani,
Prasii,
Pulegii,
Sabinæ, ana Mj.
Sem. Anisi,
Dauci,
Fœniculi,
Nigellæ,
Ocimi,
Petroselini,
Rutæ, an. ʒiij.

Contundantur & incidantur grosso modo, dein macerentur per duos dies in s. q. Hydromellis Vinosi *dilutioris*, postea per M. B. separetur *aqua spirituosa*, quâ seorsim exceptâ reliquiæ ulterius coquantur s. a., colatura cum sacchari libris quinque percoquatur in Syrupum crassum, ut postea per-

permiſceri queat aquæ ſpirituoſæ, in quâ *Cinnamomi* ℥j., *Spicæ Indicæ* ʒiij. tincturam & vires depoſuerint mediante digeſtione.

Vires.

Menſes movet, obſtructiones reſerat, hyſtericis, epilepticis, & paralyticis convenit.

Syrupus Stœchados.

℞. *Flor. Stœchados* ℥iv.
Herb. Betonicæ,
Calaminthæ,
Origani,
Thymi, an. ℥iß.
Salviæ,
Flor. Roriſmarini, an. ℥ß.
Sem. Fœniculi,
Pœoniæ,
Rutæ, an. ʒiij.

Macerentur in ſ. q. Hydromellis per 24. horas, dein *deſtillationi* committantur *in M. B.*, ut *aqua* merè *ſpirituoſa* abſtrahatur, dein procede, ut ſuperius, addendo *ſacchari, mellis optimi an.* ℔ij.

Vires.

Nervoſo generi convenit, affectibus frigidis ſuccurrit; tenuium eſt partium. epilepſiæ, ſpaſmo, & capiti conducit.

Tertia Syruporum Claſſis.

Simplicia, *tenuiori ſulphure, & ſale volatili oleoſo* abundantia, poſt leviorem partium craſſiorum extractionem, & coctionem in M. B. abſolvendam, requirunt ad majorem virium energeiam, *olea ſua ſtillatitia*, rite, ut ſequitur, permiſcenda.

Syrupus Carminativus.

℞. *Lign. Saſſafras.* ℥iß.
Macis,
Nucis Moſch., an. ʒij.
Sem. Aniſi,

Fœni-

Fœniculi,
Carvi an. ℥iß.
Herb. Menthæ, Miij.
Corticum Arantiorum, ℥ij.
Sem. Leviſtici, ʒiß.

Contundantur omnia groſſo modo, & infundantur in ſ. q. *aq. Fœniculi, Menthæ, æqualibus partibus*, macerentur ſimul per aliquot horas, dein leviter ebulliant in M. B, fiat colatura, quæ *ſacchari clarificati, & ad conſiſtentiam tabellati percocti*, ℔v. permiſceatur abſque *coctione*; Syrupo confecto adde

Ol. Cort. Arantior.
Menth.
Carv.
Fœnicul.
Aniſ.
Gariophill. an. gtt. ij.

in ſaccharo prius excepta, & pulveriſata.

Vires.

Flatus diſcutit, ventriculum roborat, affectibus frigidis convenit; quibus major olei copia placet, eam addere pro lubitu poterunt.

Quarta Syruporum Claſſis.

Quæcunque *ſpiritu ſubtiliori*, ſalem volatilem æmulante, ſcatent, *caloris* vim ſine partium maxime agilium *jactura* non perferunt: ideoque *ſucci* herbarum humidiorum expreſſi cum ſufficienti quantitate ſacchari in *Syrupum* coguntur abſque *coctione*, ut ſequens *Syrupus* demonſtrat:

Syrupus Cochleariæ.

℞. *Sacchari optimi, ad conſiſtentiam tabellati coct.*, ℔iv.
Succi Cochleariæ recenter expreſſi, q. ſ.
Aquæ ſpirituoſæ Cochleariæ, octavam circiter partem reſpectu ſucci.

Miſceantur ſ. a. in *Syrupum.*

Vires.

Antiſcorbuticus eſt ſpecificus, acidis humoribus in corpore oberrantibus prodeſt ſuo ſale tenui volatili.

Eodem modo poſſunt parari *Syrupi ex omnibus ſcorbuticis herbis, & ſuccu-*

ſucculentis odoriferis plantis, ut borraginis, menthæ, betonicæ, beccabungæ, meliſſæ, majoranæ, & ſimilium.

Quinta Syruporum Claſſis.

Odorifera vegetabilia non raro tantùm *olei* & *ſpiritus* præbent *volatilis*, quantum ſufficit ad *Odorem* & *Saporem* (unde potiſſima eorundem effecta) *tenuem & gratiorem* ex illis plenariè obtinendum: è quibus (relictis auſteris terreſtrioribus particulis) dein ſolis *Syrupi* conficiuntur. Præparantur autem ex meris *aquis fragrantibus ſtillatitiis*, ſale ſulphureo acri vel acidiori volatili inſtructis, unde frigidæ, temperatæ, aut calidæ nuncupantur. *Julepi* vel *Julapii* nomine penes Authores inſigninntur, & revera nil aliud ſunt, niſi *Syrupi*, è tenuioribus ſpirituoſo-aquoſis particulis cum ſaccharo conflati, ut ſequitur.

Julapium Roſaceum.

℞. *Sacchari puriſſimi, ad conſiſtentiam tabellati cocti*, ℔ij.
Huic admiſce
Aquæ roſarum fragrantiſſimæ q. ſ. M.
& agitando in conſiſtentiam Syrupi diluti redige.

Vires.

Leniter refrigerat, cardiacum eſt, & thoracicum.

Eodem modo fieri poſſunt *julapia ex aquâ violarum*, & ſimilium. Hi *Syrupi* potentiores fiunt, ſi proprium *oleum* ſaccharo exceptum iis admiſceatur, vel *aqua ſpirituoſa.*

Syrupus de Cinnamomo.

♃. *Ol. Cinnamom. gr. x.*
Sacch. cand. alb. ʒij.
M. exactè in mortario, hunc pulverem immiſce *Syrupi* ſacch. cand. libræ uni, fiat ſ. a. *Syrupus* ſuper levem calorem B. V. agitando, donec mixta ſint.

Alter etiam datur modus hoſce *Syrupos* conficiendi, ut ſequitur:

Syrupus de Corticibus Citri eſſentificatus.

℞. *Aq. ſtillatitiæ fortioris Corticum Citri* ℥x.
Corticum Citri recentium exteriorum ℥ij.
Digerantur ſimul per 24. horas, dein clarum à ſpiſſo ſeparetur, huic adde

Succi

Succi Citriorum recenter expressi ℥ij.

Sacchari, ad consistentiam debitam percocti, q. s.,

ut cum præcedentibus liquoribus in *Syrupi* consistentiam redigi queat absque *coctione*; ultimo adde *Syrupo* jam confecto

Elæosaccharum Citri, è guttis vj. vel viij. Olei recentis Citri confectum M. f. *Syrupus.*

Vires.

Temperatus est, cordis affectibus summopere conducit, flatus discutit.

Syrupus Caryophillorum.

℞. *Aq. lactescentis stillatitiæ Caryophillorum* ℥x.

Caryophillorum, grosso modo contusorum, ℥j.

F. s. a. tinctura, dein adde

Sacch., ad consistentiam tabellati redacti, q. s.,

ut agitando cum tincturâ illâ clarâ in *Syrupum* abeat.

Vires.

Stomachicus est, omnibus nervosis partibus convenit, & morbis, è frigore ortis, conducit.

Notetur, omnes hos *Syrupos* arctius occlusos debere reservari.

Sexta Syruporum Classis.

Quæcunque tam *arcte ligata*, & undique circumsepta, retinent *salia*, vel *spirituum penuria debiliora* existunt, ut effluvia coerceant, vel insufficientia obtineant, illa inodora existunt: hæc enim densiori textura particularum gaudent, & plerumque *ramosa crassa, viscosa aut terrestria* sunt, sale acido-austero imprægnata. In *tres species* dividemus eos.

Sub *prima* comprehendemus eos, qui è floribus & fructibus *fixioris* qualitatis conficiuntur, & vulgò ad *acidum austerum* inclinant saporem.

In *secunda* illos recensebimus, qui è foliis *mucilaginosis* præparantur simplicibus.

Tertia species exhibebit *Syrupos, è crassis, ramosis, resinosisque* simplicibus conflandos.

Primæ species simplici *maceratione, coctione, expressione, & clarificatione*, contenti sunt in sua præparatione, *methodo* planè vulgari, præci-

cipuè, ubi è ſimplicibus ſiccioribus tales *Syrupi* præparandi veniunt, ut in ſequentibus patet.

Syrupus Cichorei cum Rhabarbaro.

℞. *Rad. Apii,*
Aſparag.
Fœnicul. an. ℥ij.
Herb. Cichor.
Endiviæ ſativæ,
Taraxaci, an. Mij.
Fumariæ,
Hepaticæ,
Lactucæ,
Lupulorum,
Sonchi lævis, an. Mj.
Capill. Vener.,
Hord. integri an. ℥i. ß.
Fruct. Alkekengi,
Glycyrrizæ raſ. an. ʒvj.

Coquantur ſimul in ſ. q. aq. poſt debitam macerationem, deinde clarificat. colat. adde
Rhab. electi ℥iv.
Spicæ Nard. ʒij.

Coquantur denuo leviter in M. B. vaſe accuratè clauſo per horas circiter duas, donec nempe omnis fere tinctura rhab. exhauſta fuerit, coletur denuo, & per ſubſidentiam clarificetur, decocto claro adde *ſacch. alb.* ℔iv. ut unicâ ebullitione in conſiſtentiam Syrupi reduci queat; aut, ſi ita viſum fuerit, denuo nodulus cum recenti rhab. & ſpicâ infundi poterit.

Vires.

Leniter bilem purgat, & vulgatiſſimi eſt uſus pro infantibus, aliiſque debilioribus; leviter etiam refrigerat. Doſ. ab ℥ß. *ad* ℥ij.

Syrupus Catholicus purgans.

♃. *Scammon. pulveris.* ℥ß.
Huic ſuperfunde
Aquæ calentis q. ſ.

Agi-

Agitentur ſimul, donec aqua lacteſcat, hanc effunde, fœcibuſque recentem affunde tamdiu, donec albeſcere deſinat aqua ſuperfuſa; Aquis hiſce confuſis, ad fervorem redactis, affunde

Fol. ſennæ opt. ℥iij.
Agaric.
Rhabarb. an. ℥ij.
Sem. 3. calid. major. an. ℥j.
Liquirit, raſæ ʒx.
Merc. dulc. ʒij.

Macerentur ſimul per 6. vel 8. horas in M. B., dein leviter in eodem bulliente detineantur per ſemihoram. Omnibus dein refrigeratis fiat colatura citra expreſſionem, cui adde

Sacchari, ad conſiſtentiam tabellati cocti, ℔iiij.

M. F. agitando *Syrupus*, cui immiſce

Ol. Aniſi ʒß.
Cort. Arant.
Fœnic. an. ℈j.

Cum ſacchar. albiſſim. q. ſ. in pulverem coacta. M.

Vires.

Humores peccantes cujuſvis notæ leniter expurgat, vermes necat &c. Doſis pro infantibus à ʒj. *ad* ℥ß. *adultis ad* ℥ß.

Alter Syrupus purgans.

℞. *Fol. Senn. mund.,*
Rhabarb.,
Agaric.,
Sem. trium calid. mai., an. ℥ij.

Conſciſſis, & leviter ſimul contuſis, ſuperfunde

Decocti mineralis ferventis ℥xxx.

Macerentur ſimul per 6. horas. Colaturæ poſtmodum limpidæ adde

Sacchari, ad tabellati conſiſtentiam cocti, ℔v.

ut in M. B. levi calore inde fiat ſ. a. Syrupus.

Decoctum minerale.

℞. *Antimonii crudi,*
Mercurii vivi,

Limaturæ Chalibis vetustioris, an. ℥ß.
Aquæ communis ℔viij.

Coquantur simul per horas duas, dein subsideat pulvis, aqua vero limpida accurate clausa usui servetur.

Vires Syrupi.

Efficax est remedium in pertinaci obstructione alvi, putredini resistit, pituitam acidam corrigit, & evacuat &c.
Dosis ab ℥ß. *ad* ℥ij.

Vires Aquæ mineralis.

Convenit in lienis & mesenterii obstructione, ut & in scyrrhis quarumvis partium, melancholiam tollit, scabiem omnem sensim aufert, lui Venereæ adversatur, admodum morbis chronicis sanandis confert. Dosis ab ℥ß. *ad* ℥vj. *sensim dosin augendo singulis diebus.*

Syrupus Rosarum solutivus.

℞. *Succi Rosar. pallidar, recentis q. s.*
Huic in B. M. calefacto infunde per 3. horas
Rosar pallidar., ad medias in calore exiccat., q: v.
Dein fiat colatura cum levi expressione, cui eodem modo bis vel ter eandem Rosarum quantitatem admisce & infunde, donec saturata evadat tinctura: huic tantum
Sacchari clarificati, & ad consistentiam tabellati percocti, adde, quantum sufficit ad consistentiam *Syrupi* crassioris, ut ad debitam reduci queat aqua fragrantissima Rosarum spissitudinem.

Nota. Breviori methodo *Flores Rosarum pallidarum recentes* cucurbitæ vitreæ immittantur, dein M. B. committantur, tamdiu donec succulenti evaserint. Hosce exprime; per subsidentiam clarificato succo convenientem sacchari, ad tabellati consistentiam cocti, quantitatem adde, ut inde fiat *Syrupus*. Hoc modo etiam *Violarum Syrupus* concinnari potest.

Vires.

Leniter educit humores pituitosos & biliosos, fervorem eorundem mitigat, melancholicos leviter & blande purgat, putredini & vermibus resistit, cor & vitales spiritus refocillat &c. Dosis à ʒj. *ad* ℥iß.

Sy-

Syrupus Glycyrrhizæ.

℞. *Rad. Glycyrrhizæ raſ.* ℥ij.
Herb. tuſſilag. Miv.
Capillor. Veneris, ℥j.
Hyſſopi, ℥ß.

Macerentur per diem naturalem in M. B. in ſ. q. aq., dein mediante eodem coquantur per horam unam, cavendo tamen, ne multum exhalet, fiat poſtea colatura, cui, per ſubſidentiam clarificatæ, adde
Mellis optimi deſpumati,
Sacchari albi à ℔j.
percoquantur leni ebullitione in *Syrupum*.

Vires.

Bechicus eſt, expectorationi conducens. Pectoris vitiis, ut tuſſi, aſthmati, & ſimilibus, convenit.

Syrupus Aſthmaticus.

℞. *Rad. Glycirrhis. recent.* ℥xx.
Aq. fervent ℔iij.

Extrahatur tinctura fortiſſima, quam ad quartæ partis remanentiam evapora; cui adde
Sacchar. non refinat ℔ij.
Coquantur poſt clarificationem in *Syrupum* craſſiorem, tunc affunde
Eſſent Mell. ℥j.
Benſoes, ʒj.
Elæoſacchar. fortiſſ. } *Aniſi*,
Fœnic.
Carei an. ℥ß.
Camphor. ℈ß.
M. f. ſ. a. *Syrupus*.

Vires.

Omnibus thoracis, & pectoris, vitiis ſuccurrit in genere, flatus diſcutit, anodynus eſt, &c. Doſis pro libitu.

Notetur in hiſce, & ſimilibus *Syrupis* non multum *aquæ* requiri ad ſimplicium extractionem, ſed illam tantum quantitatem ſufficere, quæ immer-

immergendis simplicibus sufficiat: aliàs enim, si ullæ adsint particulæ volatiles, facilè mediante diutina coctione fugam tentant; si autem recentia possint obtineri simplicia, illa tantùm *vel exprimuntur*, si sint succulenta, *vel humectantur*, si aridiora sint, ut sola agitatione succi vel liquoris expressi cum sacchari debito pondere in *Syrupum* cogi queant, unde fortiores, & integris viribus dotati, *Syrupi* conficiuntur, ut in sequentibus patet.

Syrupus Papaveris Rhœados.

℞. *Flor. papaver. erratic. recentium q. v.*,

Contundantur in mortario lapideo, & per prælum succus exprimatur.

℞. *Hujus Succi q. v.*

Sacchar. albi clarificati, & ad consistentiam tabellati percocti, q. s. ut mediante agitatione *Syrupi* consistentiam acquirant, qui usui servetur.

Vires.

Hoc modo præparatus Syrupus omnibus illis affectibus & morbis conducit, quibus Authores illum inservire scribunt: hypnoticus enim est, & bechicus, omnibus pectoris & thoracis vitiis succurrens, pleuritidis dolores mitigat &c. Dos. ad ℥j.

Nota: è fœcibus, post expressionem residuis, mediante decoctione in aq. comm. leviorum virium *Syrupus* confici potest, pro *mixturis* edulcorandis.

Syrupus Papaveris albi.

℞. *Capitum Papav. recentium q. v.*

Contundantur in mortario cum levi quantitate aq. destill., dein exprimantur, liquor expressus cum sacchari albi sufficienti quant. ad consistentiam tabellati redacti, in *Syrupum* mediante agitatione cogatur.

Vires.

Anodynus est, dolorem valde sedans, & somnum inducens, thoraci & pectori conducit.

Nota: alio etiam modo præparari potest, si *capita recentia* in *s. q. aq.* coquantur, & exprimantur; liquor expressus cum s. q. *sacchari* in *Syrupum* potest percoqui; hic autem *Syrupus* multô *fortior* est *Syrupo* vulgariter præparato, ideoque ejus *dosis* etiam *minuenda*; *vulgaris* autem *descriptio* ita sese habet.

℞. *Cap.*

℞. *Cap. Papav. albi ſiccatorum* ℥x.
Coquantur in ſ. q. aq. ad tertiæ partis exhalationem, colat. adde
Sacchar. alb. ℔ij.
Coquantur denuo, & clarificentur ſ. a. Alii etiam addunt *capit. Papav. nigri.*

Syrupus Myrtinus.

℞. *Baccar. Myrt.* ℥ijß.
Meſpilor. immaturorum ℔ß.
Semin. Oxyacanthi,
Sumach,
Balauſtiorum,
Roſar. rubrar.,
Santal. alb., rubr., ana ℨß.
Contuſa & conſciſſa coquantur in
Aq. & Vin. auſterioris partibus æqualibus,
Dein fiat colatura, quæ cum
Sacchari ℔v.
percoquatur in ſpiſſiorem conſiſtentiam, cui adde
Succi Cydoniorum, Granat. acidorum, ad tertiæ partis remanentiam in M. B. evaporatorum, an. ℥iij.
M. f. ſ. a. *Syrupus.*

Vires.

Validè aſtringit & refrigerat, fluxibus quibuſcunque convenit, ventriculum corroborat.

Syrupus de Rheo ſimplex.

℞, *Rhabarb. el. ras.* ℥ij.
Cinam. acut. ℨij.
Infunde in M. B. per horas 24. in vaſe vitreo in ſ. q. *Aquæ Tartariſatæ;* Colaturæ adde
Sacchar. clarif. & percoct. ℥xvj.
M. f. ſ. a. *Syrupus.*

Vires.

Bilem purgat, humorum acrimoniam tollit, ſummi eſt uſus pro infantibus & delicatulis. Doſ. ab ℥j. *ad* ℥iij.

Syrupus de Sennâ.

℞. *Fol. Senn. mundat.* ℥ij.
Sem. Fœnic. dulc. ʒij.

Infunde per 24. horas in M. B. cum *Aquâ Tartarisata*, colaturæ adde
Sacchar. clarific. ℥xvj.

Coquantur lento igne ad *Syrupi* consistentiam.

Vires.

Melancholicos & biliosos humores expurgat. Dos. ab ℥j. *ad* ℥iv.

Eodem modo fiunt Syrupi de *Colocinthide* & *Helleboro nigro*, qui omnes *Celeberrimo Sylvio* ascribuntur.

Secundæ speciei Syrupi magnam difficultatem in præparatione habent ob quantitatem magnam *aquæ*, congelantem quasi in particulis *viscosis*, quæ instar vesicularum dilatantur, & undiquaque aquam circumambiunt, & includunt in capsulis suis, unde consistentia *mucilaginosa* illius *decocti* jam *crassior* est, quam ad *Syrupum* conficiendum decet; hinc talium *Syruporum* præparatio *impossibilis* est, nisi decoctio simplicium ita instituatur, ut nullam *mucilaginem* deponant, in quâ tamen *nobilissima* eorundem *virtus* consistit, vel, ubi *mucilaginem* deposuerunt, potius in consistentiam duriorem, seu in *gelatinas* reducantur cum saccharo; aliâs enim ob penuriam sacchari, quam recipiunt, talia decocta facilè temporis tractu *situm* contrahunt, vel dissolutionem continui admittunt, & *in fermentationem* rapiuntur, unde potissima vel totalis vis illorum *Syruporum* destruitur, ut in sequentibus exemplis patet.

Syrupus Jujubinus.

℞. *Jujubas* No. LX.
Fol. Capill. Veneris,
Rad. Glycyrrhiz. ras.,
Hord. excorticati, ā. ℥j.
Sem. Malv. ʒv.
Papav. alb.,
Melonum,
Lactuc.
Cydoniorum, ā ʒij. M.

Omnia contusa injiciantur aquæ ferventi, & decoquantur simul ad medias, colat. adde

Flor.

Flor. Violar. ℥v.

ut tincturam & vires ſuas liquori calenti communicent, cui, abſque expreſſione percolato, adde

Sacch., ad tabellat. conſiſtentiam percocti, ℔ij.,

ut agitando *Syrupi* conſiſtentiam acquirant.

Vires.

Omnibus thoracis, & pectoris, vitiis, ex acribus humoribus ortis, conducit, aſperitatem arteriæ mitigat, expectorationem promovet.

Nota: Hæ ſpecies *aquæ ferventi* injiciuntur, ne mucilaginem nimiam deponant. Quibus autem mucilago expetitur, frigidæ ſimplicia immergant coquenda.

Eodem modo præparatur *Syrupus* Hyſſopi, Diacodion, &c.

Tertiæ ſpeciei Syrupi, ſcil. *ramoſo-viſcoſi* nullam clarificationem, niſi per manicam, vel ſpontaneam ſubſidentiam, admittunt ob reſinoſas duriores particulas, quæ ipſum *albumen ovi irretiendo* retinent, & per conſequens *decocta magis turbida* reddunt, ut è *Syrupo* ſequenti patet.

Syrupus de Pæoniâ compoſitus Londinenſium.

℞. *Radicis recentis utriuſque Pæoniæ, plenilunio extractæ, &, poſt diſſectionem in taleolas, in vino albo odorifero ſpatio integri diei infuſæ, an.* ℥iß.

Contrayerv. ℥ß.
Sileris montan. ʒvj.
Ungulæ Alcis ℥j.
Herb. & Flor. Roriſmar. Mj.
Betonic.
Hyſſop.
Origan.
Ivæ Arthritic.,
Rutæ, an. ʒiij.
Lign. Aloes,
Cariophill. aromat.
Cardamom. min. an. ʒij.
Zingiber.
Spicæ Nard. an. ʒj.
Stæchad.
Nuc. Moſcat. an. ʒijß.

Poſt unius diei tepidam digeſtionem in M. B. in *aquæ deſtillatæ Pæo-*

niæ ℔vj. abſtrahatur circiter ℔j. aquæ ſpirituoſæ, reliqua pars coquatur ad remanentiam ℔iv.; decoctum, conſtans è particulis ramoſo-viſcoſis, coletur per manicam, ut limpidus liquor cum *Sacchari albiſſ.* ℔iiij ß. ulterius percoqui poſſit fere in tabellati conſiſtentiam, quibus ab igne remotis, & fere tepefactis, adde

Liquorem ſpirituoſum,

ut fiat ſ. a. *Syrupus.*

Vires.

Egregius plane eſt Syrupus in motibus convulſivis puerorum, vertigine, epilepſia, paralyſi, tremore artuum, &c. Doſis pro re nata.

Sub hac claſſe etiam recenſenda veniunt *Gelatinæ*, *Rob & Mellita.*

Gelatina fit *ex* meris *viſcoſis*, vel *ſuccis ſubacidis cum* ſ. q. *ſacchari*, quæ poſtea ad conſiſtentiam duriorem reducuntur, vel etiam *abſque ſaccharo* conſervantur in *ſolidiorem maſſam redacta* : e. g.

Gelatina C. C.

℞. *Cornu Cerv. limati* ℥iv.

Decoquatur in magna quantitate *aquæ* per horas tres vel quatuor, ſemper *recentem aquam* ſubſtituendo in locum evaporatæ; deinde ſubſideant fœces, & aqua mucilaginoſa ſupernatans effundatur, & ad conſiſtentiam per ſe evaporetur ſuper ignem, dein uſui ſervetur.

Vires.

Convenit in exæſtuationibus ſanguinis, acrimoniam temperat, cordis affectibus ſuccurrit. Doſis ad ʒj. *in liquore conveniente, ut in aq. cinnamom. roſar.* &c.

Gelatina Cydoniorum.

℞. *Succi Cydon. recenter expreſſi* ℥vj.
Sem. Cydon. ʒij.

Stent in digeſtione in M. B., donec in glutinoſam abeant conſiſtentiam, dein calidè per linteum tranſcoletur liquor, cui adde

Sacchar. albiſſimi ℥iv. vel vj.

Coquantur ſimul in M. B. ad conſiſtentiam debitam.

Vires.

Sitim ſedat, bilem compeſcit, febribus ardentibus convenit, ardorem ſanguinis mitigat.

Rob.

Rob nil aliud *eſt*, niſi *Syrupus craſſior, è ſuccis fructuum cum ſaccharo coctis, & ad conſiſtentiam duriorem redactis, conflatus*, ut Rob ribeſiorum, berberorum & ſimil.

Mella, ſeu Mellita, tales dicuntur Syrupi, qui loco ſacchari Mel recipiunt, ut oxymel ſimplex, & ſcyllit, mel roſ. &c.

CAP. XIX.

De Aquis.

AQua inter principia elementaria à quibuſdam Philoſophis relata, nil aliud *eſt*, niſi *congeries particularum glabrarum, flexibilium, obtuſarum, oviformium, quibus, tanquam aranearum telis, ſalia & terræ, groſſiores inviſcantur*, unde per motum *materiæ ſubtilioris*, huc illuc propulſæ exceptæ particulæ ſe invicem atterere, imminuere, & variis modis afficere ſolent, ita, ut ſenſim per *concuſſiones & intricationes* mutuas, ceu *molles* & ruderoſas figuras, quibuſcunque poſtea modificationibus ineundis aptas natas, ſeſe ſiſtant; inde enim *vegetatio*, & cœtera producuntur in hoc mundo phænomena. *Percolationes* ſive *Circulationes*, quas inſtar omnium fluidorum per quæcunque majora vel minora corpora perficere cogitur, illam miris modis *impregnant* & *alterant*, ubi *diverſiſſima* figura præditis, ſecundum poros & ſuperficiem, ſalibus & terris occurrens, illorum particulis oneratur, unde innumeræ *luctæ, vel benignæ ſaturationes* & amplexus oriuntur, quæ majori aut minori cum vehementia perficiuntur, prout materia ſubtilis *concentrata*, ut ita loquar, *vel diffuſa*, preſſiones & rarefactiones ſuas ibidem exercet. Hinc non mirum eſt, illam *nullibi ſimplicem* & homogeneam reperiri, ſed, prout omnia corpora, ſenſibus noſtris ſubjecta, compoſitam & mixtam, imo poſt infinitas *deſtillationes* eandem *mixturam* retinet; vehiculo enim *ſalia* & *terræ* ſimul elevantur: Variat autem mixtura ratione *locorum*, per quæ curſum ſuum abſolvere cogitur *Aqua*, *ſaporem*, *odorem*, & *colorem* inde utplurimum mutans, quæ alterationes ad ipſas *deſtillatas* tranſit *aquas*. *Duæ* autem præcipuæ dantur, uſui vulgari inſervientes, *Pluvialis* nempe, & *Putealis*, quæ notabilem *differentiam* inter ſimpliciores & maxime uſitatas aquas exhibent. *Prior* enim ſubtiliata & exaltata à *fæcibus ſalinis* & *terreſtribus* craſſioribus & muriaticis *defæcata* exiſtit, *poſterior ſale muriatico & limoſa terra*, ſeu arenoſa, ſeu rupea, ſeu argillacea referta exiſtit, quod patet ex affuſione

ne *salis alcali*, mixturam illam *turbante* &c: ulterius enim *aquarum metamorphoses* hic examinare non est animus. Sufficit hic *notasse*, in omnibus medicamentis, per destillationem & coctionem parandis, *Pluvialem* recipiendam esse, ubi tenues & mobiliores expetuntur partes, Putealem præferendam, ubi frigida, austera & coagulantia requiruntur medicamenta ob rationes sparsim allatas & afferendas.

Aquæ stillatitiæ é *frigidis* dictis herbis eliciuntur, vel è *calidis*: *compositæ* fiunt, vel *simplices* ex variis simplicibus, vel *è diversis liquoribus*. Omnes more Chymico destillantur, quarum præparationem & methodum exhibendi *Chymia* nostra docet: plerumque eliciuntur *per vesicam, præcedenti maceratione*, *vel digestione*, donec particulis crassioribus segregatis, vel dissolutis, reliquæ subtiliores liberiorem sibi exitum obtineant. Ulterius autem de iis *Chymia* nostra inspiciatur. *Duplex* verò *aquæ* posset esse *præparatio*, *usui Pharmaceutico*, *& Medico*: *Prima*, quæ solis vehiculis inserviret; *Secunda*, quæ viribus majoribus dotata *aquas spirituosas & salino-volatiles* exhiberet, quæ aquæ non solum *vehiculi* locum, sed & efficacis *medicamentosi liquoris vices* supplere possent. Hæ facilè à se invicem distingvuntur sua *lactescenti albedine*, ob particulas plurimas *ramosas* intermixtas, ubi aliæ debiliores limpidæ apparere solent.

Differunt etiam *ratione liquorum additorum* tam in *præparatione*, quâm in *viribus*; sic illæ destillandæ, quæ fiunt ex ipsis *succis* & *herbis*, diutius macerationem & fermentationem præcedentem sustinent, quàm, quæ præmissâ maceratione solâ aquâ proliciuntur. Idem etiam de *liquoribus spirituosis addendis* esto judicum.

Notetur, *aquas* spirituosas lactescentes *proprio oleo supernatante* esse imbuendas, nisi nimis magna olei sit quantitas, & *iteratæ destillationes* aquam particulis subtilioribus planè gravidam reddiderint; imprægnatio autem illa fit mediante *spiritu aliquo ardente rectificatissimo*, in quo olea dissolvuntur, vel mediante saccharo, in quo olea mediante pistillo in pulverem rediguntur, quæ utroque modo apta redduntur, ut aquæ sese immisceri sinant.

Hæ aquæ fortiores si in promptu sint, facilè carere possumus *debilioribus*, quoniam *unica uncia illius aquæ sex uncias aquæ communis destillatæ* imbuere potest viribus sufficientibus, ut *vehiculi* loco inserviant.

Aquæ autem *sequentes* plurimo in usu Medicis existunt; quibus etiam accedunt Aquæ, sola infusione paratæ, quæ *tincturæ* locum replere possunt, ut Aqua theriacalis simplex, &c. Hæ mediante *menstruo spirituoso*

tuoso præparantur, quo mediante particulæ *ramosæ*, in compositis illis existentes, tanto magis *exaltantur*, & in poris fluidi menstrui retinentur. Hoc ut faciliùs procedat, *salia alcalia* adduntur in ipsâ extractione, ut in tincturis Chymicis patet: iteratæ autem infusiones multò nobiliores tincturas efficiunt, in minori dosi exhibendas, quæ aliàs liquore spirituoso nimis onerantur.

Aquæ mere spirituosæ sunt Aquæ Vitæ dictæ, quæ è variis simplicibus, & spiritu vini conflantur mediante destillatione. In iis non raro *mixturæ farrago inconcinna* conspicitur, talium additione, quæ spirituoso-ramosis nullis gaudent particulis; *pauciora* enim debito modo excerpta, & præparata, ut fere in omnibus aliis, sic & in hisce plurimas vires, easque integras offerunt. Rejicimus ergo *primo* mera *terrestria*, ut conchylia, testacea, lapides pretiosos, &c. *secundò* mera *viscosa*, ut passulas, ficus. radices althææ, semina frigida, &c. *tertio crassa & fixiora ramosa inodora*, ut amygdalas, &c.

Aquæ simplices usitatiores hæ sunt:

Frigidæ,	*Calidæ*,	*Calidæ*,
Rosarum,	Cardui Bened,	Fœniculi,
Plantaginis,	Arthemisiæ,	Hyssopi,
Euphragiæ,	Menthæ,	Petroselini,
Fumariæ,	Lavendulæ,	Rorismarini.
Flor. Sambuci,	Melissæ,	
Liliorum albor.	Cichorei,	

Aquæ usitatiores, cum vino præparandæ, sunt.

Cinamomi,
Cochleariæ,
Lavendulæ composita,
Corticum Arantiorum,
Citri.

Hæ, ex unâ parte *vini*, mediâ parte *aquæ* communis, vel, si possibile sit, debilioris, antea super eadem simplicia destillatæ, vel ad modum, in Essentiis Chymicis descriptum, præparentur s. a. digerendo; postea abstrahendo, quamdiu liquor *albicans* prodit.

Aquæ, per infusionem parandæ, sunt Theriacalis simplex.

℞. *Theriacæ recenter fermentatæ* ℥iiij.
Sp. Vin. rectif. ℥xx.
Sal. Tart. ʒij. M.

Digerantur simul per duos vel tres dies in B. M., dein clarum â spisso separa per decantationem, & fœcum filtrationem.

Vires.

Sudores movet, alexipharmaca est, morbis, per sudores curabilibus, convenit. Dosis a. ʒj. *ad* ℥ß.

Si cui volupe est, *iterato* Theriacam extrahendam addere, ei integrum erit: *Aquam* hanc *dosi* minorem, *viribus* fortiorem reddet.

Aqua vitæ composita.

℞. *Cinamomi acuti* ℥iß.
Lign. sassafr.
Cariophillorum,
Nucis Moscatæ,
Granor. Paradisi, an. ℥ß.
Zinzib.
Macis,
Piperis longi, an. ʒij.
Flor. Salviæ, ʒiij.
Cardamomi,
Cubebarum,
Calami aromatici,
Galangæ, an. ʒiß.
Cort. Pom. Chinens.
Corticum Citri exter. an. ʒvj.
Flor. Stæchadis Arabicæ,
Herb. Rorismarini,
Majoranæ,
Lavendulæ,
Melissæ,
Menth. an. ʒvj.

Pulverisentur omnia, & infundantur per aliquot dies in *Sp. vini* ℔x. dein destillentur leni igne, suspendendo in petia circa rostrum alembici

Ligni

Ligni Aloes, ʒij.
Mastiches, ʒiß.
Ambræ gryseæ,
Mosci an gr. vj.
Rosar. rubrarum ʒij.

In vase arcte clauso dein servetur.

Vires.

Spiritus vitales refocillat, lipothymiæ succurrit, &c. Cui placent Castoreum, Ruta, Baccæ lauri, ea in sufficienti quantitate addi poterunt, vel, quod melius, si pro mulierculis paretur, omisso mosco & ambrâ, Castoreum in petiâ substituatur; cœtera simplicibus destillandis permisceantur.

Etiam solâ *infusione* & *extractione* fieri potest, sed *ingratior* est, & *sacchare edulcoranda* venit.

Aqua Hysterica Amstelodamensium.

℞. *Rad. Bryon. sicc.*
Bacc. Sambuci maturarum, lento furni calore exsiccatarum, & à stipitibus mundatarum an. ℥ij.
Fol. Artemis,
Dictamn. Cretic.
Matricar.
Nepet.
Ocym.
Puleg.
Rutæ,
Sabin. rite siccatorum, an. ℥ß.
Cort. Arantior. exterior. siccat. ℥iß.
Mirrhæ,
Castorei an. ʒiij.
Croc. ʒj.

Pulverisata macerentur per octiduum in
Sp. Vin. opt. ℔iiij.

Deinde colentur per setaceum densissimum, & servetur accurate clausus liquor.

Notæ.

1. Per subsidentiam etiam clarus, â fœcibus decantandus, liquor redditur.
2. Per destillationem minus ingrata aqua redditur pro delicatulis.

Vires.

Passionibus quibuscunque hystericis subvenit, menses movet, partum difficilem promovet, paralysi, &c. convenit. Dosis a. ʒß. ad ʒij.

Aq. Hysterica alia, magis succincta, & efficax.

℞. *Asæ fœtidæ*, ʒij.
Myrrhæ, ℥ß.
Castorei, ℈v.
Bryoniæ, ʒiij.
Sem. Rutæ, ʒiß.
Croc. ʒj.
Sal. vol. Succini, ℈ij.
Sp. Sal. Ammoniaci. ℥j.
Vini, super herbas cephalicas & uterinas rectificati, ℥xx.
Sal. Tartari ʒj.

Digerantur simul in fimo equino per 2. dies, postmodum colatura defœcata usui in vitro arcte clauso reponatur.

Vires.

Omnibus hystericis passionibus succurrit, ut & motibus convulsivis, epilepticis, tremori artuum &c. Dosis à gtt. x. ad ʒj. in vehiculo convenienti.

Aqua Stomachica.

℞. *Galangæ minor.* ʒv.
Cort. Arantior. exter. ℥j.
Calam. arom.
Enul. campan. an. ʒij.
Zinziber. ʒiij.
Cardamom.
Gariophill. an. ʒiß.
Sp. Vin. ℥xx.
Nitr. ʒij.

Di-

Digerantur ſimul per ſex dies, dein clarum à ſpiſſo ſ. a. ſepara.

Vires.

Concoctionem ventriculi adjuvat, appetitum ciet, febribus intermittentibus ſuccurrit. Doſis a. ℈j. ad ʒj.

Aqua Prophylactica Clariſſ. Sylvii.

℞. *Rad. Angel.*
Zedoariæ, an. ℥j.
Petaſitid. ℥ij.
Fol. Rutæ hortens. ℥iiij.
Meliſſ.
Scabios.
Flor. Calendul. an. ℥ij.
Nucum Jugland. immat. conciſ. ℔ij.
Pomor. Citrior. recent. conciſ. ℔j.

Contundantur omnia ſimul, dein affunde
Acet. Vini opt., ad tres quartas partes ex arenâ in cucurbitâ vitreâ deſtillati, ℔ij.

Digerantur per noctem, mane deſtillentur igne cinerum lento fere ad ſiccitatem, idque ſine uſtione.

Vires.

Humorum exæſtuationem ſedat, ſudores movet, venenis reſiſtit, temperata eſt ob mixturam acidi & ſalis volatilis oleoſi ſimplicium additorum. Doſis a. ʒj. *ad* ℥ß.

Nota. In fœcibus hæret *aceti pars fixior cum partibus viſcoſis & ramoſis craſſis,* quæ mediante aqua conveniente *elixiviari* poſſent, ut inde *extractum ſpiſſum* fiat non contemnendum.

Aqua Theriacalis compoſita.

℞. *Rad. Valerianæ,*
Imperatoriæ,
Angelicæ,
Petaſitidis,
Galangæ minoris, an. ℥j.
Bacc. Juniperi, ℥iiij.
Lauri, ʒx.

Caryophillorum, ʒvj.
Cort. Arantiorum, ℥ij.
Fol. Scordii, Miij.
Rutæ, Mj.
Melissæ,
Lavendulæ,
Scabiosæ,
Chelidoniæ, *an.* Mij.
Sem. Dauci vulgaris, ℥j.
Mirrhæ, ℥ij.
Theriacæ fermentatæ, ℥vj.
Sp. Vini Gallici, ℔viij.
Sal. Tartari ℥ß.

M.

Conſcindenda & contundenda ſ. a. in minutas partes redigantur, dein digerantur ſimul vaſe optime clauſo per 4. dies, deſtillentur poſtea ad mediæ partis ſp. vini additi abſtractionem, liquorem accurate ſerva.

Vires.

Penetrantiſſimus eſt liquor in ſudoribus movendis, ventriculum roborat, flatus diſcutit, ſanguinem attenuat, humores craſſos incidit, &c. *Doſis a.* ʒß. *ad* ʒij. *in vehiculo.*

Etiam abſque *Theriacæ* additamento fieri poteſt.

Aqua Vitæ.

℞. *Rad. Angelic.*
Zedoar.
Valerian.
Petaſitid.
Cyper. rot.
Imperator.
Galang. maj. ana ℥. *j.*
Irid. Florent.
Cort. Arantior.
Citrior.
Caſſiæ lign.
Cinamom.
Cubebar.

Ca-

Cariophyllor.
Cardamom. ana ℥ß.
Baccar. Laur.
Sem. Anis.
Fœnicul.
Carui,
Dauc. vulg.
Leuistic. ana ʒij.
Baccar. Juniper. ℥ij.
Nucis Moscat. ʒvj.
Herb. Majoran.
Menth.
Lavendul.
Thymi,
Salviæ,
Rorismarin. ana p. ij.
Flor. Rosar. rubr.
Melilot.
Sambuc. ana. p. j.
Sp. Vin. ℔x.

Digerantur simul per hor. xxjv. Deinde destillentur ad medietatem liquoris, & spir. prolectum usui serva.

Nota. Tingi potest tornâ Solis.

Vires. *Colicis flatibus summopere succurrit: ventriculum debilitatum restaurat: omnibus frigidis morbis convenit, ut & crapulæ.*

Dos. ʒ.j. *ad* ʒ.iv.

Aqua Vitæ composita.

℞. *Lign. Sassafr.* ℥ß.
Rad. Zinzib. ʒij.
Calam. Aromatic.
Galang. ana ʒiß.
Herb. Rorismar. Majoran.
Lavendul. Meliss. Menth. an. ʒvj.
Cort. Cinnam. acut. ℥iß.
Pomor. Chinens.
Citr. exterior. ana ʒvj.
Fruct. Caryophillor.

Nuc. Moſchat.
Granor Paradiſ. ana ℥ß.
Mac.
Piper. long. ana ʒij.
Cardamom.
Cubebar. ana ʒj.
Flor. Salv. ʒiij. *Stæchad. Arab.* ʒvj.

Pulveriſentur omnia, & infundantur per aliquot dies in Sp. Vin. ℔x. dein deſtillentur leni igne, ſuſpendendo in petia circa roſtrum alembici

Lign. Aloës ʒij.
Maſtich. ʒiß.
Ambr. gryſeæ,
Moſch. ana gr. vj.
Roſar. rubrar. ʒij.

Serventur in vaſe arcte clauſo.

Vires. *Spir. vitales refocillat, lipothymiæ ſuccurrit &c. Cui placet, caſtoreum, ruta, bacc. lauri, in ſ. q. addi poterunt, vel, quod melius, ſi pro mulierculis paretur, omiſſo moſcho & ambra, caſtoreum in petiâ ſubſtituatur, cætera ſimplicibus deſtillandis permiſceantur.*

Etiam ſola infuſione & extractione fieri poteſt, ſed ingratior eſt, & ſacchato edulcoranda venit.

Aqua Vitæ extemporanea.

℞. *Spir. Vin. optimè rect.* ℥ij.
Ol. Cinnamom.

Miſceantur invicem, ut oleum optimè diſſolvatur in Sp. Vini. Dein infundantur in ſ. q. ſpir. *Vin vulgaris*, & edulcoretur cum ſ. q. *Syrup. Sacchar. candi*, vel, ſi placet, *albi* tantum. Liquor ille erit inſtar ſpiritûs deſtillati iſtius ſimplicis, cujus oleum adhibetur.

Nota 1. Cum quovis oleo deſtillato, ut cariophillorum, juniperi, roriſmarini &c. poſſis eodem modo procedere.

2. Si lubet ſpiritui huic colorem conciliare, poteſtis, infundendo ei ſimplex aliquod, præbens ei colorem, v. g. pro rubro colore infundatur ſantalum rubrum, vel grana kermes, pro aureo adhibeatur crocus vel curcuma, & poſt ſuſceptam tincturam ſufficienten coletur, & uſui reſervetur.

Spiritus Carminativus Sylvii.

℞. *Rad. Angelicæ*, ℥j.
Imperatoriæ,
Galangæ, *an.* ℥jß.
Fol. Rorismarini,
Majoranæ,
Rutæ hortensis,
Basiliconis,
Summit. Centaurei min. an. M. ß.
Bacc. Lauri, ʒiij.
Sem. Angelicæ,
Levistici,
Anisi, *an.* ℥ß.
Zinziberis,
Nucis Moscatæ,
Maceris, *an.* ʒiß.
Cinnamomi, ʒvj.
Garyophillorum,
Cort. Arantiorum, *an.* ʒj.
Concisis & crassè contusis affunde
Sp. Vini Malvatici, vel Hispanici, ℥xl.
Digerantur per biduum in M. B. Hinc ad siccitatem destillentur. Quicquid ascenderit, magmati iterum affundatur, per biduum digeratur, mox tres partes quartæ destillentur. Servetur destillatus *Spiritus* ad usum.

Vires.

In colicis doloribus, torminibus ex acido-austero oriundis, flatibus discutiendis, magni usus est. Dosis ʒj. *ad* ℥ß.

Spiritus Carminativus alius.

℞. *Sem.* 4. *calid. major. an.* ℥iij.
Levistici, ℥iß.
Cort aurantior.
Lign. sassafr. an. ℥ij.
Nucis Moscat.
Maceris, *an.* ʒiij.

Carda-

Cardamom. ℥ß.
Herb. Menth. M. iij.
Sp. Vini Rhenan. ℔viij.

debito modo conscissa & contusa digerantur in fimo equino per 2. vel 3. dies, dein destillentur ad medias; spiritus prolectus usui servetur accuratè clausus.

Nota: Loco Spiritus Vini Rhenani, Spiritus Ribesiorum rubrorum recipi potest, haud minoris efficaciæ.

Vires.

Gratissimus est spiritus, eidem usui inserviens, cui præcedens dicatur, earundem, si non majorum, existens virium. Dosis à ʒj. *ad* ʒvj.

Spiritus Aromaticus.

℞. *Cinnamom. acut.* ℥iij.
Cort. Citri exter. ℥ij.
Pomor. Chin. ℥iß.
Nucis Moscatæ,
Macis,
Cardamomi,
Garyophillorum,
Cubebar. an. ʒiij.
Lign. sassafras, ℥ß.
Santali citrin. ʒv.
Herb. Melissæ, Mij.
Flor. Lavendulæ, Mj.
Rosar. Miß.
Sem. Coriandri,
Macalep. an. ʒij.
Rad. Iridis Flor. ℥ß.
Bensöes,
Storac. Calamit. an. ʒj.
Sp. Vini Gall. ℔viij.

Macerentur debito modo contusa simplicia in sp. præcedenti per 3. dies, postea destillentur circiter ad medias, *spiritus* collectus usui in vitro optimè clauso servetur.

Vires,

Vires.

Egregio suo odore & sapore cor, cerebrum, & omnes spiritus vitales, recreat. Dulcificari potest cum *Julapio Rosaceo*, vel alio quocunque syrupo convenienti. Quibus *odor* fragrantior placet, illum assequuntur ambrâ, mosco, & similibus in petiâ ligatis, dein ad rostrum alembici suspensis, ut guttæ descendentes per illa transire cogantur. Facilius autem *sequenti* modo idem perficitur:

℞. *Ambræ griseæ, gr.* ij.
Mosci, gr. j.
Sacchar. candi ℥j.

Misceantur exacte in mortario vitreo; pulvis hic sufficienti quantitati Spirit. Aromat. permisceatur.

CAP. XX.

De Vinis, Acetis, & Cerevisiis medicatis.

Liquores potabiles Medicati dicuntur infusiones simplicium, in quocunque fermentato liquore factæ. Sunt igitur *extracta liquida corporum solidorum, utplurimum præsenti usui* dicata.

Ea in *duplicem classem* reduci possunt, nempe in *laxantia vel purgantia*, & *sudorifera stomachica*, &c. *Purgantia infusa* in minima quantitate potius *extemporaneo* usui præparentur, cum nil æque certum sit, quam purgantium vim è *motu* intestino lædi & *alterari*, si *diutius* infundantur, unde querelæ plerumque ægrotorum oboriuntur, antehac illos ex assumto haustu purgasse, jam vero potum illum nil agere: quamvis & sæpius *consuetudo assumendi* ita disponat nostrum humorem, ut *nullam alterationem* inde obtineat, à copiâ particularum hoc modo jam existentium, ut impetum amplius nullum in illas spiritus & materiaætherea, inibi contenta, facere possit, sed libere pertranseat, ut patet diversis experimentis. Sed ad rem. *Purgantia* autem *optime in sp. vini extracta, facile vinis medicatis, in debita quantitate hauriendis, unicâ dosi permiscentur.* Exempla autem *duo Vini & Cerevisiæ purgantis* dabimus, ut eorum formula innotescat.

Cerevisia purgans.

℞. *Rad. Jalappæ* ℥j.

Rhabarbari ʒvj.
Fol. Sennæ ℥iß.
Aloes lucidæ ℥j.
Comarum Absinthii Mv.
M.

Grosso modo contusa in quartâ parte integri vasis cerevisiariorum, quæ continet circiter 50. pintas, infundantur in petiâ ligata.

Vires.

Serosos & biliosos humores expurgat. Dosis ad pintam semis,

Notetur, omnes hasce *infusiones* in *Cerevisia* factas nil, vel parùm tantum alvum subducere, si *acescere* incipiant.

Vinum purgans.

℞. *Rhabarbari*,
Turbith, *an.* ℥j.
Fol. Sennæ mundator.
Aloes, *an.* ℥iß.
Comarum Absinthii Miiij.
Herbæ Majoranæ,
Salviæ, *an.* P. ij.
Sem. Sileris montani,
Fœniculi,
Coriandri, *an.* ʒiij.
Cardamomi ʒiß. M.

Infundantur 8. stopis vini.

Vires.

Alvum expurgat, leniter humores biliosos & crassos evacuat. Dosis ad pintam semis.

Sudorifera, stomachica, &c. *vina Medicata* optime fiunt è *musto fermentante* cum speciebus debitis, quæ clara & limpida postea usui asservari possunt; imo proficuum est Medicis illa in promtu habere, unum *sudoriferum*, alterum *stomachicum*, tertium *diureticum*: multo potentiora essent *aquis*, debili virtute præditis. *Modum* præparandi, & selectionem simplicium unusquisque *Medicus* exactè novit, ut opus non sit hæc describere. Methodum illos liquores præparandi *quovis tempore absque vino*, eosque *cum vino præparatos optime conservandi* describerem

berem, ni molestiam Lectori creare vererer. *Unicum* saltem *Exemplum* omnibus aliis rite perficiendis viam monstrabit.

Vinum Medicatum Stomachicum.

℞. *Rad. Enulæ Campanæ* ℥iiij.
Calami Aromatici ℥ß.
Galangæ,
Gentianæ,
Zedoariæ,
Zinziberis, *an.* ℥iij.
Cubebarum,
Cort. Arantiorum, *an.* ℥j.
Cardamomi,
Caryophillorum, *an.* ʒv.
Summitat. Absinthii Miiij.
Musti generosi Vini Gallici, vel Rhenani, stop. xx.

Contundantur omnia grosso modo, dein Sp. Vini tartarisato irrorentur, mox in sacculo lineo species illæ reponantur per horas 2. vel 3. dein denuo irrorentur, idque bis vel 3. repetatur, donec sufficienter sp. vini præcedenti impraegnatæ sint, id est, molliores evaserint spiritu interno tumidæ: hæ species *musto fermentanti* cum sacculo injiciantur: fermentationem ineant simul per 14. circiter dies, quibus elapsis species cum sacculo extrahantur & exprimantur, vinum postea clarificatum per subsidentiam, usui exhiberi successive potest.

Nota. Species etiam facilius seorsim in parva quantitate sp. vini tartarisati *macerari* possunt; qui â simplicibus absorptus, *faciliorem* postea *extractionem & fermentationem* præbet.

Vires.

Omnibus ventriculi cruditatibus confert, concoctionem adjuvat, appetitum ciet, morbis & febribus exinde oriundis medetur. Dosis ab ℥iß. *ad* ℥ij.

Vires plerorumque simplicium, à *textura pororum & meatuum* dependentes, infinitis modis alterantur ab *intestino motu*, cohæsionem & *figuram* illam multum *dilacerante*: unde *salia*, illis interstitiis minoribus antehac *proportionata*, nunc magis sui juris facta, quæcunque corpuscula *terrestria eliminant*, vel *alio modo disposita aliam agendi qualitatem* inire cogunt. Quod potissimum observabile in *acrioribus resinosis particu-*

ticulis, majori quantitate aquæ dilutis & tumidis, quæ, ubi disruptionem suarum cellularum semel admittere coactæ fuere per ventiformem aeream expansionem suorum tubulorum, statim à summa *acredine* & *calore* manifesto, ad *acidorum* & *frigidorum* dictorum classem transeunt, plane mutata *actione* suarum partium, jam fere ad nutum tantummodo *salium prædominantium*, in sua extravasatione sese exercentium. *Salia* autem quamvis innumeras videantur *mutationes* suæ *figuræ* inivisse, attamen illas non nisi mediante aliquali *imminutione* acquirunt, ubi separati à se invicem pulvisculi *salini* hic illic *interstitiis*, *meatibus*, *& poris* corporum *terrestrium* intruduntur, quibus sese *adaptare* coguntur, ibidemque latitare debent, ut *cultri in vaginis* reconditi, nullasque postea operationes exhibere illis permissum, nisi per hoc vel illo modo dispositos *tubulos & poros*. Verum hi solutionem diversam continui patientes, ubi *liberius fluere* possunt ad se invicem, denuo *accumulati acidam pristinam* indolem recipiunt, è qua *ortum* primo duxere, ut in Chimia latius. Hæc *salia*, *terrestribus* adhuc particulis *sociata*, *austera & astringentia* fiunt, quamvis *aperientia & purgantia* exstiterint simplicia adhibita. Sedulo igitur *cavendum* est, ne hæc *Infusa* & *Fermentata vires* suas *amittant*, *aut immutent*; in primo enim statu & *motu incipiente* potissima vis nativa, uti dictum, consistit; qualitas autem à *pristina declinans*, *alterationem virium* concomitatur. Præstat igitur in *minori copia Vina* infundenda præparasse, nisi illa statum suum integrum per *artem*, vel *spirituosas* ramosasque molles particulas *diutius* conservare possint.

Aceta Medicata.

Quod de *Aquis* diximus, idem fere de quibusvis liquoribus dicendum esset. Prout enim Aquæ ratione *terræ* differunt, sic & reliqui liquores salini, & præcipuè *Acetum*, *duabus* manifeste *contrariis* præditum conspicitur particulis, *subtilioribus* nempè *spirituoso-salinis* & *crassioribus oleoso-acidis*, ut patet in *effervescentiâ* utrâque, quam init æque *cum alcali*, quam *cum acido* fortiori, & mediante *destillatione*, ubi in spiritum ardentem, & acidum leviorem cogitur, ut & ex *remanentibus fœcibus*, *tartareâ terrestri præditis materiâ*. Ex hisce *duplex* exsurgit agendi qualitas, prima *incidendi*, attenuandique humores crassos, altera *incrassandi*, motumque nimium compescendi. Inde facile patet, Acetum aliud requiri ad hunc vel illum finem acquirendum.

Aceta ergo refrigerantia & *astringentia*, commode ex *Aceto vini* optimo,

mo, potius rubro, quam albo, si major *astrictio* requiratur, fiunt *seq. modo:*

Flores & Herbæ exsiccatæ in s. q. Aceti insolantur per 8. dies, colato Aceto denuo *recentia* simplicia adduntur, idque tertiò eodem modo repetitur: *Acetum*, per subsidentiam clarificatum, usui reponitur in loco calido & sicco. Sic fiunt

Acetum Rosaceum,
Sambucinum, &c.

Quæ autem *tenuiorum partium Aceta* requiruntur, ea ex *Aceto* parentur *stillatitio*, ut mobiliores sint particulæ, & spirituosa *penetrandi* vi insigniantur. Ea *seq. modo* elaborantur.

Fructus, folia, aut flores, exiccata in sat magna quantitate Aceto immergantur, digerantur simul in M. B., vel, quod melius, in fimo equino per 2. vel 3. septimanas, dein clarum à spisso separetur, & per subsidentiam clarificetur. Sic fiunt

Acetum Calendulatum,
Florum Garyophillorum,
Lavendulæ, &c.

Hæ Infusiones *novis* additis simplicibus *iteratò*, & *tertiò* repeti possunt, ut tantò fortius & *efficacius Acetum* reddatur.

Condienda & asservanda in Aceto non raro veniunt simplicia usui *Medico*, sed præcipue *culinari*, quæ absque ullo detrimento ita reponuntur. Si frigidi & aquosi fructus, ut *Cucumeres*, &c. *Aceto* conservandi sint, primo evaporet *Acetum* ad quartæ partis exhalationem, huic adde ad singulas ℥xx. *Sp. Salis comm.* ℥j. in hoc dein *liquore* immittantur, & in *loco sicco* asserventur. Ubi *subtilioris* notæ & efficaciæ *flores, germina*, &c. reponenda sunt, sufficit recepisse *Acetum forte*, leviter evaporatum in M. B., cui imponuntur simplicia. Sic *florum Nasturtii Indici germina*, non contemnendum *antiscorbuticum edulium* præbent, ut & *gemmæ florum sambuci laxantes*. &c.

CAP. XXI.

De Decoctis.

Decocta variant, pro *ratione simplicium* solidiorum, & *menstrui adhibiti* diversitate. Commode autem ad *tres differentias* referri possunt: *Prima species* est, quæ è meris volatilibus spirituoso-ramosis conflatur.

flatur. *Secunda* ex intricatis resinosis & terrestribus componitur. *Tertia*, è viscosis & glutinosis junctis emergit.

1. *Mera volatilia* vix ac ne vix quidem coctionem sustinent; sed in menstruo *post coctionem infunduntur vase* dein *clauso*, nequid exspiret, ut vires suas communicent integras, nisi quis terrestres austeras magis amet propinare particulas. Imo ridicula est *Medicorum* nonnullorum præscriptio, ut coquantur in vase clauso (ad præcavendam nempe subtilium particularum jacturam) cum *nulla coctio possit institui in vase, utut arcte clauso, quin fiat exhalatio aliqualis, saltem non in instrumentis Galenicis*, & non nisi *mediante Balneo in cantharis arctius occlusis* aliquo modo procedit, & in phiolâ, longiori collo instructâ. Ex eorum numero sunt lignum *sassafras*, semina calida majora & minora, herbæ odoriferæ & flores, *tenuem halitum* spirantes, &c. Huic numero etiam inserenda sunt *purgantia*, non ob volatilem eorum texturam, sed *ob delitescentem salem austerum*, qui facile emergit mediante *coctione*; vel quoniam miscetur in nimia ebullitione sal fæcibus suis, &c. Sic enim *Infusiones purgantium leviter* & recenter factæ *magis purgant*, minori cum molestiâ, *quam* eorum *decocta*, quæ tormina plerumque cient.

2. *Resinosa dura macerationem* præmissam requirunt, antequam coctioni objiciantur, alias introitum menstruo denegarent, & extractum *nullum* deponerent, sed compacta potius remanerent; unde *additio salis alcali* hic perquam necessaria est ad extractionem facilitandam. Hanc seriem ingrediuntur etiam omnia ligna, radices, & cortices duriores, ponderosiores, & inodori, ut lignum guaiacum, rad. china, cort. tamarisci &c. hæc etiam longiorem coctionem sustinent. *Terrestria mera* nil in coctione deponunt, nisi salium auxilio, quæ illa discerpere, imminuere, & poris menstrui accommodare queunt. Hæc in specie sunt metalla, mineralia, & terræ. Sic Marti additur tartarus, sulphuri sal fixum tartari, oculis cancrorum acetum destill. &c.

3. *Viscosa* infusione, & levi coctione liquorem glutinosum efficiunt, ideoque in minori copiâ menstruis addenda sunt, ne fluiditas tollatur. Hanc classem conficiunt rad. altheæ, semina frigida, &c. ut & cornua, ungulæ, animalia &c. Ne autem lentore inficiant decoctum, *liquori fervent*i injiciuntur, ut alibi latius.

Intermedia plurima dantur, quæ facile ex hisce innotescent. In genere omnia *inodora* diutius coctionem sustinent, *odora* citius jacturam partium patiuntur. Quo *ponderosiora* & *densiora*, eo magis maceranda. Quo *terrestriora*, eo magis coquenda, ut & resinosa solida. *Purgantia*,

tia, & *maxime odorifera* solum infundenda in liquoribus calidis.

Decocta extempore utplurimum parantur, quoniam *situm* facile contrahunt, vel fermentationem ineunt ob *menstrua debiliora* adhibita, & *particulas plurimas heterogeneas*, liquorem onerantes, unde virium jacturam summam patiuntur.

Pro omnibus sufficient *duo sequentia Decocta*:

Decoctum è Lignis, & Radicibus.

℞. *Lign. Guajac. ras.* ℥v.
Juniper. ℥iij.
Cort. Tamarisc.
Guaiac. an. ℥ij.
Rad. Sarsaparill. ℥iß.
Chin. ℥j.
Apii. ʒx.
Sal. Tart.
Antimon. crud. ʒiß.

Conscissa & contusa macerentur per 8. horas &c. in sq. Aq. comm.; dein coquantur s. a. per 2. horas; tandem adde
Lign. Sassafras ℥iß.
Cort. Citr. ext. ʒij.
Rad. Liquirit ras. ʒvj.

Infundantur per horam unam, frigidum, postea *Decoctum* ad ℔ij. coletur pro usu.

Vires.

Pertinacioribus obstructionibus, & morbis, ex acido & acri succo oriundis, prodest, sudores movet, scorbuto, lui Venereæ &c. prodest. Dosis ad ℥iij.

Decoctum ex Herbis, Radicibus, & Seminibus.

℞. *Herb. Malvæ,*
Heder terrest.
Althææ,
Tussilag an. Mj.
Rad. Althææ,
Lappæ major an. ℥iß.
Apii ℥j.

Bacc.

Bacc. Junip. ℥x.
Tart. crud. Rhen.
Sal. Tart. an. ℥iß.

Contusa & conscissa macerentur in s. q. Aq. comm. per horam unam, dein coquantur s. a., decocto ab igne remoto adde pro infusione

Fol. Hyssop.
Meliss.
Menth. an. Mß.
Sem. 3. *calid. major. an.* ℥iij.
Sem. Dauci vulgar. ℥ij.

Colaturæ frigidæ ℥xx. adde

Syr. Liquirit ℥iß.
Spir. Nitri dulc. ʒij.
Carmin. Sylv. ʒvj.
M. F. *Apoz.*

Vires.

Pectoris vitiis succurrit, diuresin promovet, acrimoniam humorum temperat, flatus discutit. Dos. ab ℥j. *ad* ℥ij.

CAP. XXII.

De Conservis & Pulpis.

C*onservæ* à simplicium *conservatione* in saccharo dicuntur. Eæ fiunt sola trituratione vegetabilium recentium humidiorum, in pulpam redigi aptorum. Facillimè *seq.* modo præparantur:

℞. *Florum vel Foliorum recentium quorumcunque, q. v.*

Minutissime incisa cucurbitæ vitreæ infundantur, mox arctissime occludantur, in B. M. dein digerantur per 4. vel 6. horas, sub finem leviter ebulliant: refrigeratis postea omnibus, ulterius molliora jam vegetabilia facta in *pulpam* contundantur in mortario lapideo, *pulpæ* adde *duplam partem sacchari.*

Hæc methodus vulgarem præparandi modum imitatur, nisi quod *M. B.* adhibeatur *ad simplicia magis emollienda* & gratiora reddenda, quæ alias sat tenacia & dura remanent; *Sequens* autem modus magis *à vulgari recedit*, sed & *majorum virium Conservas* exhibet, cum revera illarum præparatio sæpius sat ridicula, & vis magis activa simplicium plane

plane alteretur, vel non raro immutetur *à copiâ facchari* craſſas illas partes obruente, præcipuè, ubi tot medicamenta nobis in promptu ſint efficaciora & gratiora.

℞. *Succi Herbarum, odore deſtitutarum ſubtili, recenter expreſſi q. v.* Evaporetur ſuper M. B. ad 3. vel 4. partis remanentiam, fœcibus jam ſeparatis per levem ſubſidentiam vel filtrationem, reſiduo ſucco adde *duas partes ſacchari, ad conſiſtentiam tabellati percocti*, miſce, fiat ſyrupus, inſtar Rob vel *Conſervæ*.

Nota, ubi ſuccus obtineri nequit, infuſiones in B. M. factæ cum levi quantitate liquoris deſtillati proprii, poſtea expreſſi ſubſtituantur. Hoc modo fit elegans *Conſerva Florum Papaveris erratici*, *Roſarum* &c. ut patet in ſequenti *Conſerva Hypnotica:*

℞. *Succi recentis Florum Papaveris Rhæados* ℔ß.
Sacchari albi ℔j.

Evaporet ad conſiſtentiam in M. B., dein recentem affunde ſuccum in eadem quantitate, procedendo ut ante, idque tertio repetendo. Dein uſui reponatur in olla vitreata clauſa.

Nota. Ex hac conſerva Syrupus fieri poteſt, *ſi unciæ uni hujus conſervæ addideris* ℥vj. *Syrupi ſacchari candidi.*

Vires. Admodum confert quibuſvis pulmonum, partiumque circumjacentium vitiis, pleuritidi nempe, phthiſi, tuſſi &c. Dolores ſedat, ſomnum blandum conciliat. Doſis à ℈j. *ad* ℈iiij.

Exinde etiam fieri poteſt *Electuarium antipleuriticum:*

℞. *Hujus Conſerv.* ℥vj.
Raſuræ tenerrimæ dentis Apri,
Corn. Cerv. an. ʒiij.
Sem. Cydonior.
Card. Mariæ an. ʒij.
Bol. armen. ʒiß.
Ol. Mac. expr. ʒj.
M. f. ſ. a. *Electuarium, cujus doſis à* ℈j. *ad* ʒij.

Simili modo *ex aliis floribus & foliis* ſucculentis ſucci obtineri queunt ad conſervas inde parandas.

Conſerva Roſar. pallidar.

℞. *Roſarum pallidar. recentium, ab albicante parte liberatarum,* ℥iv.
Sacchar. albiſſim. ℥viij.

Contundantur primò Roſæ ad pulpæ conſiſtentiam: Dein adde ſenſim

saccharum, & tam diu simul conquassentur, donec in unam massam abeant.

Eodem modo conficiuntur Conservæ ex omnibus floribus.

In foliis verò, & herbis observandum est, ut à caulibus optimè separentur. Folia, quò tenuiora, eò meliora sunt, unde summitates potius sumuntur, quæ in fluido & viscoso statu adhuc ferè sunt, quàm cœtera folia, quæ ad maturitatis statum pervenêre.

Nota. Hyeme si conficiendæ essent Conservæ ex herbis, vel floribus siccis, eo modo procedendum est, quo supra.

Tertius itidem *Conservas* præparandi modus datur, quæ *essentificatæ* dici possent, quoniam instar *essentiarum Chymicarum* partes maximè activas unitas obtinent: componuntur autem ex succô rite evaporatô, floribus, foliisque tenellis, & oleo stillatitio. Exemplum *sequens* sit pro omnibus reliquis:

Conserva Rorismarini.

℞. *Foliorum Rorismarini* ℔j.

Contundantur in mortario lapideo, ut in pulverulentam pulpam vertantur, hisce superfunde

Aq. phlegmaticæ Rorismarini ℥vj.

M.

Digeranrur vase clauso in M. B. per 12. horas, dein exprimatur liquor tinctus, & evaporetur in eodem M. B. ad remanentiam tertiæ vel quartæ partis, servetur deinde usui dicendo. Postea

℞. *Flor. Rorismarini, cœlo sereno collect.*, ℥iiij.
Fol. tenell. ejusd. ℥ij.

Contundantur in pulpam, cui adde

Sacchari albissimi ℥xvj.

Sub finem immisce

Ol. stillat. Rorismar. veri ℈ij.
Succi præcedent. evapor. q. s.

M. f. s. a. *Cons.*

Vires.

In uteri, capitis, & omnis nervosi generis, affectibus apprimè utilis est, & omnia illa præstat, quæ Conservæ vulgo præparatæ ascribuntur. Dos. à. ʒj. *ad* ʒij. Optime clausa asservari debet.

Conservæ eodem fiunt modo è foliis & herbis cephalicis, &c. minus suc-

succulentis. Ex humidioribus succus expressus & evaporatus, ut ante diximus, substituitur.

Subjungitur adhuc

Conserva Menthæ.

℞. *Foliorum tenuiorum Menthæ, à caulibus scil. mundatorum*, ℔j.
Contundantur in pastam, ultimò addendo
Sacchari ℔ij.
Olei Menthæ gutt. vj. *vel* viij.
Misceantur simul.

Usitatiores Conservæ sunt

Absinthii.	Menthæ.
Anthos.	Melissæ.
Borraginis.	Lavendulæ.
Calendulæ.	Betonicæ.
Rosarum rubrarum & pallidar.	Papav. errat. &c.

Pulpæ sunt partes molles, viscosæ, succulentæ, è fructibus per setaceum à terrestriori solidâ parte secretæ, quæ, ut debito modo fiant, *sequentibus* observationibus indigent.

1. Ubi succi abundantia non est, ut additâ aquæ copiâ fluidior massa reddatur.

2. Maceratione & calore opus est, ut omnes partes debite diluantur; sic *coctio* in *durioribus*, *infusio* in *mollioribus* adhibenda fructibus.

3. Continua agitatio instituenda est cum pistillo, vel cochleari ligneo, ut imminuatur super setaceum non nimis densum, & comprimendo sensim transeat *Pulpa*, cavendo tamen, ne *filamenta oblonga* cribrum perforent, & sese *Pulpæ* immisceant.

4. *Evaporatio* lente est adhibenda super ignem, vel, quod melius, *super B. M.* (ubi nullus empyreumatis metus) ad consistentiam *solidiorem* obtinendam, nempe, ut asservari possit *incorrupta Pulpa*; eousque utplurimum evaporatur, donec calens non amplius super *cultrum diffluat*, vel *frigefacta conscindi* possit, tunc nempe fermentationem vel situm non facilè init ob penuriam aquæ.

5. Mixtura debita *sacchari* ei adjiciatur ad gratiam, & ulteriorem conservationem; consistentiam enim auget, & particulis suis ramoso-viscosis aëris injurias arcet.

6. Quoniam omnes fructus, præcipue in ſucculentâ eorum parte, *ſalinis* particulis referti ſunt, & facile Aereum humidum ibidem admittunt, quod illas partes diluendo *fluiditatem* inducit, unde poſtea *motum inteſtinum* concipiunt, &c. ideo hæ *Pulpæ* bene confectæ, *vaſe* clauſo ligneo, vitreo, vel terreo vitreato, aſſervari debent in loco ſicciori; *caveatur* autem â *vaſis metallicis*, quoniam facilè rodunt interna ſalia hæcce metalla, unde alterantur, & ſœpius noxiæ, vel ingratæ, evadunt *Pulpæ*.

Exemplum *ſequens* eſto:

Pulpa Tamarindorum.

℞. *Tamarindorum* ℔j.
Aq. pluvialis ℔ß.

Ebulliant leviter in M. B. in ollâ terreâ vitreatâ, continuo materiam movendo, donec inſtar pultis fiat, hanc pultem tepefactam per cribrum coge, agitando & comprimendo ſuper cribrum, è ſetis equinis confectum, donec filamenta & fibrillæ tantum ſuperſint; *Pulpam* molliorem exhalare fac ſuper M. B. ad ſpiſſitudinem fere debitam, ut dein additâ *ſacchari* ſ. q. ulterius poſtea ad conſiſtentiam perducatur, uſui *Pulpa* ultimò reponatur.

Notæ.

1. *Pruna & Baccæ Juniperi* vehementiorem coctionem ſuſtinent ſuper ignem nudum.

2. *Caſſia* facilius tranſit, & diluitur ſolâ infuſione.

3. Menſtruum ſeu liquor diverſus aſſumi poteſt, vel cereviſia recens pro caſſiâ & prunis, vel vinum pro *tamarindis* ad gratiam, & vires augendas pro intentione Medici. Oleum item *Juniperi* & aqua ejuſdem ſpirituoſa poſt coctionem ſ. a. addi poſſunt *Pulpæ* ſuæ.

Uſitatiores *Pulpæ* ſunt hæ quatuor præcedentes.

Pulpæ corporum excipientium loco inſerviunt pulveribus immiſcendis, *electuariis* & ſimilibus compoſitionibus exinde conficiendis; ſic ex omnibus fere fructibus fieri queunt, ut pomis, pyris, &c.

Aſſervantur *Pulpæ* in *ſiccâ*, vel *ſolidâ* conſiſtentiâ, vel *humidæ & molliores* reconduntur.

Hujus generis etiam ſunt *Gelatinæ* & *Mivæ* Cydoniorum, &c. *Gelatina* fit ex ſucco expreſſo, & viſcidâ ſeminis mucilaginoſa extractione, quæ cum ſaccharo ad ſolidam conſiſtentiam reducuntur: præcipue pro delicatulis.

CAP.

CAP. XXIII.

De Electuariis.

Electuaria sunt medicamenta è diversis electa, & in mollem consistentiam redacta, melle vel syrupo pulveres excipiente.

Diversæ dantur *consistentiæ*, *mollioris* nempe, & *durioris*; dividuntur in *Purgantia* & *Antidota*: ut & in *solida & liquida.*

Hæc variant in modo præparandi, ratione *simplicium*, è quibus compositum miscendum venit. Huc referantur ea, quæ in principio circa statum corporum fluidum & solidum dicta sunt: alio enim modo *ramosa*, *viscosa*, & *terrestria*, tractanda veniunt. Obiter denuo notabimus:

Resinosa singula seorsim esse *pulverisanda*, non solum, quoniam difficilius pulverisantur, sed ob *spiritus* interni copiam, quâ resinæ abundare solent; hi *spiritus* cum infinitè varient & discrepent à se invicem, mutuum *congressum* ineunt, unde subtiliatio vel fixatio procedit spirituum salinorum; Quorum nutum sequentes particulæ *terrestres*, vehiculo illo evectæ vel suppressæ, majori vel minori agendi qualitate sese manifestant.

Viscosa, si *mollia* & mucilaginosa existant, *solvenda* sunt, si *rigida* & dura, *pulverisanda* veniunt *cum terrestribus*. Hæc enim etsi spiritu interno prædita sint efficaci, attamen ob copiam *aquæ* intrinsecus latitantem non tam citò operantur; incarceratus enim spiritus crassioribus terrestribus corporibus *difficilius* sese extricare potest: Quanquam non dubitem, quin in congressu mutuo spirituoso-salinæ partes, *actiones* easdem ineant, quas in *resinosis* diximus fieri, sed debiliores & leviores, ut videmus in plurimis *liquoribus Chimicis.* Sic e. g. sal tartari effervescentiam *levem* init cum aceto destillato ob phlegmatis plurimi mixturam: effervescentia *major* fit ex eo, spiritui vitrioli affuso: *fortissima* cum oleo vitrioli ob phlegmatis aquosi penuriam. Silentio prætereo experimentum spiritus salis Ammoniaci & spiritus vini, qui in *salinam consistentiam solidam* uniri negant ullo admixto externo phlegmate; tot enim experimenta Lectori molesta essent, si pleraque huic demonstrationi fulciendæ adduceremus. Sufficiat, Chymiam passiva illa principia (nempe *Aquam & Terram*) nominare, quæ *motui* resistunt, & *actiones* manifestè *retardare* queunt; submerguntur enim spiritus in *aqua*, intricantur *terræ*, atque in iisdem quasi compedibus ligantur.

Terrestria spiritu non destituuntur suo, qui tamen carceribus suis liberatus fugax plerumque est *instar salis volatilis*, cujus etiam naturam refert. *Arenæ & lapides* tales plurimi dantur, quæ scatent sale urinoso volatili: Ut & pleraque *conchylia & testacea*, quod ex *odore & sapore recenter* in pulverem redactorum facile patet, ut & *spiritu* eorum Chymice destillato. Hi pulveres, quo *recentiores* in usum Medicum trahuntur, eo meliores: quoniam non solum acidum infringunt, sed & *tenuissimo suo halitu* non minoris momenti & utilitatis efficaciam prodere solent; spiritu enim suo destituti hi pulveres multum de *vi suâ diureticâ & diaphoreticâ* deposuere; nam particulæ hæ tenuiores, si non omnem, saltem impetum sat magnum in massam nostri sanguinis & reliquorum humorum efficere queunt. Quod ulterius *experimentis & rationibus* stabilire conarer, si tractatum *Medicum, non Pharmaceuticum* conscriberem. Ubi autem *acidulus* internus est *spiritus*, *firmioris* est subsistentiæ; intime enim acida associata sunt terrestribus, ægrèque inde divelli se patiuntur, ut in bolo, terrâ sigillatâ, &c. patet. *Terrestria* pistillo *omnia simul* imminui queunt, nisi mera argillacea, &c. adsint: superflua *humiditas* exsiccatione tollenda.

Flores seorsim triturationi subjiciantur; *citius* enim in pulverem abeunt, & *spirituosa* eorum *pars* levis & citò *evanida* existit, si *longius motum* majorem sustineant. *Notandum* enim, *mortarium Galenicorum*, & *furnum Chymicorum*, in actum utrisque redactis, easdem sæpius operationes producere. *Resolvunt* enim texturam externam corporis, *imminuunt* ejusdem partes, & *volatilisant* spiritum, capsulis & involucris plurimis denudatum. Hoc testantur pulverisationes *antiscorbuticorum*, *odoriferorum*, &c. quæ non solum *odore & sapore* nervos linguæ & narium *Pharmacopæi*, ea contundentis, afficiunt, sed & ipsi pulveres temporis tractu *inodori & insipidi* facti conspiciuntur. Hinc idem mihi evenire videtur *Galenico*, pulveres ex odoriferis simplicibus facienti, & *Chymico* philosophicè calcinanti; uterque enim partium & virium jacturam facit.

Proportio Mellis & pulverum valde *difficilis determinatu* est: ad *tres* autem præcipuas distributiones videtur referri posse.

1. *Ramosa, & mere terrestria*, simplicia, cum minus alterationi obnoxia sint, minorem Mellis copiam requirunt, si tantum præservationis loco *Mel* addatur; sufficeret ergo in iis proportio anatica *pulveris & Mellis*. Cui autem consistentia hæc nimis sicca & solida videtur, tantum insuper *Mellis* adjiciat, quantum placuerit. Optime cum *vino generoso*, *vel spiritu vini*, hæc *Electuaria*, si è calidis *resinosis* confecta sint,

ſint, diluuntur, & in *vaſis* arctius *clauſis* ſervantur.

Sic *duplex* commodum emergit; vis reſinoſa enim ſoluta retinetur, ut facilius in actum reducatur, dein fermentatio & *ſitus* impediuntur, unde actiones non parum alterantur, facile etiam in quibuſvis menſtruis & liquoribus *ſolvuntur*, & diluuntur, ubi alias copia *Mellis ingratos* magnos *hauſtus* efficit, &c.

2. *Viſcoſa* & *Mucilaginoſa* in *Electuarium* cogenda *ſolidioris conſiſtentiæ* eſſe debent, & magnam *Sacchari* aut *Mellis* copiam requirunt, ne rancida fiant, vel motum inteſtinum ſubeant: Referta enim ſunt *aqueis* & *aereis* particulis, quæ faciles *mutationes* ſubeunt; vix autem ullo modo hæ præcaventur, niſi *exhalatione ſuperflui* liquoris. Huic confecto *Electuario* ſiquis *ſpiritum* addat *convenientem*, facile ab omni jacturæ & *immutationis* periculo immune illud reddere poteſt. Ideoque cum *cautela* adhibeantur, aut in totum *arceantur*, aut ſub forma Emulſionis, Tincturæ &c. *ultimo*, loco *Menſtrui* addendi, immiſceantur.

Electuaria Purgantia
Electuarium Caryocoſtinum.

℞. *Coſti amari,*
Sem. Cymini,
Zinziberis albi,
Caryophill. an. ʒij.
Diagrydii ſulphur.
Hermodactylor. albor., à ſuperiori cortice mundat., ana ʒß.
Mellis deſpumat. ℥iv.
M. f. ſ. a. *Elect.*
cui adde
Vini generoſior. q. ſ., reponatur dein uſui.

Vires.

Bilem purgat, viſcerum obſtructionem tollit. Doſis a. ʒj. *ad* ʒiij.

Electuarium Chalibeatum.

℞. *Croc. Martis aperient.* ℥ij.
Crem. Tartar. ℥iiij.
Cinnamom. acut.
Macis, an. ʒvj.

Rhabarb. el.
Cort. exter. Arant.
Cyper. rot. odor. an. ℥ij.
Galang. min. ʒiß.
Mellis despumat. ℥viij.
Sacchar. albiss. ℥xiiij.
M. f. s. a. *Electuarium*,

cui adde

Aq. vitæ, ex uterinis & carminat. conflatæ, q. s. servetur ad usum vase clauso.

Vires.

Leviter purgat, obstructiones, quascunque fere, tollit, præcipue cachexiæ mulierum & virginum conducit, menses pellit, ictero medetur. Dosis a. ʒß. *ad* ʒiij.

Electuarium Cholagogum, sive Diaprunum, Sylvii.

℞. *Pulp. Prunor. acido-dulc.* ℥x.
Crem. Tartar.
Scammon. opt. an. ℥ij.
Rhabarb. el. ʒx.
Cinnamom. acut. ℥ß.
Santal. citrin. ʒij.
Sacchar. clarificat. ℥xvj.
M. f. s. a. *Electuarium.*

Vires.

Bilem expurgat, ejusque fervorem temperat, &c. Dosis à ʒij. *ad* ℥ß.

Electuarium Hydragogum Sylvii.

℞. *Bacc. Junip., in aq. coctar., expressarum, & ad pulpæ consistentiam redactarum,*
Pulpæ Tamarindorum, an ℥iv.
Rad. Jalappæ ℥iß.
Scammon. elect. ℥j.
Cinnam. acuti,
Sem. Fœnic. dulcis an. ʒij.
Sacchar. clarificati ℥x.
M. f. s. a. *Electuar.*

Vi-

Vires.

Serosos & pituitosos humores evacuat. Dosis a. ʒij. *ad* ℥ß.

Electuarium Diacatholicum.

℞. *Rad. Polypodii querni* ℥iiij.
Sem. Fœnic. ʒvj.
Coquantur f. a. ex f. q. aquæ: colat. adde
Sacchar. alb. ℔ij.
Percoquantur in syrupum: in quo dissolve
Pulpæ Cassiæ,
Tamarindorum ℥ij.
dissolutis adde
Fol. Sennæ mundatorum ℥ij.
Rhabarb. el.
Mechoacannæ non cariosæ an. ℥j.
Sem. Anisi ℥ß.
Rad. Glycyrrhizæ ʒij.
M. f. f. a. *Electuarium.*

Vires.

Bilem & melancholicos expurgat humores &c. Dosis ab ℥ß. *ad* ℥j.

Electuarium Purgans Catholicum.

℞. *Rhabarb. opt.*
Fol. Senn. mund.
Agaric. alb. & lev. an. ℥iv.

Leviter contusis & conscissis superfunde *Aq. comm. propemodum ferventis* q. f., infundantur simul per 3. horas; dein clarum à spisso separetur. Fœcibus recentem *calidam* superfunde, ut *colorem* denuo deponat, eodem modo procedendo, si ita libeat, etiam tertia vice. Hasce extractiones confusas evapora ad *mellis* consistentiam. *Dein* fiat seorsim *sequens Tinctura:*

℞. *Scammon. opt.* ℥j.
Rad. Jalapp. ℥iß.
Sp. Vin. vulg., sale tartar. acuat., ℥xij.
M.

Fiat digerendo Tinctura fortissima, per decantationem à fœcibus separanda,

Ultimo præpareur ſ. a. *Pulpa* ſolidior ex
Prunor. ℔ij.
Tamarind. ℔ß.
Sacchar. ℔j.
in qua ſuperius *Extractum*, & præcedens *Tinctura* excipiantur, & mediante calore M. B. ad conſiſtentiam *Electuarii* reductis immiſce.
Ol. Aniſi gtt. xx.
Menthæ, Cort. Arant., Lign. Saſſafr. an. gtt. xv.
M. F. *Electuarium Chymico-Galenicum.*

Vires.

Optime & ſatis blande purgat omnes humores, ſatis grati exiſtit ſaporis, ita, ut infantibus etiam debita doſi propinari poſſit. Doſis à ℈j. *ad* ʒij.

Sequens autem delicatulis, & infirmiori valetudine utentibus, magis conveniens.

Electuarium leniſſimum & ſuaviſſimum.

℞. *Fol. Sennæ mund.* ℥iv.
Agaric. alb. & lev. ℥iij.
Extrahantur cum triplici *infuſione Roſarum pallidarum* fervente, donec omnes vires depoſuerint: dein evaporent ad conſiſtentiam *mellis*: hiſce adde
Extract. albeſc. è Scammon. fact. cum vino, ℥j.
Pulpæ Caſſiæ recenter paratæ,
Tamarindorum an. ℥iv.
Sacch. albiſſim. ℔j.
M.
Fiat ſ. a. *Electuarium*, cui ad conſiſtentiam redacto infunde
Ol. Cinamomi gtt. viij.
Macis,
Lign. Saſſafr. an. gtt. iiij.
Sp. Roſarum fragrantiſſ. ℈j.
M.

Leniter humores, præcipue biliosos, temperat, & evacuat. Doſis à ʒj. *ad* ℥ß.

Antidota & Opiata.

3. Ex *Ramoſis, Viſcoſis, &c.* compoſita ſunt *Antidota* dicta, quæ ut *unionem* & mixturam *ſpirituum & partium* omnium exactam ineant, *Fermentatione* opus habent, unde plerumque *triplam* proportionem *Mellis* requirunt, ut quaſi *innatare* poſſint pulveres fluidiori melli: cujus fluiditas & motus augetur additis *liquoribus vinoſis fermentabilibus*, & ſpi-

ſpiritu turgidis, ut acceleretur inteſtinus fervor, agitatio, & concuſſio, prout in pleriſque aliis, ſic & in hiſce locum tenet, non ſolùm ad *exactiorem mixturam*, ſed & ad *aërem* circumfluum *recipiendum*, poroſque & meatus magis *irregulariter* diſponendos, unde ætherea materia ſuſcepta *de loco in locum* pellendo particulas terreſtres, illi obſtantes, ſenſim *motum ſuum* illis imprimit, qui *fermentationis* principium exiſtit.

Hæc *Electuaria* viribus ſuis haud parum differunt ratione temporis, in quo conficiuntur: Sic *Æſtate* ob *aëris celerrimum motum citiſſimè fluorem nimium* acquirunt particulæ, acidæquæ fiunt auſtero & ingrato ſapore ſæpius conſpicuæ, avolante *ſpiritu tenuiori*, depreſſo reſiduo, qui *paucas, vel contrarias* vires non raro exerit, ut *cereviſiariis*, &c. notiſſimum, qui *cereviſias æſtivas* nullo artificio durabiles efficere queunt, quin acorem contrahant, &c. *Hiems*, nitroſo rigido *ſale ſubacido* ſcatente *aëre*, *fermentationi minus idoneo*, gaudet, unde *motus inteſtinus* (quoniam rigida & ſolida, ob defectum materiæ fluidiſſimæ, pleraque exiſtunt) aut *nullus*, aut valde *tardus*, ſi aliquo *calore externo* promoveatnr, accedit. In *Vere molles ramoſæ*, *radiorum ſolarium* materiâ ſubtiliſſimâ turgidæ, particulæ, volatilitatem & tenuitatem partium ſalinarum exaltantes, *blandum impetum* in craſſiores ramoſo-viſcoſas partes facientes, illas leniter è viciniâ uniûs loci in viciniam alterius pellunt, tunc *æqualis fermentatio*, quæ ſucceſſive unit & attenuat, ſenſimque quaſi ad ſtatum *maturitatis* perducit. In *Autumno* eadem eſt ratio ob cœli mixturam *temperatam*. Hæc verò differentia etiam maxime obſervanda eſt, omnia, quæ in *Vere* fiunt, aptiora eſſe *extemporaneis* uſibus, *illi anno* deſtinatis, quoniam ab ingruente *Æſtate* ob fermentum majus accedens partes illæ *nimis* diſſolvuntur, quam ut *diutius* perſtare poſſint *integris viribus*. Ea autem medio *Autumno* præparata, leni motu impregnata, ob ſubſequentis *Hiemis* rigores non multum extricare ſeſe valentes particulæ, arctius ſibi mutuo involvuntur, *unamqne* fere *maſſam* mediæ conſiſtentiæ efficientes, pleriſque dein *aeris injuriis* reſiſtunt. *Autumnalia ergo præparata ſunt maximæ durationis.* Verum quidem eſt, *motum nimium* poſſe *præcaveri*, ſi *ſolidius* fiat *Electuarium*: motum *augeri*, ſi *fluidius* reddatur *liquoribus vinoſis*; ſed utrumque præter commodum Pharmacopœi & intentionem Medici, cum *primum Electuarium fermentationem difficillime admittat*, *ſecundum citiſſime acidum fiat & pereat.*

Hæc non ſolum in hunc finem explicata ſunt *Pharmacopæis*, ut *tempus præparandi* idoneum eligere norint, ſed præcipuè *Medicis*, quibus

apprimè ſcire convenit, utrum *ſalvis & integris viribus*, ægris ſua medicamenta propinentur. Sic *extractionibus & deſtillationibus* inde faciendis, in *Vere* fermentata præcellunt, &c.

Ex hiſce ſequitur, *ætatem compoſitorum* eſſe Medico inveſtigandam, quæ tantum detrahere, vel addere poteſt *virium*. Sic *Theriaca recenter fermentans* non raro alvum laxat, *vetus* aſtringit. De aliis idem eſto judicium: prout enim *ſpiritus* in fermentatione *ſalino-ramoſus* emergit, eatenus vires ſuas exercet, quæ plane *aliæ* exiſtunt, *terreſtribus* particulis ſolis ferè reſtantibus, in *fugam* redacto per motum continuum *ſpiritu*, &c.

Conſenſus magnus ex ante dictis igitur patet præparatorum *Galenicorum & Chymicorum Medicamentorum fluidorum*. Prout enim in utriſque *ſpiritus Rector* exiſtit, qui dirigit partes terreſtres, & exercet pleraſque actiones, ſic *fuga*, vel *mutatio*, illius magnam *viribus alterationem* inducere debet. *Fuga*, *& exhalatio*, in Chymicè præparatis ſat manifeſtæ ſunt (rariſſime etenim *fermentatio* in hiſce depuratis liquoribus locum obtinet) ſi *diutius* retineantur vaſis, utut accuratius clauſis. *Immutatio* paſſim obviam venit in iiſdem, ubi particulis *terreſtribus* involvuntur *ſpirituoſa* ex parte *corpuſcula*, ut in oleis vetuſtioribus; imo odor plane ſæpius invertitur, ut in aquis ſtillatitiis, &c. videre eſt. Non mirum ergo, ſi mixturæ Galenicæ, è *diverſiſſimis*, toto, ut ajunt, cœlo differentibus, corporibus, ſuâ *materiâ ætherea* gravidis, moleſtam novam viciniam non æquo conſenſu ferentibus, conflatæ, tumultuoſo motu plurimas lædant, *exaltent*, *deprimant*, & *in fugam cogant* particulas, cum omnes motibus illis non æque pareant, vel reſiſtant, ita, ut hoc vel illo modo diſpoſitæ *varios* dein *effectus* producere ſoleant. Nam profecto alio modo operatur *recens* confectus ſpiritus, quam qui *vetuſtate* ſua alterationes & exhalationes plures jam ſuſtinuit: ſic & *alio modo* liquor nos afficit *ante* fermentationem, *in* fermentatione, & *poſt* fermentationem peractam. Prout etiam *compoſitio ſimplicium* alium edit ſpiritum, quam eadem ſimplicia *ſeorſim* deſtillata exhibuiſſent: ſic & *compoſita præparata officinalia* multum differunt â viribus ſimplicium corporum, per ſe conſideratorum.

Multitudo ingredientium in *Electuariis* ſæpius *mixturam inæqualem* conficeret, ni dextra Artificis manu *primò ſingula ſeorſim*, & *poſtea omnia ſimul* miſcerentur. Poſtquam igitur ſimplicia rite collecta, mundata, & à ſuperfluis liberata ſunt, inſpicienda venit conſiſtentia, *mollities* nempe, *durities*, &c. Cui claſſi aſcribendum hoc vel illud ſimplex; nem-

nempè, an *Ramosum*, *Viscosum*, *vel Terrestre* appareat: an *odorum vel inodorum* sit; *facilioris vel difficilioris triturationis*; *quid sit*; *quæ liquida apta sint dissolvendo & excipiendo*; *quæ solida dissolvi, & ulterius imminui queant.* Hisce investigatis opus aggreditur Pharmacopœus.

Mellis purioris *despumatio* & *coctio* fit ad *superfluæ humiditatis* evaporationem, ut *solidius* compositum fiat, & *motum* non statim arripiat. *Pulpæ* si adsint, melli vel incoquendæ, vel cocto addendæ: dein liquida extracta & depurata inodora: Melli tepefacto *pulveres*, *ramosa liquida & solida* admisceantur: Ultimò *odorifera*, & *subtilem halitum spirantia*, ut olea stillatitia, vinum, flores teneriores, &c. Hæc mixtura *pistillo ligneo* optime conquassetur, ut, siquid pulveris non exacte incorporatum sit, illud hac ulteriori agitatione permisceri queat, donec sensim *omnia unita* appareant. *Fermentatio* si acceleranda sit, iteretur *agitatio* per aliquot dies; hæc continuetur per quadrantem circiter horæ singula vice. *Solidior* si fiat consistentia, aquis stillatitiis, vino, aliisve liquoribus convenientibus *diluatur* compositum.

Color ingratus Electuariis adest, ubi varia ingredientia, inamæno colore prædita, miscentur: hinc Pharmacopœi tingere solent sua composita, vel additis corporibus *coloratis*, vel *salium* additamentis, superficiem corpusculorum alio modo disponentium, idem efficiunt.

Salia acida melli permixta in *rubrum* vergere compositum faciunt. Melle vel aliis liquidis prius *salia* diluantur, ut *æqualiter* per totam massam misceantur, ibidemque in omni parte modificationem suam instituere possint, ut solent Tinctores lanæ, qui *maximæ quantitati aquæ* corpora tingentia, & salia dirigentia immergere solent, ut *æqualis* color fiat, &c.

Salia alcalia purpureos, & *obscuros* faciunt *colores Electuariorum*; in minimâ autem copiâ omnia hæc salia requiruntur, ne *gustu*, *vel odore* ullo composita inficiant: Hæc enim, humiditate *aereâ* imprægnata, diffluere & *fermentare* compositum faciunt; melius igitur est *vel* tempore exhibitionis immiscuisse, *vel* in minimâ quantitate addidisse, ut præjudicio contra hoc vel illud medicamentum laborantes ægros decipiamus *coloris immutatione.*

Solutiones metallicæ auri, argenti, cupri, ferri, plumbi, &c. obscuros plane, & nigros reddunt colores, si hisce immisceantur. Res *colorantes* suo *colore* sat notæ sunt, ut non opus sit illarum actiones recensere, cum suâ copiâ onerent in substantiâ admixtæ, vel tincturâ extractâ imbuant *Electuaria.*

In *mutatione coloris* fæpius non levis alteratio odoris & faporis confpicitur; nam ficut in Chymicis *acida fàlia alcalium* fixitatem & volatilitatem egregie variare poffunt: &ècontra *fixa alcalia* addita *acidorum vincula* (quibus illa ligari amant) infringendo, fubtiles in altum evolare finunt particulas; Sic & *acida odoriferum halitum* nimium compefcunt, unde, fi ingratus antea odor, jam gratior evadat neceffe eft; contratio fefe modo *alcalia* habent, ut ante diximus. Particulas inde etiam aliam agendi normam obtinere abunde patet; fic, qui Theriacam abhorrent, addito *acido fpiritu* vix illius *odorem* & *faporem* percipient; augetur vero ejus *fapor* & *odor* addendo *alcali.*

Electuarium Antifebrile.

℞. *Lign. Colubrin.*, *tenuiffime rafi*; ʒij.
Rad. Gentian.
Imperator. an. ʒj.
Cortic. Peruv. ʒiij.
Extract. Card. bened.
Cort. Fraxin. an. ℈ij.
Lign. Saffafr. ʒß.
Camphor. gr. xv.
Sal. Ammon. ℈iij.
Ol. Cort. Aurant. genuin. ℈j.
Garioph. gtt. xij.
Mellis duplum.
M. F. f. a. *Electuarium.*

Vires.

Omnibus febribus conducit, & morbis per fudorem curabilibus, ventriculum roborat, vermes necat. Dofis à ʒj. *ad* ʒij. *in vehiculo convenienti, vel fub forma boli.*

Electuarium Cardiacum.

℞. *Cinamom. acutiff.* ℥ij.
Cort. Pomor. Chinens. ʒvj.
Citrior. ʒiij.
Ligni Aloës ℥ß.
Rad. Contrayerv. recentior. ℥v.
Maceris,
Nucis Mofcat an. ʒiß.
Gariophillor. ℈ij.

Croc.

Croc. ʒß.
Moſci gr. ij.
Ambr. griſ. gr. iiij.
Syr. Sacch. canti duplum.
M. F. ſ. a. *Electuarium ſpiſſius, cui adde*
Q. E. Meliſſ. ʒij.
Lavend. ℈j.
Cort. Pom. Chinens. ʒj.
Sp. fragrant. Roſar. ℈ij.
Ol. Cinam. gtt. iij.
Tinct. granor. Chermes q: ſt
M.

Vires.

Gratiſſimum & fragrantiſſimum exiſtit Electuarium, lentiori ſpirituum motui ſuccurrens, vireſque proſtratas reficiens &c. Doſ. à ʒj. *ad* ʒij. Inde etiam *Aqua vitæ aromatica & cardiaca* ſolâ *infuſione in ſp. vini* parari poterit.

Electuarium è ligno Saſſafras.

℞. *Lign. Saſſafras* ℥ij. Infundatur in *Vini Rhenani* ℔iß. per 14. horas in M. B., colaturæ adde denuo *eandem ligni quantitatem*, ut ante procedendo, idque *tertio* repete, vinum tinctum & colatum admiſce *Sacchari., ad conſiſtent. tabellati cocti, q. ſ.*, ut agitatione ſyrupi conſiſtentiam acquirat, mox injice
Cinnamom. acut pulv. ʒiij.
Eſſentiæ Ejuſdem ʒiß.
Nuc. Moſcat. ℈iß.
Moſc. gr. iij.
Ambræ gris. in ſp. Roſ. ſol. gr. vj.
Fol. Auri pro libitu.
M. F. *Elect.* ſ. a.

Vires.

Cardiacum eſt eximium, ſpiritus reficit, exhilarat. Doſis ad ℥ß. *in vino, vel alio liquore convenienti.*

Quibus major ambræ copia placet, illam addere poterunt.

Theriaca contracta.

℞. *Opii præpar.* ℥ij.

Pulpæ

Pulpæ recent. Scill.
Piper. long. ana ℥iij.
Cinamom.
Scordii,
Olei Nuc. Moſcat. ℥iß.
Rad. Coſti odorat.
Pentaphylli,
Spicæ Nardi Indicæ,
Zingiberis,
Caſſiæ ligneæ,
Croci Britannici,
Piperis albi,
nigri,
Myrrhæ,
Terebinthinæ Cypriæ an. ʒvj.
Calami aromatici,
Gentianæ,
Valerianæ,
Spicæ Celticæ,
Fol. Lauri,
Baccar. Juniperi recent.,
Cardamom. minoris,
Gariophill. Plinii, ana ℥ß.
Chalcitidis toſtæ ʒiij.
Flor. Centaurii minoris,
Caſtorei an. ʒij.
Mellis optime deſpumati triplum:
Electuario ſ. a. præparato adde
Vini generoſioris q. ſ.

ut repetitis agitationibus in motum inteſtinum reducatur, dein uſui reponatur.

Vires.

Cum Theriacæ vulgaris Andromachi viribus convenit, ſudores movet, venenis reſiſtit, febribus malignis conducit. Doſis à ℈j. *ad* ℈iiij.

Alia Contractior Theriaca ſeq. modo fit:

℞. *Rad. Angelicæ,*
Valerian.

Im-

Imperator.
Bacc. Juniper.
Lauri, ana ℥ß.
Nucis Moſcatæ,
Croci,
Rad. Gentianæ,
Zedoariæ,
Macis, an. ʒij.
Myrrhæ,
Fol. Lauri,
Card. benedict.
Gariophillor. an. ʒiij.
Opii, debito modo parati, ℥j.
Mellis triplum,
Vini generoſi q. ſ.
M. f. ſ. a. *Electuarium*, tingendum
Vitrioli Martis leviter calcinati ſ. q.

Vires.

Viribus præcedenti, & vulgariter paratæ, Theriacæ non cedit. Doſis a. ℈j. *ad* ℈iiij.

Philonium Calidum.

℞. *Nucis Moſcatæ* ʒij.
Cinnamomi ℥ß.
Sem. Aniſi,
Fœniculi,
Carvi, an ℥v.
Zinziberis,
Opii bene præparat., an. ʒiij.
Mellis deſpumati triplum.
M. f. ſ. a. *Electuarium.*

Vires.

Somnum conciliat, dolores ſedat, viribus cum laudano opiato convenit. Doſis à ℈ß. *ad* ʒj.

Philonium Frigidum.

℞. *Flor. Roſar. rubrar.* ℥j.
Boli Armenæ veræ,

Rad. Bistortæ, an. ℥ß.
Cassiæ ligneæ opt. ʒvj.
Opii rite præpar. ʒijß.
Mellis despumati triplum.
M. f. s. a. *Electuarium.*

Vires.

Adstringit, diarrhœæ & dysenteriæ prodest, vires Diascordii æquat. Dosis à ℈ß. *ad* ℈j.

Antidota per Extractionem paranda.

Extractiones Electuariorum in usu esse solent, quæ, ut & destillationes eorundem, ubique occurrunt. In hisce *tria vel quatuor* præcipue *observanda*, ut sequitur:

1. Melius est, extracta conficere è *pulveribus simplicium*; sic unaquæque classis seorsim *suo menstruo* extrahi potest, ut ramosa spirituoso ardente menstruo, &c. Alias in *Electuariis* ipsis congeries simplicium hoc vel illud menstruum *admittunt*, aut *respuunt*, aut ob *lentas*, viscosas partes, quibus cœteri pulveres *obducuntur*, *paucissima* tantum quantitas dissolvitur, unde jacturam magnam patitur Artifex.

2. Si *Electuaria extracta* attamen quis velit, ea, quæ *fermentationem fere* jam passa sunt, in usum trahat, eaque non nimis solida; sic enim corpora *magis unita & exaltata* conspiciuntur, quæ *vires suas facilius* menstruo affuso communicare solent.

3. *Duplex menstruum* in extrahendo composito adhibeatur, ut, quicquid *spiritu vinoso* non dissolvatur, illud *aquoso* excipiatur, nisi qùis solas ramosas partes expetat.

4. *Destillanda, fermentata* sint, *Electuaria*; sic spiritus eorundem subtilior elicitur. Plerumque requiritur, ut *ætatem circiter unius anni* obtineant; eo enim tempore claustra reserari queunt, & crassiores partes imminui. Si in *Extractum* cogenda sint *Electuaria*, seq. modo procede:

Theriacale Extractum.

1. ℞. *Specierum ramosarum, theriacam ingredientium q. v.* superfunde iis *Spiritum Vini ad supereminentiam aliquot digitorum*, digerantur per 2. vel 3. dies in M. B., dein clarum à spisso s. a. separetur; fœcibus recentem *spiritum* superfunde, digere, ut ante, eodem modo procedendo, donec tincturam amplius dare neget. *Spiritus* tinctos confunde, & in M. B. abstrahe ad mellis consistentiam: Primus egressus liquor spirituosus

tuosus seorsim excipiatur, phlegmaticus subsequens etiam seorsim asservetur.

2. ℞. *Simplicia viscosa* extrahantur cum *phlegmate praecedenti*, quod, si non sufficiat, cum *aquâ convenienti* augeri potest, additâ paucâ quantitate *spiritus Theriacalis*. Liquores tinctos confunde, & in M. B. abstrahe, & evapora ad mellis spissioris consistentiam.

3. ℞. *Sal alcali è faecibus paratum*, & ex *aliquot recentibus simplicibus*, quod depuretur in *phlegmate aquoso*, & ad siccitatem redactum praecedentibus duobus *extractis* permisceatur.

Mixtura autem *sequens* est:

℞. *Extracti ramosi partes duas,*
Viscosi partes quatuor,
Salis alcali partem semis.
Spiritus q. s.

ut fiat *Extractum* molle, usui servandum in vase accurate clauso.

Vires.

Potenter sudores movet, venenis & febribus resistit, pesti & morbis contagiosis medetur. Dosis a. gr. v. ad ℈ß.

Nota. Hisce paratis etiam olea stillatitia, & terrae ingredientes Theriacam permisceri queunt, si ita placeat, ut in sequenti *Electuario*, per extractionem parato, fit:

Diascordium Sylvii.

℞. *Rad. Gentian.* ℥ß.
Angelic. ʒij.
Fol. sicc. Scordii ℥ij.
Card. bened.
Dictamni Cret. an. ℥ß.
Croc. optim. ʒij.
Acaciae verae ʒiß.

Concisis & crassè contusis affundatur
Spiritus Vini rectificatus ad trium, quatuorve digitorum transversorum supereminentiam.

Stent per horas 24. in loco tepido, *tinctura* tunc effundatur, aliusque *spiritus vini* similis affundatur, digeratur, effundaturque, quoties ad *tincturae* omnis, virtutisque extractionem erit opus.

Tincturae omnes confusae post subsidentiam faecum, siquae sint, clarae puraeque, ab ipsis lentè effundantur, atque *vini spiritus* in M. B. ad ex-

extracti liquidioris vel *julapii* consistentiam iterum separetur, & abstrahatur, qui simili usui servire poterit, aut loco spiritus Aromatici feliciter *aliis medicamentis* admisceri.

2. ℞. *Opii Thebaici q. s.*

Huic blande siccato affunde *Acetum stillatitium ad digitorum* 4. *supereminentiam*: Stet in loco tepido tamdiu, donec *tinctura* rubicunda eliciatur; quæ effundenda & seorsim servanda, donec simili modo ex *opio* reliquo *tinctura* reliqua extrahatur.

Tincturæ omnes, post subsidentiam clarescentes, à subsidentibus fœcibus effundantur, & similiter ad *extracti mollioris* aut *syrupi* fluidioris consistentiam igne lento deducantur.

3. ℞. *Rad. Imperatoriæ* ℥j.
Cassiæ ligneæ,
Cinnamomi optimi, *an.* ℥ß.
Nucis Moscatæ ʒiiß.
M. F. *Pulv.* tenuissimus.

4. ℞. *Boli Armenæ veræ* ℥ß.
Teratur seorsim ac cribretur, mox in porphyrite lævigetur in *pollinem*.

5. ℞. *Gummi Arabici vermiculati* ℥ß.
Solvatur in
Aq. Fœniculi ℥j. *vel* ℥iß.

6. ℞. *Extractum prius totum*,
Extracti Opii ʒij.
Pulverem utrumque;
Hæc simul misce, addendo paulatim
Gummi Arabicum solutum:
Simul misceantur exactè, &, si consistentia videatur solidior, adde
Syr. Myrtini q. s.
M. f. s. a. *Opiatum*.

Vires.

Sudores potenter movet, astringit, anodynum est, unde convenit in plerisque morbis per sudores curabilibus, ut & in diarrhœa, dysenteria, &c. Usus ejus est in formâ pilularum, vel in haustu, vel in mixturis. Dosis à gr. v. ad ℈j.

CAP.

CAP. XXIV.

De Trochiscis & Tabellis.

Trochisci & Tabellæ Electuaria solida dici queunt; *composita* enim *è diversis pulveribus exceptis in ramosis viscosisque corporibus existunt.*

Trochisci ob *triplicem usum* præcipue parantur:

1. Pulverisatis speciebus *reservandis*; quoniam cito evanidus *spiritus* existit in pulveribus ob *rupturam* & læsionem totalem *capsularum*, humorem spirituosum continentium, qui *liberiori aere* fruens evanescit in auras. Sin autem humiditatis aquosæ copia cum spiritu adsit, facile *situm* contrahit, & rancidus fit, ut patet in seminibus mucilaginosis & frigidis dictis. Hi igitur *pulveres* undiquaque circumducuntur glutinosis particulis, ut in *unam solidam* cogantur abire massam, quæ exiccata, & durior facta externas aeris injurias arcere possit exitu effluviis ob repleta interstitia negato. Unde diuturnioris sub hac formâ sunt *durationis* hæc in pulverem redacta corpora. Hujus generis sunt:

Trochisci Alexiterii Londinensium.

℞. *Rad. Zedoariæ,*
Pulv. è chelis Cancrorum an. ℥iß,
Cort. exterior. recent. Citri raspat.,
Sem. Angelicæ, an. ℥j.
Bol. Armenæ ℥ß.
Sacch. cristallini triplum.
M. f. *pulv. subtiliss.*

qui cum s. q. *mucilaginis gum. Tragacanthi*, in *aquâ Theriacali stillat.* extractæ, in *pastam* redigatur, ex qua formentur *Trochisci.*

Vires.

Febribus malignis & venenis adversantur, sudores movent. Dosis ℈j. *ad* ℈iiij.

Quibus cort. Citri condit placent, illos assumere eis liberum erit. Ego illorum loco *recentes raspatos* assumsi majorum, ut puto, virium.

Trochisci de Camphora Eorundem.

℞. *Camphoræ* ℥ß.
Croci ℥ij.
Amyli ℥iij.

Rosar. rubr.
Gum. Arab.
Tragacanth.
Scobis Ebor. an. ℥ß.
Sem. Cucum. mund.
Portulac.
Glycyrrhizæ raſ. an. ℥j.

Cum *mucilagine ſem. pſyllii, aqua Roſarum extractâ*, f. ſ. a. *Trochiſci.*

Vires.

Exæſtuationem humorum acrium leniunt, & temperant, morbis calidis conveniunt, tuſſi ſuccurrunt, & pectoris vitiis. Doſis a. ℈b. *ad* ℈iij.

Iidem *Trochiſci* fieri queunt *abſque mucilagine*, ſi tantum irroretur pulvis cum aq. convenienti, ob *gummata admixta*: quanquam, ſi *extemporaneis* uſibus deſtinentur hi pulveres, ſufficiat illos ita retinere ad uſum præſentem; hæc enim præparatio tantum *aſſervandis ſimplicium pulveribus abſque virium jactura* inſervit.

2. *Manducationi* inſerviunt, & *deglutitioni facilitandæ*; *duas* præſertim ob *rationes* in hanc *formulam* rediguntur pulveres, 1. ut *gratiores* ſint *guſtui*, ſaccharo & *dulcioribus* circumveſtiuntur res pulveriſatæ, quæ alias ingrato vel *acri* ſapore moleſtæ eſſent, & copiâ faſtidium parerent, ut ſunt aromata. &c. 2. Ut ſenſim ac ſenſim per omnia latera vaſorum, per quæ deſcendere *Trochiſci manducati* coguntur, demulceant & *leniant*, quod ſub formâ *pulveris* non fieret. In hiſce *obſervandum*, ne *nimia* quantitas ſacchari, vel mucilaginis excipientis, pulveris vires retardet vel mutet, quod & in præcedentibus notari debet. *Colorantur*, ut in *conſpectu* gratiores fiant hoc vel illo pulvere vel ſucco addito. *Reſervandi in loco calido & ſicco* ſunt, ne molles fiant, & lentorem contrahant. Hujus claſſis ſunt

Trochiſci Bechici albi Amſtelod.

℞. *Sacchari puriſſ.* ℔j.
Canti alb.
Penidiat. ana. ℥iiij.
Rad. Iridis Florent. ℥ß.
Glycirrhizæ ʒvj.
Amyli ʒiß.

Cum ſ. q. *mucilaginis gum. Tragacanth., aq. Roſarum* extractæ, fiant *Trochiſci* parvi.

Tro-

Trochisci Bechici nigri.

℞. *Succ. Glycirrhizæ,*
Sacchar. albiss. an. ℥xij.
Flaved. rad. Glycirrhizæ ℥iiij.
Ol. Nucist. express. ʒß.
Anisi ℈ij.
Camphoræ ℈ß.

Cum s. q. *mucilag. gumm. Tragacanth.*, vel etiam *absque ea*, f. s. a. *Trochisci.*

Vires.

Utrique pectoris vitiis conducunt, asthmati medentur, humorum acrium ferociam leniunt. Dosis pro re natâ

3. *Suffumigiis & odoribus gratis exhalandis* dicati sunt. Hoc genus *varia figura & forma* præparatur, cui *diversa nomina* ad figuræ exterioris differentiam tribuuntur, ut Pomum Ambræ, ubi *Pomi*, Candelæ fumales, ubi *Candelæ* figura gaudent &c. In hisce *Trochiscis* observetur *selectus odoriferorum* simplicium, quæ per se odorem benignum spirant, vel, quæ in vapores & halitus suaveolentes mediante *calore* resolvuntur. Horum differentium *simplicium diversitas* etiam *magna* inter se conspicitur; sic *odorifera* dantur, à quibus plurimæ partes secedentes, nervisque nostris occurrentes, eosdem *blande* afficiunt, ut sunt omnia oleo, & sale volatili tenui scatentia. Hæc ob jacturam partium continuam *non diu* perstant in odore. Alia sunt, quæ *magis incarcerata* resinosis solidis partibus *non nisi levi* adhibita *fricatione*, vel *alio* externo *motu*, ut extricare sese possint, *odorem* spargunt, ut sunt resinosa odorifera, ligna, radices, resinæ, &c. Hæc *diutius* perstant, *sed debiliorem odorem* de se dimittunt. Alia itidem sunt, quæ *aëris* ab ingressu vires suas odoras evehunt, minimâ tamen cum partium jacturâ, ita ut *aer* modificatus per ingressum & egressum tantum videatur esse dispositus ad hunc vel illum *odorem* exhibendum, ut sunt moscus, ambra, &c. Quæ *calorem ignis* requirunt, ea vel immediate *prunis* objiciuntur, ut resinæ, ligna, & fructus aromatici, vel *mediante aquâ* quacunque adhibitâ odoriferum halitum præbent. Hanc seriem absolvunt:

Pomum Ambræ.

℞. *Irid. Florent.* ʒx.
Storac. Calam. ℥ß.
Rosar. rubr. ℥iß.
Lign. Santal. citrin. ℥j.

Ga-

Gariophillor. ʒvj.
Benſoes ʒv.
Gran. Macalep.
Sem. Moſc. an. ʒiij.
Camphor. gr. ij.
Moſchi,
Zibeth. an. gr. j.
Ol. Jaſmin. ℈j.
Lign. Rhod.
Cinnam. an. gutt. iiij.
Balſ. Peruvian. ℈ß.

Cum *mucilag. gum. Tragacanth.*, in *aq. Roſar.* ſolutâ, fiant ſ. a. *Poma.*

Candelæ odoriferæ.

℞. *Ligni Aloës* ʒiij.
Santal. citrin. ʒx.
Benſoes,
Storac. calam. an. ʒij.
Thuris ʒj.
Gariophillor. ℈iiij.
Balſ. Peruvian. ℈ß.
Storac. liquid. ʒß.
Carbon. Tiliæ ℥j.

Cum *Sp. Vin. odorif.* & parva quantitate *mucilaginis gum. Tragacanth.* f. ſ. a. *Candelæ.*

Vires.

Utraque odore & halitu ſuaveolento ſpiritus reficiunt.

Tabellarum Præparatio.

Immodicus Sacchari uſus in tota fere Medicina Galenica obviam venit, unde non minimus eorundem *medicamentorum* contemptus & *faſtidium* ortum duxit: imo per nimiam *ſacchari fermentabilitatem*, & pulverum in eo dilutionem, *vehementius diviſæ à ſe invicem particulæ*, & *figuram & efficaciam* ſuam *citiſſime* contra intentionem medicam & cum damno ægrorum *mutant.* Non alibi autem manifeſtius hæc ratio valet, quam in *Tabellis*, quæ fere totæ quantæ quantæ ſaccharum ſunt. In gratiam autem *delicatulorum* hæc *ſemi-medicamenta* huic etiam ordini inſeremus, præcipue, quoniam hæc non raro *Aulicis Medicis*, ut & *guſtum*

ſtum potius, quam vires medicamenti expetentibus *delicatis*, & palato ſuo deditis, arridere obſervemus.

Tabellæ igitur *ſunt Electuaria ſolidiſſima, ob ſolum guſtum, ſi mero interno uſui deſtinentur, & maſticationem gratam parandæ. Diverſæ* attamen fieri queunt pro *intentione* & libitu Medici & Ægri. *Saccharum* ſola baſis & recipiens exiſtit in hoc medicamenti genere, unde etiam, ubi Saccharum ad *ſoliditatem* reducendum præſcribit *Medicus*, ad *Tabellati* conſiſtentiam illud coquendum eſſe dicit. *Sequentes* exiſtunt differentiæ:

1. Fiunt è meris *pulveribus* & *Saccharo*: Pulveres hi vel mere *terreſtres* ſunt, ut perlæ, &c. & in minori quantitate permiſcentur, vel gummoſi & reſinoſi exiſtunt, & in majori copia *Saccharo* cocto adduntur, unde præparatio variat.

Tabellæ Perlatæ.

℞. *Sacchar. albiſſim., cum aqu. Roſar. ad conſiſtentiam tabell. per-cocti*, ℔j. *Margarit. præpar.* ℥ß.

M. f. ſ. a. *Tabellæ*.

Vires.

Cardiacæ ſunt, acidum infringunt, ſed præſtat Perlas præpar. in ſubſtantiâ exhibere.

Tabellæ purgantes.

℞. *Scammon-præpar.* ʒj.
Rad. Jalapp.
Fol. Senn. an. ʒij.
Rhabarb. el. ʒiij.
Merc, dulc. ℈j.
Sacchar. albiſſ., in aq. vel infuſion. Tanaceti ad tabell. conſiſtent. cocti, ℔j.

M. f. ſ. a. *Tabellæ*.

Vires.

Alvum leniter ſubducunt, vermes necant, putredini reſiſtunt. Doſis à ʒß. *ad.* ℥ß.

Pro Vermibus Tabellæ.

℞. *Sem. Zedoar.* ʒij.
Corall. præpar. ʒiß.

Camphor. gr. vj.
Merc. dulc.
Croc. Mart. aper. an. ℈ij.
Santal. rubr.
Scammon. sulph. an. ʒj.
Sacch. albissim. ʒvj.
Infusionis limpidæ, ex Tanaceto & Abrotano cum aqua fervent factæ, ℥iij.

Coquatur *Saccharum* ad consistentiam *Tabellati* cum illa infusione, coagulanti immisce pulveres, celerique manu effunde, & in debitas *formas quadratas* mediante cultello reducito, quibus adhuc calentibus superliniatur aliquid *olei fœniculi* ad gratiam, dein ad usum recondantur.

Vires.

Vermibus & putredini resistunt, levissime purgant, infantibus prosunt in lienis obstructione &c. Dosis à ℈j. *ad* ʒj.

2. Fiunt & ex *acidis*, verum minima quantitas *acidi* cum possit admisceri, *sequenti* modo procedendum est:

Tabellæ de Berberis.

℞. *Sacchar. albiss. pulverisat.* ℔j.
Incalescat, donec fere liquefiat, dein adde
Succi Berberorum evaporat. ad medias
q. s. M. f. s. a. *Tabellæ.*

Vires.

Leviter refrigerant, sitim temperant, unde conveniunt in morbis, & febribus ardentibus &c. Dosis pro re natâ.

Eodem modo fiunt *Tabellæ* de succo Limonum &c.

3. *Olea stillatitia* non facile *Saccharo* permiscentur, quin solidam consistentiam tollant, ideoque hunc in modum confici solent:

Tabellæ Garyophillatæ.

℞. *Sacchar., ad consistentiam tabell. cocti,* ℥v.
Huic fere coagulato adde
Olei Garyoph. gutt. vj.
M. f. s. a. *Tabellæ.*

Vires.

Ventriculum roborant, frigidis morbis, è viscida intemperie ortis, medentur.

Etiam

Etiam effuso in *Tabellas* saccharo, cum plumaceolo *oleo* imbuto superficies sacchari calentis leviter obduci potest; sic *oleum* absorbetur, & *Tabellæ odore* & *sapore olei* imprægnantur.

Hæ tabellæ notiores esse solent iis, qui Condimenta varia è Saccharo conficere solent, quam Pharmacopæis, quoniam, ut superius dictum, potius ad gratiam, quam ad vires inde obtinendas conficiuntur, ideoque non diu hisce immoramur.

Sacchari descriptionem hic obiter addemus, ad meliorem notionem inde obtinendam tam in viribus ejus Medicis, quam in *præparationibus* compositionum, *Saccharum* est succus arundinis condensatus, naturaliter constans particulis aquosis, viscosis, ramosis & terrestribus. Viscosæ & aquosæ partes plurimæ mediante arte ab ipso separantur, unde magis solidum & durabile *saccharum* evadit: Aquoso-viscosa pars enim ab *Aeris* humido facile dissolvitur, & diffluit in nigricantem succum fluidum. Cœteræ partes viscoso-ramosæ albicant, quæ albedo eo intensior est, quo aliæ magis ab hisce separantur; inde etiam *soliditas ejus* major vel minor existit: Hæ maximè in usum trahuntur pro *Tabellis* conficiendis; Cœteræ non adeo, ut dicunt, refinatæ pro syruporum confectione sufficiunt, quæ & meliores ei usui sunt, quoniam non tam facile concrescunt in *cristallos* &c. Quoad cœteras ejus *actiones in ejus mixtione*, extractione &c. hæ præcipuæ sunt:

1. Non facile *oleis* vel pinguedinibus associatur coctum, vel solutum saccharum, sed tantum *pulverisatum*.

2. *Acidorum consortium ipsi inimicum*, si solidam retinere & recuperare debeat consistentiam; imo & *color* illius exinde mutatur, ut in syrupis notavimus.

3. Valde *inflammabile* est ob partes ramosas ibidem existentes in sat magna copia.

4. *Extractionem difficillime* admittit menstruis *spirituosis* vel ramosis, *dissolutionem* autem *facilem in aqua*.

5. *Spiritum* valde *acidum* in destillatione exhibet, ut & oleum empyreumaticum, ut omnia fere ramosa vegetabilia.

6. *Fermentationem* facillime subit dilutum cum *aqua*.

7. *Alcalia* in ipso *deliquationem* partium *aquoso-viscosarum* promovent, unde in usum trahuntur lixivia è *calce* confecta ad ipsius depurationem.

Ex hisce ejus natura satis patet, & quodnam Saccharum pro *Tabellis* præcedentibus, Syrupis & Conservis eligendum sit; iis ergo nunc diutius non immorabimur brevitati studentes.

CAP. XXV.

De Pulveribus.

Pulverisatio est viciniæ & cohæsionis immediatæ corporum turbatio & læsio, ita ut majores corpusculorum solidorum mixturæ & massæ in *extrema superficie* se invicem tangentes, à se mutuo dilaceratæ, in multas minutias & *ramenta*, *proprios* attamen *poros* & *compositionem naturalem* reservantia, abire cogantur. Hunc in *finem* præcipuè parantur pulveres, ut *quibuscunque* postea *figuris & formis capessendis* idonea existant corpora. Hi igitur *pulveres seu species* ad modum in principiis, &c. explicatum conficiendi veniunt, id est, quantum possibile, cavendum est.

1. Ne *spiritus* se invicem destruant.
2. Ne *diutius* asserventur.
3. Ne in *loco humido* detineantur.

Pulverisatio sequentia observando rite absolvitur:

1. Omnia *Aromata* diutius non terantur, nec in minimum pulverem reducantur ob tenuium partium *fugam*. Chymia enim docet, pulverisata, & in alcohol redacta *vix mediam partem olei* fundere; & pulvis tenuior, facilem situm vel fugam partium asservatus admittit.

2. Omnia *oleo crassiori & pingui fixiori abundantia* per se in pulverem impalpabilem non abeunt, nisi siccioribus & meris terrestribus permisceantur; molles enim & unctuosæ fiunt partes, mediante triturationis motu aliquomodo liquefactæ, ut Nux Moscata, Macis, Semina Frigida, Calida, &c.

3. Omnia *Resinosa per se* sola pistillo subjiciantur, & fere tantum lævigentur, non fortiter contundantur ob tres rationes:

1. Ob *spirituum* in iis *diversitatem*, ut antea explicavimus.
2. Facilem ob *colliquationem à calore* susceptam.
3. Ob *mollitiem & flexibilitatem illarum partium*, quæ potius flectuntur ad se invicem, antequam dissiliant.

In hisce etiam triturandis *pinguedine* aliqua *fundum mortarii* leviter inungere non inutile est, ne illi *pulvis* adhæreat.

4. Omnia *viscosa* aquâ superfluâ liberentur, ut rigidiora evadant & facilius frangantur: præcipue, ubi *flores & folia* odorifera in pulverem sunt redigenda, ut tanto citius mortarium subterfugiant *integris adhuc* perstantibus illorum *viribus*. Hæc ergo, quæ faciliş sunt pulverisationis, seorsim

seorsim misceantur, quæ difficilius pistillo obediunt, etiam suæ classi permisceantur. Sic Flores & Folia *odorifera* mixta injiciantur mortario, *inodori* cum radicibus & corticibus contundantur.

5. *Omnia salsa, acida & corrosiva* mortarium & pistillum requirunt *vitreum, lapideum* vel *ligneum*, ne *metalla* corrosa vel soluta salia illa viribus suis inficiant & alterent.

6. Omnia *duriora*, quæ mortario & pistillo noxia sunt ob solidam partium cohæsionem & duritiem, *præparanda* sunt, frangenda & in viciniâ suâ lædenda, antequam contundantur & lævigentur, ut cristallus montana, lapides pretiosi, &c. Præparatio *seq.* modo fit:

℞. *Lapides quoscunque*, eos candefac in crucibulo, candentes projice in *aquam*, sic dissilient; eandem operationem bis vel ter continua, donec friabiles evadant, dein pulverisentur. Hæc *aqua*, in qua lapides vel silices extinguuntur, *viribus eorum* potioribus *impragnatur*, unde in re Medica utilis esse potest: imo sæpius *majora* præstat ipsis corporibus.

7. *Olea & cariora ramosa*, ut ambra grisea, zibeth, moscus, &c. quoniam in minima quantitate in usum accersuntur, & per se in pulverem raro, vel nunquam exactum abeant, cum *saccharo candisato* pulverisantur. Exempla *sequentia* dabimus.

Pulvis Diasennæ.

℞. *Fol. Sennæ mund.* ℥ij.
Cremor. Tartar. ℥j.
Garyophill.
Macis,
Cinam. an. ʒij.
Galang.
Sem. Fœnic. dulc.
Diagrid, an. ʒj.
M. f. *Pulvis.*

Vires.

Melancholicos & biliosos expurgat humores, flatus discutit, &c. Dosis à ℈j. *ad* ℈iiij.

Diaturbith cum Rhabarbaro.

℞. *Turbith gummosi,*
Hermodactil. an. ℥j.
Rhei elect. ʒx.

Diagrydii ℥ß.
Zinziberis,
Mastiches,
Sem. Anisi,
Cinamom.
Croci Britannic. ana ℈ij.

M. f. *Pulvis.*

Vires.

Pituitam & bilem evacuat, acrimoniam humorum temperat, illos tollendo alioque modo disponendo. Dos. à. ℈j. ad ʒj.

Pulvis Comitis Warwicensis.

℞. Diagrydii sulphurati ℥ij.
Antimonii diaphoretici opt. ℥j.
Crem. Tartari ℥ß.

M. f. *Pulvis.*

Vires.

Leniter purgat noxios humores, dein non raro sudores movet, febribus adversatur, exæstuationem sanguinis ab obstructione ortam sedat. Dosis à. ℈ß. ad ʒß.

Pulvis Cachecticus.

℞. Limat. Chalibis pp. ℥j.
Corallior. rubr. præp.
Fœcul. rad. Brion. an. ʒij.
Corn. Cerv. limat.
Succin. præp.
Cinamom.
Macis, an. ℈iiij.
Sacchar. ℥iij.

M. f. *Pulvis.*

Vires.

Acidum temperat, humores depravatos educit, menses movet, cachexiæ mulierum & virginum subvenit. Dosis a. ℈j. ad ʒj.

Pulvis Anti-nephriticus.

℞. Rad. Apii,
Saxifrag. an. ʒij.

Oc. Cancr. ʒj.
Tart. Vitriol.
Lap. Prunell. an. ℈ij.
Crem. Tartar. ℈iiij.
Ol. Macis ſtill. gtt. iiij.
M. Fiat. *Pulvis.*

Vires.

Urinam promovet, calculum pellit, menſes movet, &c. Doſis à. ℈j. *ad* ʒj.

Pulvis ad Vermes:

℞. *Sem. Zedoariæ* ʒij.
Comar. Abſinth.
Flor. Tanacet.
Fol. Abrotan. an. ʒj.
Corallin.
Corn. Cerv. philoſoph. præp. an. ʒß.
Fol. Sennæ ʒß.
Merc. dulc. ℈j.
Vitriol. Martis ℈ij.
M. F. *Pulvis.*

Vires.

Vermes necat & expellit, motum nimium humorum acrium compeſcit, leniter evacuat; Doſis à. ℈ß. *ad* ℈j.

Alter Pulvis Mineralis.

℞. *Vitriol. Martis ad albedinem exiccat.* ʒj.
Mercur. dulc. ℈j.
Sacchar. Saturn. ℈ß.
Camphor. gr. vj.
Ol. Tanacet. gtt. ij.
M. F. *Pulvis.*

Vires.

In obſtructione pertinaci lienis, meſenterii, pancreatis &c. convenit, lymphæ incraſſationem præcavet, alvum movet, vermes necat, cachexiæ prodeſt. Doſis à gr. v. ad ℈ß. *ſemel aut bis de die.*

Pulvis

Pulvis Sudoriferus.

℞. *Fol. Card. bened.* ℥iij.
Rad. Angelic.
Imperat.
Valerian. an. ʒß.
Contrayerv. ʒv.
Oc. Cancr. præp.
Conchar. præp. an. ʒij.
Camphor. ℈ij.
Croci ℈iiij.
Opii rite præp. ʒß.
M. F. *Pulvis.*

Vires.

Diaphoresin egregiè movet, alexipharmacus est, febribus intermittentibus & contagiosis medetur, dolores, è quacunque causâ ortos, sedat. Dosis à ℈ß. *ad* ℈ij.

Pulvis Dentifricius.

℞. *Lap. Pumicis* ℥iij.
Aluminis usti ℥j.
Cristall. Tartar. ℥ij.
Sp. Sal. comm. gtt. x.
Ol. Cinam. gtt. ij.
Lign. Rhod. gtt. j.
M. Fiat. *Pulvis.*

Vires.

Dentium fœcibus tollendis inservit, & superficiei eorundem mundificandæ, ut & ad halitum oris suaviorem efficiendum. Loco oleorum etiam Essentia Ambræ, vel similia suaveolentia extracta, admisceri queunt.

CAP. XXVI.

De Pilulis.

Pilulæ à *pilæ* rotunditate dictæ sunt. Ad modum fere *Trochiscorum* confici possunt; ita ut meri sint pulveres, excepti in partibus ramosis vel viscosis. Corpora excipientia sunt *Mel*, ubi *mollioris* consisten-

tiæ

tiæ desiderantur, ut *continuo* è massâ confectâ *Pilulæ* fieri queant, quoniam non tam facile exsiccatur: *Saccharum*, vel potius *Syrupus*, ob easdem rationes admiscetur, sed non tam bene; dura enim & *solida* evadit consistentia massæ, nisi quis *extempore* inde *Pilulas* conficere intendat, illasque paratas *servare* velit, ne denuo coalescant. At vero, si *fastidium* plurimorum ægrorum in *Pilulis* ingerendis conspiciamus, profecto dosis earundem, quo contractior, eo melior, esse debet, ut *in parvâ dosi magnas vires* exhibeant: ideoque *Saccharum & Mel*, quæ non magnam cohæsionem illarum partium terrestrium efficiunt, *fere inutilia*, nisi pro dosi augenda, censentur, exceptis *Pilulis* iis, quæ è meris *terrestribus* conflantur. Ut autem accuratum & succinctum præparandi modum demus, *Pilulas* in *tres* classes, secundum principia data dividemus, *Viscosas*, *Ramosas*, & *Terrestres*.

1. *Viscosa* facile per se in *Pilularum* formam reducibilia sunt, additâ quâcunque *aquâ* convenienti; sic ex aloë lotâ solâ *Pilulæ* fiunt, ut & è succis condensatis & gummi-resinis, in debito menstruo dissolutis, depuratis, & ad debitam consistentiam reductis, massa paratur, *Pilulis* inde conficiendis apta. Hæc massa, si *durior & siccior* temporis tractu evadat, facile *mollis & humida* redditur, si in cella, vel alio loco humido, detineatur per breve temporis spatium. Ex *omnibus fere simplicibus* talia *extracta viscosa* fieri queunt, si excipias *mera resinosa*, quæ *aqueum* consortium respuunt, quæ attamen non adeo resinosa sunt, quin aliquas saltem in *coctione, vel infusione*, dimittant partes, ut jalappa, scammonium, &c. *Viscosa* talia extracta *in minori dosi & facilius purgant*, ut alibi dictum. In hisce observandum est, *consistentiam nimis mollem summopere vitandam* esse, quoniam *situm* contrahunt, vel rancida, &c. fiunt ob internum motum susceptum; in *vesicâ* detineatur massa arctius clausâ *oleo* leviter oblitâ, nequid exspirare vel adhærere possit.

2. *Resinosa* cum *Spiritu Vini*, vel liquoribus *spirituosis* convenientibus, haud difficulter in unam massam coalescunt, *Pilulis* inde formandis idoneam; imo & alios *terrestres* excipere possunt pulveres, ut in massam unam abeant. Hæc massa dura & *solida citissimè evadit*, si in *loco calido*, vel *aperto in aëre*, asservetur, ita, ut opus sit ad *Pilulas* inde formandas *denuo* cum *spiritu* aliquo massam in pulverem redactam humectare: cui incommodo ut occurratur, non abs re foret, in principio aliquid *mellis* addidisse, quod non ita facile induratur.

3. *Terrestria* simplicia, id est, quæ succo nativo viscoso, vel ramoso,

so, non in tantâ copiâ instructa sunt, ut cohæsionem admittere possint externo humido adjuta, necessario mel &c. *viscosa requirunt*, antequam *cohærere* valeant: nisi quis exinde *extracta per decoctionem* facere velit. Inter hæc simplicia ea sola eligenda sunt, quæ in *minori dosi* purgant, ut fastidium, è numero pilularum oriundum, ægris tollatur. Sic *Extracta simplicium*, in majori tantum dosi purgantium, aliis multo melius permiscentur.

Salia non admisceantur massæ *Pilularum diutius asservandæ*; citissime enim formam mutant, & ab interno vel externo aëris humido diluuntur. Præstat ergo *salta extemporaneo usui Pilulis* permiscere. Sic etiam olea stillatitia, quæ temporis tractu avolare solent, rarius huic affundantur, nisi sub ipsum exhibitionis tempus. Præstat autem *illa* massæ *admiscere*, quam *numerum & dosin pilularum* additis *aromatum pulveribus augere*; incommodum enim multum prævalet commodo exinde oriundo. Exempla sequentia sunt:

Pilulæ pro Pituitâ viscidâ B. Sylvii.

℞. *Gumm. Galban. cum Aceto Scyllitico præpar.*
Mastich. el. ʒß.
Castorei opt.
Myrrhæ lucid. ana ℈j.
Succin. alb. gr. xv.
Croc. opt. ℈ß.
Aloës rosat. ʒß.
Troch. Alhandal. ℈j.
Ol. Fœnic. still. gutt. vj.
M. f. *Pil. nro. L.*

Vires.

Pituitam viscidam corrigunt, & educunt. Dosis à ℈ß. *ad* ʒß.

Pilulæ Cochiæ minores.

℞. *Aloës lucidæ,*
Scammon. puriss.
Pulpæ Colocynthid. an. ℥j.
Olei Cariophill. ℈j.
Elix. propr. Parac. q. s.
M. f. *Massa.*

Vi-

Vires.

Optime humores fere quoscunque educunt. Dosis à g. vj. ad ℈j.

Pilulæ de Guttâ Gamandræ.

℞. *Aloës lucid.* ʒiiß.
Guttæ Gamandr. ʒiß.
Resin. Scammon. ʒj.
Gum. Ammon. depurat. ʒiß.
Tartar. Vitriolat. ʒß.
M. f. s. a. *Massa Pilul.*

Crassos, melancholicos & biliosos humores evacuat. Dosis à ℈ß. *ad* ℈j.

Pilulæ Martiales.

℞. *Gummi Ammoniac., mediante Vino Rhenano depurati,* ℥ij.
Vitriol. Martis, ad levem rubedinem calcinati, ℥ß.
Scammonei sulphurat. ʒx.
Ol Menthæ gtt. xij.
M. f. *Massa.*

Vires.

Melancholiæ hypochondriacæ, cachexiæ, & obstructionibus pertinacioribus conducit. Dosis à gran. v. ad ℈j. *Præstat autem sæpius repetita minor dosis.*

Pilulæ ad Pituitam vitream Sylvii.

℞. *Gum. Galban. Aceto Scyllit. præp.* ℈ij.
Vitrioli Martis, ad albedinem igne lento calcinati,
Mastich. elect. an. ℈j.
Castorei opt.
Myrrhæ rubr. an. gr. xv.
Croc. orient. ℈ß.
Trochisc. Alband. ʒj.
Resin. Jalapp.
Scammon. an. ℈j.
Ol. Cort. Citr. gutt. vj.
M. f. *Pil.* no. L.

Vires.

Pituitam evacuant, & serosos humores expurgant. Dos. à ℈ß. *ad* ℈j.

Extractum Catholicum.

℞. *Pulpæ Colocynthid.* ℥iij.
Agaric. alb.
Rad. Helleb. nigr.
Brioniæ an. ℥iiij.

Infundantur in *Aq. comm. & vini adusti part. æqual.* in M. B. per 24. horas, dein percoletur liquor tinctus, fœcibus recentem liquorem adde, digere & percola, ut ante, hoc tamdiu repetendo, donec colorem amplius communicare nolit, liquoribus tinctis adde

Aloës lucidæ ℥viij.

ut in iis dissolvatur, denuoque à fœcibus coletur: mediante coctione exhalet dein liquor ad mellis consistentiam, cui ab igne remoto & tepefacto immisce

Scammonei præpar. ℥iiij.
M, f. *Massa Pilul.*

Vires.

*Omnibus humoribus expurgandis conducit. Dosis à gr.*vj. *ad* ℈j.

Nota. Cui volupe est hanc massam aromatum viribus & odore inficere, illud facilè poterit mediantibus *oleis stillatitiis & expressis* absolvere.

Pilulæ Catholicæ nostræ descriptionis.

℞. *Pulp. Colocynthid.* ℔j.
Helleb. nigr. ℔ß.
Gutt. Gamb. ℥ij.
Agaric. ℥x.
Rhabarbar. ℥iv.
Succi, sive decoct. Prunor. q. s. humectandis & extrahendis hisce omnibus.

Digerantur simul per diem. j. Dein leniter per semiquadrantem circiter horæ ebulliant. Postea exprimantur, & fœcibus *recens decoctum* superfundatur, procedendo, ut supra, eandemque operationem adhuc semel repetendo. Solutiones omnes simul evapora ad mellis consistentiam: In hac dissolve

Aloës, succo Rosar. lotæ, ℔j. M. f. *massa Pilular.*

Dos. *à gr.* vj. *ad* ℈j.

Puli-

Pilulæ Pestilential. magistrales.

℞. *Aloës lotæ cum succo, vel decocto, rad. Angelic. Imperator. Valerian. Petasitid. Bacc. Juniper. & herb. Scord.* ℥j.

(*Decoctum, sive succus, tali fit modo.* Nempe:

℞. *Baccar. Juniper. recent.*
Rad. Angelic. Valerian.
Petasitid. Imperator. an. ℥ij.
Herb. Scord. m. iv.

Omnia recentia contundantur simul, &, additâ parva quantitate aquæ calentis, fiat expressio:

♃. *Hujus Succi.* ℥iv.
Aloës. ℥ij.

Solvantur simul. Dein percolentur, & ad consistentiam evaporentur. Aloën hanc denuò cum *recenti succo* misce, & procede, ut antea, hanc operationem adhuc semel repetendo.)

Myrrh. lucid.
Croc. Britannic. ana ℥ß.
Ol. cort. Arantior.
Succin.
Camphor.
Juniper. ana gutt. vj.
Sulph. p. camp. q. s., sive ad gutt. circiter x.

M. f. massa Pilular.

Dos. à ℈ß. *ad* ʒj.

Pilulæ Cochiæ.

Vide Pil. Coch. Pharmacop. Lond.

℞. *Aloës, lotæ cum succo Rosar.* ʒx.
Extr. Colocynth. mediante Vino præpar.,
Extr. Scammon., mediante aq. parat., ana ʒij.
Resin. Turbith. ʒiv.

(Hujus autem loco resina Jalappæ substitui potest, quoniam resina Turbith est valde cara) Misceantur invicem cum

Ol. Lavendul.
Majoran.
Thymi,
Rorism. ana gutt. iij,

Cort. Arantior. gutt. ij.
Gariophyll. gutt. ij.

M. f. massa Pilular.

Dos. *à gr.* iv. *ad gr.* xvj.

Vires. *Conveniunt in omnibus Ventriculi impuritatibus, in vertigine, &c.*

Pil. Cochiæ majores.

Vide Pharmacop. Lond.

Contundantur singula seorsim. Dein misceantur pulverisata simul,

Mellis Massiliensis. ℥ij.,

& superfunde

Elixir. Propr. Paracels., vel Spir. Vin. vulgaris q. s. ut inde fiat massa, sub finem addendo

Ol. Stoechad., vel Rorismarin., vel cujuscunque cephalici, gutt. viij. x. *idque loco flor. Stoechados*;

Hoc enim modo vires non detrahuntur, sed moles imminuitur, quâ nausea creari solet ægrotantibus. Mel etiam Stoechados addi potest. Misce, fiat massa Pilular.

Dos. *ad gr.* xxv.

Nota bene. Mellis pars vigesima sufficit respectu pulverum.

Pilulæ Mastichinæ.

Extrahatur ex *Agaric.* ℥vj. tinctura mediante aq. ferventi, & post macerationem debitam hor. j. vel. ij. misceatur *tinctura cum Aloës lucid.* ℥x. Coq. simul ad consistentiam *Pilularum*, sub finem addendo *Mastich. pulverizat.* ℥ß. f. *massa Pilularis*, cui, si libitum est, parum *Mellis* addi poterit, ne tam citò exiccentur.

Dos. *ad* ℈ij. *ad summum.*

In majori autem dosi operantur, si vulgari modo præparentur secundùm præscriptum, quod sequitur:

℞. *Pulveres Agaric. & Mastiches subtilissimos*, uti in descriptione. Excipiantur in *Aloë*, solutâ mediante coctione, in *sp. Vini.* Vel pulvis fiat omnium, & misceantur optimè simul. Hisce superfunde *Sp. Vin. rect.* vel, quod melius est, *Elixir Proprietat.*, donec in *Pilularum* consistentiam reduci queant.

Pil. Aloëphanginæ.

Vide Pharmacop. Lond.

℞. *Aromata omnia præscripta, præter Lign. Santal. & Lign. Aloës*; Contundantur grosso modo. Superfundatur iis

Aqua

Aquæ alicujus stillatit. Odoriferæ. v. g. Majoran. q. s. ad supereminentiam aliquorum digit.

Sp. Vini vulgaris partem octavam, respectu Aquæ, vel sextam, ad summum.

Digerantur simul, in arena, per hor. xxiv. Dein liquor coletur, & fœcibus recens menstruum superfundatur, in media circiter quantitate, eodem modo procedendo, donec *nullum* ampliùs de se *colorem* præbeat. Ultimò coquantur simul, & ita calidè per linteum colentur. Sic *Oleum crassum Nucis Moschat. & Maceris* per linteum transibit, quod seorsim, refrigeratis omnibus, excipiendum est ad usus sequentes.

℞. *Solutiones omnes.* Confundantur simul. In iis dissolvatur *Aloës præscripta quantitas.* Solutio denuò per linteum coletur, quia semper fœces in Aloë sunt, utut purissimâ, & ad *Extracti* consistentiam evaporetur.

Ab igne postea remotis, & tepefactis, immisce *pulveres* optimè malaxando, sive manibus subigendo, donec æquale appareat compositum.

Nota 1. *Oleum* expressum, crassum, immisceatur *pulveribus*, priusquàm immisceantur.

2. Si nimis *sicca* evadat massa, parum *mellis* addi poterit, quod materiam perpetuò humidam reservabit.

Pilulæ Magistrales.

℞. *Aloës lucid.* ℥ij.
Scammon. ℥j.
Gutt. Gamb. ℥ß.

Pulverizentur singula seorsim. Pulverizatis superfunde
Spir. Nitri dulcem,
ut in massam unam, mediante contusione, reduci possint. Dein adde
Mellis ℈. *circiter.* ij.
f. massa, & formentur Pilulæ, & in usum serventur.

Vires, & usus. *Bilem, pituitam, & serosos humores, optimè purgant: conveniunt in hydrope, mensium obstructionibus, cachexia, & præsertim iis, qui levioribus medicamentis purgari nequeunt.*

Dos. *à gr. v. ad* ℈j.

Nota. Olea etiam aromatica huic massæ permisceri poterunt, quæ nauseam optimè præcavent è Gutt. Gamb.

Pilulæ Magistrales.

℞. *Aloes lotæ* ℥ij.
Diagryd. ℥j.

Gutt.

Gutt. Gamb. ℥ß.
Resin. Jalapp. ʒiij.
Merc. dulc. ℈iiij.
Extract. liquid. fortiss. pulp. Colocinth., mediante Sp. vini fact., q. s., ut inde formari possit s. a. Massa Pilul. aromatisanda cum
Ol. Garioph.,
Carei, an. gut. x.

Vires.

Quoscunque vitiosos evacuat succos in corpore existentes. Dos. à gr. iiij. *ad* ℈j.

Pilulæ Sudoriferæ.

℞. *Gummi Guajac.* ʒij.
Extr. Contrayerv. ʒiß.
Croc. ʒj.
Myrrhæ ℈iiij.
Camphor. ℈ij.
Laud. op. ℈ß. M. F. *Massa.*

Vires.

Febribus malignis conducunt, dolores leniunt, acrimoniam temperant, venenis resistunt, sudores movent. Dosis à ℈ß. *ad* ʒß.

CAP. XXVII.
De Suppositoriis.

Suppositoria cum *pilulis*, & *tabellis* in confectione conveniunt. *Consistentia* eorum solida fit *exhalatione* superfluæ humiditatis *partium viscosarum* latitantis, in quibus dein *pulveres* excipiuntur. Hi pulveres acres esse debent & salsi, ut irritent & stimuli loco intestinis sint ad excretionem facilitandam. Trium præcipuè *generum dantur:*

1. *E simplicibus* corporibus *per se* fiunt *suppositoria liquefaciendo*, ut ex alumine crudo: *conscindendo*, & in debitam figuram reducendo, ut è sapone Veneto: *coquendo*, ut ex melle, saccharo.

2. Eadem fiunt *è diversis pulveribus, melli, vel saccharo, immixtis*, postquam ad debitam consistentiam perductum, *saccharum* nempe, ad consistentiam tabellati, *mel*, donec frigefactum dissiliat contusum, co-

qua-

quatur; dein pulveres, ubi coagulare incipiunt, adjiciantur, poſtea in oblongam digitalem formam reducantur.

Notandum autem eſt, omnia *ſuppoſitoria*, è *melle* conflata, *non diu aſſervari poſſe*, *niſi* in *oleo* aliquo *expreſſo ſubmergantur*, ne ab Aëris humido diffluant. Difficulter etiam pulveres, melli permixti, denuo mediante evaporatione in fragilem & ſolidam conſiſtentiam convertuntur.

3. Dantur etiam *Suppoſitoria è ſolo ſaccharo*, & *è meris gummi & farinis* confecta, quæ *aſſervari queunt illæſa* in loco ſicco & calido. Exemplum *ſequens* normam cœteris conficiendis præſcribet:

Suppoſitorium vulgare.

℞. *Mellis, ad conſiſtentiam cocti, q.ſ.*
Spec. Hieræ picræ ℈ij.
Sal. Gemm. ℈j.
M. f. *Suppoſitorium.*

Sic & ex infinitis aliis *pulveribus purgantium* & ſimilibus *ſalibus additis* eadem parari queunt.

CAP. XXVIII.

De Oleis Expreſſis & Coctis.

Olea expreſſa, eodem modo, ut *Olea ſtillatitia*, *duplicem in claſſem* reduci poſſunt. Ea, quæ *ſpiritu tenui* & veloci prædita ſunt cum interſtitiis liberioribus, *fluida* ſunt. Illa vero, quorum *textura craſſior*. & *unctuoſa*, cum cohæſione & quiete partium magis combinata eſt, *ſolida* dicenda ſunt ob copiam particularum terreſtrium, & penuriam ſpiritus motoris interni. *Aſſimilari inde poſſunt fluida oleis eſſentialibus*, *ſolida oleis empyreumaticis Chymicorum*.

Olea fluida aptiora ſunt *diſſolutionibus*, & *extractionibus ſolidorum* corporum, quam ſolida, ob rariorem texturam, & ob ſpiritus interni copiam: ob haſce enim rationes pleraque menſtrua magis vel minus ſolvere, id eſt, in meatibus ſuis corpora ſolida recipere dicuntur.

Fluiditas oleorum promovetur exhalatione ſuperflui humidi aquoſi, *præcipitatione* fœcum terreſtrium, & ſpiritus interni auſteri *immutatione*. *Exhalatio* fit digerendo, inſolando, vel coquendo. *Præcipitatio* fit per ſubſidentiam, vel ſalibus aliiſque liquoribus additis. *Immutatio* fit alca-

licorum terrestrium corporum additamento, ut calce plumbi, lapide calaminari, creta, &c.

Exaltantur etiam olea defœcata, si cum *spiritu vini rectificatissimo* digerantur, ut dissolutionibus magis apta evadant: unde & sæpius hic spiritus in *ipsa operatione* additur, non ut vires aliquas addat, quoniam cito avolare solet, sed *solutionem promoveat.*

In genere omnibus hisce oleis fluidis inimica *humiditas aquosa*, utpote quæ torporem spiritui salino interno inducit, &, quoniam ob *motum intestinum*, sensim inde conceptum, *rancida & austera* evadunt, *lentoremque* temporis tractu contrahunt: *rancidus* enim *gustus & lentor in iis raro vel nunquam observatur, quæ aquâ carent.*

Olea *expressa crassa* & *balsamica difficilius alterantur* ob defectum aquæ internæ, & ob majorem arctioremque partium cohæsionem, quæ motum non tam facile admittit: Unde *cum unguentis* fere conveniunt; Dissolvere & in interstitiis suis attamen recipere possunt alias partes, si *externo calore* rarefactæ & liquatæ fluidiora reddantur: ut in *balsamis & unguentis* patebit.

Olea hæc *cocta* dicuntur, ubi aliis *simplicium viribus* imbuuntur mediante *coctione*. In *principiorum explicatione* modum exhibuimus: itaque non opus est, eadem hic repetere; *sequentes regulæ* sufficient pro ulteriori instructione:

1. Omnia *in oleo coquenda*, præcipue, ubi *immediato igni* subjicienda veniunt, *sint humida*; sicca enim aduruntur potius, quam extrahuntur. *Humiditate fere exhalatâ statim ab igne* removeantur, neque exspectanda totalis privatio liquoris; facile enim *immutantur vires* simplicium, & *empyreuma* contrahunt.

2. *Coctio*, si possibile sit, *in MB.* peragatur, ut essentia fixior simplicium salva & integra saltem maneat. Illa coctio *diuturnior* esse solet, quoniam non tanti vapores elevantur, humido calore leviter tantum propulsi.

3. *Infusio* ad minimum *bis vel ter repetatur*, *recentia simplicia* substituendo in jam extractorum locum; *difficilius* enim menstruum illud crassum vires eorum extrahit, & particulas *tantum sibi congruas* admittit in suis poris, *reliquas intactas* derelinquit in fœcibus.

4. Olea *defœcata sint & limpida*, ne spiritus obruatur, sed interstitia libera existant.

5. Olea *stillatitia* pro frigidis nervorum, &c. affectibus *externæ illinitioni*; sed *expressa* pro *emplastico usu* assumantur; vulnera enim & ulce-

ra

ra lentam mundificationem & agglutinationem requirunt, &c.

6. Ut extractio promoveatur, *irrorentur simplicia leviter sale tartari, & spiritu vini*, ut eo facilius in oleo particulas suas dimittant; parumper autem primo *comprimantur*, ut undiquaque liquor salino-spirituosus partes r.mosas simplicium extricare possit è suis carceribus.

7. Olea *asservanda singulis annis* ad minimum semel *recentium herbarum* viribus imbuantur, ut tanto majori efficaciâ impraegnentur.

8. Olea jam *præparata in MB. detineantur per 24. horas*, ut omnes *fæces* subsideant & *humor aquosus*, à simplicibus iis communicatus, arceatur; ab hoc enim ejus corruptio, situs, &c. derivantur. Olea dein *limpida ad usum* reponantur.

9. Ubi è *volatilibus sulphureis* confectum est oleum, post omnimodam præparationem peractam *guttæ aliquot olei eorundem simplicium stillatitii* affundantur: sic, quicquid volatile in coctione periit, hoc modo resarcitur.

10. Olea *calida* diligentius reservanda sunt in loco *sicco & frigido*. *Frigida* in *loco calido & sicco* reponuntur, nec tantam curam requirunt, quoniam non tantus fugæ particularum tenuium metus. Exempla *sequentia* proponemus:

Oleum Absinthii.

℞. *Comar., & fol. tenerior. viridium, Absinth. q. v.*
immergantur
Ol. Olivar. q. s.

Macerentur per quindecim dies in sole æstivo, vel in M. B., dein leviter in eodem coquantur, postea exprimatur oleum, cui recentia adde simplicia, procedendo ut ante, idque tertio repetendo: sub finem coquatur oleum viribus simplicium jam gravidum ad humidi superflui privationem, coletur dein, & à fœcibus ulterius separetur macerando in leni MB., clarificato hoc modo oleo infunde

Olei Absinthii stillat. ℥j. ad *Olei cocti* ℔j.

Vires.

Stomachicum est, putredini resistit, vermes necat, affectibus nervorum frigidis succurrit.

Eodem modo parantur.

Ol. Chamæmelinum,
Hyperici,

Majoranæ nobilis,
Menthæ,
Nepethæ,
Rutaceum, &c.

Ubi merè frigida, & astringentia, olea expetuntur, sufficit iteratis infusionibus & coctionibus illa præparasse, ut ex. gr.

Ol. Rosaceum,
Nymphææ, &c.

Convenit etiam loco olei, ex olivis maturis facti, oleum omphacinum, id est, ex immaturis uvis paratum, assumere.

Oleum Nardinum.

℞. *Spicæ Nardi* ℥iij.
Fol. Majoranæ ℥ij.
Lauri,
Lign. Aloes,
Rad. Calami aromatici,
Cyperi,
Helenii,
Cardamomi,
Macis,
Schænanthi an. ℥ß.

Contundenda & conscindenda debito modo imminuantur, hisce dein superfunde

Vini albi q. s.

ut leviter humectentur, prout fere in statu vegeto & viridi fuerunt, quibus liquore turgidis superfunde

Olei olivarum ℔iiijß.

Macerentur in M. B. per 6. vel 8. dies, dein coquantur leviter ad humiditatis superfluæ privationem, & majorem extractionem facilitandam; oleum dein s. a. clarificatum usui serva, cui etiam aliquod oleum stillatitium simplex, vel ex iisdem simplicibus compositum, permisceri potest.

Vires.

Ventriculum roborat, flatus discutit, paralysi medetur, frigidos humores temperat; leviter astringit.

Ad hanc normam cœtera *composita olea cocta* fieri queunt, ut sunt

Ol. Irinum,

Cro-

Crocinum,
de Euphorbio,
de Castoreo, &c.

Oleum Otalgicum.

℞. *Ol. Amygd. amar.*
Papav. alb.
Terræ, an. ʒij.
Petræ ʒj.
Rorismarini. still. ℈ij.
Camphor. ʒß.
M.

Vires.

Dolores aurium sedat, surditati confert, nervorum affectibus frigidis succurrit.

Ol. Sarcoticum.

℞. *Ol. lini* ℥ij.
Ceræ ℥ß.
Bals. crass. flor. Hyperic. ʒiij.
Sarcocoll. ℈iiij.
Aloes. ℈ij.
Camphor. ʒß.
Sacch. Saturn. ʒj.
M.

digerantur simul in fimo equino per 14. dies, colatura postmodum usui servetur.

Vires.

Vulnera quæcunque recentia vel mundificata citissime consolidat.

CAP. XXIX.

De Balsamis.

B*Alsama sunt mixturæ corporum ramosorum, è diversis fluidis & solidis partibus constantes, in linimenti formam redactæ.*

Odoris gratia plerumque fiunt ad *suffitus*, &c. Inodora vel fœtida linimenta potius dicuntur. Dantur & *Balsama mere stillatitia*, quæ nil

aliud *ſunt*, niſi *olea craſſa empyreumatica, poſt tenuius oleum ſubſequentia.*

Balſama odorifera compoſita ſunt ex oleis, halitum tenuem ſpirantibus, & inodoris corporibus ramoſis, quæ corpora excipientia eſſe ſolent. Unum & idem eſt, quodcunque *corpus unctuoſum* aſſumatur, modo omni *odore & ſapore ſpoliatum ſit ingrato.* Odor enim â ſolis fluidis oleis dependere debet, quibus avolantibus corpus reſtat ad illos uſus inutile. Seva ergo, & *quæcunque unctuoſa*, ut & *cera* uſui inſervire queunt, ſi odore omni nativo ſpolientur, nec ingratiora vel rancida fiunt, niſi avolante oleo ſubtili, vel non bene illis præparatis: verum, quoniam *Oleum nuciſtæ expreſſum per ſe gratum* eſſe ſolet, ideo plerumque hiſce præparationibus deſtinatur. *Sequentes* obſervationes utiles eſſe queunt in *Balſamis* rite conficiendis:

1. *Olea ſtillatitia* ſint *genuina*, omni fucatione libera, ne ingratus odor ſubſequatur, qui plerumque ab *oleo terebinthinæ*, &c. additis ſubſequitur, unde querelæ utplurimum oriuntur, *fœtida* & *rancida* fieri temporis tractu *Balſama.*

2. *Corpora craſſa ſuſcipientia ſint bene purgata*, omnibus ſuis ingratis qualitatibus denudata, *expertia* omnis *coloris*, *odoris*, *ſaporis* & *humido* ſuperfluo *orbata*, ne *ſitum* contrahant, unde priſtinus odor & color non raro redintegrantur.

3. Hæc *unctuoſa*, ſi *duriora* ſint, *emollienda* parumper ſunt, ne oleo ſtillatitio ſenſim avolante *mixtura ſolidior* emplaſtri conſiſtentiam acquirat. Excipiuntur ea *Balſama*, quæ ex oleis odoriferis expreſſis componuntur; hæc enim non ita avolare ſolent.

4. *Color genuinus*, quantum poſſibile eſt, iis *impertiatur*, vel ex ipſis *ſimplicibus* in tenuiſſimum pulverem redactis, vel è *magiſteriis* & *laccis herbarum*, &c.

5. Mixturæ difficilioris ſimplicia *contuſione ſola* miſceantur, & in unam maſſam cogantur, ut balſ. Peruvian. ambra, moſcus, &c.

6. E *ſalibus alcalicis*, & *oleis*, *coctione* mediante etiam *Balſama* fieri queunt: Ut & *olea ipſa* ſæpius in *Balſamicam* conſiſtentiam indurantur, exhalatione fluidiorum partium. Mixturæ & præparationes eorum ulterius in ſequentibus innoteſcunt compoſitionibus.

7. Dantur & *Balſama* è *reſinoſis* & *Gummi-reſinis* conflata, quæ in oleo fluido excipiuntur & ſolvuntur, interno & externo uſui dicata, ut exempla *ſequentia* demonſtrant.

Quoniam in *Chymiâ* noſtrâ etiam de *Balſamis odoriferis*, utpote ex

oleis

oleis stillatitiis paratis tractatur, hic aliquot *composita odora* exhibebimus.

Balsamum Jacomo de Pinto.

℞. *Olibani,*
Myrrhæ,
Mastichis,
Aloës,
Sarcocollæ,
Storacis calamitæ,
Bensoes, an. ℥j.
Olei Hyperici ℔iij.
Ceræ Citrinæ ℔ß.
Thereb. Venetæ ℥ij.
Axungiæ Humanæ ℥iß.
Colophoniæ utriusque an. ℥j.
Olei Petræ ℥iß.
Spicæ ℥j.
Baccar. Juniperi ʒij.
Salviæ ℈j.
M.

Omnia contundenda exactè in pulverem redigantur, & oleis, &c. permisceantur, dein in MB. ebulliant circiter per duas horas, donec omnia gummata soluta sint restantibus solis fœcibus, quæ per colaturam separentur; *Balsamum* purum usui serva.

Vires.

Externo & interno usui inservit. Internè hæmorrhoides, fistulam ani, & interna ulcera, curat, sanguinis acredinem tollit. Externè omnibus affectibus frigidis conducit, dolores lenit, &c.

Balsamum Italicum.

℞. *Olei Terebinthinæ.* ℥iiij.
Olivarum ℥xij.
Laurini ℥x.
Juniperi,
Spicæ,
Petræ,
Hyperici, an. ℥j.

Ceræ

Ceræ citrinæ ℥iij.

M.

In MB. liquefiant, & exactè miſceantur, ſeparatis per colatorium fœcibus; hoc *Balſamum* tingatur.

Ligni Santali q. ſ.

Vires.

Affectibus nervorum ſummoperè conducit, vulnerarium eſt, &c.

Balſamum Locatelli.

℞. *Ceræ citrinæ opt.* ℔j.
Olei Olivarum,
Terebinth Venetæ, in aquâ Roſar. ad albedinem lotæ, an ℔iß.
Santal. rubri ſubtil. pulv. ℥ij.
Vini Canarini q. ſ.

M.

Coquantur in MB. ad vini conſumptionem, dein uſui ſervetur.

Vires.

Vulnerarium & Emplaſticum eſt, recentibus vulneribus conducens.

Balſamum Polychreſtum.

℞. *Rad. ſarſaparillæ opt.* ℥v.
Sp. vini ℔iiß.

Infunde in vaſe vitreo, donec ſp. v. colorem aureum obtinuerit. Tum colaturæ adde

Gummi Guaiaci ℥viij.

Digerantur ſimul ſubinde agitando, donec ſolutio plenaria facta fuerit. Poſtea adde Balſami Peruviani cochleare unum.

M. f. *Balſamum.*

Vires.

Sudores movet, uſus in ſcorbuto, lue Venerea, elephantiaſi, &c. *Doſis à gtt.* x. *ad.* ʒij. *in vehiculo convenienti.*

CAP.

CAP. XXX.

De Vernicibus.

Balsamis commode subjungi possunt *Vernices* quæ nil aliud sunt, nisi *mixturæ vel potius*, *solutiones corporum solidiorum*, *valde plana & æquali superficie præditorum*, *quam aliis postea communicant corporibus duris*, *asperis*, *& inæqualibus.* Dantur insuper & talia corpora, quæ post levem suarum *volatilium* partium *fugam* corpuscula magis *solida* & terrestria post se relinquunt, *superficiem* aliorum corporum *obducentia*, eandemque *lævem reddentia*, ut ol. lini, nucum, papaveris albi &c.

In earundem præparatione *hæc præcipuè observanda:*

1. Ut corpora solvenda sint *rigida* & *fragilia*, quam *consistentiam* in ipsâ solutione debent *retinere.*

2. Ut *menstrua* adhibenda pro solutione, ex parte, vel ex toto, sint *volatilia*, *relicto corpore plano*, *solido*, *duro.*

3. Ut *pulveres ingredientes* sint in minima copia, vel, ut plane disspareant, ne *minus æqualis & lucida* reddatur *superficies*.

Secundum hanc normam *sequentes* satis egregiæ fiunt *Vernices* ad quæcunque corpora obducenda; hac tamen cum *observatione*, eo magis tenuem & limpidam debere esse *Vernicem*, quo corpora, vel eorundem *color*, sunt magis *albicantia*, aut *variegata*.

Vernix.

℞. *Ol. lini* ℔j.
Litharg. aur., *opt. pulv.*, ℥vj.

Macerentur, aut potius insolentur, simul in vase *plumbeo aperto* per aliquot septimanas, donec plane limpidum & clarum appareat oleum, crusta in superficie apparente: quod ad usum reservetur.

Alio modo.

℞. *Olei Lini* ℔j.

Coquatur super ignem, donec spuma disspareat, postea sensim injice frusta aliquot exigua panis, sic plurima spuma & ebullitio observabitur, mediantibus particulis aqueis, oleosas crassas de loco pellentibus. Remotis dein frustulis adustis insperge oleo

Calcem quamque Plumbi sicciorem ad drachmas duas vel tres.

Ab igne tunc remotum subsideat & frigefiat oleum, ab acido sale libera-

ratum, & quodammodo illa calce soluta repletum.

Vernix è Succino.

℞. *Succini fragment. q. v.*

Liquefiat in retorta vitrea, donec sal volatile ascendat, & frigefactum in pulverem vertatur, qui *tribus partibus Olei immediatè præcedentis* inspergatur. Coquantur simul in MB. per horam unam, ultimo addatur *drachma una vel altera Vitrioli albi leviter calcinati.* Oleum frigefactum nigricantis coloris dicitur Vernix; hæc, si crassior exstiterit, cum *mediâ parte Sp. Tereb.* dilui potest ad usum.

Vernix è Mastiche.

℞. *Mastichis elect.* ℥ß.
Ol. Terebinth. subt. ℥ij.
Cretæ calcinat. ℈ij.

Committantur omnia vitro in MB. bulliente per horam unam, dein supernatans limpidus liquor decantatus usui servetur in vitro clauso.

Eodem modo è *Sandaracha* &c. præparatur.

Vernix de Gummi Copal.

℞. *Terebinth. Venet.* ℥ij.
Gumm. Copal lucidi ℥j.

Coquantur simul, donec consistentiam fragilem acquisiverint, massâ planè transparente;

℞. *Hujus Massæ* ℥j.
Ol. Tereb. tenuis ℥iij.

Coquantur in MB. per horam semis, dein adde
Vitrioli albi calcinati ℈ij.

Et post subsidentiam refrigeratum liquorem à fœcibus separa.

Vernix Iaponica.

℞. *Gumm. Lacc. depuratæ* ℥j.
Sp. Vini optime rectif. ℥ij.

In subtilissimum pulverem vertatur gummi, optimeque agitetur cum Sp. vini primâ horâ ter vel quater, dein singulis duabus vel tribus horis, ne coalescat, tertio die ad usum citissime coletur per pannum, ut in arctissime clauso vitro servari possit.

Si *Colorata* expetatur, attamen *limpida Vernix*, prius pro *rubro* extrahatur tinctura è sanguine draconis, santalo rubro, cocco &c. pro *aureo & flavo* ex croco, curcuma, aloe &c. Hi colorati spiritus solutioni laccæ

laccæ poſtmodum inſerviunt. Ut *colores* amœniores, & *magis reflectentes* reddantur, *folia metallica* ſubſternantur, ex: gr: auri, argenti, cupri, ſtanni &c.

CAP. XXXI.

De Unguentis.

UNguenta mediæ ſunt conſiſtentiæ inter olea cocta & emplaſtra; mixturæ ſunt è diverſi generis & claſſis ſimplicibus, *externo* plerunque uſui dicatæ.

Triplex datur *Unguentum*, *fluidius*, quod *Linimentum* dicitur, *mollius*, quod *Unguentum* molle vocari poteſt, & *durius*, quod *emplaſtro* mollius eſt.

Linimenta rariſſime aſſervantur, ſed *extempore* ex *Unguentis* & oleis componuntur *præſenti uſui*; mediam conſiſtentiam inter balſama & olea obtinent.

Unguenta mollia è ſolis pinguedinibus, oleis *cerâ* pro *duritie* majori conciliandâ præparantur, & non raro *vegetabilium* viribus imprægnantur. *Liquatio* debita tantum in hiſce obſervanda; *infuſiones* autem ad modum, in *oleis coctis* datum, perficiendæ ſunt, hac tamen cum *differentiâ*: Ea *Unguenta*, quæ *colorata* expetuntur, & herbas recipiunt, vehementius *igne nudo* coquenda ſunt, donec *omni humido* ſpolientur herbæ & ſeva, & *ſaturo colore* tincta appareant; exprimatur dein ſevum, & *recentibus herbis* imprægnetur, poſtea in M. B. coquantur leviter fere ad humiditatis privationem; tertio poſt expreſſionem *recentia vegetabilia* addantur, digerantur in B. M. per 24. horas, dein colentur, ſic colore, ſapore, & odore ſimplicium imbuitur *Unguentum*, ut latius in operationibus patet. Ubi *albedo* expetitur, mixtio *florum*, &c. *frigidè* tantum perficitur, qui, per aliquot horas ubi *ſteterint*, ut odorem ſuum communicare poſſint, ſeparantur ſenſim liquato ſevo & percolato. Hæc *infuſio* toties repetitur, quoties placuerit, vel donec *ſufficienter odore* illorum *florum* imprægnata axungia ſit, dein hæc ſola cum fragrantiſſimâ eadem aquâ *in M. B.* detineatur, ut *fæces* ſuas deponat, quæ ad fundum deciduæ poſt refrigerationem colliguntur, & ſeparantur; *Ultimo* hæc axungia *agitatur*, ut in particulas oblongas & teretes reducatur, ſuperficie majori & æquali inſtructas, unde *albedo*; Poſſunt & Axungiæ ante *coqui* in propriâ *aquâ ſtillatitiâ*, ut *ſuaveolentiam* aliquam aſciſcant.

Unguenta duriora componuntur è plurimis solidis, paucioribus fluidis particulis ramosis, vel è diversis pulveribus corporum solidorum terrestrium, *poros & meatus oleorum* & axungiarum replentibus, &c. Liquatio jungit & intime permiscet omnia seva, axungias, adipes, ceram, &c. si debito modo peragatur. In genere autem *hæc observanda* veniunt:

1. *Resinosa difficilius miscentur oleis* in liquatione, nisi continuo leviter agitentur, ne *fundo* adhæreant & adurantur, unde & sub *finem* liquefactionis adipum & oleorum adjiciuntur, in *frustula* vel *pulveres* redacta, ut *extempore* permisceantur. *Coctio vehementior* illis *noxia*; nam in *glebas* ad fundum concrescunt, & tenue oleum exhalant, unde mixtura inæqualis & virium jactura exsurgunt.

2. *Gummi-resinæ fere omnes sunt lachrymæ vegetabilium ramoso-viscosæ*, exceptis paucis ex arborum lignis densioribus profluentes, quoniam raro omni succo viscoso privantur: hinc *difficilius uniuntur merè ramosis* oleis & axungiis, nisi rite tractentur, & *calore humido* foveantur. *Ignis* enim *immediatus* adhibitus *non raro destructorius* est. *Differentia* illarum *Gummi-resinarum magna* est, *respectu copiæ* majoris vel minoris *partium viscosarum* illis permixtarum, è quibus *mixtionis facilitas vel difficultas* resultat: Ubi *viscosæ & gummosæ* partes *prædominantur*, sola *conquassatio* & contusio cum *pistillo ligneo* soluta *gummata aliis ramosis permiscet*. Eæ, quæ *maxime ramosæ* sunt *gummi-resinæ*, *solvuntur pulverisatæ in oleo fluido in BM.* ut operationes exactius demonstrant.

3. *Pulveres* vel sunt dissolubiles in oleo, vel non. *Dissolubiles* mediante coctione oleo intime uniuntur, ratione *spiritus salino-acidi* in eo latitantis, qui aggreditur & imminuit illos *pulveres* ita, ut in interstitiis illius retineri possint, unde è fluido solidum evadit oleum ratione repletionis pororum, &c. hi *pulveres metallici* plerumque sunt, & calces plumbi, cupri, &c. Ratione *coctionis color* magis vel minus unguenti conficiendi intenditur. Sic *additâ aquâ blanda fit solutio* & imminutio, unde *albo* colore infectum prodit Unguentum; *immediato* autem *igne* adhibito *absque aquâ*, *nigredine* inquinatum conspicitur ob *adustionem olei*, &c. *Vires* horum *Unguentorum* multum etiam *differunt* ratione illius *coctionis*, ob spirituum acrium salinorum fugam, vel mutationem partium majorem in unâ, quam in alterâ præparatione. *Pulveres indissolubiles* ultimo tantum jam confecto & sæpe facto *Unguento* immiscentur, & multa agitatione & malaxatione æqualiter per totam massam distribuuntur, ut *sequentia* demonstrant exempla:

Un-

Unguentum Rubrum.

℞. *Axungiæ Porcinæ,*
Olei Hyperici an. ℥iiij.
Ceræ ℥ij.
Cretæ ℥j.
Minii ℥ß.
Camph. ℈ij.
M. f. ſ. a. *Unguentum.*

Vires.

Acidum temperat, conſolidat, inflammationibus prodeſt, oculorum vitiis ſuccurrit, ut & manibus & pedibus, frigore & calore aduſtis.

Unguentum Nervinum.

℞. *Unguenti Althææ* ℥iij.
Pingu. Anatis,
Anſeris,
Canis,
Felis,
Olei Anethini,
Chamæmelini,
Laurini,
Lumbricorum,
Vulpini an. ℥j.
Euphorbii,
Petræ.
Spicæ,
Terebinth., an. ℥ß.
Ceræ q. ſ.
M. f. ſ. a. *Unguentum molle.*

Brevius ſic habe:

℞. *Ol. Laurini* ℥ij.
Lumbricorum,
Petræ,
Spicæ,
Terebinthinæ, an. ℥j.
de Palmâ ℥iß.
Camphor. ℈ij.

 Pin-

Pinguedinis Anseris ℥j.
Unguent. Althææ q. s.
Sp. Vini, in quo sapon. Venet. ʒiij. *dissol. fuerint,* ℥j.
M. f. s. a. *Unguentum.*

Vires.

Frigidis nervorum affectibus convenit, valde penetrat, & dolores, è contracturâ & spasmo ortos, lenit.

Unguentum Populeum.

℞. *Oculorum Populi recent.* ℔ij.
Axungiæ Porcinæ recent. ℔vj.

Gemmæ Populi contusæ macerentur in axungia, donec sequentes herbæ in vegeto suo statu collectæ fuerint:

℞. *Herb. Bardanæ,*
Hyoscyami,
Lactucæ,
Mandragroræ,
Papaveris nigri,
Sempervivi majoris,
minoris,
Solani,
Violarum,
Umbilici Veneris,
Cymarum Rubi tenerrimarum an. Miij.

Hæ contusæ cum Axungiâ & oculis Populi coquantur in MB. ad humidi succi privationem, ut fiat s. a. *Unguentum.*

Vires.

Inflammationes & dolores, ex acri humore ortos, sistit, motum nimium compescit, leviter astringit, & anodynum est, unde convenit in affectibus calidis, &c.

Unguentum Pomatum.

℞. *Axungiæ Porcinæ.*
Sevi Ovilli an. ℔j.
Aq. Rosarum fragrant. ℔ij.

Coquantur in MB. per horam semis, refrigeratis lentè omnibus, fœces in fundo deciduæ cultello auferantur, idque bis vel ter repetatur, donec fragranti odore & colore albo seva imbuta sint: his adde

Po-

Poma redolentia mundata. *No.* xvj.
Iridis Florentinæ,
Gran. Macalep. an. ℥j.
Storac. Calamitæ,
Benſoes alb., an. ℥ß.

Coquantur ſimul in MB. ad exhalationem ſuperflui liquoris, dein coletur ſevum à fœcibus, cui adde

Ol. Jaſmini ℥ß.
Ligni Rhod. ʒj.
Cinamom. ℈j.
Gariophill. ℈ß.
Florum Benſoes ℈ij.
Moſci,
Zibeth. an. gr. iiij.
M. f. *Unguentum fragrans.*

Vires.

Odoriferum halitum gratiſſimum ſpargit, frigidis affectibus ſuccurrit, cor & ſpiritus reficit ſuo odore.

Unguentum Pomatum.

℞. *Axung. Porcin.* ℔j.
Aq. Roſarum,
Lavendul. ana ℥iij.

Coquantur invicem lento igne. Poſtea loco quieto frigeſiant. Sic ad fundum ſordes omnes pelluntur, quæ poſtea auferuntur cum cultello. Recipe denuò hanc Axungiam lotam, & lava adhuc bis eodem modo, ſemper ſordes, in fundo reſidentes, auferendo. Tunc

℞. *Hanc Axungiam,*
Ol. Jaſmin. gutt. x.
Lign. Rhod. gutt. xx.
Eſſent. Ambr. gris. gutt. xxx.

agitentur optimè ſimul, donec planè uniantur, & albiſſimum evadat Unguentum.

Nota bene. Si durioris conſiſtentiæ expetatur, & ferè in emplaſtri formam, addatur Axungiæ in coctione

Ceræ albiſſim. ℥. iij. *vel* iv.

Unguen-

Unguentum Pomâtum candidiſſimum, & fragrantiſſimum.

℞. *Succ. Pomor. redol.* ℔iv.
Axung. Porcin. albiſſim.
Sebi Ovilli, ana ℔j.

Coquantur ſimul per mediam circiter horam. Deinde frigeſiant in loco quieto. Sic ſordes ad fundum decident, poſtea cultro abſtergendæ. Hoc Sebum denuò cum Aqua Roſarum, & Lavendulæ, coquatur. Poſt refrigerationem, & mundationem, Sebum optimè agitetur, donec albiſſimum evadat. Dein admiſceto

Ol. lign. Rhod. gutt. xx.
Jaſmin. ʒj.
Gariophillor. gtt. x.
Cinnamom. gtt. iv.
Flor. Benzoin. ℈j.
Eſſent. Moſch. & Zibett. ana gutt. xxx.
M. f. *Unguentum.*

Idem.

℞. *Axung. Porcin., cum Aq. odorifer. coct. & perpurgat.* ℔j.
Ol. Jaſmin. gutt. xxx.
Lign. Rhod. gutt. xx.
Gariophyllor. gutt. xij.
Zibetti. gr. v.

M. f. Unguentum, optimè ſpatulâ agitandum, donec niveum acquirat colorem.

Si poma adderentur, ſitus ex particulis ſalinis, in fluorem evectis, conciliaretur brevi.

Nota. Zibetum eſt vel flavum, vel nigrum. Prius eſt odoratius longe, & pretioſius.

Si durior expetatur conſiſtentia, Sebum ovillum in media quantitate, reſpectû Axungiæ, permiſceri poterit, vel Ceræ albæ quarta pars.

Unguentum fuſcum Felicis Wurtz.

℞. *Serophular.*
Polygon.
Chelidon. maj.
Veronic. ana. m. j.

Conſcin-

Conſcindantur minutiſſimè : infundantur in vitro, & affundatur *Acetum ad ſupereminentiam*. Ponantur in loco calido, ut Acetum calefiat. Digerantur ſimul in eodem loco, per d. viij. Poſtea Acetum illud per linteum coletur, &, ſi hoc non ſufficiat, per filtrum, ita ut herbæ ad ſiccitatem ducantur. Abjiciantur fœces, & retineatur *Acetum*. Deinde

℞. *Vitrioli*. ℔ij.

Calcina ad rubedinem ſequenti modo : Liquefiat *Vitriolum* in olla terrea, poſtea urgendo ignem ad ſiccitatem uſque Vitrioli. Auge deinde ignem ulteriùs, donec optimè incandeſcat, per hor. circiter j. ; & habebis Vitriolum ſummè rubificatum. Huic Vitriolo affunde

Aceti q. ſ.

Coq. ſimul. Dein adde

Aquæ, reſpectu Aceti, duplicem quantit.

& denuò ebulliant. Evaporet ad medias. Poſtea *Aquam* illam rubificatam claram à Vitriolo ſepara. Fœcibus affunde denuò Aquam. Coquantur ſimul, ut ante. Ubi denuò *rubificata* eſt, illam effunde, hanc operationem tamdiu repetendo, donec tincturam ampliùs dare neget. Solutiones, & tincturas omnes evapora ad ſiccitatem uſque, & habebis *Vitriolum ruberrimum.*

Illud calcina, & candefac. Candefactum infunde ollæ, plenæ aquâ pluviali, ut in ea ſolvatur. Hanc Aquam denuò evapora, ut ante, *ad medias*, & Aquam rubificatam effunde in aliud vas. Fœcibus affunde recentem Aquam. Ebulliant denuò, & effundatur Aqua, ut antea, idque repete, quamdiu Vitriolum tingit Aquam. Fœces abjice, Aquas tinctas denuò evapora, &, ut ante, præpara, & candefac, ut ante, denuò repetendo infuſionem in Aqua, & operationem, ut ante, donec dulcedinem præ ſe ferat linguæ admotum.

Vitriolum hoc pulveriza. Dein

℞. *Pulveris hujus* ℥ij.
Aceti, ex herbis expreſſi, ℥iij.
Phlegmatis Vitrioli ℥ij.
Mellis deſpumat. ℥vj.
Flor. Æris. ʒx.

Hæc omnia coquantur ſimul ad conſiſtentiam electuarii, & habebis Unguentum.

Vires. *Præcipuè convenit nervis, & eorum affectibus. Præcavet, & abigit, omnia ſymptomata, purificat ulcera cacoëthica, inflammationem arcet, ulcera erodentia curat. Etiam inde fieri poteſt Unguentum durius*

 pro

pro turundis conficiendis, pro ulceribus, & vulneribus profundioribus; quorum fundum valde purificat, & omnia noxia arcet.

Nota bene. *Non debent uti illo unguento quotidie, sed semper, ubi periculosi sunt affectus, & maligna symptomata. Dein procedendum modo vulgari.*

Ungventum Nutritum.

℞. *Lithargyr. Auri, optimè lævigat., vel tenuissimè pulveriz.* ℔ß.
Aceti Vini, ℥xij.
Ol. Rosarum, vel. Olivar. ℥. *circiter* xvj.

Coquantur simul per quadrantem circiter horæ, continuò optimè agitando. Dein remove ab igne, & continua agitationem cum spatula, donec frigefactum sit Ungventum. Ubi frigefactum est Ungventum, si consistentia non arrideat, denuò admisce ℥vj. vel viij. Aceti, denuò ebulliant parumper, &, ubi refrigeratum est Unguentum, continua in agitatione, donec consistentiam Ungventi acquirat liquidiorem: sic paratum erit Ungventum spatio j. hor. circiter.

Modus vulgaris.

℞. *Lithargyr. s. q.:*
Adde ei
Ol. Oliv. vel. Rosar., ut circiter duobus digitis supereemineat.
Dein superfunde
Aceti Vini acerrimi mediam circiter partem, respectu Olei.

Agitentur simul cum spatula, donec consistentiam Unguenti acquirat; quod circiter fit intra xj. vel. xij. horas.

Nota. Ut meliùs agitatio procedat cum spatula, carbonem candentem unum supponunt, ut in calore lento retineatur.

Ungventum Nutritum:

Vide Pharmacop. Londin.

℞. *Lithargyr. Auri, optimè pulverizat. secundùm descriptionem,*
Ol. Rosacei duplum, respectu Lithargyr.,
Aceti Vini acerrimi, vel, quod melius est, Aceti destillati primò parvam quantitatem,

Ut nempe Lithargyrium optimè humectetur. Moveantur optimè simul super igne leni. Dein adde majorem Aceti quantitatem, augendo ignem, donec materia coquere incipiat; optimè cavendo, ne omnis liquor avolet, sed semper Acetum recens substituatur Aceto evaporato; do-

donec ad Ungventi mollioris, ex flavo-album colorem referentis, consistentiam reducatur.

Nota. 1. Ubi color albus expetitur in Ungventis, & emplastris, in quæ ingreditur calx plumbi, magnâ opus est liquoris, in quo fit coctio, quantitate, uti hic aceti. Si inter ebulliendum altiùs assurgat, signum est, bonam liquoris quantitatem adesse.

2. Lithargyrium primò coquere sine cum Oleo, ut meliùs ab Aceto dissolvi queat. Sed optimè moveri debet, ne ad fundum hæreat.

Ungventum ad Pediculos.

℞. *Mercur. vivi*, ℥j.
Terebinth. vulg. ℥j. ß.

Misceantur cum spatula optimè invicem, donec Mercurius nullibi appareat. Huic mixturæ adde

Axung. Suillæ. ℔j.

Misceantur denuò optimè simul. Adde

Ol. lign. Rhod. gutt. circ. xx.

Usus. *Modus utendi est, ut inungantur partes affectæ, vel vestimenta.*

Ungventum ad Scabiem.

℞. *Mercur. vivi.* ℥ß.
Ol. Laurin. ℥ij.

Misce optimè invicem, donec Mercurius dispareat. Dein adde

Fl. Sulphur. ℥j.
Aluminis,
Sal. Nitr. ana ℥ij.
Ol. Spicæ. ℥ß.
Axung. Porcin. ℔j.

M.f. Ungventum, articulis inungendum, præcipuè carpis, eo modo, ut carpus carpum fricet, donec Ungventum optimè imbibatur.

Nota bene. Flores Sulphuris, una cum aliis in pulverem tenuissimum redigantur, aut fiat commixtio cum pistillo æneo.

Ungventum refrigerans.

℞. *Herb. Acetos.*
Plantagin.
Lactuc.
Semperviv. maj.
Betæ,

Alchimill.
Malvæ,
Bismalv. ana m. j.
Fol. tenerior. Alni,
Hederæ terrestr. ana m. ij.
Fol. &. fl. Papav. hortens. id est, albi. m. iij.

Scindantur simul, & misceantur, cum. s. q. Axung. Porcin. Coq. simul ad consumptionem usque humiditatis. Axungia deinde coletur, & exprimatur. Axungiæ huic recentes herbas conscissas, in minori verò quantitate, immisce, macerentur simul in sole, vel B. M., per dies. iij. Dein coquantur parumper in B. M., colentur, exprimantur, & recentes herbæ denuò admisceantur, ut ante, addendo

Caphuræ. ℥j.

Digerantur simul, &, sine coctione, postea colentur. Hisce herbis etiam Rosæ admisceri poterunt ad gratum odorem.

Vires. *In omnibus inflammationibus, & membris combustis convenit, præcipuè, si cum parvâ quantitate cretæ applicetur. Etiam vulnera recentia citissimè sanat.*

Ungventi Basilici præparatio.

℞. *Ceræ, Resinæ, & Ol., quantum fert descriptio.*

Liquefiant lento igne simul, optimè movendo, ne Resina fundo adhæreat. Liquefactis adde *Picem*, & blando igne fove, donec planè dissoluta sit. Liquefacta omnia agitentur, donec consistentiam Unguenti acquirant, dein reponatur in usum.

Nota. Si fœces adsint, leniter liquata omnia effnndenda sunt, postquam parumper ab igne subsederint.

Vires. *Pus promovet, spicula cuti infixa attrahit, dolores nimios sedat, apostemata, & ulcera, ad maturitatis statum perducit. Ex eo fiunt linteola, & turundæ, ulceribus imponendæ, sequenti modo :*

℞. *Filamenta lintei vetusta. Hoc Unguento illita in cavitatem ulceris intrudantur.*

Etiam ad ʒß. *internè sumitur ad apostema, optimo cum successu.*

Ungventum Martiatum.

℞. *Herb. Absinthii,*
Abrotani,
Basilici,
Calaminthæ,
Centaurii minoris,

Cha-

Chamædryos,
Costi hortensis,
Illecebræ,
Majoranæ,
Menthæ aquaticæ,
Paralysis,
Sabinæ,
Salviæ,
Sambuci, an. ℥iß.
Lauri fol.,
Rorismarini,
Rutæ, an. ℥iij.
Sem. Cumini,
Fœnugræci,
Urticæ majoris, an. ℥ß.
Adipis Ursini,
Medullæ Cervinæ,
Styracis liquidæ, an. ℥iij.
Butyri ℔j.
Olei Nucistæ expressi ℥j.
Olivarum ℔iiij.
Ceræ citrinæ ℔j.
Vini generosi q. s.

Macerentur per octiduum in tepido MB., dein leviter coquantur ad hnmoris absumptionem, ut

F. s. a. *Unguentum.*

Vires.

Efficax est Unguentum in quibuscunque morbis externis è frigore & obstructione oriundis. Vermes necat, ventriculum roborat, &c.

Unguentum ad Scabiem.

℞. *Laterum rubror.* ℥ij.
Flor. Sulphur. ℥iß.
Merc. præcipit. rubr. ʒiij.
Aluminis ʒij.
Axungiæ Porcin. ℥x.
Ol. Jasmini ℈j.
Ligni Rhod. gtt. xij.

M. f. s. a. *Ungventum.*

Vires.

Scabiei. affectibus subcutaneis, ex acriori sale oriundis, conducit &c.

Ungventum Magistrale.

℞. *Succ. aut mucilag. radic. Symphit. maj.*
Barb. Caprin. cum toto an. ℔j.
Chelidon. major.
Hyperic. an. ℥iv.
Mellis ℥xvj.

Coquantur, & despumentur simul, donec consistentiam *Ungventi* acquirant. Dein insperge

Pulv. Barb. Caprin.
Symphit. major.
Solidag. Sarac. an. ʒvj.
Aloes ʒij.
Camphoræ ʒj.
M. F. *Ungvent.*

Vires.

Omnibus conducit ulceribus, & vulneribus, præcipue in corporibus scorbuticis, & acido succo præditis.

Ungventum Ægyptiacum.

℞. *Æruginis* ℥v.
Aluminis crudi ℥j.
Mellis optimi ℥xiv.
Aceti fortiss. ℥vij. M.

Coquantur simul in consistentiam *Ungventi.*

Vires.

Mundificat ulcera & vulnera, astringit, collutioni oris inservit, &c.

CAP. XXXII.

De Emplastris.

UNguentis affinia sunt *Emplastra*, quæ *duritie* tantum prævalent, in cœteris eâdem normâ & methodo componuntur. *Malaxatio* in

in hisce præcipuum usum obtinet ad exactiorem partium divisionem efficiendam. *Sequenti* modo conficiuntur :

1. *Ramosa fluidiora* cum calcibus plumbi, &c. dissolubilibus pulveribus mediante coctione uniantur, si ulla adsint.

2. *Ramosa duriora* liquando admisceantur, ut cera. colophonia.

3. *Resinosa cum terebinthinâ*, quæ instar dissolventis generalis illorum esse solet, adjiciantur, ubi ab igne remota à fervore & calore suo remiserint.

4. *Gummi-Resinæ*, *vel Gummata viscosa*, soluta, depurata, & ad consistentiam solidiorem redacta, etiam cum terebinthina misceri queunt ante additionem.

5. *Pulveres indissolubiles.*

6. *Olea stillatitia*, ut & omnia halitum tenuem spirantia, ut camphora, &c. Exempla *sequentia* sunto:

Emplastrum Cephalicum.

℞. *Gumm. Tacamahac.*
Elemi an. ℥ij.
Oliban.
Mastich. an. ʒj.
Resin. Pini ℥vj.
Opii pulveris. ℈j.
Camphor. ℈ij.
Ol. Terræ q. s.
M. f. *Emplast.*

Primò lento igne liquefiat resina, dein admisceatur gumm. elemi, postea pulveres cœterorum gummatum & opii, ultimò caphura in oleo terræ dissoluta. Malaxando fiat *Emplastrum*, cui, si libet, parum *Olei Origani & Garyophillorum* admisceri poterit.

Vires.

Capitis dolori & dentium confert, temporibus applicatum.

Emplastrum Stomachicum.

℞. *Gum. Elem.*
Resin. Pini an. ℥ß.
Garyoph.
Enul. campan.
Calam. aromat.

Car-

Cardamom. ana. ℈ij.
Ol Petræ,
Terræ, ana. ʒiß.
Cymin. ſtillatit. ℈j.
Caphuræ ℈ij.
M.

Reſina, & gumm. elemi ſimul lento igne liqueſiant. Dein ab igne remotis adde ol. terr. & ol. petræ, ultimò pulveres & ol. cymini, in quo camphora diſſoluta ſit. Extendatur ſuper alutam, vel linteum, & applicetur parti affectæ.

Vires.

Ad dolores colicos & flatulentos, pluritidem notham, & apoſtemata interna confert.

Emplaſtrum ad Clavos pedum.

℞. *Gumm. Ammon., Aceto Scyllitico ſolut. & inſpiſſat.,* ʒij.
Reſinæ Pini ʒj.
Vitrioli Veneris (vulgò de Cypro dicti) ʒß., *vel (qui mitius vult)* ℈j.
Mercur. præcipit. optimè edulcorat. ℈ij.
M. f. ſ. a. *Emplaſtrum.*

Vires.

Convenit inſimul ulceribus durioribus, ut & bubonibus Venereis.

Emplaſtrum Gratia Dei.

℞. *Ceræ novæ,*
Reſinæ,
Sevi Hircini, an. ℥iiij.
Terebinthinæ ℥ij.
Maſtiches,
Olibani, an. ℥iij.

Cera, ſevum, & reſina ſenſim liqueſiant, ſpatula agitando, ne reſina fundo adhæreat, liquatis, & fere tepefactis adde terebinthinam, in qua maſtiche & olibanum ſoluta ſunt, dein cum piſtillo materia contundatur, & malaxetur maſſa in *magdaleones* reducenda.

Vires.

Recentibus vulneribus conducit, cicatriſat, &c. ſi magis mundificans expetatur. Æruginis ʒiij. *addi poſſunt.*

Em-

Emplastrum Mucilaginum.

℞. *Olei Olivarum* ℥vj.
Gummi Ammoniaci,
Sagapeni,
Galbani,
Opopanacis, an. ℥ß.
Croci ʒij.
Ceræ citrinæ ℥xxij.
Terebinthinæ ℥ij.

Gummata solvantur, vel depurentur potius cum vino percolando solutionem, quæ ad consistentiam redacta misceatur cum mucilaginis spissioris, è convenientibus seminibus & radicibus extractæ, ℥j. & terebinthina & croco; hæc dein simul oleo & ceræ liquatis, ut superius, incorporentur, contundendo & malaxando.

Vires.

Lenit, coagulum humorum dissolvit, frigidis affectibus convenit, &c.

Emplastrum Carminans B. Sylvii.

℞. *Gummi Galbani,*
Bdellii,
Ammon. an. ℥ß.
Thuris masculi,
Myrrhæ rubræ, an. ʒij.
Opii Thebaici ʒj.

Dissolve in Aceto Scillitico, iterumque inspissatis adde
Ceræ citrinæ,
Colophoniæ, an. ʒiij.
Balsf. Peruviani,
Ol. Philosophor., an. ʒj.
Terræ ʒß.
Carvi stillat. ℈ß.
Terebinth. Venet q. s.
M. f. s. a. *Emplastrum.*

Vires.

Summâ penetrandi vi insignitum est hoc Emplastrum, flatus discutit, tumores resolvit, &c.

Emplastrum Griseum.

℞. *Lapid. Calaminaris præpar.* ℥j.
Lithargyrii ℥ij.
Cerussæ, ℥ß.
Tutiæ ʒj.
Terebinthinæ ʒvj.
Ceræ albæ ℥iß.
Sevi Cervini ℥ij.
Thuris el. ʒv.
Mastiches ʒiij.
Myrrhæ ʒij.
Camphoræ ʒiß.

Liquentur simul terebinthina, cera & sevum, mox injiciantur pulveres thuris, mastiches & myrrhæ, iisque probè mixtis addantur pulv. lap. calamin., tutiæ, litharg. & cerussæ. Ultimo calenti adhuc Emplastro adjice camphoram, in oleo conven. solutam:

M. fiat *Emplastrum.*

Vires.

Potenter acidum infringit, ut & salsos humores, cicatrice obducit ulcera scorbutica, &c.

Emplastrum ad Herniam.

℞. *Nuc. Gallarum*,
Cupressi,
Malicorii,
Balaustiorum,
Acaciæ,
Sem. Plantaginis,
Psyllii,
Nasturtii,
Cupularum Glandium,
Fabarum torrefactarum,
Aristolochiæ longæ & rotundæ,
Myrtillorum, *an.* ʒß.
Consolidæ majoris & minoris,
Caudæ Equinæ,
Glasti,
Ceterach,

Rad. Osmundæ regalis,
Filicis, an. ℥j.

Ex hisce in subtilem pulverem redactis fiat *cataplasma*, cum vino rubro ad consistentiam *Emplastri* reducendum, cui adde

Thuris,
Myrrhæ,
Aloës,
Mastiches,
Mumiæ,
Boli Armenæ,
Lap. Calaminar. præp.
Lithargyr. Auri,
Sangvin. Draconis, an. ℥iij.
Picis navalis ℔ij.
Terebinthinæ q. s., ut fiat
s. a. *Emplastrum.*

Vires.

Valide adstringit & consolidat, &c.

Emplastrum Sticticum.

℞. *Olei Olivar.* ℥viij.
Litharg. aur. ℥iiiiß.

Coquantur simul ad *Emplastri* consistentiam, hisce adde ab igne remotis

Ceræ flavæ ℥iß.
Terebinthin. ℥j.
Gum. Ammoniaci,
Bdellii, an. ℥ß.
Opopanacis,
Galbani,
Ol. Laurini,
Lap. Calaminaris,
Aristolochiæ utriusque,
Myrrhæ,
Thuris, an. ℨij.
M. f. s. a. *Emplastrum.*

Vires.

Antiquis & recentibus vulneribus & ulceribus convenit, mundificat & cicatrice obducit.

Emplastrum febrifugum.

℞. *Sem Zedoariæ* ʒij.
Fuliginis Lignorum splendentis ℈iiij.
Cinnabaris vulgaris ℈ij.
Camphoræ ʒj.
Terebinthinæ Venetæ ℥iß.
M.

Vires.

Febribus intermittentibus conducit, penetranti & tenui suo halitu sanguinis acredinem corrigens, & exæstuationem humorum febrilem sedans; pulsibus applicatur.

De hoc medendi genere, & quomodo medicamenta externè applicata agant in *humores* nostri corporis, & in massam *sangvinis*, plurima dicenda essent, nisi me intra terminos *Pharmaciæ* continere, quantum possibile est, studerem, & *finis hujus libri* instans ab ulteriori dissertatione me prohiberet.

Emplastrum Manus Dei.

℞. *Galbani* ℥ij. ʒij.
Ammoniaci ℥iij. ʒiij.
Opopanacis ℥j.
Olei Olivarum veteris ℔iiß.
Lithargyrii aurei ℔j. ℥iiij.
Æruginis ℥j.
Ceræ Citrinæ ℔j.
Magnetis ℥iiij.
Myrrhæ ℥j.
Rad. Aristolochiæ longæ,
Thuris optimi, an. ℥ij.
Mastichis,
Olibani,
Bdellii, an. ℥j.
M.

Lithargyrium cum oleo ad consistentiam coquatur *Emplastri*, dein adde

adde æruginem, postea ceram, mox gummata in aceto soluta & depurata, ultimo pulveres.

M. f. s. a. *Emplastrum.*

Vires.

Magnarum est virium in ulceribus, à scorbutico acri & acido humore continuè incidente, phagædænicis & cacoëthicis dictis, mundificat, & sanat vulnera quæcunque recentia & inveterata.

Emplastrum Stomachale.

℞. *Gumm. Guajaci* ℥j.
Mastichis electæ,
Storacis calamitæ,
Tacamahacæ, ana ℥ij.
Myrrhæ,
Thuris, an. ʒvj.
Ol. Nucist. expr. ℥j.
Camphoræ ʒiß.
Cyperi rotundi ℥ß.
Zedoariæ,
Bacc. Lauri, an. ʒv.
Balsam. Peruvian. ʒvj.
Terebinth. Venet. ℥x.
Ol. still. Menthæ,
Cariophillorum,
Corticum Arantiorum, ana ℈ij.

M. f. s. a. *Emplastr.*,

quod, si mollius sit, cum cerâ durius reddi potest.

Vires.

Concoctionem adjuvat, putredini resistit, appetitum ciet, arthritidi vagæ succurrit, morbis frigidis, & è pituitâ viscidâ oriundis, conducit.

INDEX.

A.

Abrotani herbæ vires. 30
Abſinthii extractum ſpiſſum ut paretur? 47
herbæ vires & uſus. 30
oleum coctum ut paretur? 147
Aceti ſyrupus ut parandus? 69
Aceto conditi frigidi & aquoſi fructus pro uſu præcipuè culinari ut parentur? 101
ſubtilioris efficaciæ flores, germina &c. ut parentur? 101
Acetoſæ ſyrupus ut parandus? 69
Acetum calendulatum, florum garyophillor, flor. lavendulæ, ut parentur? 101
duabus contrariis conſtat particulis, & quibus? 100
incidit & attenuat. 100
refrigerans & adſtringens ut paretur? 101
roſarum ut paretur? 101
ſambucinum ut paretur? 101
tenuiorum partium ut paretur? 101
Acida odoriferum medicamentorum compoſitorum halitum compeſcunt. 118
Aciditas ſimplicium terreſtribus & ſalibus alcalicis additis infringitur, imò tollitur. 66
Acori radicis vires & uſus. 23
Acria acribus additis magis fiunt acria & corroſiva. 66
Adipum in genere vires & uſus. 41. ſeq.
Adſervatio ſimplicium ut fieri debeat? 17. ſeq.
Ægyptiacum unguentum dictum ut paretur? 166
Æris uſti vires. 43
Æruginis vires. 43
Ærugo unde? 61
Æſtas cur fermentationes præcipitet. 115
Agarici vires & uſus. 27
Agaricus addito gummate pulveriſatur. 46
Agreſtæ ſucci vires. 38
ſyrupus quomodo parandus? 69
Agrimoniæ herbæ vires & uſus. 30
Alcalia ſalia ramoſis ſolvendis inſerviunt. 65
Alcannæ vires & uſus. 23
Alchimillæ fol. vires & uſus. 30
Alexiterii trochiſci Londin. ut parentur? 125
Allii rad. vires & uſus. 23
Aloephanginæ pilulæ ut parentur? 142
Aloës, ipſius vires & uſus. 38
ligni vires & uſus. 29
Althææ herbæ vires & uſus. 30
rad. farinæ vires. 38
vires & uſus. 23.
Aluminis ſalis vires & uſus. 44
vires. 44
Ambræ gryſeæ pulveratio fieri debet cum ſacchаro. 133
vires 44
pomum ut paretur? 127
Amygdalarum dulcium & amararum vires & uſus. 37
Angelicæ rad. vires & uſus. 23
Aniſi ſem. vires & uſus. 35
Antidota quæ dicantur, unde conſtent, & qui parentur? 114
Antidotorum & opiatorum circa extractionem quatuor, & quæ ſint obſervanda? 122
recenſio. 114
Antimonii vires & uſus. 43
Antimonium pro vario ſcopo vel ſalia lixivioſa, vel acida & muriatica nitroſa requirit. 63
ſpiritu nitri fit fixum & ſudoriferum, ſpiritu ſalis volatile & eme-

emeticum. 59
Apii rad. vires & usus. 23
sem. vires. 35
Aqua duplex posset parari usui Pharmaceutico & Medico. 86
nullibi simplex & homogenea reperitur. 85
prophylactica Sylvii ut paretur? 91
putealis vel pluvialis quando in medicamentis parandis praeoptanda? 86
quid sit? 85
theriacalis composita ut paretur? 91
simplex ut paretur? 88
variat juxta loca per quae cursum suum absolvit. 85
vitae ut paretur? 92
composita? 88
extemporanea. 94
Aquae destillatae quibus modis differant? 86
spirituosae lactescentes proprio oleo sunt imbuendae, nisi jam tum sat fortes sint. 86. hae fortiores si habeantur, facilè carere possemus debilioribus, ibid. quomodo parentur? 87
duae praecipuae sunt inter simpliciores, pluvialis & putealis. 85
mere spirituosae sunt aquae vitae dictae. 87
per infusionem paratae quae sint? 88
pluvialis & putealis differentia in quo consistat? 85
quomodo destillentur? 86
simplices usitatiores calidae & frigidae quae sint? 87
usitatiores cum vino praeparandae quae sint? 87
Arabici gummi vires. 40
Arantiorum corticum vires & usus. 27
Arbores cur crescant in rupibus, ubi nulla planta crescit? 13
Arenosum solum cur infertile? 13
Argenti foliati vires. 43
vivi vires & usus. 43
Aristolochiae longae & rotundae rad. vires & usus. 23
Armeni lapidis vires. 44
Aromata nec diu, nec tenuiter terenda. 139
Arsenici albi vires & usus. 43
Artemisiae herbae vires & usus. 30
syrupus Fernelii ut paretur? 71
Asae foetidae vires. 39
Asthmaticus syrupus ut paretur? 79
Auric. Judae vires & usus. 27
Auri foliati vires & usus. 43
Auripigmenti vires & usus. 43
Autumnalia fermentata cur maximae sint durationis. 115
Autumno collecta simplicia sunt durabiliora. 20

B.

Balaustior. flor. vires & usus. 34
Balsama etiam fieri possunt è resinosis & gummi-resinis. 150
è salibus alcalicis & oleis. 150
merè stillatitia quid sint? 148
odorifera unde sint composita? 150. seq.
quid sint? 148
Balsami Peruviani vires. 39
Balsamis color genuinus communicandus, & quomodo? 150
conficiendis utiles observationes. 150
odoriferis pro corpore oleum nucis moschatae expressum prae aliis inservit, 150
Balsamorum compositorum odoriferorum schemata recensita. 151

cor-

corpora crassa excipientia sint purgatissima, & absque colore, odore, sapore, & humido superfluo. 150
Balsamum Jacomo de Pinto ut paretur? 151
Italicum dictum ut paretur? 151
Locatelli ut paretur? 152
polychrestum ut paretur? 152
Bardanæ rad. vires & usus. 23
Basilicum unguentum ut paretur? 164
Bdellii vires. 39
Beccabungæ syrupus ut paretur? 74
Becchici albi trochisci Amstelod. ut parentur? 126
Benzoë per alb. ov. in cella deliquescit. 12
Bensoes flores quovis menstruo spirituoso & ramoso dissolvuntur. 63
vires & usus. 39
Berberum tabellæ ut parentur? 130
Betonicæ herbæ vires & usus. 30
syrupus ut parandus. 74
Bezoar orientalis & occidentalis vires. 42
Bistortæ rad. vires & usus. 24
Boli albæ usus. 43
Armenæ usus. 43
vulgaris usus. 43
Borracis usus. 43
Borraginis florum vires. 34
syrupus ut parandus? 74

C.

Cachecticus pulvis ut paretur? 134
Calami aromatici rad. vires & usus. 23
Calaminaris lapidis vires 44
Calaminthæ herb. vires & usus. 30
Calcinatio Chymicorum quid sit? 56
respondet pulverationi, trituræ & lævigationi Pharmaceuticæ. 56. 110
Calendulæ acetum ut paretur? 110
florum vires & usus. 34
Camphora & myrrha contusa in pultem abeunt. 11
Camphoræ trochisci Londinens. ut parentur? 125
vires & usus. 39
Cancrorum oculor. vires & usus. 42
Candelæ odoriferæ ut parentur? 128
Cantharides pro salis caustici inexistentis obtusione expetunt salia fluida acida. 63. 66
Cantharidum vires & usus. 42
Capilli Ven. herbæ vires & usus. 30
Capparis rad. cort. vires & usus. 28
Cardamomi minoris sem. vires. 35
Cardiacum electuarium ut paretur? 118
Cardui bened. herbæ vires. 30
extractum spissum ut paretur? 47
Mariæ vires. 30
Carlinæ rad. vires. 24
Carminans Sylvii emplastrum ut paretur? 169
Carminativus spiritus ut paretur? 95
Sylvii? 95
syrupus ut paretur? 72
Carthami sem. vires & usus. 35
Carvi sem. vires & usus. 35
Caryocostinum electuarium ut paretur? 111
Caryophillorum syrupus ut paretur? 75
vires. 37
Cassiæ fistularis vires & usus. 37
pulpa ut paretur? 108
Cassiæ ligneæ corticis vires & usus. 28
Castorei oleum coctum compositum ut paretur? 149
vires & usus. 42
Catholicæ pilulæ nostræ descriptionis ut parentur? 140

Catholicum extractum ut paretur? 140
Cavæ rad. vires & usus. 24
Caustica pro salis inexistentis acris obtusione expetunt salia acida fluida. 63
Centaurii min. vires & usus. 30
Cepæ vires & usus. 24
Cephalicum emplastrum ut paretur? 167
Ceræ albæ & flavæ vires. 41
per spiritum vini color extrahitur, ut inserviat pro balsamis, coctione hinc parandis. 54
Cera qui coloranda? 54
Cerevisia purgans ut paretur? 97
Cerevisiarii æstate cur cerevisias durabiles efficere nequeant? 115
Cerussæ plumbi vires & usus. 43
Ceti spermatis vires & usus. 43
Chalybis limaturæ vires. 41
Chamædrios herbæ vires & usus. 30
Chamæpitios herbæ vires & usus. 30
Chamomillæ florum vires & usus. 34
herbæ vires & usus. 30
oleum coctum uti paretur? 147
Chelidonii maj. herbæ vires & usus. 31
Chinæ rad. vires & usus. 24
Cholagogum s. diaprunum *Sylvii* ut paretur? 112
Cichorii rad. vires & usus. 24
syrupus cum rhabarbaro ut paretur? 76
Cinnabaris vires & usus. 44
Cinnamomi syrupus ut paretur? 74
vires & usus. 28
Citri corticis vires & usus. 28
corticum syrupus essentificatus ut paretur? 74
Citrulli sem. vires & usus. 35
Cochiæ pilulæ majores ut parentur? 142
minores ut parentur? 141
Cochleariæ herbæ vires & usus. 31
syrupus ut paretur? 73
Coctionem simplicium lotio præcedere debet. 49
Colocynthidis pulpa gummate admixto pulverisatur. 46
syrupus ut paretur? 82
vires & usus. 27
Colophoniæ vires & usus. 39
Colubrini ligni vires. 29
Comitis Warwicensis pulvis ut paretur? 134
Conservæ qui parentur? 104. seq.
usitatiores quæ sint? 107
Consolidæ maj. rad. farinæ vires. 38
vires & usus. 24
Contraiervæ rad. vires & usus. 24
Copal gummi in terebinthina ipsâ dissolvitur. 10
Corallii albi & rubri vires. 44
Corallinæ vires. 44
Coriandri sem. vires. 35
Cornua quomodo in mucilag. s. gelat. coquenda? 49
Cornu cervi gelatina ut fiat? 49. 84
vires & usus. 42
Corpora humana magis amica simplicia expetunt? 22
Corpora non modo differunt externis accidentibus & figura, sed & valdè immutantur occursu aliorum corporum, solidorum & fluidorum. 8
Corporum duplex status est fluidus & solidus. 9
mistura non semper manet eadem. 15
præmissæ præparationes sæpe sunt inutiles. 15
præparatio Galenica quid sit? 45. variat. ibid.
vera cognitio non modò Physici Theoretici speculationem, sed

sed potius dextras artificis manus requirit. 4
Corpus quodvis naturale constat principiis, viscoso, ramoso, terrestri. 4.
Costi amari & dulcis vires & usus. 24
Croci oleum coctum compositum ut paretur? 149
vires & usus. 34
Cubebarum vires. 35
Cucumeres quomodo aceto condiendi? 101
Cucumeris sem. vires & usus. 35
Cucurbitæ sem. vires & usus. 35
Cumini sem. vires & usus. 35.
Curcumæ rad. vires & usus. 24
Cyani florum syrupus ut paretur? 70
Cydoniorum gelatina ut paretur? 84
malorum vires. 37
sem. vires & usus. 35
succi vires & usus. 38
Cynoglossæ rad. vires & usus. 24
Cyperi rotundi, odorati, vires & usus. 24

D.

Dactylorum vires & usus. 37
Dauci sem. vires & usus. 35
Decocta ad 3. differentias referuntur, & quas? 101 sq.
pro extemporaneo usu utplurimum parantur, & cur? 103
variant ratione simplicium solidorum, & menstrui adhibiti diversitate. 101
Decoctum è lignis & radicibus ut paretur? 103
ex herbis, radicibus & seminibus ut paretur? 103
minerale ut paretur? 77
Dentrificius pulvis ut paretur? 136
Diacatholicum electuarium ut paretur? 113
Diacodii syrupus ut paretur? 83
Diaprunum s. cholagogum Sylvii electuarium ut paretur? 112
Diascordium Sylvii ut paretur? 123
Diasennæ pulvis ut paretur? 133
Diaturbith cum rhabarbaro ut paretur? 133
Dictamni Cretici herbæ vires. 31

E.

Eboris gelatina ut fiat? 49
vires & usus. 41
Ebuli rad. vires & usus. 24
Electuaria mollioris duriorisve sunt consistentiæ. 109
qvid sint? ibid.
sunt purgantia, vel antidota: solida vel liquida, ibid.
viribus differunt ratione temporis, in quo conficiuntur. 115
ut coloranda? 117
ut parentur? 116. seq.
Electuaria purgantia descripta, ut caryocostinum. 111
chalybeatum 111
cholagogum, s diaprunum, Sylvii. 112
diacatholicum. 113
hydragogum Sylvii. 112
lenissimum & suavissimum. 114
purgans catholicum dictum. 113
Electuariis in faciendis mellis & pulverum proportio difficulter est determinabilis 110, illa tamen ad 3. distributiones referri potest. ibid.
Elemi gummi vires & usus. 40
Emplastra cur quædam magis detergant & mundificent, quædam magis incrassent & cicatrisent? 14
Emplastris malaxatio præcipuè convenit. 167
Emplastrorum compositio nonnisi duritie ab ungventis differt. 166
Emplastrum carminans Sylvii ut paretur? 169

ce-

cephalicum dictum ut paretur? 167
ad clavos pedum ut paretur? 168
febrifugum dictum ut paretur? 172
gratia Dei ut paretur? 168
gryseum dictum ut paretur? 170
ad herniam dictum ut paretur? 170
manus Dei dictum ut paretur? 172
mucaginum ut paretur? 169
ftiticum dictum ut paretur? 171
ftomachicum dictum ut paretur? 167. 173
Enulæ camp. rad. vires & ufus. 25
Eryngii rad. vires. 25
Eupatorii herbæ vires & ufus. 31
Euphorbii oleum coctum compofitum ut paretur? 149
vires & ufus. 39
Euphorbium pro falis inexiftentis cauftici obtufione requirit falia fluida acida. 63. 66
Euphrafiæ herbæ vires. 31
Exhalatio quomodo fiat? 145
Exficcatio fimplicium in pharmaciâ qui fieri debeat? 18. feq.
Exrractio vifcofo-ramofi fimplicis ut fiat? 49
Extractum catholicum ut paretur? 149

F.

Febri oppofitum electuarium ut paretur? 118
emplaftrum ut paretur? 172
Fermentatione fimplicium plurima viribus immutantur. 66
Fermentationi quæ anni tempora fint magis vel minus commoda? 115
Fermentationis principium in quo confiftat? 114. feq.
Ferrugo unde? 61
Fertilitas qui arenofo folo concilietur? 13
Ficuum vires. 37
Filamentofa, f. fub contufione in filamenta faceffentia fimplicia qui fint pulverifanda? 46
Flores cum expandi incipiunt, colligendi, adftrictorii, antequam expandantur. 23.
Florum color cœruleus præ aliis facilè evanefcit & immutatur. 70. aqua puteali, ceu falfa, viridefcit, aliis falibus rubefcit, vel adhuc alio modo coloratur. ibid.
Fluidæ ramofæ particulæ quæ? 9
vifcofæ particulæ minus conftantes funt ramofis. 9
quæ? 9
Fluidi corporis alteratio fit in folido, folidi in fluido. 2
Fluiditas corporum in quo confiftat? 9. 11
quid fit? 9
variis modis illis inducitur. 11. feq.
Fluiditati corporibus folidis inducendæ tria convenientia requifita. 11
Fœniculi herbæ vires & ufus. 31
rad. vires & ufus. 25
fem. vires. 35
Fœnugræci farinæ vires. 38
Folia an furfum deorfumve avellantur, videtur parum referre. 20.
in ipforum ftatu colligenda. 20
Fraxinellæ rad. vires. 25
Fraxini cort. vires. 28
Fructus maturi & immaturi quomodo pro pharmaceutico ufu exficcandi & adfervandi? 20

Fumariæ herbæ vires & uſus. 31
Fuſcum ungventum Fel. Wurz. ut paretur? 160

G.

Galangæ. rad. utriuſque vires & uſus. 25
Galbani vires & uſus. 39
Gallis nucibus leviter aſſatis color multum intenditur. 46
Garyophillatum acetum ut paretur? 101
Garyophillatæ tabellæ ut parentur? 130
Gelatinæ cornuum, oſſium, ungularum ut coquendæ? 49. 84
cur facilè ſitum contrahant? 45
Gelatina cydoniorum ut paretur? 108
Gentianæ rad. vires & uſus. 25
Gluten tenax ex ichthiocolla ut paretur? 51
Glyzirrhizæ rad. vires & uſus. 25
ſucci vires & uſus. 39
ſyrupus ut paretur? 79
Gradus ſimplicium ſimplices & compoſiti, juxta calidum, frigidum, ſiccum & humidum explicati, 20. ſeq.
Graminis rad. vires & uſus. 25
Granatorum corticum vires. 28
ſyrupus qui parandus? 69
Gratia Dei emplaſtrum ut paretur? 168
Gryſeum dictum ungventum ut paretur? 170
Guajaci ligni cort. vires. 28
vires & uſus. 29
Gummi laccæ ſpiritu ardente dephlegmato diſſolvitur. 63
Gummi reſinæ ad ſui depurationem requirunt menſtrua heterogenea, ut acetum, ad extractionem & diſſolutionem homogenea, 63
ad ſui ſolutionem & extractionem tria requirunt. 63. ſeq. 156
difficulter permiſcentur oleis, niſi ritè tractentur, & calore humido. 156
quid ſint? 63. 156
Guttæ gambæ pilulæ ut parentur? 139
vires. 40

H.

Hæmatitis lapidis vires. 44
Hederæ terreſtris foliorum vires & uſus. 31
Helenii rad. vires & uſus. 25
Hellebori albi rad. vires. 25
nigri rad. vires & uſus. 25
ſyrupus ut paretur? 82
Herbar., rad. & ſeminum decoctum ut paretur? 103
Herniæ ſ. ad herniam dictum emplaſtrum ut paretur? 170
Hirci ſangvinis vires & uſus. 42
Hirundinariæ rad. vires. 27
Hordei farinæ vires & uſus. 34
ſem. vires & uſus. 36
Hormini herbæ vires & uſus. 31
Hydragogum Sylvii electuarium ut paretur? 112
Hyeme collecta ſimplicia durabiliora ſunt. 20
Hyems cur fermentationi inidonea? 115
Hyperici oleum coctum ut paretur? 157
foliorum vires & uſus. 31
Hypnotica conſerva ut paretur? 105
Hyſſopi foliorum vires & uſus. 31
ſyrupus ut paretur? 83
Hyſterica aqua Amſtelodamenſium ut paretur? 89
magis ſuccincta & efficax ut paretur? 90

I.

Iacomo de Pinto balſamum ut paretur? 151

Ialappæ vires & uſus. 25
Iaponica vernix ut paretur? 154
Ignis & ſalia ſunt piſtilla Chymicorum. 62
Imperatoriæ rad. vires & uſus. 25
Iridis Florentinæ vires & uſus. 25
Irinum oleum ut paretur? 148
Italicum balſamum ut paretur? 151
Iujubinus ſyrupus ut paretur? 82
Iulapia quid ſint? 74
Iulapium roſaceum ut paretur? 74
violaceum ut paretur? 74
Iuniperi baccarum pulpa ut paretur? 108
vires & uſus. 37
Iuniperini gummi vires & uſus. 41
L.
Laccæ gummi vires & uſus. 40
Lacca gummi in ſpiritu vini diſſolvitur. 10
Lactucæ ſem. vires. 36
Lapides ſpiritum internum acido-ſulphureum, volatilem, poſſident. 57
Lapidum duriorum pulverationi præmittenda candefactio. 133
Lappæ maj. rad. vires & uſus. 23
Lavendulæ florum acetum ut paretur? 101
vires & uſus. 34
Lauri baccarum vires & uſus. 37
foliorum vires & uſus. 32
Lazuli lap. vires. 44
Leviſtici herbæ vires & uſus. 32
rad. vires & uſus. 25
ſem. vires & uſus. 36
Ligna autumno colligenda. 20
vegetabilium viſcoſa ramoſam naturam cum tempore induunt aquæ privatione. 5
Lignorum & radicum decoctum ut paretur? 103
Lilior. albor. flor. vires & uſus. 35
rad. vires & uſus. 25
Limonum ſucci tabellæ ut parentur? 130
vires. 28
ſyrupus qui parari debeat? 69
Lini ſem. farinæ vires. 38
vires & uſus. 36
Lithargyrii auri & argenti vires & uſus. 44
Locatelli balſamum ut paretur? 152
Lucii mandib. vires & uſus. 42
M.
Maceris rad. vires & uſus. 28
Magiſtrales dictæ pilulæ ut parentur? 143
Magiſtrale ungventum ut paretur? 166
Majoranæ herbæ vires & uſus. 32
nobilis oleum coctum ut paretur? 148
ſyrupus ut paretur? 74
Malaxatio in emplaſtris conficiendis præcipuum uſum obtinet. 167
Malvæ herbæ vires & uſus. 32
Mannæ vires & uſus. 40
Manus Dei dictum emplaſtrum ut paretur? 172
Margaritarum vires. 44
Marrubii herb. vires & uſus. 32
Mars facilè texturæ ſuæ læſionem admittit. 3
Martiatum dictum emplaſtrum ut paretur? 164
Maſtiche in oleo terebinthinæ diſſolvitur. 10
Maſtiches vernix ut paretur? 154
vires & uſus. 10.
Maſtichinæ pilulæ ut parentur? 142
Medicamentorum compoſitio tribus conſtat, & quibus? 66. quid ſit? 67
Medicamentorum compoſitorum farragines inconcinnæ non ſemper ſpernendæ. 15
fluidorum Galenicorum & Chymicorum magnus conſenſus in quo conſiſtat? 116.
liquidorum

 vetu-

vetustiorum, an recentiorum, diversæ sæpe sunt vires. 15, 116
vires non semper solum juxta ingredientium naturam sunt æstimandæ. 15
Medicata vina optimè fiunt cum speciebus debitis. 98
stomachica ut parentur? 99
Medicati liquores potabiles quid sint? 97
Meliloti flor. vires & usus. 34
Meliloti herbæ vires & usus. 32
Melissæ herbæ vires & usus. 42
syrupus ut paretur? 74
Mellis vires & usus. 32
Melonum sem. vires & usus. 36
Mel, s. mellita dicta quid sint? 85
Menstrua ramosa crassa vix alterant ramosa corpora. 59
varia adhibita variant corpora in sua virtute. 58. seq.
Menstruo aquoso extracta citius & brevius, ramoso extracta tardius & diutius operantur. 59, & cur? 60
Menstruum requirit certam ad dissolvendum corpus proportionem. 64
unum ramosum, omnibus ramosis, unum aquosum, omnibus viscosis, unum salinum, omnibus terrestribus, non convenit. 58. 62
Menthæ conserva ut paretur? 107
herbæ vires & usus. 32
oleum coctum ut paretur? 148
syrupus ut paretur? 74
Mercurius cur adeo celeriter & fortiter operetur? 3. ejus vires & usus. 43
Mespilorum immaturorum vires. 37
Metalla pulverisantur salibus, etiam igne. 61. seq.
quo magis attenuantur, tantò magis operantur. 61
spiritum internum acido-sulphureum volatilem possident. 57
Milii sem. vires & usus. 36
Minerale decoctum ut paretur? 77
Mineralia & metalla pulverisantur salibus, etiam igne. 61. etiam lævigatione super porphyritem, vel molam philosophicam. 62
quo magis attenuantur, tanto magis operantur. 61
quomodo è principio viscoso generentur? 5
spiritum internum acido-sulphureum possident. 57
Mineralia pro internis Pharmaceuticis remediis parum inserviunt. 1.
ruditer præparata cur vel nimis debiliter, vel nimis vehementer operentur? 2.
Mixtura simplicium bona quâ in re consistat? 1
Miva, & in specie cydoniorum, ut paretur? 108
Moschatæ nucis vires & usus. 38
Moschi pulveratio fieri debet cum sacchato. 133
vires & usus. 41
Mucilagines cornuum, ossium, ungularum, qui coquendæ. 49
cur facilè situm contrahant? 45
Mucilaginum dictum emplastrum ut paretur? 169
Myrrha & camphora contusa in pultem abeunt. 11
Myrrhæ vires & usus. 40
Myrrha per albumen ovi in cellâ deliquescit. 11. etiam super bryoniam, vel raphanum excavatum. 55.
Myrtinus syrupus ut paretur? 81

N.

Napi sem. vires & usus. 36
Nardinum oleum coctum ut paretur? 148
Nasturtii Indici florum germina ut aceto condienda in edulium antiscorbuticum. 101
Nepetæ oleum coctum ut paretur? 148
Nephritici ligni vires & usus. 29
Nephritidi oppositus pulvis qui paretur? 134
Nervinum ungventum ut paretur? 157
Nigellæ sem. vires & usus. 36
Nitri vires & usus. 44
Nucis moschatæ vires & usus. 38
Nutritum dictum ungventum ut paretur? 162
Nymphææ oleum expressum ut paretur? 148

O.

Odoriferæ candelæ ut parentur? 128
Odorifera quomodo absque virium deperditione coquenda? 49
Odoriferorum vegetabilium syrupi ut parandi? 73. seq.
Olea cocta composita ut parentur, e. g. irinum, crocinum, de euphorbio, castoreo. 149
concernentes aliquot regulæ. 146
quæ dicantur? 146
Olea expressa crassa ob aquæ internæ defectum, & arctiorem cohæsionem difficilius alterantur. 146
defœcata exaltantur digestione cum spiritu vini rectificatissimo. 146
duplicis classis sunt fluida & solida. 145
fluida prævalent solidis in dissolutionibus & extractionibus corporum solidorum. 145
quomodo majori fluiditate donentur? 145
Olea spirituosa volatilia cum saccharo pulverisanda. 133
non coquenda s. per se, s. in alio oleo, nisi in MB. 53
subtilissimo spiritu, præcipuè alcalisato, dissolvuntur. 65
Oleorum expressorum aciditas ut tollatur, vel infringatur? 54
fœtor corrigitur acido, in digestione oleis adjuncto. 54
Oleosa aquosis permiscentur trituratione. 55
Omphacii vires 38
Ononidis rad. vires & usus. 25
Opiata dicta unde constent, & qui parentur? 114
Opiatorum & antidotorum recensio. 114
Opii vires & usus. 40
Opopanacis vires & usus. 40
Origani herb. vires & usus. 32
Ossa quomodo in mucilaginem, vel gelatinam coquenda? 49
Otalgicum oleum ut paretur? 149

P.

Papaveris albi sem. vires & usus. 36
syrupus ut paretur? 80. seq.
capitum vires. 37
Papaveris erratici conserva ut paretur? 105
florum vires & usus. 34
syrupus ut paretur? 80
Parietariæ vires & usus. 32
Passularum vires. 38
Pediculis oppositum ungventum. 163
Pentaphylli rad. vires & usus. 25

Perlatæ tabellæ ut parentur? 129
Peruviani balsami vires. 39
Pestilentiales magistrales pilulæ ut parentur? 141
Petasitidis rad. vires & usus. 25
Petræ salis vires & usus. 44
Petroselini herb. vires. 32
rad. vires & usus. 25
sem. vires. 36
Pharmaciæ divisio. 16
effectus. 15
finis est antidotum vel venenum. 3
munus in quo consistat? 16
objectum est corpus quodvis tangibile pro usu medico. 1
Pharmacia quid? 1.
Pharmacopæia quid? 1
Pharmacopæi officium circa simplicium collectionem & adhibitionem. 16
Philonium calidum ut paretur? 121
frigidum ut paretur? 121
Phu vires & usus. 25
Picis vires & usus. 40
Pilulæ catholicæ nostræ descriptionis. 140
in 3. classes possunt dividi. 137
salia recipientes, tanquam brevi humefientes, nonnisi extemporaneo usui inserviunt. 138
trochiscorum ferè modo confici possunt. 136
Pilularis massa, per syrupum parata, mox in pilulas formanda est, alias nimis indurescit. 137
Pimpinellæ saxifragæ rad. vires & usus. 25
Pini resinæ vires & usus. 40
Piperis vires. 38
Pituitæ viscidæ oppositæ pilulæ Sylvii ut parentur? 138
vitreæ oppositæ pil. Sylvii ut parentur? 139
Plantaginis vires. 32
Peuritidi oppositum electuarium ut paretur? 105
Pœoniæ rad. vires & usus. 25
sem. vires. 36
syrupus compositus Londinensium ut paretur? 83
Polychrestum balsamum ut paretur? 152
Polypodii querni rad. vires & usus. 25
Poma etiam dant pulpam. 108
Pomatum ungventum candidissimum & fragrantissimum ut paretur? 160
ut paretur? 158 seq.
Pomum ambræ ut paretur? 127
Populeum ungventum ut paretur? 158
Porcina axungia coctione cum aqua fragrante odore & colore fit gratior. 54
Pori corporum juxta varium suum situm, & spiritum internum præexistentem diversimodè disponunt & alterant spiritum aëreum influum. 8
quid sint? 7
Præparatio simplicium qua in re consistat? 1.
Principia tria in plerisque vegetabilium, animalium, & quorundam mineralium corporibus naturalibus reperiuntur. 57
Prophylactica aqua Sylvii ut paretur? 91
Prunorum dulcium vires & usus. 38
pulpa ut paretur? 108
Pulegii herbæ vires 32
Pulmonariæ herbæ vires. 32
Pulpæ quid sint? 107
usitatiores quæ sint? 108
Pulparum circa præparationem necessariæ observationes. 107. 132
Pulverari nequeunt oleosa crassiora, ni-

nisi siccioribus & terrestribus additis. 132
Pulveratio, tritura, lævigatio, corporum terrestrium quid sit? 131
respondet calcinationi Chymicorum. 56
Pulveres quæ concernunt, cautelæ. 132
Pulvis diasennæ ut paretur? 133
Pumicis vires. 45
Purgans catholicus syrupus ut paretur? 76
catholicum electuarium ut paretur? 113
cerevisia ut paretur ¿ 97
electuarium lenissimum & suavissimum ut paretur? 114
sennata infusio ut paretur? 47
syrupus ut paretur? 77
vinum ut paretur? 98
Purgantes tabellæ ut parentur? 129
Purgantia infusa extemporaneo usui sunt præparanda. 97. 100. 102
facile parantur sufficientis quantitatis, de extractione purgantium per spiritum vini, in vinum hauriendum infusione. 97
Purgantia per adsumtionis consuetudinem quandoque nil purgant. 97
simplicia cur non sint coquenda? 102. seq.
Pyra etiam dant pulpam. 108
Pyrethri rad. vires & usus. 26

Q.

Qualitates simplicium ut intelligendæ? 21
Quercus fol. vires. 33

R.

Radices purgantes autumno colligendæ, sudoriferæ instante vere. 19
Radicum & lignorum decoctum ut paretur? 103
herbarum & sem. decoctum ut paretur? 103
Ramosa alia aliis oleis dissolvuntur. 64
a ramosis sæpe multum differunt, & cur? 62. seq.
a viscosis ut differant? 6
cariora cum sacchato pulverisanda. 133
celerius moventur viscosis. 51
& merè terrestria minus alterationi subjacent. 110
menstruis etiam heterogeneis dissolvuntur. 55
mera prævia exsiccatione ad sui pulverationem non indigent. 52
multa ingressum menstruis negant, at sepimentis ablatis admittunt, 63
terrestribus additis ad pulverisationem aptantur. 52
pro sui pulveratione potius lævigationem, quam trituram requirunt. 52. 132
quæ sint? 6
quatuor potissimum sunt generum, 62. 63. 64. 65
quomodo quandoque etiam ab aliis, quam ramosis particulis alterentur? 10
quot modis solidescant? 14
si necessario sint siccanda, lenissimo calore & longiori tempore siccanda sunt, & cur? 52
singula seorsim cur sint pulverisanda? 52. 132
spiritu inexistente subacido prædita magis cohærent, duriora sunt, pistillum vehementius requirunt, & menstrua sæpius plurima respuunt. 53. talia qui pulverisanda? ibid. coctionem igne nudo rarò admittunt, & quando hæc ipsis conveniat? ibid.
spirituosis fermentatis solubilia, nihilominus diversa requirunt men-

menstrua. 65
sui solutione aliis jungi possunt quatuor modis. 65
Ramosæ fluidæ particulæ quæ? 9
particulæ sunt tenacioris cohæsionis, & difficilioris separationis 48. 51
Ramosis quomodo vires augeri possint per viscosa? 50
Ramosorum coctio quo fine instituantur? 54
colliquatio ut peragatur? 55
depuratio qui fiat? 55
extractio diversimodè qui instituatur? 54
menstrua homogenea sunt vel oleosa, vel spirituosa 55
tria potissimum sunt genera. 63. sq.
Ramoso-viscosa menstrua intermedia requirunt. 63
Refrigerans dictum ungventum ut paretur? 163
Resinosa, vide Ramosa.
Resinosa aquâ diluta, hincque tumefacta, mox acredine & calore depositis, acidorum & frigidorum classi se jungunt ad nutum salium prædominantium. 100
cum spirituosis liquoribus facilè pilulificantur. 137. & pilulæ istæ, vel massa pilularis, tum valdè induratur, quæ induratio melle in principio addito præcaveri potest. ibid.
dura, antequam coquantur, macerationem prærequirunt. 102
qua encheiresi oleis possint permisceri? 156
Resinosorum salia, aliàs aperientia & purgantia, terrestribus sociata particulis fiunt austera & adstringentia. 100
figuræ suæ mutationem per imminutionem tantum aliqualem acquirunt, at denuò occasione quadam adaucta, vel accumulata iterum acescunt, ut primum erant. 100. 102
Rhabarbari syrupus simplex ut paretur? 81. 59
vires & usus. 26
Rhapontici rad. vires & usus. 26
Rhodii ligni vires & usus. 29
Ribium vires & usus. 38
Rob quid sit? 85
Rorismarini conserva ut paretur? 106
herbæ vires & usus. 33
florum vires & usus. 34
Rosarum acetum ut paretur? 101
conserva ut paretur? 105
oleum coctum ut paretur? 148
pallidarum conserva ut paretur? 105
rubrarum florum vires & usus. 34
syrupus solutivus ut paretur? 78
Rubiæ tinctorum rad. vires & usus. 26
Rubrum dictum ungventum ut paretur? 157
Rutæ herbæ vires & usus. 33
oleum expressum ut paretur? 148
sem vires. 36

S.

Sabinæ herbæ vires & usus. 33
Sacchari actiones in ejus mixtione, extractione &c. 131
color ab acidis plerumque intenditur, & cur? 68
descriptio deducta. 131
immodicus in pharmaciâ usus potissimum circa tabellas eminet. 128
tinctura quid sit, & unde? 68
vires & usus. 40

Saccharum cur ab additis acidis rubeficetur? 68
quid sit? 131
ramosis fluidis excipiendis & pulverisandis inservit. 65
ramosis plurimis terrestribus salinis gaudet. 68
Sagapeni vires & usus. 41
Salia & ignis sunt pistilla Chymicorum. 62
nonnisi phlegmatis expertia, in pingvia habent actionem. 61
Sal tartari cum acidis diversis diversimodè effervescit. 109
Salviæ herbæ vires & usus. 33
Sambuci acetum ut paretur? 101
baccarum vires & usus. 37
florum gemmæ laxantes aceto ut condiantur? 101
vires & usus. 34
interiorum corticum vires. 28
sem. vires & usus. 36
Sandarachæ vires & usus. 41
Sanguinis draconis vires & usus. 41
Santali albi & citrini vires & usus. 29
rubri vires. 29
Santonici sem. vires & usus. 36
Sarcocollæ vires. 41
Sarcoticum oleum ut paretur? 149
Sarsaparillæ vires & usus 27
Sassafras ligni electuarium ut paretur? 119
vires & usus. 29
Saturni saccharum & vitriolum permixta fluidificantur. 11
Saxifragiæ rad. vires & usus. 27
Scabiei oppositum ungventum. 163. 165
Scabiosæ herbæ vires & usus. 33
Scammonii vires. 41
Scarleæ herbæ vires & usus. 31
Schænanthi flor. vires. 34
Scillæ rad. vires & usus. 27
Scolopendrii herb. vires & usus. 33
Scorbuticorum vegetabilium syrupi ut parandi? 73
Scorbuto dicata simplicia adservationi sunt inepta. 17
Scordii herb. vires & usus. 33
Scorzoneræ Hisp. rad. vires & usus. 27
Semina matura pro pharmaceutico usu citissimè siccanda. 20
Seminum, herbar. & rad. decoctum ut paretur? 103
Sennæ foliorum vires & usus. 33
syrupus ut paretur? 82
Serpilli herbæ vires & usus. 33
Seva quomodo coloranda? 54
Sevo per spir. vini color extrahitur, ut inserviat pro balsamis, coctione hinc parandis. 54
Simplicia acido prædita debilius agunt. 23
alias noxia correctione indigent. 66
omnia è propriis suis regionibus petenda, tanquam viribus meliora. 17
sale volatili prædita in suo genere sunt efficacissima. 22
solida diu durant, & adservari possunt. 17. seq.
Simplicium adservatio ut fieri debeat? 17. seq.
anatomia qui perficiatur? 60
collectio & adservatio quid sit? 17. 19. variat, & in antiscorbuticis inutilis 17
exsiccatio ut fieri debeat? 18. seq.
gradus simplices & compositi, juxta calidum, frigidum, siccum & humidum explicati. 20. seq.
mixtura bona qua in re consistat? 1

præparatio bona qua in re consistat? 1
textura valdè intricata est. 62
vires Chymica resolutione certius, quam per gradus veterum dijudicantur. 22
infinitè alterantur ab intestino, cohæsionem dilacerante, motu. 99
Solidi corporis alteratio fit in fluido, fluidi in solido. 2
ortus fit è fluidis. 9. tubulis tamen suis respondentibus. 10
Soliditas corporum quid sit? 13. quomodo fiat? 13
regulis & experimentis enucleata. 14
Spermatis ceti vires & usus. 43
Spicæ Celticæ & Indicæ rad. vires & usus. 27
Spiritus aromaticus ut paretur? 96
Spirituum defectus corporum motum & actiones retardat. 51
Staphidis agriæ vires & usus. 36
Sticticum dictum emplastrum ut paretur? 171
Stœchados florum vires & usus. 34
syrupus ut paretur? 72
Stomachale dictum emplastrum ut paretur? 173
Stomachica aqua ut paretur? 90
Stomachicum dictum emplastrum ut paretur? 167
Styracis calamitæ & liquidæ vires. 41
Subterranea quo magis per menstrua attenuantur, tantò magis operantur. 61
Succini albi & citrini vires & usus. 41
vernix ut paretur? 154
Succinum mediante liquefactione austeritate sua salina liberatum, facile ab omnibus ramosis dissolvitur. 63
Sudoriferæ pilulæ ut parentur? 144
Sudoriferus pulvis ut paretur? 136
Sulphuris vires & usus. 44
Sulphur generale quasi dissolvens terrestrium respici potest. 65
terrestribus, triturationem respuentibus, imminuendis plerumque adhibetur 65
Suppositoria cum pilulis & tabellis in confectione conveniunt. 144
triplicis sunt generis. 144
ut parentur? 144
Suppositorium vulgare ut paretur? 145
Syrupi acidi cur debeant esse consistentiæ sat crassæ? 69
ratione coloris & consistentiæ sunt considerandi. 68
ut parari debeant? 69
ex odoriferis volatilibus parandi, parantur duplici via infusione & maceratione, vel coctione & destillatione. 70
quid sint? 68
triplicis sunt generis. 68

T.

Tabellæ acidæ ut parentur? 130
diversæ intentioni parantur. 71. 129
è quibus componantur? 129. seq.
perlatæ ut parentur? 129
quid sint? 129
saccharum pro basi habent. 129
Tacamahacæ vires & usus. 40
Tamarindorum pulpa ut paretur? 108.
vires & usus. 38
Tamarisci cort. vires & usus. 28

Tanaceti herbæ vires & usus. 33
sem. vires & usus. 36
Tartari albi & rubri vires & usus. 41
sal cum acidis diversis diversimodè effervescit. 109
Temperamentorum qualitates qui intelligendæ? 21
Terebinthina est universale menstruum ramosorum duriorum. 55. 64. 167
Terebinthinæ usus. 41
Terræ sigillatæ vires. 44
Terra per se quieta. 14
quævis porosa & pervia est materiæ fluidæ, adeoque etiam mobilis. 13
Terrea s. Terrestria corpora ad sui coctionem salium additionem requirunt. 102
diversissimam sæpius â se invicem texturam obtinent, & quare? 62. seq.
nisi attenuata parum virium habent, aliquando tamen sat efficacia. 7. quandoque etiam fluidificantur, & quomodo? 10. fluiditatis tamen hujus â vera corporum fluiditate differentia ibid. solidescere iterum possunt; ibid. si autem indivisibili nexu cum menstruo artificiali adhibito coalescant, vere sunt fluidificata. 11
non simul ramosa vel viscosa triturarioni vel calcinationi obediunt. 65
per lotionem cum aqua communi sale interno vivificante spoliantur. 57
pilulificanda mellis vel viscosorum additionem requirunt. 137
præparantur utplurimum mediante pistillo 55. seq.
pro plenaria sui solutione menstrua fluida salina requirunt. 66
quæ dicantur? 6. 56
quæ, & quali coctioni subjicienda sint? 56
quomodo in subtilissimum pulverem redigantur, qui pulvis adsimilatur magisteriis Chymicis. 57
spiritu suo volatili non destituuntur, utplurimum incarcerato: qui spiritus internus, si acidulus est, est firmioris subsistentiæ ob arctam acidi cum terrestri solennem unionem. 110
triturationem & lævigationem solam pro sui præparatione requirunt. 56. 110
triturationem negantia sulphure plerumque imminuuntur. 65
Terrestres particulæ fluidas incarcerantes faciunt corporum soliditatem. 13
Theriaca contracta ut paretur? 119
contractior alia ut paretur? 120
Theriacæ odor & sapor minuitur spiritu acido addito, augetur addito alcali. 118
Theriacale extractum ut paretur? 122
Theriacalis aqua composita ut paretur? 91
simplex ut paretur? 88
Thuris vires. 41
Thymi herbæ vires & usus. 33
Tormentillæ rad. vires & usus. 27

Tragacanthi vires. 41
Trochisci alexiterii Londinens. ut parentur? 125
bechici albi Amstelod, ut parentur 116
nigri ut parentur? 127
camphoræ Londinens. 125
cui usui possint accommodari? 125. 116. 127
quid sint, & qui parentur? 125. 126. 127
Turbith rad. vires & usus 27
Tussilaginis herbæ vires & usus. 33
Tutiæ vires. 44

U. V.

Valerianæ rad. vires & usus. 25
Vegetabilium ortus & incrementum è principio viscoso ut succedat? 5
Vegetatio unde? 85
Venena quæ dicantur? 3
vel motu, vel quiete officiunt. 22
Verbasci herbæ vires 33
Verbenæ vires & usus. 33
Vere collecta simplicia minus sunt durabilia. 20
Ver fermentationem magis æqualem, & accuratiorem unionem conciliat. 115
Vermibus oppositæ tabellæ ut parentur? 129
oppositus pulvis ut parandus? 135
Vernices coloratæ ut fiant? 154
concernentes præcipuæ observationes 153
quandoque relinquuntur post volatilium partium â corporibus fugam. 153
quid sint? 153
Vernix eò magis limpida & tenuis esse debet, quo corpora, eorumve color magis albicant, aut variegatus est. 153
de gummi copal ut paretur? 54
Japonica dicta ut paretur? 154
de mastiche ut paretur? 154
de succino ut paretur? 154
ut paretur? 153
Vina medicata optimè fiunt è musto fermentante cum speciebus debitis. 98
Vini spiritus ramosis, sæpius instar lactis, solvendis inservit. 65
Vinum purgans ut paretur? 98
Vincetoxici rad. vires. 27
Violariæ herbæ vires & usus. 34
Violarum syrupus ut paretur? 70. 78
Vires corporum diversæ â diversa particularum viscosarum, ramosarum & terrearum dispositione oriuntur. 7. 62
simplicium infinitè alterantur ab intestino, cohæsionem dilacerante, motu. 99
Viscosæ fluidæ particulæ quæ? 9. minus constantes sunt ramosis, ibid.
Viscosa facilè per se pilulificari possunt. 137. sed consistentia nimis mollis summoperè vitanda & cur? ibid.
quomodo ad decoctionem adhibeantur? 102
ramosorum vires augere possint? 50
sæpius diversissimam â se invicem figuram obtinent, & quare? 62. seq.
tardius moventur ramosis. 51. 109
Viscoso-ramosa simplicia quomodo extrahenda vel coquenda? 48. seq.

Vi-

Viſcoſo-ramoſorum corporum ſeparatio eſt difficilis, & quomodo fiat? 48
Viſcoſorum ſtatus alteratur juxta tempus, & menſtrua adhibita. 51
Viſcoſum corpus ante pulveriſationem cur leniter exſiccandum, variante tamen exſiccatione? 45. ſeq.
pharmaceuticis operationibus ſubjiciendum quomodo tractetur? 45
prævia maceratione, vel digeſtione coctioni cur ſubjiciatur? 46
quod dicatur? 4
ramoſi naturam induit aquæ ſuæ privatione. 5. 48
Vitrioli vires. 44
Vitriolum, & Saturni ſaccharum permiſta fluidificantur. 11
Ungventa colorata & herbas recipientia pro ſui confectione, coctione ignis nudi omni humido ſunt ſpolianda. 155
duriora unde, & qui parentur? 156
mediæ ſunt conſiſtentiæ inter olea cocta & emplaſtra. 155
mollia unde, & qui parentur cum ſuis circumſtantiis? 155
Ungventis quomodo pulveres uniendi? 156
Ungventorum confectionem concernentia varia obſervanda. 156
vires differunt etiam coctione. 156
Ungventum Ægyptiacum ut paretur? 166
baſilicum ut paretur? 164
fuſcum Fel. Wurtz. ut paretur? 160
magiſtrale ut paretur? 166
Martiarum ut paretur? 166
nervinum ut paretur? 157
nutritum ut paretur? 162
ad pediculos ut paretur? 163
pomatum ut paretur? 158. 159. candidiſſimum & fragrantiſſimum ut paretur? 160
populeum ut paretur? 158
refrigerans ut paretur? 163
rubrum dictum ut paretur? 157
ad ſcabiem ut paretur? 163. 165
triplex eſt juxta conſiſtentiam, vel linimentum, vel ungventum molle, vel emplaſtrum. 155
Ungulæ quomodo in mucilaginem, vel gelatinam coquendæ? 49
Volatilia ſimplicia coctionem non ſuſtinent, niſi ſub certis enchireſibus. 102.

W.

Warwicenſis Comitis pulvis ut paretur? 134
Wurz ungventum fuſcum ut paretur? 160

Z.

Zarzaparillæ vires & uſus. 27
Zedoariæ rad. vires. 27
ſem. vires & uſus. 36
Zibethi pulveratio cum ſaccharo fieri debet. 133
vires. 43
Zinziberis vires. 27

FINIS.

COLLECTANEA
CHYMICA LEIDENSIA
MAETSIANA & MARCGRAVIANA,

Olim publice & Privatim

In Academia Lugduno-Batava Chymiam


Profitentium, ac docentium.



Apud { FREDERICUM HAARING, CORNELIUM BOUTESTEYN, } 1696.

TYPOGRAPHI LECTORIBUS

Bene valere & vivere.



Ollectanea Leidensia, trium professorum titulo ornata, nunc sæpius lucem viderunt. Duo autem jam pridẽ defuncti, tertius superstes in vivis adhuc dum moratur, cujus tractatum hisce præmisimus Collectaneis. Huic, ut suum proprio talo staret opus, ita visum fuit, removere omnes processus, illius sub nomine collectaneis intersparsos, Hos severiori examini subjecit, vitia sustulit, emendatiores obtulit. Duorum igitur, non trium Virorum, hæc sunt collectanea, nisi malitis totum hunc librum, tribus hisce Viris debitum, uno sub titulo, recipere. Plura potuissemus in unum redegisse fasciculum, sed melius arrisit hæc sola retinuisse, ne confusum ali-

quod exinde Chaos emergeret, quod in plurimis deteſtandum eſt libris. Vitas Authorum, ipſo nomine venerationem incutientium omiſimus, ne lucem ſoli addere nos velle videamur. Nihil hic additum, nihil demptum, in alienam enim meſſem immittere falcem indecorum pariter ac inhoneſtum eſt. Vos interim hoc tractatu inſigniter vivo ab Authore aucto fruimini, citius enim diſtracta exemplaria nos ad ulteriores præli labores feſtinare cogent, nihil intentatum relicturi, ut etiam nova commoda, hiſce utilibus ac dulcibus jungantur.

Dabamus Leidæ 19. January
1696.
In noſtro Bibliopolio.

PRO-

PROLEGOMENA CHYMICA.

Prolegomenon primum.

CAPUT I. (*Marg.*)

De Chemiæ definitione, divisione, subjecto, & principiis.



Hemia, ſive Alchemia eſt vocabulum Arabicum à radice Chama, quod ſignificat *occultavit*: eſtque ſic dicta à *Sarchana*, quaſi Chabala quædam. Vel ſic eſt dicta, ſecundùm nonnullos, Ars Ægyptiaca, quia, teſte Plutarcho, olim Ægyptus dicebatur *Chemia*, aut *Chamia*, ſicut multi putant, à Chamo Noæ filio, qui illam totam occupavit.

Hermetica dicitur ab Hermete Triſmegiſto Ægypti Principe. Spagyrica dicitur recentioribus, quia docet ſolvere, & coagulare. Antiquis Græcis fuit ignota, quamvis multæ operationes Chymicæ iiſdem fuêrint notiſſimæ, ut patet ex Dioſcoride, Plinio, &c.

Poteſt optimè definiri *Anatomia rerum naturalium per ignem*, *quia* ignis Chymicorum eſt præcipuum inſtrumentum, & tanquam culter Anatomicus. Vel definiatur cum Beguino: *eſt ars corpora naturalia ſolvendi, & coagulandi.*

Sumitur autem vocabulum Chemiæ non ſemper eodem modo, tribuiturque diverſis artibus, quatenus nempe alium, atque alium, finem habet propoſitum. Hic enim eſt interdum tranſmutatio metallorum, quâ nempe viliora metalla traſmutantur in nobiliora. Interdum eſt metallorum purgatio, & vocatur propriè *Metallurgia.* Interdum finis eſt naturalis ſcientiæ, & tum Chymia eſt inſtrumentum Philoſophiæ. Medici ſibi proponunt medicamentorum Chymicorum præparationem,

unde hæc ars propriè *Chymiatria* dicitur : &, qui hanc colunt, ut faciunt hodie plerique Medici Galenici, & Hippocratici, illi *Chymiatri* dicuntur.

Subjectum Chymiæ sunt res naturales quæcumque, tum simplices, tum compositæ. Simplices, quatenus constituunt compositas: Compositæ, quatenus ex his substantiæ simplices comparantur.

Vulgò res compositas tantùm, & mixtas, Chymiæ subjectum constituunt, dividuntque in tria regna; Minerale, Vegetabile, & Animale.

Regnum minerale comprehendit metalla, lapides, & terras.

Metalla dicuntur mineralia, quæ possunt igne fundi, & extendi malleo: Numeranturque septem, nominibus Planetarum donata.

Aurum dicitur	*Sol.*
Argentum	*Luna.*
Ferrum	*Mars.*
Cuprum	*Venus.*
Stannum	*Jupiter.*
Plumbum	*Saturnus.*
Argentum vivum	*Mercurius.*

Lapides dicuntur Mineralia, quæ quidem igne fundunt, malleo tamen extendi non possunt: Suntque vel nobiles, ut *Carbunculus*, *Adamas*; *vel* ignobiles, ut *Pyrites*, *Silex*.

Terræ dicuntur Mineralia, quæ nec igne fundi possunt, nec duci malleo : Suntque præterea friabiles, & facile in pulverem rediguntur : Suntque vel propriè dictæ, vel impropriè. Propriè dictæ sunt Bolus, Terra-Lemnia, Creta. Impropriè dictæ sunt vel salia, ut Sal gemmæ, Ammoniacum, Vitriolum, Nitrum, Alumen, Sal marinum. Vel sunt bitumina, ut Asphaltum, Succinum, Ambra grysea, Petroleum, Sulphur, Arsenicum, Antimonium ; quod tamen aliquomodo ad metalla redigi potest.

Regnum vegetabile comprehendit plantas, earumque partes, fructus, excrementa, ut sunt Vinum, Oleum commune, Acetum, Tartarus, Resina, Fructus, Pinguedines, Lac Plantarum.

Regnum animale continet omne genus animalium, sive sint bruta, sive homines, sive partes, sive excrementa, ut sunt ossa, carnes, pinguedines, sanguis arteriosus, urina, &c.

Solutio, quæ una cum coagulatione est finis internus Chymiæ, instituitur principiorum gratiâ, quæ numerantur quinque; Spiritus, sive Mercurius, Sal, Phlegma, Terra, sive caput mortuum.

Tria

Tria priora dicuntur activa, quia omnis motus internus ab iis dependet. Duo posteriora dicuntur passiva, quia nihil agunt in compositis. Unde etiam Paracelso non habentur pro principiis, quia ex illis nulla præparantur medicamenta, sicut vulgò putant: Quamvis sæpe etiam in usum medicum veniat, ut terra Vitrioli, Tartari, Aluminis. Imò reliquorum principiorum sunt matrices, quia illa sustentant, & fovent. Spiritus à similitudine externa, nempe volatilitate, & fluiditate, quam cum Mercuriò habet, dicitur vulgò Mercurius. Et sic dicitur omnis liquor activus penetrans, & pungitivus, ut sp. Vini rectificatus, sp. Vitrioli, Nitri, &c. Specialiter tamen Chymici illum vocant spiritum, qui ex rebus fermentatis paratur, ut est, sp. Absinthii, Rosarum, &c. Propriissimè tamen spiritus dici debet, quidquid est summè volatile in rebus. Ita ut ejus notio *in sola volatilitate* consistat. Atque hoc modo erit spiritus triplex, insipidus, sulphureus, salinus.

Sulphur vocatur, quidquid est inflammabile: Estque vel amarum, vel dulce. Illud est in absynthio: Hoc in butyro, & carnibus. Est etiam sulphur aliud volatile, aliud fixum. Volatile reverâ accenditur: fixum arte sic paratum est, vel etiam naturâ tale est, ut non accendatur, ut sulphur fixum Antimonii, sulphur commune fixatum.

Sal dicitur, quicquid potest incinerari, & est ptæterea acre, Estque primò duplex; Sal alcali, sive simplex; & sal vulgò dictum, sive compositum ex acido, & alcali. Est etiam Sal aliud volatile, aliud fixum. Utrumque respectu ignis sic dicitur. Fixum dicitur, quod ignem secundi, tertii, vel quarti, gradûs perferre, & permanere in eo constanter potest. Volatile dicitur, quod statim cum primo gradu ignis avolat, & in auras abit: vel, si sit inclusum vasi, lateribus recipientis adhærescit. Propriè tamen Chymicis solum aurum dicitur fixum, reliqua omnia volatilia. Utrumque hoc Sal, vel est purè salsum, vel salsum & acidum simul. Extat etiam distinctio salium apud Chymicos in Sal vegetabile, minerale, & animale. Sal vegetabile vocatur sal volatile: minerale dicitur sal fixum. Sal animale, inter reliqua salia, est sal medium, partim fixum, partim volatile.

Phlegma dicitur liquor aquosus, insipidus, haud ita volatilis, nisi vehementiore igne urgeatur. Sæpe tamen hujusmodi phlegmata multa in se continent, quæ gustu percipi nequeunt, unde pro spiritibus haberi debent, ut spiritus cerebri humani.

Terra est corpus crassum, siccum, nullâ qualitate aliâ, præter exiccativam, præditum; unde vocatur *terra damnata*, & *caput mortuum*.

Cavendum tamen, ne ſtatim aliquid pro terra habeamus damnatâ primo adſpectu; ſunt enim multæ terræ, quæ in ſe continent ſulphura, metalla, aliaſque particulas.

Solutioni opponitur Coagulatio: Quæ eſt operatio, quâ plura, & diverſa corpora, in unum coguntur: Et fit multis modis; præcipitatione, congelatione, chryſtallizatione, digeſtione, cohobatione, reductione, coctione, exhalatione.

CAP. II.

De diviſione, & inſtrumentis Chymicis.

Dividitur Chymia vel ratione ſpecierum, vel partium. Ratione ſpecierum Chymia alia eſt univerſalis, quæ verſatur circa objectum univerſale, nempe lapidem Philoſophorum, qui eſt medicamentum omnibus morbis profligandis idoneum: Volatile enim eſt maximè, ſubtiliſſimum, puriſſimum, temperatum. Alia eſt particularis; eaque duplex. Metallica, quæ occupatur circa tranſmutationem viliorum metallorum in præſtantiora, quam putant Adamo fuiſſe notam, ab Ægyptiis olim excultam, à Jaſone poſſeſſam; quæque fuit laudata à Libavio, Paracelſo, aliiſque plurimis; ſed quæ rarò eſt reperta, ob media fallacia, & artificum fraudes; quamque multi explodunt dicto Mercurii Britannici; quòd ſit, *ars ſine arte*; *cujus ſcire eſt pars cum parte*; *medium eſt ſtrenuè mentiri*; *finis mendicatum ire*; *vel in patibulo ſuperbire*. Sed hæc omnia Pſeudochymicorum, & Sycophantarum, ſunt. Alia verò eſt medica, quæ tractat corporum naturalium cauſas, naturam, affectiones, medicinam faciendi gratiâ; *Chymiatria* dicitur.

Ratione partium, Chymia dividitur, in *inſtrumenta*, in *operationes*, & in *opera*, ſeu *effecta*; quæ & *ſpecies Chymicæ* dicuntur.

Inſtrumenta Chymica ſunt varia, & multa. Præcipua tamen ſunt *furni*, *ignis*, *menſtruum*, & *vaſa*.

Furni, ratione operationum, figuras varias habent. Sunt enim *rotundi*, *quadrati*, *humiles*, *alti*, *parvi*, *magni*, *clauſi*, *aperti*, *ſimplices*, *compoſiti*, *ſeparati*, *connexi*, *cœmentatorii*, *reverberii*, *digeſtivi*, *circulatorii*, *calcinatorii*, *fuſorii*, ſive *anæmii*, *probatorii*, *ſive dochomaſtici*, vel *Athanor*; ita & *furnus Philoſophicus*, & *arcanus*, vel *furnus Acediæ*, ſive *piger Henricus*, *furnus negligentiæ*, digeſtionibus, ſcilicet, dicatus.

Fur-

Furnus simplex partes præcipuas habet sex. *Conisterion*, sive *Cinerarium*: *Pyristerion*, sive *focum*: *Ergasterion*, sive *laboratorium*. His accedunt *Ostiola*, *Craticula*, *Bajuli*, seu portatores: *Spiracula*, sive ventilia, quæ & *registra* dicuntur, *Epistomia* Græcis.

Ignis ratione intensionis, & remissionis, in quatuor dividitur gradus. Qui cognoscuntur *visu*, sive stillicidio; per *tactum musicum*, tactu, effectu; *regimine*, per registra.

Primus gradus dicitur ignis *lenissimus*, vocaturque aliàs *ignis digestivus circulatorius*, aut *putrefactorius*: Estque calor similis calori balnei, aut fimi equini; quem, scilicet, hominis tenerrimi digiti perferre possunt; respondetque Urinæ recens mictæ; aut gallinæ incubanti ovis.

Secundus gradus evidenter ferit tactum; sine læsione tamen. Et respondet aquæ tepidæ, aut radiis solaribus in æstate; adhibeturque per vesicam, arenam, cineres.

Tertius gradus jam lædit manum, & respondet aquæ ferventi, aut arenæ calidæ.

Quartus gradus destructivus est, & dicitur *ignis reverberii*, constatque flammâ viva; & respondet ferro candenti limato.

Sunt & aliæ ignis differentiæ. Nam alius est ignis *naturalis*, qui dicitur *ignis Parabolicus*, & adhibetur per speculum concavum cum radiis solaribus. Alius est *artificialis*, isque vel *humidus* in balneo, ut vesica; vel *siccus* in arena, cinere, ferro, furno vitriario, reverberii, crucibulo. Alius etiam est *actualis*, alius *potentialis*; alius *clausus*, alius *apertus*: alius in *balneo roris*, seu vaporis: alius in *balneo Mariæ*, in *balneo sicco*, arenæ, cinerum, limaturæ Martis. Alius est *reverberatorius*, *suppressionis*, ut in Cinnabari Antimonii: alius *cespitum*, *lampadis*, *fimi equini*, *flammæ*, *ignis circularis*, sive *rotæ*.

Gradus à Chymicis etiam sequenti modo distinguuntur. Primus statuitur in *balneo mariæ*: secundus in *cineribus calidis*: tertius in arena calida: quartus igne nudo perficitur.

Singuli tamen hi gradus suam iterum habent latitudinem, & in quosdam gradus subdividuntur. Sic balneo quatenus vel tepet, vel fervet, potest administrari primus & secundus gradus ignis: in cineribus, & arena, exhibetur primus, secundus, & tertius gradus: igne nudo perficiuntur gradus omnes.

Menstruum Chymicis dicitur liquor, qui vim habet aliquod corpus solvendi, unde & simpliciter *Solvens* dicitur. Vocatur autem menstruum, quia *per mensem Chymicum*, id est, quadraginta dies, cum cor-

corpore solvendo, in digestionem reponitur; quo tempore fit corporis solutio. Non rarò etiam pulvis, ut est Sulphuris, Salis, & aliarum rerum, menstruum appellatur.

Omne menstruum vel est universale, quod vulgò dicitut *Alcahest*; quod promiscuè omnia corpora solvit. Paracelso, & Helmontio, *ignis Gehennæ* dicitur. Vel est particulare, quod solvit tantùm corpora appropriata: Estque quadruplex: aut *aqueum*: aut *sulphureum*: aut *salinum*: aut *spirituosum*: vel ex omnibus *mixtum*.

Menstruo aqueo solvuntur corpora rarioris texturæ, ut sunt partes animalium, saccharum, salia, & quædam salina corpora. Corpora sulphurea solvuntur oleo, & pinguibus. Spirituosa solvuntur spiritibus. Corpora salina, ut sunt metalla, solvuntur menstruis salinis, uti sunt spiritus acidi.

Vasa Chymica differunt præcipuè materiâ, figurâ, magnitudine. Ratione materiæ, vasa sunt vel *vitrea*, omnium optima: vel *ænea*, vel *ferrea*, vel *terrea*, vel *stannea*, vel *plumbea*.

Figuræ sunt vel *rotundæ*, vel *cornutæ*; *cavæ*, *rostratæ*, *ventricosæ*, *oblongæ*, *depressæ*.

Ratione magnitudinis vasa sunt vel *alta*, sive oblonga, vl *humilia*, vel *capacia*, vel *angusta*: suntque vel *ampullæ*, vel *ollæ*.

Ampullæ species sunt *Cucurbita*, *Pellicanus*, *Phiala*, *Recipiens*, sive *Receptaculum*, *Ovum Philosophicum*.

Cucurbita, dicta Beguino *Matratium*, alia est *recti colli*, & retinet nomen; estque vel *fundi lati*, vel *globosi*: alia est *colli curvi*, & vocatur *Retorta*, *Batia*, *Cornesta*, *Cornumusa*. Recta Cucurbita, si sit minor, vocatur *Separatoria*: si sit major, & ex cupro, vocatur *Vesica*.

Operculum rectæ Cucurbitæ dicitur propriè *Capitellum*. Vulgò malè vocatur *Alembicus*, cùm hoc sit nomen Cucurbitæ vasis angusti colli, & fundi capacioris. Est autem vel *turritum*, vel *instar cranii humani*: vel cum *limbo*, vel *sine limbo*, ut *Campana*: vel cum, vel *sine rostro*, quod *Cæcum* dicitur: vel superiùs *perforatum*, vel non. *Aludel* est capitellum duplicatum, vel triplicatum, imò quadruplicatum.

Ollæ vel sunt terrestres cum fundo plano, uti sunt *catini*, seu *capellæ*: vel sunt *fornicatæ*, ut *tegula fornicata* aurifabris in usu. Vel sunt *ovales*, vel *quadratæ*, vel *planæ*, vel *obliquæ*. Aliquæ à fundo ovali instar calicum in triangulum assurgunt, ut sunt *crucibula*. Aliæ sunt *latæ*, ut *calcinatoriæ*, *vitriatæ*, vel *non vitriatæ*. Quarum species docebit usus.

Per-

Pertinet etiam ad vaſa *Conus fuſorius*, *Pixis cœmentatoria*, *Circuli ferrei igniti*, *Circuli ſtraminei.*

CAP. III.

De operationibus Chymicis.

OPerationes Chymicæ in univerſum ſunt tres, *Solutio*, *Coagulatio*, *Immutatio.* Solutio fit vel *calcinatione*, vel *extractione*, vel *purificatione.*

Calcinatio *eſt pulverizatio corporum per ignem:* Fitque ſex modis. Omnium finis eſt calx, ſeu pulvis, præcipuè mineralium, interdum tamen etiam vegetabilium, vel animalium; ut quando calcinatur Cornu Cervi, Bufo, Rana, Talpa, putamen Ovorum, herbæ.

Prima ſpecies calcinationis fit cum Mercurio: Eſtque metallorum propria, exceptis tamen Venere, & Marte.

Dicitur vulgò *Amalgamatio*, vocabulo corrupto ex græco μαλάσσω, id eſt, *emollio:* Poteſtque definiri, *emollitio metallorum*, *imprimis quatuor, per Mercurium crudum.* Secunda ſpecies fit cum aliquo ſpiritu acido, nempe ſpiritu Aceti, Guajaci, Vitrioli, & dicitur Beguino *Præcipitatio*, aliàs verò *Calcinatio immerſiva.* Tertia ſpecies fit per cœmentum, ſive pulverem corrodentem, uti eſt pulvis Sulphuris, Nitri, Vitrioli, Salis communis, Tartari, & dicitur *Cœmentatio*, ſeu *Stratificatio.* Quarta ſpecies fit fumo acri, ut eſt Mercurii, Aceti, Aquæ alicujus deſtillatæ, aut Spiritûs Vini, diciturque *Fumigatio.* Quinta ſpecies fit igne reverberatorio, diciturque vulgò *Reverberatio.* Sexta ſpecies fit igne nudo, & dicitur *Incineratio.*

Extractio corpus in diverſas partes reſolvit: Fitque vel primò *extractione* in ſpecie dictâ, quæ eſt *Tincturarum*, & *Eſſentiarum.* Tinctura eſt *certus, & conſpicuus color, aliquas totius vires continens: & abſtracto menſtruo, dicitur Extractum.* Eſſentia *comprehendit omnes totius vires.* Secundò fit *putrefactione*, quam ſequitur ſeparatio. Tertiò *deſtillatione*, quæ eſt vel *ad latus*, in iis rebus, quæ fumos emittunt graves: vel *per adſcenſum*, ubi vapores ſunt leves: vel *deſcenſum*, ubi vapores ſunt graviſſimi. Quartò *ſublimatione.* Quintò *filtratione.* Sextò *deliquatione.* Septimò *rectificatione.* Octavò *cohobatione.* Nonò *digeſtione.* Decimò *circulatione.*

Purificatio aufert tantùm inutilia, & aliena: Fitque vel crebrâ *filtratione:* vel *uſtione*, ut in ſalibus, oſſibus, cornibus. *Coa-*

Coagulatio latè Chymicis dicitur operatio, *quæ diversa & separata corpora in unum compellit:* Poteſtque fieri multis modis; *præcipitatione, reductione, concretione, digeſtione, cohobatione.*

Præcipitatio fit *cùm aliquis liquor præcipitans affunditur corpori, à menſtruo aliquo ſoluto.* Tum enim præcipitans ſe inſinuat menſtruo, & ſolutum corpus, minimis atomis menſtrui poris inhærens, expellit, ac ad fundum deturbat. Requiruntur hîc tria; corpus ſolutum, menſtruum, & liquor præcipitans.

Reductio dicitur *cùm corpus priſtinæ formæ redditur*; habetque fere locum tantùm in metallis: Fitque, vel *igne fuſorio*; vel *per retortam*; vel *evaporando*; vel *præcipitando:* præcipuè per Sal Tartari. Sic reducuntur Calx Saturni, Corallia, Oleum Tartari per deliq.

Concretio fit *quando ſalia in aquis chryſtallizantur.* Quod fit, quando particulæ ſalinæ, ſibi invicem in vicinia poſitæ, ſeſe apprehendunt, & variarum figurarum cryſtallos producunt.

Digeſtione, & circulatione, partes alicujus liquoris penitus uniuntur, & inter ſe coagulantur. Perficiuntur autem igne primi gradûs.

Cohobatio, dicta *quaſi cohabitatio*, eſt *quando liquor abſtractus iterum affunditur capiti mortuo, iterumque deſtillatur*; ut vis, quæ primâ, aut ſecundâ vice, non fuit educta, tertiâ, & quartâ vice, prodeat, & uniatur deſtillato. Interdum tamen adhibetur, ut reliquum corpus magis figatur; interdum ut depuretur, interdum ut alium colorem, aut tincturam accipiat.

Immutatio dicitur operatio Chymica, *quâ accidentia tantùm quædam circa aliquod corpus immutantur*; ut cùm ſalia ſolvuntur per deliquium in olea. Secundò, cùm, quæ ſolida ſunt, fiunt potabilia. Tertiò, cùm liquida fiunt ſolida, ut cùm Mercurius figitur in præcipitatum. Quartò, cùm volatile fit fixum; & è contra. Quintò, cùm terræ, vel ſalia potiùs, vitrificantur.

CAP. IV.

De ſpeciebus Chymicis.

Species Chymica dicitur *id, quod per certas operationes, inſtrumentis legitimè adhibitis, producitur.* Sive, *eſt ipſum* opus, *ſive effectus à Chymico impetratus.*

Eſtque vel *ſimplex*, vel *compoſita.* Simplex ſpecies, aut eſt *Magiſterium*; aut *Secretum*, ſeu *Extractum*, Chymicum. Ma-

Magisterium *est species Chymica simplex, ex toto corpore, citra extractionem, parata*; & constans impuritatibus tantùm externis ablatis: Pertinentque huc, primò, Olea per deliquium, Aurum potabile. Secundò, Magisteria vulgò dicta, ut est Coralliorum, Cornu Cervi, &c. Item vitra vomitiva, pulveres, & calces metallorum, Sulphur auratum Antimonii, Crocus Martis, aliorumque metallorum flores, & sublimata, Mercurius sublimatus, Antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale, & similia.

Extractum, seu secretum, Chymicis dicitur, *id, quod è corporeâ concretione separatum est, relictâ crassitie elementali*, uti sunt, primò, destillata, aquæ, spiritus, olea. Secundò, Extracta vulgò dicta, tincturæ, essentiæ. Tertiò, sublimata, quando, scilicet, non totum corpus sublimatur, ut in floribus Antimonii rubris. Quartò, usta, & calcinata quædam, ut Cornu Cervi cum, & sine ustione, paratum. Quintò, Cremor, & Chrystalli Tartari.

Composita species Chymica est duplex, *Elixirium*, sive Alexiterium, & *Clissus*.

Elixirium *est species Chymica ex pluribus, & diversis simplicibus composita*, ut est Balsamus Sulphuris ex oleo Terebinthinæ, Myrrhæ, & aliis paratus; vel aqua Vitæ ex pluribus aromatis cum spiritu Vini conflata.

Clissus est, *cùm ejusdem rei species diversæ, seorsim elaboratæ, rursus conjunguntur*; ut cùm Sal, Sulphur, Spiritus, seorsim extracta, & elaborata, ex Carduo benedicto, & Tabaco, iterum conjunguntur, & per digestionem in unum corpus uniuntur. Sed sæpe hoc vocabulum etiam abusivè sumitur, tribuiturque vulgò aceto Antimonii ex Antimonio, Sulphure, & Nitro, destillato; qui inde *Clissus Antimonii* dicitur.



COLLECTANEA
CHYMICA LEYDENSIA, CONTRACTA & NOTIS ELUCIDATA.

(*Margr.*) CAPUT I.

Acanthini ligni tinctura.

R*ec. Rasuram ligni Acanthini, id est, Brasil vulgò dicti,* Infunde in aquam puram, digere illam in olla vitreata per aliquot hor.; & habebis tincturam sanguineam. Quòd si loco aquæ infundatur rasura in aceto, aut etiam aliquo lixivio, cum pauxillo gummi Arabici, & aluminis, acquiretur tinctura pro tingendis libris, & scripturâ rubrâ adornandâ, id est, habebitur liquor aliquis scriptorius pro exarandis literis rubris.

Nota. Hæc tinctura ab addito alcali deprimitur, ab acido exaltatur: verum, si ei addatur spir. sal. comm. q. s. ad levissimam aciditatem, literæ, quantumvis primo rubræ, post perfectam exiccationem cærulescunt.

Usus. *Hæc tinctura, cum aqua nempe parata, inservit tingendis lanis: nec cedit purpuræ, nisi quòd faciliùs extinguatur, aut deleatur.*

CAP.

CAP. II. *(Marg.)*

Spiritus Aceti.

℞. *Aceti vini acerrimi* ℥xx. xxx. lxxx. *vel q. ſ.*
Deſtilla ex retorta vel cucurbita humiliori (ut citius operatio abſolvatur : particulæ enim acidorum liquorum graviores non facilè in altum elevantur) vitrea *(a)* in arena, igne ſecundi vel tertii gradus, ad conſiſtentiam Syrupi aut mellis liquidioris, nec ulterius procedendum, ne, Spir. empyreuma contrahat: (vel in MB. *(b)* ad ſiccitatem uſque,) quod primum prodit in ricipiens, quarta ferè pars aceti deſtillandi, Phlegma aceti dicitur, quamvis revera ſit Spir. acidus ſubtiliſſimus, qui mutato recipiente ſeorſim aſſervari poteſt. Quod dein ſequitur, communi nomine, Acetum ſtillatitium, deſtillatum, ſpir., & ſpir. aceti igneus vocatur. Fæces in fundo vaſis deſtillatorii, inſtar Syrupi aut mellis liquidioris, remanentes, in ſe continent aceti ſal & oleum, ſive ſulphur ejus fixum & craſſum, quæ à ſe invicem ſeparari poſſunt, ſi fæces aqua pura ſolvantur, moxque aqua ſulphure ſive oleo permixta rubra decantetur in aliud vas : ſic ſal aceti arenæ inſtar manebit in fundo, eſtque nil aliud, quam Tartarus crudus, qui aqua pura optimè edulcorari, & uſui reſervari poteſt : decantata autem aqua per chartam filtrari, & coquendo ad conſiſtentiam ſyrupi redigi poteſt, ſulphur craſſum aut fixum aceti dictum.

Alii fæcibus aceti affundunt aceti Phlegma, digerunt per xxiv. hor., filtrant, colaturam *(c)* evaporant in vitro ad conſiſtentiam Syrupi, & vocant Elixir aceti.

Vires. *Spiritus Aceti refrigerat, ſiccat (& adſtringit,) humores fervidos incraſſat & temperat, (ratione acidi blandi alcali ſuprimentis: ratio-*

a Vel veſicâ ſtanneâ, cum annexa ſerpentina ſtannea pro majori quantitate, & breviori operationis via ; inſtrumenta ſtannea admitti poſſunt, quia hoc metallum vix ac ne vix quidem ab hoc acido attingitur.

b Autor ſibi contradicere videtur in hoc proceſſu : (inqnit enim paulo ſupra : particulæ acidorum &c.) quoniam hac via non niſi facilioris adſcenſus deſtillari queunt. vis enim ignis intermediâ aqua omnino refringitur.

c In MB. ne empyreuma contrahat.

tione autem additi alicujus alcali, ut e. g. oc. Cancr., vel occurrentis in corpore nostro, effervescentiam init) unde aperit, crassos & viscidos humores incidit, attenuat, sudores & urinas movet (præservat à putredine:) menstruum nobile est apud Chymicos in solvendis lapidibus, nempe coralliis, margaritis, imo metallis, Venere, Saturno, Jove, Marte. Dos. a ℥ij. *ad* ℥β.

Vires Elixiris Aceti. *Stomachicum est, attenuat & appetitum excitat.*

Vires phlegmatis. *Inservit Tincturæ Veneris parandæ, ut & aliis solutionibus metallicis.*

(Marg.) *Acetum destillatum fortius.*

℞. *Aceti vini optimi (acerrimi) pint.* iv.

Evaporentur leni igne (MB.) pint. ij. (vel in olla lati orificii super arenam lenissimo igne pint. j.,) reliquum omne vitreæ retortæ immissum destilletur per arenam ad remanentiam usque liquoris oleosi: sic primo prodibit spir. debilior, qui, si lubet, seorsim excipiendus est, quo vero ulterius intenditur destillatio, eo fortior prodit spir. Cessandum vero ab operatione, ubi pint. ijβ. sunt abstractæ, & pint. β. *(a)* restat in retorta, ne spir. prolectus empyreuma contrahat. Reliquum in retorta servatur, donec sufficiens adsit quantitas, ut ulteriori abstractioni subjici possit pro destillatione Aceti radicati. *Schroder. p.* 708. Vel exinde mediante leni evaporatione chrystalli formentur, quæ vires chrystallorum tartari æmulantur.

Nota. 1. Si evaporatio Aceti fiat in MB., fortissimus postea prodibit spiritus.

2. Si spir. Acet. fortissimus expetatur, ut menstruum inde evadat *Philosophicum* dictum, sic procedendum est:

℞. *Acet. stillatit. vulg. pint.* iv.
Ærugin. ℔β.

Evaporentur simul leni igne ad siccitatem, pulvis restans per retortam vitream destilletur, & obtinebis sp. Aceti mirabilem.

2. Sp. Acet. stillatit. etiam fortificatur, si super sale ammoniaco denuo destilletur.

Vires. *Incidit, attenuat, sudores movet, in peste, pleuritide, in inflammationibus internis convenit, (stomachicum est, leviter refrigerat.) Menstruum est egregium in Chymicis ad tincturas & extractiones mineralium*

a Vel octava circiter pars.

lium & metallorum, & dissolutiones conchilium & testaceorum perficiendas, multisque aliis operationibus Chymicis inservire potest. Dos. a cochl. ß. ad ij. (a gt. xx. ad cochl. j. sive ʒij.)

Acetum Philosophorum. Nota.

℞. *Chrystall. Vener. ex ærugine pp.* ℔j.
Sulphur. viv. ℥vj.
Alum. ust. ℥iiij.
Alcohol. vin. subtiliss. ℥iij.

Mixta digere in MB. per ij. dies, dein destilla lente per MB. ad abstractionem omnem sp. vin. subtiliss. odore sulphureo præditi; reliquum ex retorta per arenam destilla. Sic una cum floribus sulphuris à spiritu separandis adscendit spir. aceti fortissimus, salibus acidis sulphuris & aluminis auctus.

Vires. *Menstruum est egregium pro solutionibus & tincturis mineralium & metallorum.*

CAP. III. *(Marg.)*

Expressio succi Acetosæ, sive succus Acetosæ expressus.

℞. *Herb. Acetos. recentem, una cum petiolis. q. v. v. g. manip.* xx.
Conscinde eam scalpro minutissimè supra asserem, vel in alveolo. *(a)* Tum per vices accipe manipulum unum, vel alterum: & manibus per pannum fortiter exprime succum, quo expresso iterum accipe manipulum unum, vel alterum herbæ concisæ, donec tota planta sit expressa. Succos conjunge, & per noctem repone in vitro, ut fæces subsideant. Decanta à fæcibus succum, & serva usui.

Eodem modo exprimitur succus ex *Plantagine*, ex *Chelidonio majori*, ex qualibet herbâ succulentâ, vel non planè exsuccâ.

Vires. *Succus Acetosæ refrigerat, siccat, adstringit. Ejus frequens usus est in julapiis refrigerantibus, in peste, in febribus malignis, præsertim, si succus citri, aut granatorum acidorum sit admixtus. Additur quoque Vinum Rhenanum, fitque inde potus egregius præservans â peste. Imo vulgo ipsam herbam coquunt cum Vino Rhenano, exprimunt, & pro potu exhibent; quamvis præstet succum expressum Vini non cocto addere.*

a Contunde in mortario lapideo.

Acida enim præservant massam sanguineam contra Pestem.

Nota. *Syrupus Acetosæ.*

℞. *Sacchar. clarificat., ad consistentiam tabellat. cocti* ℔iij., *remoto ab igne adde.*
Succ. Acetos. ad dimidium in MB. evaporat. q. s.
M. f. s. a. *Syrupus.*

Vires. *Convenit cum succo.*

(*Marg.*) CAP. IV.

Aqua Acetosæ ex succo ejus.

℞. *Succi Acetosæ, præcedenti processu parati q. s.*
Destilla ex cucurbitâ vitreâ, in balneo Mariæ ad siccitatem usque; & prodibit aqua limpida in recipiens, conserva usui; in fundo cucurbitæ remanebunt fæces rubræ, quas etiam conserva.

Nota. Quod omnes aq. destillatæ acidiusculæ vel ex acidiusculis, nullius ferè sunt saporis.

Vires. *Easdem habet cum succo; sed minus efficaces. Est enim aqua insipida, separata magnâ ex parte ab acido, & alcali, quæ in succo continebantur.* (*a*)

(*Marg.*) CAP. V.

Sal essentiale Acetosæ, sive Acidum & Alcali ejus.

℞. *Fæces relictas in destillatione (b) succi (c) Acetosæ,*
Solve illas aquâ ferventi, q. s., tum evapora in vitro ad quartæ partis remanentiam. (*d*) Repone statim vitrum in locum frigidum, & humidum, qualis est cella sic xxiv. hor. spatio concrescet sal in fundo vitri, non absimile tartaro vini, conflatum ex acido, & alcali plantæ, quod vulgò vocant *sal essentiale*, estque nihil aliud, quàm tartarus plantæ; potestque ex retortâ vitrea, in arena, destillari in spiritum acidum. In re-

a Operatio hæc tota ferè frustanea est, quoniam, ut Auctor ipse affirmat: aq. insipida, separata &c. per alembicum destillat.
b Vel evaporatione præparatas.
c Ex succo ipso. ut Cap. IV. dictum est, hoc sal parari potest.
d Ad cuticulæ apparentiam.

retorta manebit fæx quædam, quæ combusta, sive calcinata, in crucibulo, largitur *sal fixum*, quod cum aqua pura elixiviari potest.

Vires. *Ejusmodi salia essentialia potenter attenuant, resolvunt, incidunt; sed præstat illa calcinando in salia fixa reducere; aliàs enim potentiùs deobstruunt, & humores attenuant.*

CAP. VI. *(Maets.)*

Acidorum Spirituum præparatio.

℞. *Sal. commun. vel nitr.* ℔j.
Bol. Armen. vel, silic. calcin. vel (a) alum. calcin. vel. (b)
Terr. figul. (quæ optima est) ℔iij.

Contundantur in pulverem tenuem, & exactè inter se misceantur, & destillentur ex retortâ terreâ, *(c)* igne nudo, augeaturque ignis ad iv. usque gradum: Ita enim per celerrimum ignis motum, particulæ salinæ, inter se contusæ, primitùs circa extremitates inflectuntur, &, nisi terra figulina, vel simile aliquid, quod in igne non facilè fluit, additum esset, arcto nexu se mutuo comprehenderent, *(d)* Verum cùm terra, quæ se dat intermediam, sic impedit, ne hoc fiat, tandem extremitates particularum salinarum intortæ abraduntur, & sub forma vaporis in vas recipiens *(e)* deferuntur, & ita successivè comminuuntur, & dividuntur particulæ salinæ in minima ramenta, quæ, cùm constent angulis acutissimis, & undiquaque per se fluentibus, componunt illud acidum, quod vocamus *spiritum Salis*, vel *spiritum Nitri:* Hancque divisionem in minimas partes vocat Willisius evectionem salium ad fluorem in lib. *de fermentatione.*

Nota. 1. Horum spirituum acidorum differentiam, quæ ratione adhibiti additamenti maxima est, in spir. nitr. & salis descriptione annotabimus.

2. Quòd

a Alumen omnibus aquosis particulis mediante evaporatione in vase terreo vitreato privari debet, alias in spumam abit, & vasa dissilire facit.
b Optimè exiccatæ, ne ab aquosis vaporibus vasa disrumpantur.
c Vel chantaro (belg. melkkan) vel olla ferrea, alembico terreo vitreato ornata,
d & in recipiens transirent.
e quod requiritur capacissimum.

2. Quòd si verò animus sit hos spiritus salinos (*a*) præparare beneficio fermentationis, (*b*) hoc modo procedere possis:

3. ℞. *Sal. vulg. vel Nitr. q. p.*

Dissolve in aq. pluv., s. q. ut inde fiat lixivium forte.

℞. *Hujus lixiv. part.* iv.
Ol. vitriol. rectif. part. I.

Misceantur & destillentur primò leni igne ex arena, per retortam, vel cucurbitam (*c*) humiliorem: Ita primò elevabitur phlegma insipidum: quod subsequentur guttæ acidulæ. Mutato tunc vas recipiens: tunc enim spir. Salis, vel Nitr. ascendet in altum. Continua ignem tuum, (*d*) quòusque omne humidum ablatum observaveris. Ita per fermentationem (*e*) introductam ab acri corrosivo præparasti spiritum tuum acido-salinum, & in fundo retortæ reperies salem candentem acido-salsum, quem *salem* suum *mirabilem* vocat *Glauberus*, cujus beneficio multa peraguntur in tribus mundi regnis; de quibus consulendus ipse *Author*. Hic autem solummodò animadvertito, quomodo ipsius ope resolvatur textura Antimonii, ita ut sulpur ejus à vinculis suis liberatum, in conspectum prodeat, unde præparatur Balsam. sulphuris Antimonii hac sequenti methodo. *Vide præparationem Balsami sulphuris Antimonii.*

4. Hi spiritus, cùm sint valde corrosivi, quandoque mitigari, & maturari debent.

(*f*) Dulcificatio.

℞. *Spirit. Salis, vel. Nitr., rectificati à suo phlegmate, part.* j.
Alcohol. Vini, part. iij.

Digerantur simul per noct. Manè destilles per retortam vitream: & de novo digerantur per noct. Hoc ter quàterve repetas, quòusque acrimoniam spiritûs Salis, vel Nitri, cicuratam animadverteris. Eodem modo etiam procedito cum spir. Vitrioli, & alcohol Vini. Ita obtinebis menstruum temperatissimum ad tincturas multorum vegetabilium extrahendas. De virtutibus, & dosi, consulendus est *Schroderus*.

No-

a Acidos.
b Effervescentiæ potius.
c Difficulter operatio procedit.
d Infra & supra satis vehementem.
e Per effervescentiam.
f Dulcificatio dependet a particulis spir. vin. oleosis, salina puncta involventibus.

Nota. Præmissâ aliquot dierum (quo longius eo melius) digestione, hæc dulcificatio unica destillatione absolvi potest.

Vires. *In genere autem spiritus hi acidi sistunt ardores sanguinis, compescendo furorem sulphureum, & salino-volatilem in sanguine contentum. Pituitam tenacem potenter incidunt, ac proinde in obstructionibus solvendis prosunt: saburram calculosam corrodunt, & comminuunt, & per diuresin expellunt, quæ mitiùs peragunt spiritus salini per alcohol Vini temperati.*

CAP. VII. (*Maets.*)

Præparatio pilularum ex Aloë, quas Francofurtenses *appellant.*

℞. *Aloës succotrinæ q. p.*

Contunde in pulverem tenuem, fiatque extractio ex hoc pulvere cum succo Violarum depurato, lenique evaporatione ad consistentiam extracti redigito. Hoc bis, terve, repete. Ultimâ verò vice f. extractio cum spir. Vini, quam per destillationem ad formam extracti cogito. Formentur ex massa hac pilulæ ad libitum. Ex ʒj. f. pil. LXXX. *Dos.* sit. pil. viij. x. ad xv. usque.

Quòd si tantum temporis in depuranda Aloë insumere nolueris, sequenti modo corrigito:

℞. *Aloës succotrinæ, q. p.*

Conterito in pulverem tenuem, eique affundito aq. pluvialem, & simul terito. Aq. tuam, ubi Aloën imprægnatam observaveris, effundito: hocque continuato, quòusque Aloë tincturam suam aquæ communicare ulteriùs recuset. Tunc adde Aloë duplum arenæ lotæ, & simul fortiter conterantur, ita enim successivè tradit Aloë omnem suam tincturam, nihilque in fundo remanebit, nisi fæces abjiciendæ. Aquam vero tincturâ Aloës imprægnatam evaporato ad consistentiam extracti: ita enim obtinebis Aloën verè lotam, & correctam, blandè purgantem, absque ullâ molestiâ.

Hoc extractum si de novo miscere volueris cum succo violarum, vel rosarum, Aloën obtinebis verè violatam, vel rosatam.

Nota. 1. Vires, *quod leniter purget bilem & melancholicos humores, menstrua promoveat. Dos. a gr. v. ad* ℈j. ʒß.

2. Resinosæ partes, sub forma fæcum latitantes, cum spir. vin. rectif.

ctif. extrahi queunt, ad mundificanda ulcera externa & balsamum corporum mortuorum conficiendum.

3. Aloës extractio cum spir. vin. pessima; tormina ventris & hæmorrhoides excitare solet.

(*Marg.*) CAP. VIII.

(*a*) *Ammoniaci Salis spir.* (*b*) & *sal volat.* (*c*)

℞. *Sal. Ammon.*

Tartar. aut alterius cujuslibet alcali (v. g. Potasch.) ana ℔ß.

Terantur omnia seorsim (minutissimè, cribrentur & misceantur) indanturque retortæ vitreæ, &, affusâ

Aq. comm. s. q. (ut commode solvi potest,)

Fiat destillatio ex arena, applicatio recipiente (vitreo) satis amplo, cujus orificium exactè quadret ad collum retortæ (necessum est accuratè claudere luto) & intra hor. ij. vel iv., igne tertii gradus (bulliente aq.) prodibit primo spir. coagulatus, sive sal volat. in forma sicca, quod lateribus recipientis nivis instar adhærebit, continua destillationem, donec sal. volat. siccum à subsequente spir. liquido (*d*) commode in formam liquidam (*e*) redactum fuerit. Tum statim remove recipiens, & subere vitrum, spir. & sal. volat. continens accuratè claude. Nam, quod amplius prodit ex retorta, purum phlegma est, (quòd multi Chymici in pretio habent, dantque in febribus ad temperandam humorum acidorum acrimoniam, imo etiam in aliis morbis:) ignem itaque remo-

a Sal Ammoniacum, olim ad nos delatum, a loco natali, templo, Jovi Ammoni sacro, proximo, nomen desumsit, circa quod ex urina camelorum, â Magnatibus, Oraculum Jovis consulendi gratiâ advenientibus, eò delatorum, ibidemque pernoctantium, depositâ, & & spir. subterraneo, ibidem dato, subacido permixtâ, concretum fuisse putatur. Hujus nunc defectus artificiali sale suppletur, cujus præparatio seq. est.

b Est tantum sal. vol., aqua comm. permixtum.

c Flores volat. quibusdam dicti: ex hoc sal. vol. & aq. comm. coctæ q. s. ad solutionem sal. volat. spir. extemporaneus sal Ammon. fieri potest.

d Aquoso.

e Non plane liquidam, sed ubi sal. volat. a latere recipientis incidere: Alias nimis aquosus, hinc debilis redditur spiritus.

movere & furnum refrigerare oportet, ne omni abstracto phlegmate, capite mortuo remanente sicco rumpatur.

Vires. *Potenter attenuat, resolvit, (incidit,) aperit, dissipat, (penerat,) aciditatem omnem temperat & extinguit, hinc infinitis morbis utilis est, ut hystericis, & hypochondriacis passionibus, podagræ, Ardori ventriculi, scorbuto, epilepsiæ, apoplexiæ (syncope, lethargo) & soporosis omnibus, quoniam ægros aptè excitat, obstructiones omnes, incidendo pituitosos humores & in fluorem redigendo, tollit, reserat, hinc urinas & Sudores pellit, chronicisque omnibus morbis convenit. Dos. a. ℈ß. ad ℈j. (ʒß.) in aqua destill. ut majoran. menth. lavendul. fœnicul. petroselin- &c.*

Rectificatio (a) sp. Sal. Ammon.

℞. *Spir. Sal. Ammon.* ℥ij.
Sal. Tartar. ℥ß.

Indantur retortæ vitreæ, & denuò destillentur.

Vires. *Vires & dosin eandem habet cum spir. Sal. Ammoniac.*

Ammoniacum Sal artificiale.

℞. *Urin. homin. vel. brutor. part.* iij. *vel* v.
Sal. comm. p. j.
Fulig. (quæ a quibusdam omittitur) part. ß.

Mixta exactè inter se evaporentur modico igne in olla terrea ad siccitatem usque, & remanebit Sal Ammoniac. ex acido salis comm. & alcali volat. urinæ & fuliginis conflatum, quod valde impurum si depurare animus sit, seq. viis procedito:

Depuratio Sal. Ammon.

℞. *Sal. Ammon. q. v. solvatur in*
Aq. comm. s. q.

Solutionem filtra, & in olla terrea ad siccitatem usque evapora.

Chrystallisatio Sal. Ammon.

℞. *Solution. Sal. Ammon. prædictæ, ad cuticulæ apparentiam evaporatæ. q. v.*

Committito in vase ligneo quercino aëri frigidiori, donec in chrystallos abie-

a Spir. (ut paragrapho præcedenti ritè præparatus) rectificatione non indiget. Sal vero volat. super novum sal fixum, acidum forte levissimum sal. vol. adhuc junctum absorbens, rectificari & subtilius reddi potest.

abierit, leniter in sole vel umbra exiccandas: liquor supermanens iterum evaporari & chrystallisari potest, ut ante.

Vires. *Medicamentum, omnes visciditates ventriculi incidens, præstantissimum est: Diaphoresin, diuresin & menstrua promovet: Convenit in omnibus febribus, præcipuè quartanis. Dos. a gr. iij. ad ℈ß. cum aliis stomachicis &c.*

Præparatio sp. Sal. Ammon. alius processus.

℞. *Sal. Ammon.*
Tartar. vel Ciner. calcinator. ana.

Exactè inter sese conterantur, & in cucurbitam vitream conjiciantur: eisque affundantur aq. vulgar. ℔vj. Leni igne destillentur. Sic enim prodibit Sp. Sal. Ammon. potentissimus, unà cum Sale volatili, in forma siccâ, lateribus vasis recipientis adhærente.

Spir. Sal. Ammon. alius processus.

℞. *Sal. Ammon. in pulverem redacti.* ℔j.
Sal. Alcali, videl. cinerum clavellator. vel
Sal. Tartar. (a) ℔ij.
Aq. commun. pint. ij. *vel q. s. ut bene innatare (b) possint salia.*

Destillentur simul per retortam vitream in arena positam igne satis leni sic primò prodit Sal volatile in forma sicca; secundò prodit spiritus liquidus, simul cum phlegmate, in quo Sal volatile dissolvitur. Postquàm Sal circiter dissolutum sit, ab operatione cessandum est (vel ubi circiter ℥xij. prodierint,) Spir. prolectus, in vitro arctissimè (c) clauso, reservetur. (d)

Vires. *Penetrantissimus hic spir. instar panaceæ est in medicina, quibuscunque morbis inserviens, circulationem sanguinis promovet, obstructiones reserat, putredini & corruptioni resistit, febribus quotidianis, tertianis & (ardentibus omnibus) ab obstructionibus dependentibus medetur: pesti, paralysi, apoplexiæ, epilepsiæ, & hystericis passionibus succurrit: præcipuè si addita fuerint simplicia convenientia in ejus destillatione. Dos. a gtt.* ij. *ad* x.

Nota. 1. Pro diversis adhibitis salibus alcalicis diversus etiam elicitur spi-

a Vel nitr. fix.
b Vel, ut quidam volunt, dissolvi.
c Subere, vesicâ tenuissimâ circumcincto, alias suber aduritur & spir. nigredinem contrahit.
d Si diutius in loco frigidiori, in chrystallos egregios abit.

ſpiritus, majori, vel minori, penetrandi vi præditus: v. g. ſi loco cinerum clavellatorum, vel ſalis tartari, recipiatur calx viva, fugaciſſimus inde emergit ſpiritus. (a) Id etiam fit, ſi mineralia aſſumantur, vel metalla, acidum valde imbibentia, u. g. lap. hæmatites, lap. calaminaris, limatura Mrrtis, &c.

2. Spir. & Sal. volat. Ammon. cum omnibus ſpir. & ſalibus volat. ex regno animali elicitis, & omni oleo reiterata rectificatione deſtitutis, convenit.

3. Si hiſce fæcibus remanentibus denuò recens alcali addatur, de novo recentem præbebit ſpiritum, & Sal volatile.

CAP. IX. (Marg.)

Sal febrifugum Sylvii.

℞. *Capit. mort. in deſtill. ſpir. Sal. Ammon. relict. q. v., ſolvatur in Aq. comm. pur. fervent. q. ſ.*

Solutionem filtra per chartam, & evapora in olla terrea vitreata ad ſiccitatem uſque agitando ſpatula, donec ſal relictum fuerit ſiccum & albiſſimum.

Viribus & doſi convenit cum Sal. Ammon., niſi quod magis refrigerat.

CAP. X. (Marg.)

Flores Sal. Ammon.

℞. *Sal. febrifug. Sylv. bene exiccat. q. v.* (b)

Sublimetur per ſe, ſine ulla additione, ex cucurbita terrea, in igne aper-

a Multum differens a præcedenti, conflatus nempe ex alcali proprio volat & acido tenui calcis igneo, ratione cujus acidi minorem præcedenti ſpir. effervefcentiam, acidis multis permixtus, præbet. Spir. hic per veſicam, alembico ſtanneo dotatam cum ſerpentina, deſtillari poteſt, quoniam, quamvis nullum addideris fluidum, ſemper in forma fluida prodit, quod ab acido prædicto, naturâ ſuâ ſemper fluido, dependet. Contrarium in præcedenti fit, qui, quamvis fluidum addatur, ſemper tamen in forma ſolida prodit; hinc illius deſtillatio per ſerpentinam, per illud ſolidum corpus facilè obſtruendam, peragi nequit.

b Vel. Sal. Ammon. quod idem præſtat.

aperto, quamdiu aliquid adſcendit, quod ex fumo cognoſcitur; & acquirentur in copia Flores albiſſimi penetrantiſſimi, non urinoſi, ſed ſaporis refrigerantis, quaſi ſint de natura ſal. comm.; fortè ex volatilizatione alcali ſalis comm., quod ad conſtitutionem ſalis Ammon. receptum fuit: Hoc loco vero per alcali intelligimus Tartarum volatilizatum, & ſuo acido ſpoliatum, quod non multum abludit ab opinione van der Beck, qui videatur in libro *de experimentis circa res naturales.*

Vires. *Sunt ſal (a) volatile penetrantiſſimum, pollens magnâ vi incidendi, attenuandi & aperiendi: Conducunt in febribus; in urinâ, & ſudore ciendo.* Doſ. *eſt* ℈ß.

(*Marg.*) CAP. XI.

Sal volatile fixatum, ſive regeneratio Salis Ammon.

℞. *Spir. aut Sal. volat. Ammon.* ℥ß.
Vitriol. rect. (b) q. ſ. donec ceſſat effervescentia.

Mixturam evapora in vitro ad ſiccitatem, & relinquetur in fundo ſal quoddam compoſitum ex Sale vol. Ammon. & ſp. Vitrioli. Solve hoc aqua roſarum: (*c*) filtra per chartam: & iterum evapora, ut evadat albiſſimum, & odoratum. Quod relinquitur eſt Sal volatile fixatum.

Nota. Sal hoc volat. ſemper variat ratione additi acidi, quoniam acidi exiſtunt alcalium rectores.

Vires. *Inſigne eſt aperiens in reſerandis obſtructionibus. Deinde ſulphura fœtida maſſæ ſanguineæ in ſe recipit, & extra corpus eliminat, arcanum quod erat D. Sylvii.* Vide proceſſum ſub. tit. Salium vol. fixatio.

Doſ. *eſt ad aliquot gr.* v. *vel.* vj.

a Ammon. depuratum.
b Vel nitr. vel. ol. vitriol. vel ſp. ſal. comm., qui optimus eſt, quoniam ſali vol. jungitur id, quod in deſtillatione ipſius in retorta remanſit.
c Potius comm. aqua cocta: quoniam evaporando omnis odor perit.

CAP.

CAP. XII. (*Maets.*)

Præparatio Circulati minoris paracelsi.

℞. *Flor. Sal. Ammon. puriſſimor, à Sal. communi bis ſublimatorum, q. p. His affunde*
Alcohol vini ad eminentiam tranſverſ. digit. iij.

Stent in digeſtione tepida per dies, & noct. iij. continuos, vel ultra. Ita enim ſp. Vini arctum inibit matrimonium cum Sale Ammon. volatil. menſtruumque obtinebis longè antecellens vires alcohol Vini; Et, ubi ſpir. Vini deficit, ut in tinctura ex croco Solis, vitro Antimonii, aliiſque mineralibus, extrahenda, menſtruum hoc defectum ſupplebit.

CAP. XIII. (*Marg.*)

Calcinatio (& incineratio) Antimonii.

℞. *Antimon. (a) crud. minutiſſimè pulv.* ℔ß.

Indatur patellæ terreæ non vitreatæ, ponaturque ſuper carbonibus accenſis, agiteturque perpetuò ſpatula (aut ſtylo) (*b*) aliquâ nec ligneâ, nec ferreâ, ſed aut terreâ, (qualis eſt fiſtula tabac.) aut cupreâ, (vel ex alia materia, quæ Antimon. inficere nequit, ne adhæreſcat fundo, ſed multum fumi & ſulphuris emittat, dando operam, ne ignis ſit vel nimis validus vel remiſſus: primo enim modo fluet Antimon. & in globulos ſeu grumos ſtatim abibit: àltero modo non fumabit, & ſic non calcinabitur) donec concreſcat in globulos. Terantur hi globuli rurſus, fiatque calcinatio, ſicut antea, (*c*) ſemper expectando, donec concreſcat, & concretum iterum terendo, donec tandem Antim. relinquatur ſub forma pulveris (incani) cineritii coloris, & qui carboni vivo impoſitus, fumum (qui antea copioſus & ſulphureus erat) non emittat. Tum enim Antimon. ritè calcinatum eſt pro Vitro hyacinthino.

Nota. Difficillimæ dantur quæſtiones. Primò, cur magna vini quan-

a Optimi, quod multis ſtriis ſplendentibus gaudet.
b Potius ferrea, quam cuprea, optima terrea.
c Hæc reiterata calcinatio & pulveriſatio admodum faſtidioſa præveniri, & unâ vice abſolvi poteſt, ſi leni igne & continua agitatione Antimon. calcinetur, ut in ſeq. proceſſu le Mortiano patet.

quantitas ab exigua Vitri quantitate infici & vinum in exigua dosi stupenda illa symtomata producere queat?

2. Cur vitrum post infusionem vini nihil de suo pondere remittat?

Priori difficultati quo satisfaciam, non video, nullam enim particularum peculiarem, quæ tamen necessario aliqua est, constitutionem, quâ tam exigua mole vinum infici, & eo horrendæ illæ fibrarum ventriculi convulsiones excitari possint, non excogito: illarum igitur partium determinatam figuram & naturam à doctiori exspecto viro.

Alteram fortè aliquo modo dissolvet, qui considerat, quod vini partes acido-tartareæ, cum aliquid e vitri poris, in suis poris absconditum secum uehant, ex suis poris etiam aliquid in vitri poris absconditum relinquant, quod pondus amissi iterum restituit.

Usus. *Inservit parando Vitro Antimonii. Potest etiam ex hac calce cum Spir. Aceti, & Spir. Veneris, extrahi tinctura.*

(*Marg.*) CAP. XIV.

Vitrum Antimonii Hyacinthinum.

Processus primus.

℞. *Calc. Antimon. præcedent. modo parat. q. s.*

Statuatur crucibulum super carbonibus accensis. In hoc ignitum ingeratur calx Antimonii (& tegatur latere, ne carbones incidant) relinquaturque ibi per hor. β. (ut Antimon. instar aquæ fluat.) per se, sine ulla additione aut Boracis, aut florum Sulphuris, aut Nitri. Tum effundatur fluidum Antimon. super patellam cupream (mundam) lævigatam (politam, margine circumdatam, & prius modice calefactam) ut possit fluere in lamellas, (nec tenues nimis, nec crassas) quæ ad ignem refrigerentur, ne rumpantur in multas partes, & habebitur (si calx Antimon. ritè præparata fuerit) Vitrum Antimon. pellucidum, & rubri coloris, quod ideò *Hyacinthinum* dicitur.

Si non sit pellicidum planè, indatur hoc Vitrum iterum in crucibubulum, & fundatur eodem modo adhuc semel, vel bis, & fiat pellucidum. Quòd si ne sic quidem, pellucidum erit, redigatur vitrum obscurum in pulverem, & calcinetur sicut ab initio, donec fumum non ampliùs emittat, & tum iterum funde, sicut antea. Si ne hoc quidem modo fiat pellucidum, redigatur Vitrum in pulverem minutiss. eique affundatur Spir. Veneris rect. Digeratur per d. & noct. xiv. Tum decanta

canta tincturam sanguineam, & serva usui. Vitrum verò in fundo relictum recipe, & in crucibulo funde, sicut antea, in Vitrum Antimon. quod sine dubio erit pellucidum, & Hyacinthinum.

Sed ne sic quidem interdum pellucidum evadit. Videtur culpa esse in Antimonio diversi generis, quod nunquam ad pelluciditatem perduci potest. Sæpe tamen Antimon. brevi labore calcinatur prædicto modo, & statim in Vitrum pellucidum abit, quod sine dubio à diversitate Antimon. proficiscitur. Chymici tamen ad præparationem Vitri Antimon. commendant diem serenum, & clarum, quem multum putant ad pelluciditatem contribuere.

Vires. (*Inservit diversis Præparationibus, ut Oxysaccharo vomitivo, Tartar. emetic. Vitro correcto vomitivo Zwelferi.*) *Movet vomitum, & secessum, (cum aliqua violentia expellens biliosos humores) si imponatur vino albo, & per noct. in eo relinquatur. Nempe si* ℥ij. *Vini albi (vel musti) imponatur (frustulum cujuscunque ponderis, gr.* iij. iv.) ʒj, *vel altera Vitri Antimonii. (verum pro eo, croco Antimon., qui mitior est, utor)* Dos. *in substantia ad gr.* iij. *in conserva: In infuso, ut supra dictum est.*

Est Amstelodami Artifex, qui toti mundo parat hoc Vitrum, & huic rei unicè incumbit. Sed ille per tincturam parat, & reddit illud aliquantò durius, quàm meum, unde sine dubio addit aliquid aliud.

CAP. XV. (*Marg.*)

Sapa vomitiva Antimonii.

℞. *Vitr. Antimon. subtiliss. pulv.* ℥j.
Musti vel Vin. recentis. ℥xij. (*a*)

Misce, & digere, per d. & noct. (*b*) Tum filtra per pannum. (*c*) Colaturam evapora ad tertiæ partis remanentiam; Sic relinquetur consistentia syrupi, qui vulgò *Sapa* dicitur: Vel potest etiam ampliùs evaporari ad consistentiam pilularum, & tum possunt dici *Pilulæ vomitivæ.*

Vires. *Purgat per vomitum, & secessum.*

(*d*) Dos. *Sapæ* ʒij. *ad* iij.

Pilularum verò datur una ad pisi magnitudinem.

a ℥xxiv. *b* xiv.
c duplicatum.
d Dosis ad gtt. iij. vel iv. in conserva aliqua.

(*Maets.*) CAP. XVI.

Menstruum ad Tincturam Antimon.

℞. *Chrystall. Vener. part. ij.*
Sulphur. mineral. (quod bene nota) part. j.

Contundantur in alcohol, & misceantur exactè inter se, & retortæ vitreæ committantur, & igne leni destillationem tuam aggreditor: & successivis gradibus prosequitor ad totalem fumorum expulsionem. Ita enim videbis flores quosdam Sulphuris elevatos in vas recipiens, unâ cum liquore acido prædictis floribus inquinato, quem per repetitam destillationem rectifica, & obtinebis liquorem clarum, limpidum, acetum acerrimum.

(*Maets.*) CAP. XVII.

Tinctura (a) Antimonii.

℞. *Vitri Antimonii Hyacinthin. per se facti (quod bene nota) q. p.*
Contund. in alcohol. eique affundito
Menstrui præcedentis ad eminentiam dig. iij.

Stent in digestione continuâ, bis, terve, de die cum bacillo ligneo agitando (quod nota bene) quousque menstruum tuum flavissimam tincturam ex Antimon. extraxerit. Tincturam decanta, &, si visum fuerit, cum novo menstruo iterum tentetur extractio. Tincturas confunde, & per alembicum (*b*) fiat ablatio superflui liquoris, quousque extractio tua ad olei formam redacta fuerit. Huic affunde alcohol vini ad eminentiam dig. transversor. iij. Stent in digestione tepida simul, & observabis spir. vini tuum tincturâ Antimonii imprægnari. Tinctum hunc spir. decanta, & ad remanentiam ß. per destillationem auferto. Ita enim obtinebis Tincturam Antimonii efficacissimam, quam si magis coloratam desideraveris, cum croco solis (*c*) sequenti methodo conjungito:

℞. *Croci Solis, part. j.*
Tinctur. Antimon. præpar. part. iij,

Misc

a Vitri.
b Vel sola evaporatione.
c Cujus præparationem vide sub eo titulo.

Misce simul in vase Porcellano, & leni igne ad siccitatem evaporentur.

Dos. *Tincturæ est à gtt.* v. *ad* xv.

Dos. *autem pulveris à gr.* ij. *ad gr.* vj.

Exhibetur Tinctura hæc in omnibus morbis per sudorem curabilibus. Principaliter autem morbo Venereo, lepra, in scabie profundâ, & inveteratâ, in febribus, apoplexia, contracturis, &c.

Processus quartus. (Marg.)

℞. *Vitri Antimon. ritè (sini ulla additione) præparati, etiamsi pellucidum haud sit, modò probè percoctum sit,* ℥ij.

Redigatur in pulverem subtilissimum, cribretur, includaturque lagenulæ vitreæ, affundaturque ei spir. Veneris (rect.) s. q. (℥viij.) & instituatur digestio per d. & noct. xiv., (vel donec Tinctura sanguinea obtenta fuerit. Tum fiat separatio menstrui à Vitro per lenem decantationem, reponaturque Tinctura ad quietem per d. & noct. Decantetur iterum à fæcibus. Hoc toties fiat, donec tinctura planè pellucida sit, nec ampliùs quicquam fæcum deponat. Quo obtento, fiat destillatio hujus Tincturæ ex retorta vitrea, leni igne, ad siccitatem usque (si potest fieri in B. M. melius erit.,) sic recuperabitur spir. Veneris, sive menstruum affusum, sub forma pellucida, & alba. In fundo verò retortæ relinquetur pulvis rubicundus. Huic pulveri affunde alcohol vini q. s. Digere per d. & noct. (vel donec alcohol egregiè tinctum est.) Tincturam decanta, & serva usui, &, si placet, destilla ad partis ß. consumptionem: Sic habebis Tincturam oleosam, sive oleiformem (rubicundissimam,) à Chymicis plurimùm expetitam (Essentia, Balsamus & Tinctura genuina Antimon. dictam.)

Vires. *Dicitur corrobare sanguinem (& spir. vitales,) atque ab omni labe mundare, simulque eum reddere incorruptibilem. Fortè hac de causâ, quod hac Tinctura tantam torturam ignis perpessa, constans tamen permanserit. Dicitur curare Elephantiasin, Lepram (operatur autem sine ulla manifesta alteratione, sc. faciendo nec vomitum, nec secessum, nec sudorem excitando,) omnesque alios insanabiles morbos.*

Dos. *est guttar.* iij.

(*Maets.*) CAP. XVIII.

Antimonii Pulvis Emeticus (a) absque ullo incommodo operationes exercens.

℞. *Vitr. Antimon. hyacinth. per se facti absque ullo addito. v. g.* ℥vj.
Nitr. puriss. ℥ij.

Alcoholizentur & exactè inter se misceantur, & in crucibulum candens conjiciantur, ut moris est in Antimonii diaphoretici præparatione. Calcinatione (*b*) peracta, massam tuam ex crucibulo exime, & in pulverem conterito, cui affunde aquam tepidam, & edulcora. Postmodùm, ubi omnis salsedo ablata est, affunde novam aquam tepidam, & simul agitato, ita enim aqua lactescit: Quem lacteum liquorem effunde, & tuæ massæ denuò aliam aquam tepidam affunde, & procede, ut priùs; Ita remanebunt grumi quidam in fundo, qui sunt abjiciendi, quippe non satis per nitrum correcti.

Dos. (*c*) *est à gr.* vj. *ad g.* xv, *in infusione Vini.*

(*Maets.*) CAP. XIX.

Syrupus Emeticus.

℞. *Infusion. præcedent. pulv. cum vino. q. p.*
Sacchar. clarificat. q. s.

Evaporato ad Syrupi consistentiam.

Dos. *ad* ℥ß. (*d*)

Nota. *Alio modo.*

℞. *Succ. cydonior. recent.* ℔j.
Vitr. Antimon. ℥ß.

Infundantur in vase vitreo, & committantur loco calidiori per dies iij. vel iv. sæpius agitando, postea lento igne decoquantur, coctaque statim filtrentur: succo filtrato addantur.

Sacchar. opt. ℥viij.

Coquantur rursus ad Syrupi consistentiam.

Dos. *in adultis a* ʒß. *ad* ʒj. *cum aq. cinamom. &c.*
In tenellis gtt. j. *vel* ij. *sufficiunt ratione ætatis.*

CAP.

CAP. XX. (*Marg.*)

Antimonii cæmentatio, sive Hepar. (a)

℞. *Antimon. crudi minutiss. pulver. & cribrat.*
Nitr. optim. itidem pulver. ana ℥j. (℥ij.) (*b*)

Misceantur exactè & detonentur in mortario ferreo (vel crucibulo) ad latus (sub camino) posito, injiciendo cochl. j. prunâ candenti accendendum: sic in momento materia, instar pulveris pyrii inflammabitur (diligenter spatulâ ferreâ (vel forcipe movenda, ut bene accendatur) huic ferè combusto (antequam extinguatur) alterum est injiciendum cochl. Sic tota massa abit in unam glebam bruneam (sive spadiceam, id est, coloris (*c*) castanearum, similis parenchymatis hepatis animalium,) quæ massa Chymicis *Hepar* (*d*) *Antimonii* vocatur.

Usus. *Inservit parando croco metallorum, & antimon. diaphoretico.*

CAP. XXI. (*Marg.*)

Crocus Metallor. sive Antimonii, sive Terra Sancta Rulandi.

♃. *Hepar. illud Antimon. (frigefactum).*

Subtiliss. pulverisa, cribra, & affusa aq. pur. s. q. per quadrantem hor. in olla (fictili) munda coque: huic aquæ refrigeratæ (& decantatæ) in-

DD 3 stilla

a Est veterum Antimon. Vitrum minus purum & opacum.

b Ut omne ex Antimonio obtineatur, & reservetur emeticum, æqualis hæc proportio semper adhibenda est. Si enim Antimonium quantitate intro prævalet, omne emeticum suum sulphur, claustris ipsius non sufficienter reseratis, non dimittit, sed ex parte absconditum retinet; hinc minus emeticum: quod in Antimonio crudo, in substantia exhibito, nullumque vomitum excitante, apparet. Si vero nitrum quantitate Antimonium superat, sulphur ipsius emeticum, claustris omnibus reseratis, non tantum sui juris fit, (ut in Hepate Antimon), sed ex parte in auras avolat, ut in Antimon. Diaphoretico, &c. hinc etiam minus redditur emeticum.

c qui dependet ab igne & sale, sulphureas partes Antimonii partim fugante, partim modificante circa suas superficies.

d A scoriis separandum.

ſtilla guttatim aliquot cochl. acet. vin. (vel q. ſ. ad præcipitationem), ollam ad quietem repone, donec aqua ſuperfluit limpida, (quod fit ſpatio quadrantis horæ) hanc decanta, & affunde novam aquam puram, repone iterum ad quietem, donec aqua fiat limpida, tum iterum decanta aquam, tum iterum bis aut ter novam affunde aquam. Tum per chartam filtra, & relinquetur in ea materia rubra, quæ exiccata abit in pulverem rubicundum, edulcorandum aq. comm. & uſui ſervandum, qui vocatur Crocus metallorum, eſtque nil aliud, quam Antimonium nitro cæmentatum. (prima. quæ operatio pro Antimon. diaphoret).

Vires. *Eſt inſigne purgans bilioſorum humorum (quos mire fermentat) tam per vomitum, quam ſeceſſum. Longè præferendum veterum adeo decantato helleboro, quem olim inſula Anticyra proferebat.*

Doſ. *in ſubſtantia eſt ad gr.* iv. *(vel* vj.) *ſed præſtat infundere gr.* viij. *vel* x. *in vini albi* ℥ij. *loco calido per noctem, & tum colare per pannum, & colaturam exhibere edulcoratam ſyrupo acetoſæ, aut melle deſpumato, quia crocus in ſubſtantia exhibitus ſæpius enormes excitabit vomitus.*

Proceſſus tertius. (Maets.)

℞. *Antimon. crud. optime pulveriſat.*
Nitr. pulveriſat. ana q. p.

Miſceantur (& conterantur exactè) inter ſe, & ſucceſſivis vicibus (cochleari ferreo) in crucibulum candens conjiciantur, & detonentur, ut artis eſt (*a*). Ita primâ hâc deflagratione principia magis activa Antimonii in actum prodeunt, & degenerant in maſſam (ſubruffam, refrigeratam ex crucibulo eximendam) valde emeticam, & catharticam, quam Chymici appellant *Crocum Metallorum*, ſive *Hepar Antimonii*, eſtque quaſi baſis vinorum emeticorum (ſoletque in ſubſtantia exhiberi a gr. ij. ad iv., in infuſione, quæ (aq. Benedicta Rulandi dicitur) tutius, quam ipſa ſubſt. operatur, ad gr. viij, cum vin. Gallic. vel Hiſpanic. ſ. q., quod tenuiſſimis effluviis antimoniatis imprægnatur, parata, quæ filtrari & pro emetico exhiberi ſolet) ut:

℞. Croc.

a Ita enim nitrum tuum cum ſubjecto Antimonii ſulphureo promptè flammam ſuſcipit, & comburit Antimonium, ipſiuſque clauſtra & vincula, quibus mediantibus Antimonii principia activa, ſc. ſal & ſulphur, à fuga coercebantur, reſerat, illaque activa principia, quæ antea in ſuis vinculis jacebant incluſa, in actum educit, unde non mirum eſt, Antimonium, ſemel fulmen nitri paſſum, vehementius operari per vomitus & ſedes, quam quidem Antimon. crudum.

℞. *Croc. Metall.* ʒjß.

Vin. Hispan. alb. ℥x.

Fiat infusio in vase vitreo bene clauso, post peractam digestionem filtra vinum, cui adde

Syr. violar. cœrul. ℥ij.

Ol. sulphur. p. campanam. gtt. xij.

Misce.

Dos. ab ʒij. *ad* ℥ß.

Ut autem mitiùs operationes suas exerceat, adde ab ℥. ß. ad ʒ. vj. syrupi violarum, ac affunde guttatim oleum sulphur. per campan., donec aciditate satis tibi arrideat potio tua emetica, ex croco præparata.

Ut grati est saporis, ita etiam leniter operationes suas absolvit. Ratione enim syrupi violarum, partes subtiles, & uolatiles Antimonii pinguibus sacchari partibus involvuntur, & irretiuntur, ac proinde tam molesto motu ventriculum, & intestina afficere non valet: Ratione verò olei Sulph. per camp. Antimonii exhalationes salinæ, & mercuriales figuntur (quandoque etiam coquitur in decoctis emollientibus & flatus discutientibus pro clysteribus in colica desperata).

Nota. Ex hoc Croco varia præparari possunt, ut:

1. Vinum emeticum eodem modo, ut ex vitro Antimon.
2. Tartarus emeticus.
3. Sulphur auratum Antimon.
4. Bezoardicum minerale.
5. Antimon. diaphoret. &c. quæ sub hisce titulis videantur.
6. Oxysacchar. emeticum.

℞. *Croc. Metallor.* ℈iv.

Acet. ℥v.

Digerantur in vitro per dies iij. sæpius liquorem agitando, (qui de croco quid solutum habet) dein liquor filtretur, eique adde sacchar. albi ana,

vitro clauso in calidô detinendo, spontè saccharum solvatur, &, si lubet, tingatur essentia papaveris Rhead.

Dos. *In adultis a* ʒij. *ad* ʒiv. *(respondet enim* ʒj. *Croci Metall. gr.* j.) *in infantibus gr.* ij. iij. *vel* iv. *pro ratione ætatis ex aliqua aqua destillata.*

CAP.

(Margr.) CAP. XXII.

Antimonium diaphoreticum.

℞. *Croc. noſtr. Metall. ſuperius deſcript.*
Nitri optim. ana ℥ij.

Terantur minutiſſ., cribrentur & miſceantur exactè. Hinc in crucibulo (ſuper carbonibus accenſis) ignito, fac per cochlearia detonent. Cum omnis materia erit ingeſta, remove crucibulum, & ſpatulâ aliquâ ferreâ maſſam adhuc mollem (albam & adhuc calidam ſtatim ex crucibulo) exime. Hæc maſſa refrigerata (& puveriſata) edulcoretur (bis aut ter) aquâ purâ: ſiccetur: redigaturque in pulverem, cui iterum adde Nitri pulverizat. ℥. ij. Miſce, ſicut antea, & iterum ſine detonare in crucibulo ignito. Cum omnis materia erit indita, tum relinquatur crucibulum (latere clauſum) in igne (undiquaque ſatis valido) per hor. iij. (*a*) (ſic figitur Antimonium perfectè, & vim ſuam vomitivam deponit) quibus elapſis, auferatur maſſa alba, cùm adhuc calet, & refrigerata in pulverem tundatur, qui pulvis edulcoretur aquâ purâ frigidâ (in ea relictus per noct. filtretur) ſiccetur, & ſervetur uſui. Hoc eſt Antimon. diaphoreticum ter cæmentatum (*b*) (acido nitri, atque ita fixum redditum, & vi vomitiva ſpoliatum, & depreſſo ejus feroci alcali in diaphoreticum blandum converſum).

Vires. *Eſt blandiſſimum aliquod alcali, quod acidos humores mirè abſorbet, eorumque acrimoniam temperat (& leniter præcipitat). Hinc multorum, & magnorum morborum remedium exiſtit: reddit humores fluidos, & a ſe invicem ſeparat coagulatos, eos volatilizat, atque, ut per poros expelli poſſint, aptos reddit, unde vulgo dicitur Diaphoreticum, lithontripticum, febrifugum: & feliciter diſſolvit ſanguinem coagulatum, atque ſic mumiæ, & ſpermat. ceti, vicem ſupplet. Acuatum aliquo alcali fixo plantarum, & ſtimulatum ſcamm., gr. j. vel ij., fit ſpecificum in quartana, in obſtructionibus diuturnis, aliiſque graviſſimis affectibus, cujus exemplum habemus in illo celebri pulvere Cornachini, & Comitis de Warwicke* (*c*).

Doſ.

a Potius per hor. ß. ut poſtea dicetur in proceſſu le Mortiano.

b Tædioſa hæc operatio una vice abſolvitur, ſi methodo ſeq. le Mortiano procedatur, vel croci metallor. p. j. addantur nitr. p. ij.

c Cujus pulveris deſcriptiones dantur ſeq.

℞. Dia-

Dos. *a ℈ß. ad ℈j. (ʒß): Ego semper do ad ℈j. & optimum est, si addatur ℈ß. salis alicujus plantæ.*

Processus secundus. (Maets.)

℞. *Croc. Metall. (seu Hepat. Antimon. subtiliss. pulv.)*
Nitr. optim. ana.

Conterantur & misceantur exactè inter se, & calcinentur *(a)* ut ante in calcinatione *(b)* hepatis Antimon. Sic principia Antimonii in actum deducta per primam calcinationem, in secunda hac detonatione fugantur in auras, remanetque cinis aridus Antimonii in fundo, principiis suis activis Antimonii, salis, sulphuris, & mercurii, maxima ex parte, orbatus (& emetica & cathartica vi spoliatus), & destitutus. Hunc crebris ablutionibus (a sale suo alcali nitroso privando) edulcora, lacteumque cremorem auferto, ut Antimon. ab arena, & fæcibus, in fundo remanentibus, depuratum obtineas. Ita præparatur Antim. diaphoreticum, quod sufficienter esse calcinatum ex lacteo ipsius colore intelligere queas. Insuper, si post secundam detonationem Antimonium ulterius cum Nitro permixtum inflammari recusat, signum est calcinationi satisfactum esse.

Vires. *Hoc Antimon. diaphor. exhibetur in sanguine coagulato resolvendo: in plerisque obstructionibus dissipandis: &, in genere, in omnibus affectibus, qui sudores exigunt (ubi calida & spirituosa locum non habent), utpote in febribus, pleuritide: & similibus, de quibus ulteriùs consule Schroderum, & le Febure.*

Dos. *est à gr. x ad ℈j. ℈jß.*

Nota. Quòd si Antimon. tuum diutiùs aëri libero expositum steterit, de novo sale quodam acri, & volatili, imprægnatur, cujus ratione quandoque vomitus, & secessus, concitat. Hoc ut præcaveas *(c)*, singulis trimestribus Antimon. tuum crucibulo committito, & igni exponito, quousque crucibulum candeat: in quo statu retine per quadrantem horæ. Ita per ignem expelluntur sales acres, & volatiles, quos ex aëre hauserat Antimon.

℞. Diagrid. ʒij,
Antimon. Diaphor. ʒj.
Cremor. Tartar. ʒß. vel horum omnium ana.

a Potius detonentur.
b Detonatione.
c Antimon. Diaphoret. ab omni consortio salino optime edulcorandum est, & in vase bene clauso asservandum.

EE CAP.

(*Marg.*) CAP. XXIII.

Regulus Antimonii.

℞. *Antimon. crud.*
Tartar. crud. ana ℔ß.

Terantur omnia ſeorſim (ſubtiliſſ,) cribrentur, miſceanturque. Tum ſit ad manum crucibulum ſuper carbonibus accenſis bene ignitum. In hoc conjiciatur materia omnis unâ vice. Claudatur crucibulum tegulâ, relinquaturque (in igne vehementiſſimo) donec vel fluat, vel ad minimum bene ignita ſit. Tum per vices injiciatur pauxillum nitri pulverizati, donec omnis materia fluat inſtar aquæ. Quo facto, remove crucibulum ex igne, & ſine leniter refrigerari, continuò pulſando illud ſpatulâ ferreâ, ut Regulus ad fundum deſcendat.

Crucibulo refrigerato, & fracto, reperitur in fundo crucibuli materia alba metallica, ſed fragilis, quam ſepara à ſcoriis (regulo ſuperincumbentibus, ſulphure Antimon. ſaturatis,) & ſerva uſui. Hic enim eſt Regulus Antimonii, qui quærebatur.

Vires. *Regulus Antimonii inſtar croci metallorum purgat per ſuperiora, & inferiora. Poteſt etiam cum Mercurio ſublimato redigi in butyrum Antimonii. Calcinatione (a) abit in vitrum. Si in formam cupream fundatur, parabitur ex eo poculum Regulinum. Cum Nitro etiam figitur in Antimonium diaphoreticum. Intra corpus plerumque ſumitur infuſum ejus.*

Sunt tamen, qui Regulum Antimonii fundunt in globulos, quos exhibent devorandos illis, qui vomitu (& ſeceſſu) indigent; globulos verò dejectos per alvum iterum colligunt, & ſervant uſui, quem locum poteſt habere in caſtris, ubi medicamentorum defectus eſt.

Infunditur autem Regulus in Vino albo, quod non debet excedere ℥ij. *idque debet ſtare per noctem tantùm, ſive ſit ad* ʒ. j. *Reguli, ſive* ℥. ß. *perinde erit.*

Doſ. *in ſubſtantia eſt ad gr.* iv.

(Maets.) ***Proceſsus quintus.***

℞. *Antimon. ſubtiliſſ. pulveriſ.*
Tartar. itidem, ana q. p.

Exactè inter ſeſe conterantur, & miſceantur, & comittantur crucibulo forti, ignique imponantur; quòuſque inter ſeſe candeant, (hoc ſigno apa-

a Eodem modo, ut vitrum ex Antimonio crudo.

apparente) ſpatulâ ferreâ foveam, ſeu lacunam, maſſæ imprimito, in eamque ſucceſſivè tantum Nitri pulverizati conjicito, quouſque maſſa tua fluat inſtar aquæ, in eoque ſtatu per ß. hor. vel quadrantem, contine, ac in conum fuſorium excalefactum, & ſebo illitum interiùs, effunde, & à ſuperiore parte conum (ſeu latera ipſius) leviter concute: Ita enim pars metallica, & ponderoſa magis, Antimonii, fundum petet coni, quam, ubi paululum refrigerata erit, ex cono excute. Ita enim obſervabis, ſuperiore parte, hærentes ſcorias, ſulphur (cujus odorem præbent) ſcilicet Antimonii, unà cum ſale Tartar. & Nitr. alcalizato: ab inferiore parte Regulum Antimonii, inſtar argenti, ſplendentem, quem à ſcoriis bene repurga, & uſui reſerva.

Hic ſi primâ fuſione ſatis purus non fuerit, per reiteratam fuſionem cum pauxillo Nitri rectificetur: Ita enim totaliter à ſcoriis purgabitur.

Ex regulo Antimonii funduntur ab artificibus ſcyphi, vel globuli, *perpetui* dicti, propterea quod per longum temporis tractum vim ſuam emeticam reſervent (in his ſi vinum Hiſpanicum vel Gallicum digeres per noct, impraegnabitur tenuiſſimis effluviis Antimonii, ac ea ratione vomitorium & catharticum evadet.)

Inſuper cum Regulo Antimonii Stannum induratur, & ſonorum (& durum) evadat inſtar argenti (verum hoc habet vitii, quod ſtanno livorem conciliat quendam, quem ut tollas ſeq. modo procedito) cujus proportio hæc eſſe poterit:

℞. *Stann. Anglic. puriſſim.* ℔j.
Regul. Antimon. (*depurat.*) ℥jß. (℥ij.)
Cupr. opt. ſive Japonic. ℨij. (℥ij.)

Nempè ita ratione Veneris tollitur livor: fundantur (primitus nempe Venus, cui tunc adde regulum & ſtannum) inter ſeſe (igne ſatis ſtrenuo, donec omnia bene ſunt commixta,) & ex hac maſſa quævis (ſupellectilia) ad mentem componito.

Ex Regulo inſuper Antimonii præparatur Antimon. diaph. unâ, & ſimplici, fuſione:

℞. *Reguli Antimonii*, *p.* j.
Nitr. optim. p. iij.

Conterantur, & inter ſe exactè miſceantur. Succeſſivè in crucibulum candens conjiciantur. Fluant inter ſeſe per hor. 1. vel ij., & per crucibulum, in fundo foramine ſat magno pertuſo, in frigidam conjice: Ita enim Antimon., in forma pulveris candida, fundum petet, ſolventibus ſeſe ſalibus in frigida.

Beneficio Reguli Antimonii plumbum induratur hoc modo:

℞. *Plumbi p.* xij.
Regul. Antimon. p. j.

Fundantur inter sese, & in formas quasvis infunde.

(Maets.) *Processus sextus.*

℞. *Antimon.* ℥v.
Sal. comm. ℥iv.
Tartar. opt. puri ℥j.

Conterantur in pulverem tenuem, & exactè inter se misceantur, & committantur crucibulo, ignique exponantur, donec instar aquæ fluant. Effundantur in conum fusorium: Ita enim in fundo coni residebit Antimonium correctum in forma Reguli: à superiori verò parte observabis scorias salinas, quas à Regulo separato.

Hæ scoriæ in aq, pluv. resolutæ curant exteriùs scabiem, si locus scabie affectibus hoc lixivio sæpe lavetur.

Regulum verò in frusta comminuito, & aq. pluviali edulcorato; exiccato, usuique reservato. Hunc sic exhibere volueris, in pulverem tenuem conterito, donec omnes scintillæ disparеant, pulvisque referat colorem obscurè rubrum.

Dos. *in adultis à gr.* xij. *ad* xx. *usque.*

Exhibetur etiam in febri, tertianâ præcipuè, reliquisque febrium speciebus, horâ unâ ante paroxysmum, straguliſque opertus sese ad sudores componat æger.

Nota: *quod pulvis hic fœliciùs operatur, si ejus usum purgans præcesserit: Itidem, si exhibeatur cum tinctura Opii correctâ cum Sale Tartari, quod potentiùs vires exercet suas, minore cum patientis molestiâ. Exhibetur insuper in obstructionibus quibusvis per sudorem curabilibus.*

(*Maets.*) CAP. XXIV.

Antihecticum Poterii seu Antimonii.

℞. *Regul. Antimon. p.* ij.
Stann. Anglic. opt. p. j. *vel ana q. p.*

Fundantur simul in crucibulo, &, ubi bene fusa steterint, effundantur; &, simul ac refrigerata erunt, comminuantur in pulverem tenuem; cui admisce Nitr. purificati præter propter partem ß. (vel ad pondus omnium.) Totius massæ (contritæ) instituatur calcinatio (detonatio)

tio) in cruculo, ut artis est in Antimonii diaphoretici præparatione. Calcinatione peractâ, salsedinem (nitrosam) ablue, pulveremque subtilissimum à grumis separato, ut dictum in pulvere emetico. (*Vide processum sub eo titulo.*)

Vires. *Exhibetur hoc medicamentum in lue Venerea; principaliter in ulceribus inveteratis (scorbuticis,) ex acri sale originem trahentibus (quæ neque per decocta, neque per medicamenta benigniora Galenica curari possunt.) Exhibetur itidem in hecticâ incipienti (& hydrope cum rob. sambuc.): in obstructionibus uteri: & diversimodè, pro ratione subjectorum, operari solet. In quibusdam enim per diuresin operatur: in quibusdam autem per sudores: in aliis verò per sedes, & quandoque, ubi ventriculus saburrâ oneratur, per vomitum unum, vel alterum, vires suas ostendit. In lue Vereneâ, uti & in ulceribus inveteratis, commodè exhibetur in decocto Guajaci, Saffafras, Sarzæparillæ, &c. (Methodus exhibendi hæc esto: adscende à gr. iv. & v. eo usque, donec æger nauseam persentiat. Tum paululum de dosi remitte, & eo tenore singulis diebus procede; simulac observaveris medicamentum hoc operari per urinas, observabis etiam ulcera maligna & inveterata de violentia sua remittere, quæ tunc per inspersum pulverem, vel per unguenta vel emplastra incarnativa facilè consolidantur; quorum omnium loco sit Emplastrum Opodeldoch, Sticticum Paracelsi, Diasulphuris Rulandi.)*

Nota. Alii præferunt seq. processum:

℞. *Regul. Antimon. Martial.*
Nitr. ana ℔j.

Detonentur &c.

CAP. XXV. (*Maets.*)

Præparatio Lilii Paracelsi.

℞. *Regul. Mart. s. a præparat.*
hunc dissolve in
Aq. fort. & spir. sal. ana q. s.
solutioni affunde
Sulphur. ex scoriis Antimon. per coctionem elect.
donec præcipitatio peracta sit, & præcipitatum erit sub-flavo-rubrum. Edulcora & usui serva.

Dos. *à gr. iv. ad vi.*

Nota, quod, si hic pulvis vehementius operatur, figi queat, ut:

℞. *Lilii Paracelſ., ut ſupra, pt. j.*
Sal. comm. calcinat. pt. ij.

Conterantur inter ſe, & calcinentur leni igne, ea lege, ne fluant, per hor. i. edulcora & exicca.

Vires. *Exhibetur præcipuè in lue Venerea : in ſcabie profunda : in febribus : hydrope &c. gravioribus obſtructionibus ; miſcetur cum theriaca, diaſcordio* &c.

Ubi metus eſt nimiæ vomitionis, exhiberi debet cum ſudoriferis.

(*Marg.*) CAP. XXVI.

Flores, & Sulphur Antimonii inflammabile.

℞. *Antimon. crud. minutiſſ. pulveriſat.* ℥j.
indatur cucurbitæ vitreæ, capitello munitæ, cui affunde
Spir. Nitr. Bezoardic. vel aq. regiæ, pro ſolvendo Antimon. parata (*vide proceſſum ſub eo titulo.*) ℥iij. *vel* iv. *vel q. ſ. ad ſedandam efferveſcentiam.*

Agita vitrum, ut bene miſceantur. Tum repone idem in digeſtionem per d., & noct., applicato capitello, donec cnm magna efferveſcentia, & ebullitione, Antimonium (in fundo vitri) reducatur in ſubſtantiam albiſſimam. Tum præcipita totam maſſam cum magnâ q. aquæ puræ, ſic tota aquâ evadit lactea, & pulvis aliquis flavus præcipitabitur ad fundum. Decanta in momento aquam lacteam à prædicto pulvere, & hunc aqua pura aliquoties edulcora, ſemper in momento ferè decantando aquam lacteam toties, donec aqua non amplius lactea fiat, ſed maneat ſub nativo colore. Tum exſicca leniter pulverem (ſuper arena tepida), & ſerva. Hoc enim eſt (verum) *Sulphur Antimonii inflammabile:* ex aqua verò lactea parantur flores Antimonii albi, quos vide ſub hoc titulo.

Vires. *Sulphur Antimonii habet vim diaphoreticam, & ſudorificam* (*cardiacum eſt, liberans ſanguinem ab impuritate, & præſervans à putredine*)*: habeturque in magno pretio apud Chymicos* (*antiquos*)*, in pleriſque morbis incurabilibus, quos dicitur inſenſibiliter curare. Hinc pro Panacea reputatur, ſicut videre eſt in Baſilio Valentino, in Hartmanno, aliiſque* Chymicis (*poteſt redigi in balſamum cum aliquo oleo aromatico, qualem balſamum exiſtimo fuiſſe Balſamum Rulandi dictum, qui ab Authore valdè celebratus, nullibi vero deſcriptus eſt. Chymici Tincturam hujus Sulphuris imprimis quærunt pro lapide Philoſophorum tingendo: habet enim colorem aureum.*)

Pro-

Processus tertius. (Maets)

℞. *Antimon. Hungaric.* ℔j.
Aq. Regiæ ℥xij.

Committe retortæ vitreæ, ſenſimque affunde aquam regiam Antimonio. Ebullitione ſedatâ, ſenſim aquam regiam (deſtillatione) igne mediocri auferto, dando in fine ignem vehementiſſimum. Ita ſublimabitur in collo retortæ Sulphur Antimonii (ſubcitrini, de cujus viribus lege Tachenium in fine Hippocratis ſui Chymici, quod colligendum & uſui ſervandum) vel ſeq. modo figendum &c.

℞. *Ol. Vitriol.* ℥ij.
Acet. ſtillatit. ℥iij.
Mercur. ℥j.
Sulphur Antimon. ℥iij.

Pulverizato Sulphur Antimonii, ſtent ſimul in digeſtione per hor. xij. Poſtmodum coq. ad ſiccitatem. Maſſæ in fundo remanenti de novo mediam portionem prædicti menſtrui affunde: & procede, ut prius, hocque repetito tertiâ vice, auferendo ad ſiccitatem liquorem ſuperfluum. Maſſæ exiccatæ affunde aquam pluvialem, &, ut artis eſt, ab omni ſalſedine ablue. *Ita Sulphur Antimonii fixum, magnarum virium in hydrope, affectionibus pulmonum, phthiſi, internis apoſtematibus, febribus malignis, & peſtilentialibus, obtinebis.*

Doſ. *à gr. v. ad* ℈. j.

Proceſſus ſeptimus. (Margr.)

℞. *Scorias Regulinas, calentes adhuc,*

Redigantur in pulverem, pulvis coquatur cum aq. pura, & colatura redacta ad ſiccitatem, efficit Sulphur Antimon. Auratum Beguino dictum, quod nihil aliud eſt, quam crocus metallorum.

Proceſſus octavus. (Maets.)

℞. *Scorias Regulinas, calentes adhuc,*

Redigantur in pulverem, & in aq. pluv. (ad ſupereminentiam digit. iv. vel v.) coquito, quouſque aqua inſtar ſanguinis coloratâ (flavo-rubicundâ) appareat. Hanc filtra (per chartam emporeticam), & cum ſolutione cremoris Tartari (in aqua comm.), vel cum aceto deſtillato, vel cum phlegmate Vitrioli (ſpir. ſalis), vel cum ſimilibus acidis, præcipitato. Ita enim cadet ad fundum pulvis rubri, vel ſubfuſci coloris, qui edulcoratus, ab omni fætore, & ſale, liberatus, & exiccatus, à Chymicis

micis vocatur *primum ens auri* (Sulphur auratum Antimon., quod securitatis gratia fige per flammam alcohol. vini.)

Vires. *Exhibetur primum hoc ens auri in principio morborum, in febribus, obstructionibus (tenacioribus resolvendis) mensium, mesenterii, hypochondrii, in epilepsia, præcipuè infantum, in qua præcipuum dicitur* arcanum: *in incipiente paralysi, in podagra, hydrope (quartana, in lue Venerea,) & similibus aliis morbis, de quibus consule* Glauberum, in Pharmacopæa Spagyrica, parte 7. *ascendendo à gr. j. ad iv. v. vj. vel quousque æger nauseam percipiat. In quibusdam operatur per sudores, in quibusdam per sedes, in quibusdam per urinas, in quibusdam per vomitum. In infantibus, in quibus metus est convulsionum epilepticarum, dosis instituatur à quarta parte grani, usque ad gr. j.*

Ex his scoriis, aëri humido expositis, stillat liquor aurei coloris, egregium, & præstantissimum remedium (antidotum) in vulneribus, & ulceribus sordidis, & inveteratis, mundificandis, & curandis. Insuper resolvit potentissimè tumores duros ex Tartaro fixo nostri sanguinis originem ducentes, ut in podagra nodosa, tophis Venereis, & similibus. Deinde, si ex hisce scoriis extrahatur tinctura cum Vino Malvatico, vinumque hoc stilletur super lateres candentes, ita ut fumi copiosi exinde exsurgant, potentissimum est remedium ad menstrua obstructa revocanda. Fumus, si in sella perforata ab ægra excipiatur, potenter menses evocare solet.

(*Maets.*) CAP. XXVII.

Præparatio Balsami Sulphuris Antimonii.

℞. *Sal. mirabil. Glauber. q. p.*

Fundatur in crucibulo, eique adjicito

Antimon. particulas, instar pisorum. (quantum a sale dissolvi potest, quod apparet, ubi Antimon. in superficie salis indissolutum manet. Vel

(Sal. Glauber. p. iv.

Antimon. p. j.)

Tunc relinques supra ignem, donec aliquo modo frigescere, & in duritiem concrescere, incipit. Postea eximes salem tuum sulphureum Antimonialem, adhuc ferè calentem, & in pulverem (tenuem,) contundito (secùs enim humidum aëris sibi facilè conciliare solet), eique (retortæ vitreæ immisso) affundito ol. Succini rectificatum ad eminentiam di-

digit. ij. vel iij. transverſ. Digerantur ſimul per noct., & manè ex retorta vitrea inſtituatur deſtillatio (ad ſiccitatem.) Ita ol. Succini ſecum rapit puriſſimam partem Sulphuris Antimonii, conſtituetque Balſamum Sulphuris Antimonii maximarum virium, quod (vices ſupplere poteſt omnium Balſamorum, quæ ex Sulphure extrahi poſſunt; &) interiùs, & exteriùs, ſummo cum ægrorum levamine præſcribi poteſt.

Notato, quòd hoc Balſamum in principio vehementer fœtet, ſed poſt menſem j. vel ij., maximà fœtoris pars perit.

Vires. *Interiùs exhibetur in affectibus pulmonum ex acri, & corroſivo ſale oriundis. Inſuper adhibetur in dolore colico, paſſione hyſterica, obſtructionibus menſium, & ſimilibus affectibus. Exteriùs applicatum diſſolvit potenter tumores duros, glandulas induratas, & cum egregio ſucceſſu exhibetur partibus frigore exuſtis. In genere id totum præſtat, quod à Balſamo Sulphuris vulgari expectari poteſt, quòd ſic conficitur. Vide Proceſſum ſub titulo eodem.*

Doſ. *à gtt. v. ad x. in vehiculo convenienti.*

Proceſſus ſecundus. *(Marg.)*

℞ *Sulphur. Antimon. puriſſ.* ℥ß.
Ol. Terebinth. vulgar. ℥ij.

Miſce, & in cucurbitâ vitreâ oblonga digere, ſed igne tertii gradûs, per hor. iij. ita ut Sulphur cum magno ſtrepitu ſolvatur. Relinque vitrum in arenâ, donec ſit ſponte refrigeratum. Tum ſolutionem decanta, & in olla mundâ, affuſâ ſ. q. aquæ puræ, per quadrantem horæ, coque, dando operam, ut ignis, non flammæ, ſed prunarum tantùm, adhibeatur, quia materia facillimè accenditur, accenſa verò nullâ aquâ extingui poteſt.

Aquâ refrigeratâ effunde aquam cum ſuperfluitante oleo Terebinthinæ, & reperies in fundo Balſam. Sulphuris nigrum, & craſſum inſtar picis, qui cum olei alicujus aromatici part. iv. vel v., ut eſt aniſi, fœniculi, in gratiſſimum Balſamum diſſolvi poterit. Vel extrahe cum ſpir. Vin. rectificato in ticturam, quam ſerva uſui.

Vires. *Putatur eſſe à pleriſque Chymicis Balſamum naturæ, diciturque confortare calidum nativum, & inſenſibiliter depurare maſſam ſanguineam, unde maximorum morborum remedium eſſe perhibetur. Videatur Hartmannus in praxi Chymiatrica, & Baſilius Valentinus in curru triumphali: nam Antimonium de natura ſolari, ſive materia ſolis eſt.*

Doſ. *ſunt gr. iij.*

(Marg.) CAP. XXVIII.

Antimonii Flores Albissimi.

℞. *Aquam illam lacteam, in præcedenti processu sulphuris Antimonii relictam:* vide processum superiorem, cui titulus Antimonii sulphur verum, & inflammabile.

Repone illam ad quietem, donec albedo fundum petat, & aqua superfluitet limpida. Decanta aquam limpidam, & materiam albam relictam nova aqua pura aliquoties edulcora (donec aqua permanet. insipida.) Tum filtra per chartam. Coagulum album relictum in charta leni igne exsicca in pulverem albissimum, qui servetur usui: hi enim sunt *Flores Antimonii Albissimi* (fixi) dicti.

Vires. *Purgant per alvum tantùm, idque leniter (non per vomitum: hinc fixi dicuntur.)*

(Marg.) CAP. XXIX.

Flores Antimon. Rubri.

℞. *Antimon. crud.*
Sal. ammon. ana. ℥iv.

Terantur omnia seorsim, tum cribrentur, & misceantur, fiatque massæ hujus sublimatio ex cucurbita terrea, in igne aperto, applicato capitello vitreo, quamdiu aliquid adscendet, quod fit ij. vel iij., horar. spatio, & tota ferè massa adscendet in capitellum. Removeantur Flores ex capitello refrigerato, cum aqua pura, effundanturque in ollulam puram, atque aqua pura aliquoties edulcorentur, ut scilicet auferatur Sal Ammoniacum. Aquæ omnes rubræ filtrentur per chartam, ut & ipsi Flores. Sic in filtro relinquetur massa rubra, quæ vel ad aërem calidum, vel super arenam lentè exsiccari debet in pulverem rubicundissimum, qui est insipidus, & constituit *Flores Antimonii Rubros dictos.*

Vires. *Ex parte sunt diaphoretici; nam in totum inflammabiles sunt, sulphure Antimonii constantes: partim quoque vomitum, & secessum, movent. Conducunt gravissimis morbis, maniæ, melancholiæ, aliisque capitis affectibus.*

Dos. *sunt gr.* iij.

Pro-

Processus secundus. (*Maets.*)

℞. *Florum Antimon., in summam rubedinem per flammas continuas fixatorum.*
Sal. Ammon. q. p.

Misce, & sublimentur simul. Ita enim portio florum adscendit, portio vero in fundo remanet; cui novam adde
Sal. Ammon. partem,

Sublimato, ut prius: hoc vero continua, donec maxima pars florum elevata sit in altum cum Sale Ammon., hisce floribus affunde aq. pluv., & ab omni sale liberato & exiccato.

Viribus & Dosi *conveniunt cum præcedente. Inservit præparationi seq. essentiæ Antimon.*

CAP. XXX. (*Marg.*)

Antimonii Sulphur fixum, sive Diaphoreticum Helmontii.

℞. *Flor. Antimon. rubr., bene (edulcorat. &) siccat. & pulverisat.* ℥j.
Nitr. puriss. pulverisat. ℥ij.

Misceantur exactè, & in crucibulo super carbonibus accensis bene ignito, instituatur detonatio, materiam per partes ingerendo, (& exspectando, donec primum cochlear sit redactum in materiam albam. Sic tandem habebitur & relinquetur in crucibulo massa alba sive subflava,) quæ auferenda (spatula) mollis adhuc existens ex crucibulo, & refrigerata aliquoties edulcoranda aquâ purâ. Tum siccetur in pulverem, qui servetur usui.

Vires. *Est insigne Diaphoreticum & specificum in febribus, tam continuis, quàm intermittentibus, tàm acutis, quam chronicis, celebratum Helmontio in libro Belgico, qui* Aurora *inscribitur. Est nihil aliud,* quàm Sulphur Antimonii, fixum *redditum, blandè edulcorans massam sanguineam.*

Dos. *Helmontio est à gr.* xx. *ad* xxxvj.

(Maets.) CAP. XXXI.

Quinta Essentia Antimonii.

℞. *Florum Antimon. rubr. nostr. q. v.*

His affunde menstruum ex spir. vin. & spir. urinæ dephlegmatis ana compositum, stent simul in digestione, quousque pulvis tuus rubicundus in menstruo prædicto sit solutus. Instituatur destillatio ex retorta leni primò igne: Sic enim transibit spir. Vini. Postmodùm augeatur ignis, & subsequetur Quintâ Essentia Antimonii, sub forma olei rubicundi, fragrantis odoris.

℞. *Croci Solis cum oleo Mercuriali præparati q. p.*

Huic affunde

Quint. Essent. Antimon. ad eminentiam transversor. dig. ij.

Stent in furno fixationis, sive arena calida, quousque Quinta Essent. Antimonii sese intimè univerit cum croco Solis, & degenerent simul in pulverem rubeum, ac præparata erit medicina summa, ex Sole & Antimonio conflata.

Dos. *à gr.* j. *ad* iv.

(Maets.) CAP. XXXII.

Præparatio Panaceæ ex cinnab. Antimonii nativa.

℞. *Cinnab. Antimon. nativ. q. p.*

Conteratur in pulverem tenuem, eique affundito aq. pluv. ad eminentiam digit. iij. transvers. Coq. in fictili vitreato. Ita enim adscendet in aquæ superficie flos tenuis, quem cautè cum cochleari argenteo auferto, & exsiccato: eique post-modùm affundito s. q. alcohol Vini, & inflammando fige.

Vires. *Exhibetur hæc Panacea tanquam specificum in epilepsia cum rasura ungulæ alcis, cranii humani, magist. coralliorum, & spiritu sanguinis humani.*

Dos. *à gr.* iv. *ad* x.

Exhibetur insuper pro sudorifero magnarum virium in peste, febribus malignis, variolis, morbillis, & cæteris affectibus, sudore curandis.

CAP.

CAP. XXXIII. (*Maets.*)

Panacea Anwaldina.

℞. *Cinnab. Antimon. mineral., vel ejus defectu Cinnab. Antimon. per sublimationem rectif. q. p.*

Hanc conterito in alcohol, eique affunde

Spir. Vitriol. rect. ad eminentiam dig. j.

Spatulâ lignea bene incorporato, & postmodùm ad siccitatem evaporato. De novo eandem quantitatem Spir. Vitriol. affundito, & evaporato, ut priùs, & hanc operationem tertia vice repetito. Hoc peracto, affunde alcohol Vini ad eminentiam digit. iij. transverf. Stent in digestione per hor. xij, & postmodùm per destillationem alcohol Vini ad siccitatem auferto, & peracta erit Panacea, quæ Anwaldo solet adscribi, cujus

Dos. *a. g. ij. ad x.*

Vires. *Exhibetur specificè in epilepsia; insuper in morbo Gallico: in hydrope: in scorbuto inveterato. Medicamentum est potentissimum, potenter obstructiones corporis humani tollens, ac proinde in morbis chronicis summa cum ægrorum fructu exhiberi potest.*

CAP. XXXIV. (*Marg.*)

Antimonii Clyssus: seu Acetum Antimon. Compositum. (a)

℞. *Antimon. crud.*
Nitr. opt.
Sulphur. comm., omnium ana,

Redigantur omnia seorsim in pulverem, qui cribretur, & misceatur; tum fit in ignem imposita retorta tubulata, applicato recipiente amplo vitreo, quod contineat pauxillum aquæ puræ. Sit autem junctura recipientis cum retorta leviter tantum clausa. Tum in retortam ignitam ingeratur cochlear prædicti pulveris, statimqne claudatur tubulus, aut foramen, operculo. Sic in momento materia incendetur, propellenturque (cum impetu vapores) nubes in recipiens. Cessante inflammatione,

a. Ex acido sulphur. & nitr.

ne, ingeratur novum cochleare ejuſdem materiæ, continueturque operatio, donec omnis materia ſit conſumpta. Sic tandem in recipiente pro aqua communi reperietur ſuccus acidiſſimus, qui, recipiente crebriùs moto, & hinc inde loto, auferatur (filtretur per chartam), & ſervetur uſui: hic enim eſt *ſpiritus acidus ſulphuris Antimonii*, qui vulgò *Clyſſus* dicitur, ſeu Acetum Antimon. compoſitum.

Vires. *Attenuat, aperit, eſt diaphoreticus, ſtomachicus, & alexipharmacus, diciturque facere ad longam vitam (extinguit calorem febrilem).*

Doſ. *Sunt aliquot guttæ in convenienti liquore vel julebo.*

(*Marg.*) CAP. XXXV.

Butyrum Antimonii.

℞. *Antimon. crud. ſubtiliſſ. pulveriſat. & cribrat:* ℥j,
Mercur. ſublimat ℥ij,

Mixta exactè in mortario vitreo, indantur retortæ (parvæ) vitreæ, & deſtillentur (vel prius reponantur in cellam per diem j. vel ij. vel plures) ex arena, igne tertii gradus (vehementer illum urgendo per hor. iv. vel v.) applicato recipiente vitreo. Sic prodibit primo Butyrum liquidum (aqueum), mox ſequetur Butyrum (gummoſum) glaciale dictum, (lateribus recipientis adhærens) ſi colli latioris & brevioris ſit retora, ſi autem colli longioris ſit, illud facilè obſtruit; in loco autem calido (vel carbone vivo admoto) Butyrum fluit, in frigido coagulatur. Quando nil amplius prodit, & Mercurius circa collum retortæ ſublimari incipit, peracta eſt operatio. Utrumque Butyrum uſui ſervandum.

Vires. *Butyrum per ſe ſummum eſt corroſivum & cathæreticum (quia copioſo acido ol. vitriol. & ſalis comm. eſt imbibitum) Externè tantum Chirurgis in tollendis excreſcentiis carnoſis, in ulceribus aut fiſtulis, aut in amputandis partibus, cancro (gangræna) & ſphacelo obſeſſis: Chymicis (per deliq. ſolutum) inſervit ſæpe pro menſtruo, & plerumque pro Mercur. vitæ, & bezoardico minerali, parando.*

Doſ. *pro re nata.*

(Maets.) *proceſſus ſecundus.*

℞. *Antimon, ſubtiliſſ. trit.*

Mer-

Mercur. corrosiv. ana q. p.

Exactè inter sese misceantur, & conterantur. Conjiciantur in retortam vitream, & ex arena successivis ignis gradibus instituatur destillatio. In fine destillationis excitetur ignis suppressionis, illumque continua, quòusque omnes fumi præterierint, vasque recipiens clarum evadat. Omnibùs refrigeratis, vas recipiens aufer, liquoremque glacialem, seu Butyrum Antimonii, per novam cucurbitam vitream ex arena rectifica, quòusque ab omni fuligine, & sordibus, liberatum sit. Quo in casu instar nivis candidum erit.

Proprietas hujus Butyri est admirabilis. quòd scilicet non tantùm cum acido nitri effervescat, ut in Bezoardico minerali conficiendo fieri consuescit, sed etiam cum salibus alcalicis tartari (ut in seq. præparatione purgantis & emetici blandioris ex Antimon. apparet.), nitri (ut in seq. præparatione Bezoardici mineralis), & similium.

Liquor hic gummosus ad miraculum sistit sphacelum, & gangrænam, si scilicet plaga pennâ, hoc liquore madefactâ, circumscribatur, quem terminum malum transgredi non solet, sed ad miraculum subsistit.

Retortam postmodùm diffringe, ac ejus superiori parte cinnabarim rubicundò colore rutilantem reperies, quam aufer, & usui reserva.

In collo retortæ incides in portionem Mercurii revivificatam, & in portionem sulphuris Antimonii.

Nota 1. Quicquid Mercurius sublimatus agit in hoc processu, agit tantum ratione acidi spir. salis comm., quocum Mercurius vivus sublimatus corrosivus factus fuit: quod ex seq. processu apparet. Ut igitur pretium hujus Butyri diminuatur, seq. exemplo utere.

2. Alii idem Butyrum præparant ex Regulo, ut seq. Cap. I.

3. Si major cinnabaris copia expetatur, Butyrum illud in retorta terrea, igne aperto, fiat. Sic ad excandescentiam per ij. hor. ignis continuetur, & omnis Mercurius, sulphuri Antimonii permixtus, sub forma cinnabaris ascendit.

Vires. *Butyrum Antimon. causticum est insigne: metalla dissolvit: excrescentias carnis absumit. Ulcerum erodentium & gangrænæ malignitatem corrigit; sedulam vero requirit manum; cum plumaceolo pars affecta leviter inungitur, vel ulcus serpens circumducitur, ne ulterius serpere possit: rarioris est usus per se: nunquam interni.*

CAP.

(*Maets.*) CAP. XXXVI.

Præparatio purgantis, & emetici, blandissimi, ex Antimonio.

℞. *Sal. Tartar. purificat. & pulverisat. q. p.*
Huic affunde stillatim
Butyr. Antimon. q. s.
Ita enim simul ebullient, & effervescent. Hoc continua, quousque omnia effervescentiæ signa cessaverint. Tunc Sal (*a*) tuum exiccato, & usui reserva.

Nota. Processus hic convenit cum processu seq. Mercurii vitæ, nisi quod in eo pulvis præcipitatur aq. comm., in hoc vero sale Tartari, quo si per edulcorationem privetur, obtinetur Mercurius vitæ ejusdem naturæ, ac sequens.

Vires. *Hujus gr. iv. ad vj. vel viij.* (*b*) *aliquando solum per inferiora purgant, aliquando j. vel ij., excitant vomitum: ac proinde, cùm ventriculus saburrâ molestâ gravatur, vel quando bilis copiosius, vel succus pancreaticus, ad intestina defertur, commodè exhiberi potest. Post vomitum enim unum, vel alterum, blandè per inferiora purgat.*

(*Marg.*) CAP. XXXVII.

Mercurius Vitæ.

℞. *Butyr. Antimon. liquidi q. s.*
Effundatur hoc sensim in vitrum repletum aquâ purâ, & statim præcipitabitur materia alba ad fundum vitri. Reponatur vitrum ad quietem per hor. ß., vel donec aqua sit facta limpida. Tum decanta aquam limpidam, eamque (una cum sequentibus) serva (*c*). Materiam verò relictam aliquoties novâ aquâ purâ edulcora, & tum sicca in pulverem album, qui est ipse *Mercurius Vitæ* dictus (sive pulvis Algoreth, quamvis ex Antimonio puro constet, possitque in vitrum Antimon. pellucidum brevi fusione redigi, quod vulgo Succinum Antimon. dicitur.

Vi-

a Potius pulverem ex Mercurio vitæ, & sale tartari conflatum.
b Dos. nimia est ad gr. viij. sufficiens ad gr. iv.
c Pro destillatione spir. Vitriol. Philosophor. quem vide.

Vires. *Potens est vomitorium, & dejectorium medicamentum (sive purgans per superiora & inferiora), nec convenit, nisi robustis. Infunditur plerumque (per noctem) in vino albo (& colatur per pannum, mitiorque evadit), & tum conducit etiam hydropicis, eorum aquas expurgando. Fœtum quoque expellit, atque ita partum facilitat, si difficulter parturientibus exhibeatur.*

Dos. *In substantia est gr. iij. in cochleari Vini. In infuso verò gr. iv. vel v. Sed tunc colatura tantùm exhibenda est (medicamentum est periculosissimum).*

Processus secundus.

℞. *Butyr. Antimon. rect. q. p.*

Hoc stillatim misceto cum aq. pluv., quæ in se absorbens sales corrosivos Mercurii sublimati corrosivi (in formâ pulveris candidissimi præcipitando) ad fundum mittit partes magis metallicas, & minerales, Antimonii, sive Regulinas Aquam sale acido vitriolico imprægnatam effunde, & aliam de novo affundito, & hoc continua, quousque omnem acrimoniam ablatam animadvertes. Tunc pulverem in fundo remanentem inter chartas (emporeticas) complicatas leniter exiccato. Ita obtinebis *pulverem Algoreth*, vel *Aquilam albam*, vel, ut ordinariò audit, *Mercurium Vitæ*, qui reverâ est progenies, & filius, Antimonii, non autem Mercurii.

Vires. *Vehemens emeticum, & catharticum, est hic Mercurius Vitæ; & proinde non nisi in exiguâ dosi, & in infusione adhibendus est. Hic enim principia magis activa Antimonii, sulphur scilicet, & sal volatile, in actum deducta sunt.*

Dos. *à gr.* ij. *ad gr.* vj. *in infusione.*

Hic autem Mercurius Vitæ ut blandè operationes exerceat, utque potissimum per inferiora purget,

℞. *Sal. mirabil. Glawber. p.* ij. *vel* iij.
Mercur. vitæ p. j.

Affunde Sal mirabile in crucibulum, eique fluenti misceto Mercurium vitæ, & bacillo ligneo inter se bene agitato. Hoc peracto effundantur, & aquâ pluv., ubi deferbuêre, omnem salem auferto. Ita obtinebis Mercurium vitæ cicuratum, & maximâ ex parte emeticâ suâ vi orbatum & privatum. (*a*)

a Convenit hic processus Mercurii vitæ cicurati cum Cap. Lii.

Dos. *In substantia est à gr. iv. ad viij. cum extracto de succo rosarum, catholico & similibus (purgantibus in lue venerea inveterata, ut & in obstructionibus pertinacissimis commodissimè exhibetur. Sed Medicus summa ope niti debet, ut per convenientia cardiaca, mixta cum foliis auri, utpote per confectionem Alkermes, de hyacinth. &c. ægrorum vires restaurentur & conserventur).*

Huic Mercurio vitæ si alas rescindere visum fuerit, ita, ut per sudores solummodò operetur, confugito ad Bezoardicum minerale.

(*Maets.*) CAP. XXXVIII.

Purgans ex Antimonio securissimum.

℞. *Nitr. p.* ij.
Mercur. vit. p. j.

Fluat nitrum in crucibulo, eique fluenti successivè admisceto tuum Mercurium vitæ. Fluant simul per momentum, & baculo inter se bene misceto. Quo facto, effundantur, & misceantur cum sale communi, ad pondus omnium, & per hor. ß. strenuè inter se terantur. Quo peracto, omnem salem per edulcorationem aufer, & Mercurium tuum vitæ, vi suâ emeticâ spoliatum, exiccato, & cum extracto rosarum in formam pilularum redigito.

Dos. *est à gr.* iv. *ad* v. *vel* vj.

Vires. *Purgat blande absque torminibus. Phlegmata tenacia incidit, & attenuat: obstructiones pertinaces potenter resolvit. Quòd si quandoque per inferiora non purgat, non raro transit in diaphoreticum.*

(*Margr.*) CAP. XXXIX.

Spir. Vitrioli Philosophicus: Processus primus.

℞. *Aquam illam, quâ, in precedenti operatione, Mercurius Vitæ fuit præcipitatus, & edulcoratus.*

Filtra per chartam, & evapora, fortè ad ℥ij. vel iij. (a) (vel ad remanentiam partis v. vj. vel viij.) Tum residuam destilla ex retorta vitrea, in arena, & prodibit primò aqua insipida. Quando jam incipiunt cadere guttæ acidæ, tum applica novum recipiens, & destilla ad sicci- tatem

a Vel usque dum omne phlegma avolarit.

tatem usque, & accipietur sp. acidus penetrantissimus, qui servetur usui.

Est hic Spir. compositus (& regeneratus ex vitriol. & sal. comm.) ex spir. vitrioli, salis communis, & nitri. Mercurius enim sublimatur cum vitriolo calcinato, & sale communi decrepitato, & nitro, idque bis, vel ter, vel etiam pluries, unde maximè corrosivus evadit, accipiendo in se spiritus acidos prædictorum salium. In butyro verò Antimonii illi spiritus acidi prodeunt in recipiens, & in Mercurio vitæ cum aqua edulcorantur, & separantur ab Antimonio. Hinc apparet, venenum, (quod tantum per accidens fit, si vel male vel in majori quantitate usurpetur) Mercurii sublimati consistere in solis particulis acidis, quæ hic in spir. acidum colliguntur.

Vires. *Magni faciunt hunc Sp. Chymici, qui credunt, eum peculiare aliquid possidere ex Mercurio, quia nempe cum Mercurio per longum tempus habitavit: inprimis autem commendant in doloribus capitis sedandis: in movendo urinam (diciturque inservire parando oleo talci apud Scroderum.)*

Dos. *Est aliquot gutt.* iij. *vel* iv.

CAP. XL. *(Marg.)*

Bezoardicùm minerale: Processus primus.

℞. *Butyr. Antimon. glacial. q. v.*

Ei, in vitro oblongo contento, affunde guttatim sp. Nitri rect. s. q., id est, quamdiu effervescat. Digere per noct. tum destilla (destillatus spir. spir. nitr. Bezoardicus dicitur, quem vid.) ex retorta vitrea ad siccitatem usque. Cohoba bis. Tum pulverem relictum (albissimum, minutissimè læviga in mortario vitreo) in crucibulo mundo super accensis carbonibus paululum reverbera (ut fœtor & spir. corrisivi avolovent, & pulvis relinquatur vel insipidus vel subacidus.) Ne tamen comburatur in cineres, sed evadat ex flavo albus, qui est ipsum Bezoardicum minerale.

Vires. *Dicitur Helmontio esse remedium magnorum morborum (insigne diaphoreticum,) nempe obstructiones reserando, sudorem ciendo, humores solvendo, acidum, & acre absorbendo, pluribus morbis (imprimis febribus & hydropi) conducit (fortificatur diascordio, theriaca, vel alcali aliquo absynth. vel card. benedict.*

 Dos.

Dof. *gr.* viij. *ad* xij. *Aliqui etiam ad* ℈j. *adſcendunt.*

(Maets.) *Proceſſus ſecundus.*

℞. *Butyr. Antimon. recent. rect. q. p.*
huic ſucceſſive affunde

Spir. Nitr. acerrim., quouſque efferveſcentia ſedata eſt.
Liquor ſupernatans (ex vaſe vitreo) evaporetur (vel per deſtillationem ex retorta abſtrahatur (unde ſpir. nitr. Bezoardicus, quem vide) ad ſiccitatem pulveris, qui in crucibulo, per hor. ß. calcinetur. Ita enim (propulſis in auras omnibus ſpir. corroſivis) obtinebis pulverem candidiſſimum (fixum, aridum, diaphoreticum) inodorum, nulliuſque ſaporis (magnarum virium,) Regulum ſcilicet Antimonii per ſpir. Nitri fixatum.

Doſ. *Hujus Bezoardici eſt à gr.* v. *ad gr.* (xv.) xx.

Vires. *(Summo cum ſucceſſu exhibetur in omnibus morbis per ſudores curandis, præſertim in illis, in quibus à ſpirituoſis, oleoſis & ſal. volat. metuitur ſanguinis inflammatio. Ordinario ipſi jungitur theriaca, diaſcord. & confectio hyacinth.) Commodè hoc Bezoardicum miſcetur ſalibus diaphoreticis alcalibus abſinthii, cardui ben. ſcord. & ſimilibus (ut & laudan. opiat. gr,* j.,) *ut:*

℞. *Sal. Abſinth.*
Card. ben. ana gr. xij.
Bezoardic. mineral.
Croc. optim. ana gr. vj.
Oculor. Cancr.
Coralliot. rub. pp. ana gr. v.
Laud. Op. gr. j. *M. f. ſudoriferum.*
(*Vel,* ℞. *Bezoard. mineral.*
Croc. Britan. vel optim. ana gr. viij.
Laud. opiat. gr. jß.
Sal. Card. bened. gr. xij.
Confect. de hyacinth. vel
Diaſcord. Fracaſt. q. ſ. ad formam boli ſudoriferi.

℞. Ill.

CAP. XLI. (*Marg.*)

Spiritus Nitri Bezoardicus : processus primus.

℞. Illum Spir. Nitri, cum quo Bezoardicum minerale fuit præparatum, & (ter) cohobatum. Serva hunc usui. Hic enim est *Sp. Nitri Bezoardicus* dictus. non quòd vim Bezoardicam contineat, sed quia à Bezoardico minerali aliquoties abstractus est.

Usus. *Est vera Aqua Regia solvendo Soli (Antimonio, aliisque metallis) destinata. Imprimis hunc Chymici laudant in volatilizando Sole (ejusque dissolutione, unde plures aurum potabile inde facere satagunt), eumque per retortam pellendo. Quod etiam præstat, quia valde pinguis est, & lentitudine suâ calcem Solis facile per retortam abripit in recipiens :* Eam *tamen nullo modo resolvit, sed illam iterum in perfectum Solem redire sinit. Hic habetur processus pro magno arcano apud Schroderum.*

CAP. XLII. (*Margr.*)

Cinnabar. Antimonii : processus primus.

♃. Caput mortuum in butyro Antimonii destillando relictum. Redigatur in pulverem. Hoc sublimetur vel ex phiola parva, vel ex retortâ vitrea, sed loricatâ, imponendo vitrum in ignem apertum (ita ut retorta probe igniatur). Sic spatio hor. j. vel ij, totum caput mortuum (in substantiam lapideam) sublimabitur in collum vitri (relicto in fundo retortæ pauxillo Antimon. crudi, quod Chymicis Antimon. regeneratum dicitur), unde finitâ operatione, vitro fracto (Cinnabaris Antimon.) potest auferri, & à scoriis separari. In prima parte colli colligitur materia nigra, quæ lotione aquæ puræ abit in Mercurium, quem multi Chymici falso putant esse Mercurium Antimonii, cùm potiùs sit resuscitatus ex Mercurio sublimato.

Cinnabaris redigitur in pulverem (in mortario vitreo), & adhuc sæpiùs eodem modo rectificatur, sublimaturque per se ex vitro puro, donec planè sanguinei coloris evadat. Aliqui ad septimam sublimationem adscendunt (sed sufficit ad ternam), collo retortæ imponunt carbonem vivum, quem vocant ignem suppressionis, qui Cinnabaris colorem exaltat. Est enim nil aliud, quàm Mercurius, & sulphur Antimonii.

Vires. *Intra corpus exhibita medetur epilepsiæ, certo experimento, illam esse naturæ alcalinæ. Cùm enim epilepsia producatur ab acido, hæc verò Cinnabaris acidum destruat, inde concluditur, alcalinæ, & sulphureæ naturæ esse; utrumque enim hoc principium acidum temperat*

Alii solvunt Cinnabarim in spiritu Salis communis. Tum destillant ad siccitatem, accipiuntque pulverem albissimum, quem vocant Chaos Mercurii (alii ex decoctione parant sulphur Antimon. Alii ex hac Cinbari conantur augmentare Solem).

(Margr.) CAP. XLIII.

Aqua fortis.

℞. *Vitriol vulgar. modo calcinat. & pulverisat.*
Nitr. opt. & pulverisat. ana ℔ß.

Misceantur exactè, & destillentur ex retorta terrea (*a*) satis firma, per ignem reverberii, appliceturque vas terreum, satis firmum (*b*), quodque spiritum acidum non absorbeat. Tandem liquor destillatus rectificetur (*c*) ex retorta vitrea, in arena, ad siccitatem usque, & habebitur spir. acidus acerrimus, qui vulgò *Aqua fortis rectificata* dicitur.

Usus. *Est menstruum peculiare, & maximè frequens, apud* Chymicos, *pro solvendâ Lunâ, Marte, Venere, & Mercurio, diciturque ab aurifabris* Aqua separatoria *vulgò.*

Processus secundus.

℞. *Vitriol. exsiccat. p.* iij. *vel (p.* ij.)
Nitr. p. ij. *vel (p.* j,)

Exactè inter sese conterantur, & misceantur. Destillentur, ut artis est, vel ex retortâ vitrea, vel, uti jam mos obtinuit, per cacabum ferreum (*d*), primò leni igne, postea augendo ignem ad quartum usque gradum.

Nota

a Cujus tertia pars relinquenda est vacua.

b Et amplum, continuo aqua frigida humectandum, ut vapores in eo excepti facilius condensentur. Optima instrumenta sunt ollæ, in quibus varia condita ex India ad nos feruntur.

c Si vitriolum adhibueris, calcinatum, non opus est rectificari Aquam fortem.

d Alembico terreo, rostro gaudente latissimo, ut tanto facilius circulantes vapores transeant, instructum.

Nota 1. E capite mortuo Aq. fortis elicitur ſal Ducis Holſatiæ, quod vide.

2. Quantum nitri, tantum obtinetur ſpir.

3. Convenit Aq. fortis cum ſpir. nitr.

Vires & Uſus. *Inſervit Aqua fortis ſeparationibus argenti ab auro, ut & calcinationibus Mercurii, unde præcipitata alba, & rubra: corroſionibus diverſorum metallorum, & mineralium, unde varii croci, & flores metallici præcipitati, marcaſitarum coſmetica originem ducunt ſuam.*

CAP. XLIV. (*Margr.*)

Aqua Regia.

♃. *Sal. Gemm. in pulv. minutum redact.* ℥j.
Spir. Nitr. ℥iv.

Miſce, & ex retorta vitrea, in arena, deſtilla ad ſiccitatem uſque, prodibitque ſpir. (Aqua) acidus penetrantiſſimus, qui in vitro (ſtricti orificii) accuratè clauſo ſervetur uſui.

Uſus. *Præter id, quòd peculiare menſtruum eſt pro ſolvendo Sole* (a): *inſervit quoque ſolvendo Antimonio: cujus uſus ex ſequentibus patebit.*

Vel. ℞. *Aq. fort.* ℔j.
Sal. comm. ℔ß.
Ammoniac. ℥ß.

Miſce, & ex retorta &c. procede, ut paulo ante. Sic obtinetur Aq. Regia, aliquo modo ſemper fumans.

Vel. ℞. *Sal. Nitr.*
Ammoniac. ana.

Pulveriſata & mixta deſtillentur per retortam igne aperto.

Vel. ♃. *Sal. Gemm. nitr. ana, boli triplum, deſtillentur, ut ſpir. nitr.*

Vel. *Aq. Regia fortiſſima.*

♃. *Vitriol. ad albedinem calcinat.* ℔v.
Nitr.
Sal. comm. ana ℔iß.
Ammoniac. ℔ß.
Aluminis uſt. ℔ij.

mixta

a Dantur etiam aquæ corroſivæ, tam Solem, quam Lunam ſimul ſolventes.

mixta destillentur igne nudo] per catabum ferreum, vel per retortam terream, accuratissimè obsetvatis ignis gradibus: nam in principio valdè lentè est procedendum, fugacissimus cum sit spir.

(*Maets.*) CAP. XLV.

Aqua Vitæ aurea Rulandi, sive, Sp. Vitæ aureus Ejusdem.

℞. *Pulpæ Colocynth.* ℥. v.
Rhab. elect. ʒ. ij.
Gum. Tragacanth. Arabic.
Bdellii, ana ʒ. j. ß.
Cinamom. ℈. j. ß.
Sp. Aceti, sive Aceti destill- ℥. xviij.
Vin. Malvatic. ℥. xj. (℥ix.)

Digerantur simul, igne tepido, per noctes, & dies iij. exprimantur fortiter, & filtrentur.

Dos. *à* ʒ. ij. *ad* ℥. ß. (℥j.)

(*Margr.*) CAP. XLVI.

Aqua composita aromatica.

℞. *Herb. siccatar. Majoran.*
Menth.
Meliss. ana m. iij.

Infunde in vesica cuprea cum aq. pluviali per noct. Tum, applicato capitello stanneo cum refrigeratorio, fiat destillatio, ut detrahantur Aquæ odoratæ circiter ℔. vj. Tum sistatur, & habebis Aquam compositam aromaticam.

Vires. *Calefacit, & siccat. Inservit pro vehiculo in misturis componendis pro morbis frigidis.*

CAP.

CAP. XLVII. (*Margr.*)

Aqua composita destillata.

℞. *Chelidon. maj. max. m.* x.
Fol. Raphan. rustican. m. vj.
Scrophular. m. iv.
Taraxac.
Violar. ana m. iij.

Concisa omnia inde vesicæ cupreæ ; & affusâ f. q. aq. puræ per noct. digere. Tum applicato refrigeratorio destilla, ut moris est. Prodeuntem Aquam in vitreo recipiente collige, donec ℔ as viij. vel x. bonæ, & odoratæ, Aquæ nactis fueris. Tum desiste : nam, quæ sequitur, Aqua minùs valida est. Priorem verò serva usui.

Vires. *Temperata ferè est in primis qualitatibus. Attenuat, resolvit: conducit in febribus, obstructionibus, imprimis si auctæ fuerint vires ejus aliquo sale volatili, aut spiritu acido, aut alio quocumque additamento. Inservit ergo solvendis electuariis, parandis potionibus, & mixturis, hauriendis spiritibus, aliisque, pro vehiculo.*

Dos. *ab* ℥. j. *ad* ℥. ij.

CAP. XLVIII. (*Margr.*)

Coagulum Asari.

℞. Folia, & radices, Asari, q. p. & quidem recentia. Concide, & contunde. Tum exprime succum per pannum. Hunc affunde iterum herbæ concisæ, sive expressæ, digere per d. & noct. in B. M. ita, ut etiam bulliant. Exprime iterum succum, sicut antea, atque leni igne redige evaporando ad consistentiam massæ pilularum, habebisque extractum radicum, & foliorum, Asari, quod Hartmanno dicitur *Coagulum Asari.* Ut autem absque situ conservari possit, reponenda est massa in fictile album, aut etiam vitrum, madefaciendaque spiritu Vini rect. Sic ab omni muco conservari potest.

Vires. *Purgat per superiora, & inferiora, pituitam, & bilem.*

Dos. *est* ℈. j.

(*Maets.*) CAP. XLIX.

Præparatio Arſenici, ſeu Realgaris.

℞. *Sal. mirabil. Glawberi.* ℥. iv.
Arſenic. alb. chryſtallizat. ℥. ß.

Fluat Sal mirabile in crucibulo, cui adde Arſenicum pulverizatum. Fluant ſimul per hor. 1., ablue, & aquâ pluviali edulcora, Arſenicumque tuum de novo cum eâdem portione Salis fundito: & tertiâ vice repetito, & ultimò cum Alcohol Vini coquendo ad ſiccitatem maturetur: Ita enim Arſenicum à ſuo corroſivo, magnâ ex parte, liberatur, & ordinariò miſceri ſolet cum radicibus ari, & ſubigi. Ut:

℞. *Arſenici per Sal mirabile correcti.* ℨ. j.
Rad. Ari pulverizat. ℥. iv.
Fuligin. ex ligno q. ſ., ut inde oriatur pulvis gryſeus. (*a*)
M.

Uſus. *Miſcetur cum emplaſtro; vel in forma pulveris excipiatur lana rotunda, ſalivâ jejunâ madefactâ, cancroque imponitur.*

Applicatur etiam pulvis hic Arſenici correcti in ſordidis ulceribus, malignis, quæ mundificat, ut poſtea ſarcotica admittant, ac iis ad cicatrizationem adduci queant.

(*Marg.*) CAP. L.

Magnes Arſenicalis.

℞. *Arſenic. alb.*
Antimon. crud.
Sulphur. commun. ana ℥. iv.

Terantur omnia ſeorſim minutiſſimè: cribrentur: & miſceantur. Indatur maſſa patellæ terreæ non vitreatæ, (*b*) & ſuper leni igne carbonum accenſorum fac ut flant omnia ſimul, ſpatulâ aliquâ terrea movendo, cavendo, ne maſſa accendatur, quod facillimè contingit. Quando omnia optimè ſunt mixta, (& in fluorem redacta) tum effunde ſuper lapidem in lamellas, & habebitur medicamentum gryſei coloris, non ab-

a In phiola bene clauſa ſervandus, & ab aere defendendus.
b Potius in phiola, in arenâ locata.

absimilis nempe colori magnetis nativi, quod servetur usui.

Nota, ex hoc fit Emplastrum Magneticum Hofmanni.

℞. *Gumm. Sagapen. Galban. Ammoniac. ana* ℥jß.
Cer. flav. Terebinth. clar. ana ℥ij. ʒij.
Magnet. Arsenical. ℥iß.
Ol. Succin. ℥j.
Terr. Vitriol. dulc.
Rad. Ari præparat. ana ℥ß.

M. F. Emplastrum.

Vires (*Referuntur paulo supra*) *possidet attrahendi, & maturandi, unde & nomen accepit. Est verò externi tantùm usus, conveniens emplastris pro curandis carbunculis, & bubonibus pestilentialibus, quorum usus videatur apud Angel. Salam, & Hartmann.* in praxi Chymiatrica, titulo de peste (*dicitur etiam gestari de collo, amuleti loco, contra pestem*).

CAP. LI. *(Margr.)*

Balsamus aromaticus, sive simplex.

℞. *Ol. Nucistæ, sive Nuc. Mosc.* ʒ. ij.

Extrahe cum spir. Vin. rect., digerendo diligenter omnem tincturam (*a*) semel vel aliquoties, donec Oleum planè album relinquatur. Tum sicca, & recipe pro corpore Balsami. Huic adde Ol. Menth, stillatitii genuini gutt. ij. Misce diligenter spatulâ, & serva usui. Hic enim est Balsamus Menthæ dictus gratissimi odoris.

Vires. *Est Cardiacus, & cephalicus: conducit in epilepsia, apoplexia, syncope, aliisque capitis affectibus, admovendo naribus, aut pauxillum illinendo fronti, & temporibus.*

CAP. LII. *(Maets.)*

Balsami Italici descriptio, & præparatio (*b*).

℞. *Oliban. Myrrh. Aloës.*
Mastich. Sarcocoll. ana ʒ. ij.

a Oleum potius stillatitium.

b Variæ alias circumferuntur descriptiones, è quibus sequentem adhuc addidi.

Colophon. Terebinth. Ven. ana ℥. j.
Axung. Porcin. (℥ß.) *Styrac. Calamit.*
Benzoin. ana ʒ. ij.
Ol. Hyperic. ℔. j. ß. (℔. ij.)
Spir. Vin. ℥. j. (*sine eo.*)
Ol. Petr. ʒ. vj.
Spicæ. ℥. ß. *Axung. human.* ℥. v.) ʒvj.)
Ceræ flavæ. ℥. iv.

M. f. s. a. Balſamum.

Quod ſi rubro colore tinctum velis, hâc methodo procedito. Balſamum tuum liquefacito, eique ſucceſſivè miſceto tantum Ligni Santali rubri, in tenuem pulverem redacti, (vel ſanguinis draconis, quòuſque in colore arrideat.

Praxis verò componendi hæc eſto. Sumito cucurbitam cum annulo plumbeo, ut moris eſt, Eam collocato in B. M. Huic primò committito Oleum Hyperici, ignemque augeto, quòuſque ebulliat B. M., tunc addito Terebinthinam cum Colophon. Axung. porcinâ, & humanâ. Quibus liquefactis miſceto Oliban. Myrrh. Aloën, Maſtich. Sarcocoll. Styrac. Calamit. Benzoen, & ſpatulâ ligneâ continuò agitato, quòuſque pulveres reſolutos, quantum fieri poteſt, animadvertas (vel ℞. primum Ol. Hyperic. una cum gummi Olibano, Myrrh. Aloë Maſtich. Sarcocoll. & Styrac. calamit. bene pulveriſatis, committito MB., ignis accendatur, & ubi MB. incaleſcit, continuo Oleum cum gummi circumagitato, augendo ignem;. donec aqua bene ebulliat. Ubi animadvertas, gummata eſſe diſſoluta, adde Colophoniam, Terebinth, Axung. human., porcin. poſtmodum ceram flavam). Tunc addito ceram flavam, quâ liquefactâ, omnia trajicito per linteum in ollam convenientem. Cùm verò refrigeratum eſt hoc Balſamum, & ſpiſſum evaſit, ei commiſce Ol. Petr. & Ol. Spicæ, talique modo obtinebis Balſamum *vulnerarium maximarum virium feliciter vulnera recentia curans.*

Interiùs etiam exhibetur optimo cum ſucceſſu (in catarrhis dolorificis frigidis diſcutiendis) in hæmorrhoidibus cæcis exulceratis, quantum ſcil. cuſpide cultri contineri poteſt (vel inſtar nucis avellanæ cum vino calido), quo in caſu ſecretum eſt.

Vel. ℞. *Ol. Terebinth.* ℥iv.
Olivarum ℥xij.
Laur. ℥x.

Junip.

Juniper.
Spic.
Petr.
Hyperic. ana ℥j.
Ceræ citrin. ℥iv.
M.

Liquefiant in MB., & exactè misceantur separatis per colatorium fœcibus: hoc tingi potest lign. santal., ut ante dictum est.

Vires. *Summopere conducit affectibus nervorum. Vulnerarium est.*

CAP. LIII. (*Margr.*)

Ad Tingenda Balsama nativo colore.

℞. *Decoctum cujuscunque herbæ despumatum, & clarificatum.*
Præcipita cum solutione Aluminis in aqua pura factâ. Præcipitationem exsicca. Cum hoc pulvere tinge Balsamum ejusdem herbæ, & conciliabis illi nativum colorem, & saporem.

Subjectum Balsamorum artificialium vel est cera alba, vel ol. Nucis moscatæ expressum (quod ex India ad nos defertur) cum sp. Vini extractum, & dealbatum, vel medulla ossium.

Ad cognoscendum autem, quæ sint artificialia, quæ non, aut ingredientia cujuscunque alterius compositi, præcipita illa, modo dicto, cum Alumine, & pulveres exsicca, & sic eos cognosces: nam Alumen omnia vegetabilia sic præcipitat.

Ut rectè porro fiat Balsamum artificiale, præter basin prædictam, addenda est ad impraegnationem subjecti gutta j. vel ij., cujuscunque olei habere velimus Balsamum, ut rutæ, gariophyllorum, cinnamomi, & habebis Balsamum illius olei affusi.

CAP. LIV. (*Margr.*)

Bilis anatomia.

℞. *Bilem* j. *vel* ij. *Suillam.*
Destilla, abjectâ vesiculâ, ex cucurbitâ vitrea, in B. M. Sic adscendet liquor quidam partim spirituosus, partim salinus, partim aqueus. Oportet verò destillare ad siccitatem usque.

Hunc liquorem rectifica, & prodibit primò in parva quantitate spir. volatilis, qui est inflammabilis instar sp. Vini, tum sequetur phlegma. Hoc phlegma cohoba aliquoties super fæces relictas, accipieturque in satis conspicua quantitate Sal volatile Bilis.

Ex fæcibus siccis relictis potest extrahi cum Alcohol Vini sulphur Bilis. Si fæces comburantur, extrahetur pauxillum Salis fixi. Præstat tamen fæces in cucurbita, in arena, paulò fortiùs urgere. Sic cum aquâ calidâ poterit extrahi Sal quoddam nitrosum Bilis, quod in calcinatione consumitur. Quod residuum est, est terra Bilis.

Atque sic Bilis construitur ex spiritu volatili, qui constat ex sulphure & sale volatili : ex phlegmate : ex sale fixo nitroso : ex sulphure fixo, sive resina : & terra. Acidum ejus cohæret cum sale nitroso. Si Bili recenti affundatur aliquod acidum vegetabile, aut etiam alterius generis, blanda fiet effervescentia, Bilisque pars resinosa coagulabitur. Unde patet, Bilis menstruum non sine alcali fuisse, quod per acidum absorptum suam resinam relinquit. Si verò Bili recenti instillaveris spir. salis Ammoniaci, aut ol. tartari per deliq., pari modo coagulabitur resina Bilis; quod indicat, Bilis menstruum non sine acido fuisse.

Ex his experimentis constat, Bilem esse tincturam quandam sulphuris valde crudi, atque ideò amarissimi, extracti per menstruum acido-salinum, ut vel ablegetur è corpore, vel notabilem aliquem usum præstet. Qualis fortè est pro condiendo sanguine, vel pro edulcorando, & præcipitando chylo. vel pro temperandis acribus humoribus in intestina confluentibus. Paracelso sanè, ut & Helmontio, dicitur *Viscus vitale*.

(*Margr.*) CAP. LV.

De Bilis fermentatione.

℞. *Bilem Suillam* j. vel ij.

Eam, abjectis vesiculis, inde vitro, quod accuratè clausum reponatur in digestione per septimanas aliquot, donec resolvatur in aquam limpidam, fæcibus ad fundum depositis. Hanc aquam destilla, habiturque sp. volatilis, & sal volatile. In fundo remanent fæces Bilis.

Usus. *Exhibet experimentum pro demonstrando spiritu, & sale volatili Bilis. Potest etiam habere usum ad extergendum sicut vulgò ipsa Bilis in facie mundanda inservit.*

CAP.

CAP. LVI. (*Maets.*)

Cadavera Condiendi Methodus prima.

℞. *Cadaver (a) capſulâ plumbeâ incluſum.*
Huic ſuperfundatur
Ol. Terebinth. lucidi q. ſ., vel eo uſque, donec ſubmergatur, ibique relinquatur per iij. vel iv. dies, quibus transactis, eximatur Cadaver, & ſpir. vini abluatur, donec omnis odor terebinthinæ evaneſcit. Ita enim, per longum temporis ſpatium, Cadavera à putredine præſervari poſſunt.

Nota; omnia, Ol. Terebinth. condita, flavedinem ineunt.

Methodus ſecunda.

℞. *Sp. Sal. cum bolo præparat. & opt. dephlegmat.* p. j.
Alcohol. vin. puriſſ. p. iij.
Hæc circulando & deſtillando ſæpius ita uniuntur, ut omne corroſivum ſpir. ſal. dulce ſulphur ſpir. vin. ſit mitigatum, & dulcefactum; hinc obtinebis liquorem valde temperatum, in quo animalia filo aſpenſa per longum tempus a putredine præſervari poſſunt.

Methodus tertia.

℞. *Sal. Comm.*
Alumin. ana p. æq.
Diſſolvantur in ſ. q. aq. pluviæ, & coquantur, donec leviter ſimul ebulliant, in quo lixivio cadaver condiendum ſæpius immergatur & ſubito extrahatur, quouſque pori ſatis ſunt referti: ſed hoc vitii methodus hæc habet, quod aërem humidum ferre nequeunt hæc corpora.

CAP. LVII. (*Maets.*)

Aqua Calcis in ambuſtis.

Ebulliat aqua v. g. ſtopa una (*id eſt, pintæ noſtrates quatuor*) Injice Calcis v. g. ℥. x. Ebulliant in caço Bohemico (*forſan in cacabo æneo*)

a Vel cum vel ſine viſceribus.

neo) filtretur aqua, cui adde (a) tantum Vitrioli, ut cœrulescat.

Vires. *Aquâ hâc mira præstantur in ambustis, gelu tactis: gangrænis: erysipelatibus: fistulis: scabie: ulceribus malignis, sæpe in die calidis linteis applicanda, præsertim, si imprægnata fuerit eâ quantitate Sacchari Saturni, ut lactis formam acquirat. Hac insuper Aqua utuntur ad ulcera inveterata mundificanda.*

(*Maets.*) CAP. LVIII.

Tinctura Calcis in ulceribus malignis.

℞. *Calc. ex lapidibus exustis factæ q. p.*
Huic adfunde
Aq. pluv.
Acet. vin. ana ad supereminentiam digit. iv.
Coq. in olla terrea vitreata ad siccitatem. Affunde postmodum spiritum Vini ad emin. sex dig. transversorum. Stent in digestione per hor. xxiv. spir. vini postmodum decanta, ac in ℔j. istius spir. dissolve Mercurii sublimat. dulc. ℥. β.

Vires. *Valet hæc Tinctura Calcis in ulceribus malignis inveteratis mundificandis. Linteamina enim in hoc spiritu madefacta, & madida, imponuntur ulceribus.*

(*Maets.*) CAP. LIX.

Aqua Antinephritica Michaëlis.

℞. *Calcis part.* ij.
Sal. Ammon. part. j. (*b*)
Misce inter se, & committantur crucibulo forti, cujus orificium alio crucibulo inverso, arctâ lutatione, occludatur. Adhibe primò ignem circularem, sive rotæ, tandemque in fine obrue carbonibus, relinquanturque

a Mercur. sublimat. corrosiv. ℈j. ad ℔j. aquæ, quam luteo colore tingit Mecurius.

b Hæc duo si ante calcinationem destillationi subjiciantur, spir. sal. Ammon. præbent penetrantissimum, qui in calcinatione avolat.

turque per horam ß. in candore. Salem alcali Basilianum eximito, & misceto cum triplo boli Armenæ, destilleturque simul, igne strenuo, ad totalem vaporum exhalationem. Spiritum destillatum tinge cum pauco croco, quòusque flavedinem induat saturatam.

Vires *Hujus spiritus sunt eximiæ in dolore nephritico; potenter enim arenas, & saburram, in renibus delitescentem, expellit: Itidem in arthritide feliciter exhibetur, ut & in obstructionibus mensium, mesenterii, lienis, &c.*

Dosis *à gutt.* iij. *ad gutt.* x.

Nota. *Lapis Causticus.*

℞. *Calc. p. j.*
Ciner. clavellat. p. ij.

Misceantur & calcinentur in olla non vitreata per hor. ij. vel iij. materiam effunde in multam aquam, in qua maceretur per hor. vj, postea parumper ebulliat, liquorem supernatantem per manicam Hippocr. cola, & evapora in vase fictili ad siccitatem, & remanebit Sal, quod in crucibulo, igni admoto, liquabitur, & ebulliet ad humiditatis residuæ evaporationem. Hinc materia, sub forma olei in fundo crucibuli existens, effundatur, & in vitro optimè clauso, ne ab aëris humido solvatur, servetur.

Vires. *Hora quadrante vim causticam perficit.*

CAP. LXI. (*Maets.*)

Præparatio Salis volatilis ex Calculis humanis.

℞. *Calculorum Humanorum q. p.*

Contundantur grosso modo, & destillentur, in retorta vitrea, ut artis est in præparatione. C. C.: Ita enim obtinebis Salem volatilem, collo retortæ, & lateribus vasis recipientis adhærentem, una cum pauxillo olei fœtidi, & spiritus urinosi. Salem, ut artis est, rectifica, ut usui medico inserviat; Cujus usus concurrit cum Sale volatili urinæ. Eodem modo præparatur Sal volatile cranii humani.

(*Marg.*) CAP. LXII.

Campecii Ligni Tinctura.

Paratur eodem modo, quo Tinctura Ligni Acanthini, ſive *Braſiliani*, habetque eundem uſum.

Vide cap. v.

(*Maets.*) CAP. LXIII.

Mercurius Veneris vegetabilis.

℞. *Ceparum, cùm frondes emittere incipiunt inſtar penis q. pl.*

Ipſis adde juſtam doſin Olei Tartari per deliq., ut dictum in generali extractione. Digerito, ut artis eſt, iiſque affundito Alcohol Vini ad emin. dig. tranſverſor. iij. Stent in digeſtione, quouſque ſpir. Vini flavam extraxerit tincturam. Poſtmodùm per deſtillationem ſpir. vini, ſale volatili Ceparum impraegnatum, ad ſiccitatem auferto.

Vires. *Spiritus hic Ceparum egregium eſt diureticum, & potenter per diureſin expellit virus Venereum in gonorrhaea. Obſcurè de eo loquitur Kreuchnerus ſub nomine Mercurii Veneris vegetabilis.*

Doſ. *à gutt.* x. *ad* xxv.

(Margr. *Proceſſus ſecundus.*

℞. *Cer. flav.* ℥ij.
Aren. cribrat. ℥iv.

Fluat Cera in patella terrea. Fluenti adde arenam. Remove ab igne, & perpetua agitatione (cum ſpatula lignea ſeu ferrea) ſinito refrigerari. Antequam autem induretur, formentur globuli, qui ex retorta vitrea, in arena igne tertii gradûs deſtillati, per hor. x., ſuppeditabunt primum Ol. Cerae fluidum, ultimò Oleum coagulatum, quod vocant Oleum *butyraceum*. In retorta verò relinquetur ſola arena, quae refrigerata arenam abſque cohaeſione facilè profundet.

Ol. butyraceum Chymici iterum admiſcent arenae, iterumque deſtillant, idque ſaepiùs repetunt, donec tandem totum maneat liquidum, nec ampliùs coaguletur.

Vires. *Ol. liquidum (attenuat, incidit, diureticum eſt acre & penetrans).*

Buty-

Butyraceum verò emollit, & digerit, unde tumoribus inservit leniendis (& extenuandis.)

Dos. *Ol. liquidi gutt.* iv. *vel* vj. *butyracei q. s.*

CAP. LXIV. *(Marg.)*

Cerasorum Amarenorum Succus.

℞. *Cerasorum Amarenorum* (id est, subacidorum rubrorum) *bene maturorum* ℔. ij.

Horum manipulum j, vel ij. sacculo laneo excipe, atque exprime succum. Quo facto, alios manipulos accipe, & sic perge, donec omnem succum expresseris. Tum lapides quoque eorum in mortario contunde, succoque conjunge. Eis deinde affunde Vini generosi duplum. Repone per aliquot dies, ut bene dissolvantur. Tum filtra per manicam Hippocratis: Colaturam serva usui.

Vires. *Est cardiacus, refrigerat, incrassat humores, arcet putredinem, sitim extinguit.*

Dos. *cochleare* j. *atque* ij.

Eodem modo paratur succus ribesiorum, cydoniorum, malorum dulcium. Notandum tamen, quòd mala priùs sunt raspanda, & postea exprimenda.

CAP. LXV. *(Marg.)*

Cinerum Clavellatorum Lixivium, & Sal fixum.

℞. *Cineres post incinerationem Sarmentorum relictos* (Vide processum, cui titulus incineratio Sarmentorum) *suâ sponte extinctos, albicantes,*

Infunde eos in s. q. aquæ puræ. Per noct. digere. Tum aquam à Cineribus leniter decanta, & filtra per chartam. Colatura dicitur *Lixivium*. Hæc aqua in ollâ ferreâ munda evaporetur ad siccitatem usque, & relinquetur in fundo massa quædam ex nigro albicans. Hæc dicitur *Sal fixum*. Hoc Sal in crucibulo reverberandum est, donec fluat instar aquæ. Tum refrigeratum solvatur in aqua pura, & filtretur per chartam. Colatura evaporetur in vitro, donec in superficie emergat cuticula. Removeatur tum vitrum ab aqua, & per noctem relinquatur loco frigido. Sic Sal concrescet albissimum, quod dicitur *Alkali* vulgò, aut *Sal Alkalisatum*, estque ipsum Sal fixum, seu reverberatum.

Vires. *Alcalia omnia potenter attenuant, aperiunt, resolvunt, humores fundunt, cum acidis effervescunt, eaque temperant non tantùm, sed & in totum destruunt, unde infinitis morbis conducunt, nempe omnibus iis, qui ab humorum infarctu, & à fermento acido generantur, ut sunt morbi pituitosi, scorbutus, & epilepsia.*

Dos. ℈. ß.

(*Margr.*) CAP. LXVI.

Tinctura Cinnamomi.

℞. *Cinnamom. acuti, id est, selecti, grosso modo pulverizat.* ℥. j.

Ei, in phiola oblonga contento, affundatur

Spir. Vini rect. (a) *q. s. id est, ad aliquot digit. transvers. supereminentiam,*

Reponatur phiola in digestionem per dies, & noct. viij. Tum leniter decantetur Tinctura rubicundissima, coletur per pannum, & servetur usui.

Nota. Præparari potest ex Cinnamomo Aqua & Oleum satis gratum & carum.

Vires. *Calefacit, & siccat, potenter movet, & resolvit. Est stomachica, uterina, cardiaca, (cephalica, hysterica, in partu) & alexipharmaca.*

Dosis *est* (*gtt.* vj. *ad* x. xij.) *ad* ʒß.

(*Margr.*) CAP. LXVII.

Spir. Cochleariæ (b) *compositus.*

℞. *Cochleariæ recentis, grosso modo concisæ.* ℔ij.
Cort. Arantior. siccator. ℥iv.
Calam. aromatic. ℥j.

Misce, & affusis sp. Vin. vulgar. ℥. LX. instituatur digestio in cucurbita vitrea, in arena, per d. noct. Tum applicato capitello instituatur destillatio igne secundi gradûs, ad tertiæ partis remanentiam. Sic extrahetur Sp. Cochleariæ subtilissimus, continens in se sal

a Super cassiam ligneam q. s.
b Prostat aq. & oleum pretiosissimum.

ſal volatile, & oleum Cochleariæ, atque Corticum Arantiorum, quod etiam odor, & ſapor manifeſtabunt. Oportet verò non tantùm affundere dictum ſpir. Vini, ſed & tertiam partem, ad minimum, aquæ communis, ne ſcil. abſtracto ſpiritu, caput mortuum ſiccum evadat, & vel cucurbita rumpatur, vel etiam ſp. empyreuma contrahat.

Vires. *Potenter attenuat, & incidit, volatilizat, acidum deſtruit, & educit, unde movet urinam, & ſudorem, conducitque ſcorbuto, epilepſiæ, apoplexiæ, aliiſque ſexcentis morbis, ab acido oriundis.*

Doſ. *eſt* ℨß. *ad* ℥j. *ſemel, vel aliquoties, in die.*

CAP. LXVIII. *(Maets.)*

Collyrium ad incipientes Cataractas.

℞. *Panis ſecalini recentis, q. pl., ex quo per deſcenſum elicias ſpiritum.*

℞. *Hujus Spir.* ℥iij.
Croci metallor. ſive Hepatis Antimon, ℨij.

Fiat infuſio per hor. 24. filtra, ipſique tincturæ filtratæ adde
Vitriol. Veneris, ſive chryſtallorum Veneris q. ſ. ad levem cœruleitatem inducendam.

Filtra, & uſui reſerva.

CAP. LXIX. *(Margr.)*

Oleum Terebinth. rubr. ſive Colophoniæ Oleum.

℞. *Caput mortuum Terebinthinæ (poſt deſtillationem ſpiritûs, & olei albi) id eſt, Colophoniæ* ℥iv.

Exiccatum redige in pulverem groſſum. Inde retortæ vitreæ, & tum adde
Arenæ cribratæ ℥viij.

Miſce, & ex arenâ igne tertii gradûs deſtilla per hor. viij. vel x. Sic prodibit primò ol. flavum, tum rubrum, ultimò materia craſſa, & pellucida, quæ dicitur *Balſamus.* Deſtilla omnia in unam maſſam, & ſerva uſui. Hoc enim eſt oleum Terebinthinæ rubrum, ſive Colophoniæ, ut vulgò dicitur.

Vires. *Calefacit, & ſiccat, eſt vulnerarium anodynum, emollit tumores, ſanat vulnera. Uſus externè & internè.*

Dof. *internè est ad aliquot gutt.*
Vide ulteriùs in processibus de Terebinth.

(*Maets.*) CAP. LXX.

Præparatio (calcinatio immersiva) Coralliorum & Ocul. Cancr.

℞. *Coralliور. rub. aut Oculor. Cancr. q. v. :ʒß.)*
Redige in pulverem, cui affunde
Aceti stillat. (a) (℥iv. *vel* v. *vel*) *q. s.*, *nempe ad dig.* iij. *vel* iv. *supereminentiam.*

Repone per noct. in digestionem, vel donec prædicta corpora sint soluta. Si quid in fundo relictum sit, decanta solutionem, affunde novum acetum, iterumque digere, ut denuò solvatur. Tum solutiones conjunge, filtra per chartam, & cum oleo Tartari per deliq. præcipita sufficienter. Præcipitatum (Corallia in forma alba, & præcipitata ad fundum vitri.) repone, & affusa aqua pura, aliquoties (donec aqua manserit insipida) edulcora. Tum leniter sicca in pulverem albissimum, qui est Calx Coralliorum, & Oculorum Cancri, diciturquè vulgò *Magisterium Coralliorum*, & *Oculorum Cancri.*

Vires. *Utrumque Magisterium est anodynum (siccat & adstringit). Sistit effervescentiam, & ebullitionem humorum (blande temperant acidum ventr.), unde vulgò pro cardiacis, & corroborativis, habentur.*

Dof. *est* (℈ß. ℈j. *&* ʒß.) ℈. j. *imò &* ℈. ij.

(*Marg.*) CAP. LXXI.

Coralliorum Tinctura.

♃. *Coralliور. rubr.* ℥j.
Ei affunde
Spir. Nitr. dulc. rect. & opt. cohobat. ℥iv.

Inde phiolæ vitreæ oblongæ, & digere per d. & noct. xiv. Sic menstruum tingetur aureo colore, quod à fæcibus relictis decanta aliquoties, ut limpidissimum evadat. Tum destilla ex retorta vitrea leni igne ad siccitatem usque, & relinquetur in fundo retortæ pulvis ruber, cui affunde Alcohol Vini optimi s. q. Digere per noct. Tum decanta Tincturam rubicundam;

a Vel Spir. Vener. Zwelfer.

dam, & serva usui. Hæc enim est Tinctura Coralliorum.

Vires. *Est cardiaca, depurans massam sanguineam, eamque à corruptione præservans. Plerisque Chymicis in magno usu est, præcipuè in sanitatis conservandæ negotio.*

CAP. LXXII. (*Margr.*)

Cornachini, sive Comitis de Warwicke pulvis polychrestus.

℞. *Antimon. diaph. gr.* xvj.
Scammon. sulphurat. gr. xij.
Cremor. Tartar gr. vj.

Misceantur omnia accuratissimè in mortario vitreo, fiatque pulvis subtilissimus pro una dosi.

Vires. *Reserat obstructiones internas, ciet sudorem, movet alvum, & sæpe etiam vomitum; hinc febribus, & plerisque morbis chronicis, medetur. Plura videantur apud ipsum Cornachinum in libello de methodo hujus pulveris conscripto.*

Vide Cap. 33.

CAP. LXXIII. (*Marg.*)

Corn. Cerv. fumigatio (seu Calcinatio Philosophica.)

Fumigatio est Calcinatio Cornuum Animalium & vegetabilium per fumen. v. g.

℞. *Cornu Cervi crudi frust.* j. *vel* ij.

Suspende illud cum filo, & ligno transverso, quod imponatur capitello (dum destillantur spir. vin. rect. vel aquæ simplices herbarum.) Relinque, quamdiu destillatio durat, & intra d. & noct. Cornu Cervi fiet molle (friabile,) ita ut cultro cortex abscindi possit, fiatque Cornu Cervi albissimum, & ita molle, ut (in mortario) possit in pulverem redigi, qui vulgò à Pharmacopolis cum aqua aliqua, (infusion. tragacanth.) humectatus redigitur in trochiscos, diciturque *Cornu Cervi philosophicè, præparatum.* (vel *sine ustione calcinatum.)*

Vires. *(Easdem habet cum magisterio) Putatur esse alexipharmacum (cardiacum & diaphoreticum,) & vulgò frequentis usus est, (in febribus*

bus malignis & peste) sed revera est caput mortuum (spir. & ol. maxima ex parte privatum) Cornu Cervi. Præstat substituere in ejus locum rasuram Cornu Cervi crudam.

Dos. *a ℈ß. ad ℈j.*

(Marg.) *Processus secundus.*

℞. Cornu Cervi crudi, apud fabrum ferrarium super incude malleo in minima frusta conquassati, ℔ß. aut q. s.

Repleatur eo retorta terrea, instituaturque destillatio in igne aperto, observando ignis gradus, & prodibit cum primo gradu phlegma, cum secundo Oleum, cum tertio Sal volatile. Continuetur destillatio per hor. v. aut vj., donec nil ampliùs prodeat, & habebitur in recipiente massa ex phlegmate, oleo, & sale volatili conflata. Magna quoque pars salis volatilis sub formâ nivis adhærebit lateribus recipientis, quod debet esse amplum, & maximè quadrans ad collum retortæ. Oleum crassum separatur à phlegmate, & sale vol., solvendo totam massam aqua pura, filtrandoque per chartam. Sic sal vol. & phlegma transibunt per chartam: oleum verò crassum in charta manebit, unde effundi in peculiare vitrum debet. Aquam verò, sive phlegma, cum sale vol. solent cohobare supra particulâ unâ vel alterâ capitis mortui, quamdiu acre prodit. Sic habebitur Sal vol. cùm siccum, tum liquidum, purum, & à fœtore, & colore rubro, liberatum, diciturque vulgò *Sp. Cornu Cervi rectificatus*, ut & *Sal vol. Cornu Cervi.*

Oleum solent Chymici digerere cum Alcohol Vini, tum filtrant per chartam, aut etiam linteum, & spiritum Vini ex parte etiam abstrahunt, vocantque *Balsamum Cernu Cervi*, aut etiam *Oleum Cornu Cervi rectificatum.*

Vires. *Sp. sive Sal vol. ut & Oleum, vim habent diaphoreticam, sive sudorificam, unde usus habent in febribus malignis, peste, morbis uteri, & melancholicis.*

Dos. *Sal. volat. sive Spiritûs, est ℈ß.*

Olei gutt. v. aut vj. plerumque cum aliis sudorificis.

(Marg.) CAP. LXXIV.

Præparatio Spiritûs, Olei, & Sal. vol. Cornuum.

℞. Rasuræ Cornu Cervi q. p. Ex-

℞. *Rasuræ Cornu Cervi q. p.*

Eâ retortam vitream repleto ad collum usque. Fiat destillatio ex arena, successivè ignem augendo ad quartum usque gradum. Ita enim primò observabis Spiritum destillantem: postmodum Oleum flavum, &, quod subsequitur, Oleum rubicundo-nigrum, unà cum Sale volatili undiquaque lateribus colli recipientis adhærente. Spiritum ab oleo suo fœtido per chartam emporeticam madidam separa, & arctè in vase suo occlude. Oleum fœtidum, si placeat, super salem tostum rectifica, quousque clarum evadat, & limpidum. Salem verò volatilem, oleo suo fœtido inquinatum, hâc methodo depura:

℞. *Sal. volat., Oleo suo fœtido inquinati, part.* j.
Cinerum Ossium calcinator. part. iv.

Exactè inter sese terantur, donec Ossa Oleum fœtidum in sese combiberint, & massa arida evadat, quam phiolæ sublimatoriæ submitte, & lenissimo igne ex cineribus instituatur sublimatio. Ita enim adscendet in superiorem sublimatorii partem Sal volatile, candidum instar nivis, oleo suo fœtido liberatum. Hunc salem ab aëre cautè defende, arctè ipsum sigillando, vel conjiciendo in proprium spiritum.

Vires. *Sp. & Sal volatile egregium præbent medicamentum, præsertim in omnibus morbis per sudorem curabilibus. Penetrantissima sunt medicamenta in obstructionibus mensium, in affectibus reliquis uterinis. Exhibentur in epilepsia, apoplexia, paralysi, lethargo, aliisque nervorum obstructionibus. Antidoton insuper est in morbis malignis, febribus pestilentialibus, in morsu animalium venenatorum, quorum fermenta enecat potenter, & per sudores expellit, si cum cardiacis, ut artis est, misceatur.*

Dos. *est à gr.* vj. *ad* xij *vel* ℈j. *in convenienti vehiculo exhibita.*

Oleum rectificatum, ut dictum supra, & ab empyreumate suo liberatum, miscetur cum unguentis, utpote Martiato, de Arthanitâ, vel similibus, & exteriùs applicatur in tumoribus duris, & frigidis emolliendis, & discutiendis, in glandulis induratis, si inflammatio non adsit.

Nota, quòd depuratio hæc Salis vol. Cornu Cervi per ossa calcinata, ut & spiritûs, & olei, sit generalis regula in omnibus cornibus, reliquisque animalium partibus.

(*Maets.*) CAP. LXXV.

Cornu Cervi uſtum.

℞. *Caput mortuum Cornu Cervi, in deſtillatione* ſpiritûs relictum.

Impone in ignem apertum, & relinque per hor. j. vel ij., donec albiſſimum evadat, quod ſignum eſt perfectæ calcinationis.

Uſus. *Temperat humorum acrimoniam acidam, ſiccat, & adſtringit, unde febribus, torminibus, aliiſque morbis, ab acido oriundis, feliciter medetur; concentrat enim acidum inſtar oculorum cancri, aut coralliorum. Vulgò adhibetur contra lumbricos puerorum, ſimpliciter imponendo Cornu Cervi uſtum potui illorum. Simplices homines etiam credunt, huic ineſſe vim alexipharmacam; unde paſſim pro alexipharmaco ſcriptum legitur.*

Doſ. *à* ℈. ß. *ad* ʒ. ß.

(*Marg.*) CAP. LXXVI.

Cornu Cervi Gelatina.

℞. *Raſur.* Cornu Cervi *crud.* ℥j.
Aq. pur. ℥x.

Coq. ad remanentiam tertiæ, vel quartæ, partis. Cola per linteum. Colaturam repone in cellam, & aqua hæc refrigerata abibit in Gelatinam, id eſt, in conſiſtentiam glutinoſam, qualis vulgò *Galreda* à Medicis dicitur. Nomen *Galreda* habetis in Schrodero.

Uſus. *Dicitur habere vim alexipharmacam, unde in febribus malignis, & peſte, crebrò adhibetur.*

Doſ. ʒ. j. *vel* ij.

(*Margr.*) CAP. LXXVII.

Magiſterium Cornu Cervi.

℞. *Raſur.* Cornu Cervi. ℥. ß.

Inde parvæ cucurbitæ, & madefac ſpiritu Nitri rectificato. Tum affunde

Sp. Aceti ℥. iij.

Repo-

Repone in digeſtionem per noct. Solutionem filtra calidè per chartam. Colaturæ inſtilla ol. Tart. per deliq. Repone, ut Magiſterium petat fundum. Tum edulcora aliquoties aqua pluviâ, ſicca, & ſerva uſui.

Vires. *Habetur pro ſudorifico, & alexipharmaco, inſtar* Cornu Cervi *crudi. Pro capite mortuo habetur à Zwelfero, qui putat legitimis viribus eſſe ſpoliatum, unde in hujus locum mavult ſubſtituere ipſam raſuram Cornu* Cervi *crudi.*

Doſ. *eſt.* ℈. β.

CAP. LXXVIII. (*Maets.*)

Corroſivum minus Paracelſi.

℞. *Albumin. Ovorum ad duritiem coctorum q.p.*

Deſtillentur ex B. M. ad ſiccitatem uſque. Aquam hanc ſepties cohobato ſuper teſtas ovorum, ad albedinem exiccatas abſque aduſtione.

Uſus hujus aquæ eſt, ut cum eâ Mercurius figatur in pulverem rubicundum:

♃. *Mercurii* ℥. j.
Corroſivi hujus ℥. *v.*

Deſtillentur ſimul ad ſiccitatem per retortam, illamque operationem tamdiu repetito, continuò novam portionem corroſivi affundendo, quouſque Mercurius fixatus ſit in pulverem rubicundum, Paracelſo *Mercurius Laxus* dictum. De quo vide Authoris Chirurgiam magnam, lib. de Lue Venerea, ſub medicamentis ex Mercurio petitis.

CAP. LXXIX. (*Maets.*)

Coſmetici, tam Albi, quàm Rubri Præparatio.

♃. *Marcaſit. argent. q.p.*

Huic adfunde. (*a*)

Aq. fort. generoſ. q.ſ. ad ſolutionem (*b*) *Marcaſit.*

Solutionem à fœcibus, ſi quæ ſint, decanta, & cum aq. frigida (*c*) præci-

a In vitro capaci per vices.

b Quæ cum ſumma effervefcentiâ abſolvitur.

c Puteali per coctionem & ſubſidentiam clarificata, inde leviſſimus pulvis obtinetur: muria autem ſalis comm. majori quantitate præcipitatur pulvis idem albiſſimus, verum præcedenti craſſior.

præcipita. Pulverem summâ cautelâ edulcora, ut corrosivum, quantum fieri potest, per repetitas edulcorationes auferatur.

Nota, quòd pulvis debeat inter chartas implicatas exiccari.

Usus. ℞. *Hujus pulveris part.* iij.
Ung. pomacei, vel rosacei p. ij.
f. unguent. quo cutis illinatur ad albedinem conciliandam.

(*Maets.*) *Rubri.*

℞. *Sanguinis Draconis, si obtineri queat, in guttis, secùs, vulgaris, q. p.*

Coq. cum lixivio, donec lixivium intense rubescat. (Nota, quòd hoc etiam obtineri queat ex ligno Brasiliensi, vel santalo rubro.) Hoc lixivium filtra per pannum, vel leniter, sine perturbatione fœcum, decanta, eique affunde solutionem Aluminis. Ita enim præcipitabitur ad fundum materia instar pultis, quam bene edulcora à suis salibus.

(*Marg.*) CAP. LXXX.

Croci Tinctura.

℞. *Croci opt., id est, Britannici, aut Austriaci, aut Gallici, adhuc integri.* ℥. ß.

Ei in phiolâ oblongâ affunde
Spir. Vin. rect. (a) ℥. vj.

Digere per d., & noct. viij. Cola per pannum. Colaturam serva usui. Capiti mortuo iterum affunde aliquid Sp. Vin. rect. toties, donec menstruum non ampliùs tingatur. Tum colaturas conjunge, & serva usui.

Vires. *Est stomachica, cardiaca, sudorifera, alexipharmaca, &c.*

Dos. *gutt.* iv. *aut* vj.

(*Marg.*) CAP. LXXXI.

Croci Extractum.

℞. *Tincturam Croci superiùs elaboratam.*

Destilla hanc ex vitrea sive retorta, sive cucurbita, leni igne, ad consistentiam picis liquidioris, dando operam sedulam, ne comburatur. Unde

(a) Potius non rect.; aquoso enim menstruo optime extrahitur e croco Tinctura, quæ etiam evaporari potest ad formam extracti.

de præstat destillare ad quartæ partis remanentiam, aut infra dimidium tantum. Sic recuperabitur sp. Vini rect., sive menstruum, quod poterit inservire alteri operationi.

Quod verò relinquitur, effundatur in patellam vitream, & supra arena lenissimo calore sensim evaporetur ad consistentiam pilularum, sive picis crassioris. Hoc enim dicitur Extractum Croci, quod in pixidula stannea, aut terrea alba, servari in loco humido debet.

Vires. *Easdem habet cum tinctura. Est sudorificum, alexipharmacum, cardiacum, hystericum.*

Dos. *à gr.* iv. *ad gr. x.*

CAP. LXXXII. (*Maets.*)

Cyprini Pulveris Præparatio.

℞. *Musc. quercini q. v.*

Hunc à terrestribus suis partibus bene lava, idque ultimâ vice cum aquâ rosarum. Postmodùm in umbra exicca. Pulveriza, & per angustissimum cribrum trajice:

℞. *Hujus pulveris.* ℔. j.
Mosch. ℈. iij.
Zibethi. ℈. ij.
Ambræ grys. ℈. ij., *vel, quantum visum fuerit.*
M. f. pulvis.

Alio modo.

℞. *Hujus pulveris. q. p.*

Huic admisce
Oleorum aromaticorum, v. g. Ligni Rhodii, Cinnamomi q. s.

CAP. LXXXIII. (*Margr.*)

Elixir proprietatis Paracelsi cum acido.

℞. *Aloes Socotrin.*
Myrrh.
Croc. Britann. ana ℥. ß.

Myrrha, & Aloë, terantur subtilissimè. Crocus verò relinquatur integer. Superfundatur in vitro oblongo Alcohol. Vin. ℥. x., instituaturque

digeſtio per d. & n. viij. Tum adde ſp. Sulph. p. camp. ℥. ß. Digere adhuc per ſeptimanas iij. Tum leniter decanta tincturam nigram, & fœcibus reaffunde novum Alcohol Vini q. ſ. Digere iterum per d. & n. viij. Tum decanta tincturam, & conjunge cum priori, &, poſt quietem aliquot dierum, iterum decanta à fœcibus, quas fortè depoſuerit ad fundum, & habebis liquorem nigrum, qui nil ampliùs deponet fœcum, eſtque ipſum Elixirium (Alexitericum) Proprietatis dictum.

Vires. *Medicamentum eſt univerſale, evacuans, alterans, roborans. Calefacit, & ſiccat (corroborat) ventriculum (& cor) pellit menſes, & urinam, ſubducit alvum, movet ſudorem, (a putredine præſervat) eſt anodynum. Convenit omnibus morbis, omni ſexui, & ætati. (ſpecificum eſt in tertiana, quam radicitus tollit)*

Doſ. *eſt ad alterandum, & corroborandum gutt.* vj. *ſemel, atque iterum, in die: Ad juſtam verò evacuationem requiruntur* ʒ. ij.

(*Maets.*) CAP. LXXXIV.

Elixir Vitæ.

℞. *Roſar. recent. ſale condit.* ℔. j.
Spir. Vin. opt. ℔. ij. ß.

Stent in digeſtione ſimul per d. & noct. ij, & leniſſimo igne inſtituatur deſtillatio. In roſtro autem alembici collocato.

Ambræ grys. ʒ. ß.
Moſch. orient. ℈. ß.

In recipiente verò reponito

Lign. Aloes opt.
Flaved. cort. Arantior. ana ℥. ß.
Cort. Limon. ℥. j. ß.

His adde:

Ol. Cinnamom. veri. ℥. j. ß.

Digerantur ſimul per dies ij. vel iij., ita paratum habebis hoc Elixir cardiacum maximarum virium, antidotum egregium in morbis ex frigore oriundis. Quòd ſi ſapori etiam grato conſulere volueris, edulcora hoc Elixir cum ſyrupo flavedin. cortic. limonum.

Doſ. *à* ℈. j. *ad* ʒ ſ j. *in hauſtu vini.*

CAP.

CAP. LXXXV. (*Maets.*)

Embryones conſervandi methodus.

℞. *Spir. Salis rect. part.* j.
Alcohol Vin. part. iv.

Deſtillentur ſimul, ut artis eſt, in ſpir. Salis dulcis præparatione. Huic liquori immergito Embryones: ita enim per longum tempus à putredine præſervabis.

Vid. *Cadavera condiendi methodus.*

CAP. LXXXVI. (*Maets.*)

Eſſentia Stomachica.

℞. *Rad. Tormentill. Hyperic. Aneth.*
Menth. criſp. Leviſtic. ana cum toto q. p.

Contundantur, iiſque affunde ſpir. vin. rectif. q. ſ. ad ſupereminentiam digit j., digerantur per hor. xij., quibus tranſactis omnis liquor per deſtillationem evocetur. eumque prædictis ſpeciebus affunde, & procede, ut prius.

℞. *Hujus Spir.* ℥ix.
Spir. Sal. rect. ℥iij.

Macerentur & digerantur per dies xiv., quouſque alcohol cum ſpir. ſal. unitum ſit, & obtinebis Eſſentiam, ſtomacho & hepati ſpecificè convenientem, cujus admirandæ ſunt virtutes in reſolvendo tartaro, in renibus concreto, & in obſtructione menſium.

Doſ. *a gtt.* xv. *ad* xxx. *in vehiculo convenienti.*

CAP. LXXXVII. (*Marg.*)

Fœniculi Aqua & Oleum.

℞. *Sem. Fœniculi* ℔. j.

Redigatur in pulverem craſſum, indaturque urceo cuidam terreo anguſti orificii, eique addatur
Tartari pulverizati ℥. ß.
Aquæ ferventis ℔. iv.

Re-

Reponantur simul, vase leniter clauso, in locum tepidum, per d. & noct. xiv. Vel.

℞. Herb. Fœnicul. recentis post Florem, & jam fere cum fructu m. j. vel ij. vel q. v. Concide, & contunde, in mortario. Inde vesicæ cupreæ; & affusâ aquâ purâ per 24. horas macera. Tum fiat destillatio (vel per B. M., vel per vesicam cum refrigeratorio) & prodibit aqua, cui innatabit oleum, quæ à se invicem separabuntur, vel per tritorium, vel per separatorium, ubi, substratâ aquâ, etiam descendet oleum, quod seorsim servari debet.

Vires. *Oleum, & aqua fœniculi calefacit, & siccat, attenuat, incidit. Sunt stomachica, & thoracica, movent urinas (flatus discutiunt). Potentiùs vero hoc facit Oleum.*

Dos. *Aquæ* ℥. ß. *cum saccharo.*

Olei verò gutt. j. *vel* ij., *potestque cum Saccharo tabellato redigi in elæosaccharum fœniculi, estque tum egregium carminativum (incidit crassam materiam, in pulmonibus contentam).*

(Margr.) CAP. LXXXVIII.

Fuliginis Spir. seu Sal volatile, & Ol.

℞. *Fuliginis nigerrimæ & pinguissimæ, qualis ex combustione lignorum colligitur in caminis. s. præ furnis.*

Impleatur illâ retorta terrea ad collum usque, fiatque destillatio in igne aperto, & quidem per reverberium, primò lento igne, postea fortiori, ultimo quarti gradûs. Vas recipiens ab initio debet esse terreum propter phlegma, quod vitrum plerumque rumpit. Post aliquot horas potest subjici recipiens vitreum (*a*), sicque observabitur Sal volatile adhærere lateribus vitri more arbusculorum, aut glaciei, sive nivis. Spatio vj. vel viij. hor. potest absolvi tota operatio. Peractâ operatione materia fœtida tota eximatur, rectificeturque in arena ex cucurbitâ vitrea humiliori. Sic prodibit Sal volatile cum copioso Oleo. Separentur hæc à se invicem per tritorium, seorsim colligendo Oleum, & liquorem reliquum.

Recti-

a Satius est, ab initio adhibere recipiens vitreum, ne eo mutato, temporis & rei destillandæ di[illegible] fiat

Rectificetur adhuc semel liquor sine oleo, & quidem per cucurbitam altiorem, si placet, affundendo quoque spir. Vini. Sic adscendit Sal volatile purissimum; primùm, in formâ sicca, deinde, in formâ liquidâ. Omnia possunt conjungi, & sic, vitro accuratè clauso, servari usui.

Vires. *Est insigne excitativum in lethargo, epilepsia, apoplexia, atque agonizantibus, cujus miras laudes videre potestis apud Hartmannum in Praxi Chymiatricâ.*

Dos. *est aliquot guttar. in vino, vel aquâ destillatâ.*

Processus secundus. (Maets.)

℞. *Fuliginis splendentis ex camino abrasa q. p.*

Hac repleto retortam vitream ad collum retortæ usque. Instituatur destillatio ex arena, operationemque continua ad totalem fumi egressum. Ita enim obtinebis spiritum, & oleum fœtidum, unà cum sale volatili, lateribus vasis recipientis adhærente. Spiritum ab oleo suo fœtido, ut artis est, separa, & cum æquali portione Alcohol Vini conjunge, & destillentur simul per cucurbitam, alembico suo munitam. Ita enim præparatum habebis spiritum Fuliginis, ad internos, & externos usus medicos, appropriatum.

Vires. *Internè exhibetur in iisdem affectibus, quibus sp. sal. Ammon. succurrere solet. A quibusdam habetur pro summo cardiaco. Consule Schroderum de Fuligine.*

Caput mortuum, ut artis est, elixiviatum, *Sal causticum* præbet *potentissimum.*

Idem ad Contracturas. (Maets.)

℞. *Lumbricorum terrestrium. q. p.*

Misceantur cum duplo Salis mirabilis Glawberi, vel Salis vulgaris calcinati. Destillentur simul igne satis strenuo ex arena. Ita obtinebis oleum fœtidum crassius, quod cum novo sale mirabili Glawberi rectificare poteris eò usque, donec limpiditate arrideat.

Vires. *Hoc oleo locum affectum, antea igne excalefactum, inungito sæpiùs. Penetrat valde, obstructionesque feliciter solvit. Idem fere obtinet Oleum ex Axungiâ Humanâ sequenti methodo destillatum: Vide processum Maëtsianum sub tit. Ol. pinguedinis humanæ.*

Galbaneti præparatio in obstructionibus nervorum: processus secundus. (Maets.)

℞. *Ol. Terebinth. lucid. part. iij.*
Gummi in frusta concisi. part. j.

Macerentur in retorta vitrea per hor xxiv., postmodumque instituatur destillatio, Oleumque Terebinthinæ ad siccitatem usque auferatur, quam operationem bis, terve cohobando repetere poteris.

Vires. *Exterius applicatur in paralysi, in contracturis, in podagra ex causâ frigidâ, in tophis incipientibus Venereis, & podagricis, in genere in omnibus nervorum obstructionibus, à pituitâ coagulatâ oriundis.*

(*Marg.*) CAP. LXXXIX.

Essentia Gariophyllorum.

℞. *Gariophyllorum aromaticorum, in pulverem crassum redactorum.* ℥. ß.

Iis, in aliquâ lagenulâ contentis, affunde alkaheſt Glawberi q. s., ut bene madefiant. Repone per noct. in digestione & reperies sequenti die Garioph. in mucilaginem redact. Affunde tum Alcohol, Vini optimè dephlegmati (*a*) ℥. iv. Digere per noct. Tum decanta liquorem, & filtra per pannum, & habebis liquorem nigricantem, qui est ipsa *Essentia seu Tinctura Garyophillorum.*

Vires. *Est cardiaca, stomachica, & cephalica, potenter attenuat, & incidit.*

Dosis *est aliquot guttarum in aliquo liquore.*

(*Maets.*) CAP. XC.

De Coloribus, pro Gemmarum artificialium Tinctura.

Venus calcinata constanter dat cœruleum. Ejus gr. v. sufficiunt pro ℥. j. chrystalli tingendæ.

Mars calcinatus vergit ad colorem hyacinthinum, ejus gr. iij. vel iv. inserviunt ℥. j. chrystalli. Sed notandum, quod omnes Gemmæ artificiales,

a Si sumatur spir vini rect. per præcipitationem, omitti potest sal mirabile Glaberi.

ciales, quæ tinguntur cum Marte, longiori indigent coctione, quippe Mars difficiliùs dividitur in minima ramenta, quàm Venus.

Luna calcinata semper dat flavum amœnissimum.

Calx Jovis dat lacteum obscurum.

Saffra, tanquam minera Cupri, dat cœruleum.

Magnesia vergit ad hyacinthinum.

Quòd si miscueris crocum Veneris cum croco Martis, vel Lunæ, emergit color viridis.

Quòd si miscueris crocum Lunæ cum croco Martis, exurgit aurantius color.

Quòd si velis amethystinum, in quo cœruleus prævaleat rubro, capito pro singulis ℥. chrystalli Veneris gr. iv. Martis gr. j. ß.

Quod si verò è contrario colorem volueris granatum, in quo scilicet ruber prævaleat, sumito croci Martis gr. iv. Veneris gr. j.

CAP. XCI. *(Margr.)*

Diureticum specificum (sc: Tinctura vermium Majalium) in Gonorrhæa.

℞. *Vermium Majalium q. p.*

His affunde Ol. Tartar. per del. q. p. ad totalem irrorationem. Stent in digestione per xxiv. horas, quibus tunc affunde Alcohol Vini ad eminentiam iij., vel iv. digitor. transv. Stent in digestione, ut supra, quousque Sp. Vini rubicundam extraxerit Tincturam, quam decanta, & usui reserva.

Dos. *à gutt.* x. *ad* xxv. (xxx. *in vino vel alio aliquo vehiculo.*)

Nota, *quòd si in curatione Gonorhææ per Tincturam Vermium Majalium excitetur acrior stranguria, quòd cum lacte amygdalato, lacte vulgari tepido saccharato, aliisve emulsionibus, dolor citò tollatur.*

Processus secundus. (Maets.)

Tinctura Vermium Majalium in forma pulveris.

℞. *Vermium Majalium q. p.*

Hisce affunde Spir. Nitri. q. s. ad totalem Vermium dissolutionem. Filtra, & cum oleo Tartar. per del. præcipita. Liquorem supernatantem decanta, pulveremque cum pluvia edulcora, & exicca. Est hæc metho- dus

dus generalis in omnibus illis, quæ conſtant acri, & cauſtico ſale volatili, urpote in cantharidibus, araneis, bufonibus, nucibus vomicis, helleboro, & ſimilibus flammulis.

Pulverem edulcoratum cum quovis electuario, conſerva, mucilagine, ſimilibuſve ſubſtantiis, in maſſam pilularum redige.

Doſ. *pulveris in ſubſtantia à gr.* vj. *ad* xij. xx.

Vires & Uſus. *In Gonorrhœa recenti poteſt exhiberi abſque ulla præcedenti coporis præparatione. In Gonorrhæa verò virulenta nec adeò valet, nec exhiberi debet, niſi præcedenti corporis præparatione, per purgationem ſcil. ab Extracto Catholico, vel ſimilibus aliis. Poteſt etiam Decoctum aliquod præmitti. Pulvis unius horum vermium, interiùs aſſumptus, tam vehementer ἄνω καὶ κάτω operatur, ut difficulter ſedetur.*

(Maets.) CAP. XCII.

Infuſio in Gonorrhœa.

℞. *Vin. rubr.*
Aq. Symphit. ana ℥v.
Fol. Scord. m. j.

In his infunde per noct.
Gran. Juniper contus. ℥iij.
Bol. Arm. alcoholizat. ℥ß.

Manè leviter ebulliant. Filtretur liquor, & per ſyringam injiciatur, poſtquam patiens urinam emiſerit. Ita brevi temporis ſpatio fluxus ſedabitur, parteſque corroborabuntur. Hoc igitur uti non debemus, priuſquàm virus eductum ſit.

Vires. *Idem obtinet hæc infuſio in Gonorrhæa ſimplici ex debilitate vaſorum ſpermaticorum exortâ.*

Quod ſi in auxilium vocare volueris medicamentum per os aſſumendum, recipe, quod ſequitur.

(Maets.) CAP. XCIII.

Pilulæ in Gonorrhœa.

℞. *Sem. Alkekeng.* ℥. ij.
iv. *frigidor. maj.*

Papav.

Papav. alb.
Sem. Lactuc.
Plantag. ana ℥. j.
Rhab. ℥. ß.
Mastich. ʒ. iij.
Gum. Arabic.
Bol. Armen.
Succin.
Tragacanth.
Amyl. ana ʒ. ij.
Sem. Agni casti
Rosar. rub. ana ʒ. j.
Tereb. Ven. q. s., ut pulvis in formam pilularum redigatur.

Misce, & f. a f. pilulæ.

Processus secundus. (Margr.)

℞. *Caput mortuum, in destillatione aquæ Guajaci relictum, sed ad Solem probe exiccatum. Aut, ejus loco,*

℞. *Scobis Guajaci q. p.*

Destilla ex retortâ terrea tubulata, in igne aperto, per vices Lignum injiciendo, applicato recipiente vitreo capacissimo. Sic intra horæ spatium magna copia Spiritûs acidi Guajaci, ut & Olei ejus fœtidi, colligi poterit. *(a)*

Oleum separatur à spir. acido, filtrando per chartam. Sic spiritus acidus rubicundi coloris per chartam colabitur. In chartâ verò remanebit oleum fœtidum, & crassum, quod statim ex retorta removeri debet, ne ab ea absorbeatur. Spir. acidus rectificatur per cucurbitam altiorem. Sic ascendet limpidus, qui tamen post aliquot septimanas iterum tingetur rubicundo colore, quod ei accidit ab occulto sulphure, quod secum rapuit. Oleum dissolvatur cum spiritu Vini rect. filtretur per chartam, & sic servetur usui.

Vires. *Oleum planè igneæ naturæ est. Habet vim (resolventem & attenuantem) catharticam, & causticam, unde potissimùm externo usui conducit: temperatum tamen spiritu Vini etiam intra corpus cum aliis sudorificis exhiberi potest. Spiritus acidus (sudores & urinam movens)* addi-

a Caput mortuum, carbonum instar nigricans, ignem pertinacissimè retinet, cujus cineres rectificando oleo inserviunt, præbentque elixiviando sal fixum.

additur alexipharmacis, & sudorificis, unde in peste, & febribus malignis, laudatur.

Dos. *Ol. est a gutt.* ij. *ad* ℈ß.

Spir. a ℨj. *ad* ℨij.

(*Margr.*) CAP. XCIV.

Guajaci Tinctura.

♃. *Scobis Guajaci per cribrum traject.* ℥. ij.

Affunde ei

Sp. Vin. rect. ℥. vj.

Digere in phiola oblonga per d. & noct., viij. Tum decanta Tincturam sanguineam, & colatam per linteum serva usui.

Vires. *Calefacit, siccat. Conducit affectibus ventriculi frigidis, & catarrhis cerebri exiccandis.*

Dos. ℥. ß.

(*Margr.*) CAP. XCV.

Guajaci Aqua.

℞. *Scobis Ligni Sancti.* ℥. ij.

Affusâ s. q. aquæ puræ digere in retortâ vitreâ, in arena, per hor. xxiv. Tum destilla ad dimidias. Sic prodibit aqua pinguis, & aliquo modo odorata, sed nec oleum superfluitans habet, nec acida, ut tradunt Riverius, Quercetanus, Aurelius Severinus. Finitâ destillatione residuum aquæ cola per pannum, & cum destillatâ aquâ conjunge, & serva usui.

Vires. *Calefacit, & siccat, est sudorifica, conducit in affectibus & naturis frigidis.*

Dos. *sunt* ℥. iij. *cum* ℨ. j. *diascordii, aut theriacæ antiquæ.*

CAP.

CAP. XCVI. (*Maets.*)

Sublimatio Florum Martis ex Lapide Hæmatite & Sale Ammoniaco, ut & præparatio Tincturæ Martis volatilis, & adstringentis uti & croci Martis.

℞. *Lap. Hæmatitid. part. j.*
Sal. Ammon. part. dim.

Conterantur (seorsim) in pulverem tenuissimum (instar alcohol.) quem per cribrum trajice, ac postea exactè inter se permisce (*a*) Conjiciantur in cucurbitam terream (seu vas sublimatorium.) cui adapta alembicum vitreum cum suo recipiente (amplo, juncturis optimè amylo & charta clausis.) Fiat sublimatio, ut artis est, igne nudo, successivè ignem augendo (ita leniori primo igne adscendit Spir. Sal. Ammoniac. potentissimus, impraegnatus minerali Martis, sive Hæmatitis, qui lapis, continens partes ferri magis volatiles, in media ferri minera reperitur. Aucto dein igne sublimantur in altum, & circa latera alembici, & vasis sublimatorii hærebunt flores Martis, vel Lapidis Hæmatit. insigni aurantio colore à Marte in Hæmatit. existente tincti, & tenuissimo sulphure Martis vel Lapidis Hæmatit. imprægnati; qui nihil aliud sunt, quam partes subtiliores, tenuiores, & magis volatiles ferri in altum educti vi salis Ammon., & in formâ sicca apparentes, una cum spir. acido salis.) Omnibus refrigeratis, alembicum à cucurbita sua separa, floresque tuos exime, & ab aëre (in vitro optimè clauso, alias facilè attrahendo aëris humidum solvuntur) defende.

In fundo reperies caput mortuum Hæmatit., egregiis punctulis splendentibus distinctum, quæ nil aliud sunt, quàm Mars ipse excoctus ex Lap. Hæmatit. & purissimus. Quòd si igne fortiori posset urgeri, ipsum ferrum excoquerem ex Lap. Hæmatit.

Vires. *Hi Flores per se exhibiti sunt valdè Diaphoretici, diuretici, & obstructiones quasvis resolvunt, solentque inservire operationibus seqq.*

Præparatio Tincturæ Martis volatilis.

℞. *Horum Flor. q. v.* Hisce,

a In mortario vitreo vel lapideo per quadrantem horæ, ut undiquaque a salibus & ab aere circumfluo lapis pulverisatus attingatur.

Hisce, in vase circulatorio repositis, effunde Alcohol Vini ad eminentiam dig. transv. iij. vel iv. Stent in digestione, quousque Spir. Vini aureo colore tinctus sit, quem decanta absque perturbatione fæcum, & usui reserva; & parata erit Tinctura Martis volatilis, præstantissimum aperiens in quibusvis obstructionibus.

Dos. *à gutt. x. ad xx. in convenienti vehiculo.*

Præparatio Tincturæ Martis adstringentis.

℞. *Capit. mortui* q. v.

Huic affunde aquam pluviam ad eminentiam digit. iij. vel iv. Stent, ut ante, in digestione, donec aqua rubicundo-flavo colore tincta sit, quam decanta, filtra, & usui reserva: parataque erit Tinctura Martis adstringens potentissima.

Vires *Obtinet egregiè stipticas, & adstringentes, ut, si spongiam eâ madefactam ramis majoribus arteriarum vel venarum, vulneratis, dissectis, vel solutis applicueris, brevi temporis spatio adstringat & hæmorrhagias sistat. In fluxu mulierum immodico, diarrhæis, & gonorrhæa simplici, multum juvat. Menstrua copiosa retardat.*

Dos. *à gutt. v. ad* xij. *in convenienti vehiculo.*

Præparatio Croci Martis.

℞. *Reliquum quod restat,*

Per ignem reverberii calcinetur, quousque splendentia ferri ramenta dispareant. Conteratur in pulverem tenuem, & obtinebis Crocum Martis in quantitate, *cujus usus est in affectibus hypochondriacis, in obstructionibus mensium, mesenterii, hepatis, similium viscerum, reserandis, præcipuè, si cum gummi ammoniaco, sagapeno, myrrha, similibusve aperientibus conjunctus fuerit, & redactus in formam pilularum.*

Dos. *à gr.* vj. *ad* x.

(Margr.) *Hæmatit. Lap. Flores: processus tertius.*

℞. *Hæmatit. rubicundissimi.* ℥. iv.

Redigatur in pulverem, cribretur. Tum addantur ei

Sal. Ammon. pulverizat. ℥. iv.

Misce, & ex cucurbita terrea in igne aperto sublima per aliquot horas in capitellum vitreum. Sic ascendent Flores albi; tum flavi; qui adhærebunt lateribus & limbo capitelli. Cum nihil amplius adscendit (quod ex fumo cognoscitur, quando hic desinit) tum manu removeantur Flores,

res, & in vitro accuratè clauso serventur usui: alias enim facilè per deliquium solvuntur.

Vires. *Insigniter attenuant, & incidunt, unde pro diaphoreticis habentur, laudanturque in ictero, cujus colori adsimilantur.*

Dos. *ab aliquot granis ad* ℈. ß.

Processus secundus. (Margr.)

℞. *Jalappæ opt. & pinguis, quæ acu puncta pinguedinem emittat.* ℥. ij.

Redigatur, tundendo in mortario, in pulverem grossum. Huic in phiola oblonga affunde

Spir. Vin. rect. ℥. xij.

Claudatur phiola accuratè aliâ phiolâ inversâ. Digere per d. & noct. viij. Tum decanta tincturam flavam, eique in cucurbita vitrea munda adde dimidium aquæ puræ. Destilla in B. M. aut arenâ, donec sp. Vin. totus sit abstractus. Tum remove cucurbitam, & aquam residuam cum resina adhuc tepidam effunde in ollulam, aut vitrum latum. Resinam picis instar separa ab aqua, & super orbe vitreato exicca per aliquot dies, donec indurescat, & habebis substantiam pellucidam, & flavam, quæ est ipsa resina Jalappæ.

Vires. *Purgat pituitam, & serum, instar ipsius Jalappæ.*

Dos. *à gr.* vj. *ad* ℈. ß. *in conserva rosar. pallidarum.*

CAP. XCVII. (*Margr.*)

Jovis, & Saturni amalgamatio.

℞. *Limatur. Jovis, aut Saturni,* q. pl.

Ei adde

Mercurii currentis partes ij. *aut* iij.

Misce, ut abeat in massam nec tenuem, nec crassam nimis. Hæc dicitur Amalgamatio Jovis, aut Saturni.

Usus. *Inservit mechanicis, in conficiendis speculis, habetque alios usus in mechanicis.*

CAP. XCVIII. (*Marg.*)

Jovis & Saturni Præcipitatio.

℞. *Calcem Saturni, vel Jovis,*

Solve eas in Spir. Nitri, aut Aqua forti, & cum insigni effervescentia abibunt in calces albas; quas evaporando liberabis à menstruis, & reverberatas, aut edulcoratas aquâ, servabis usui.

Vires. *Refrigerant, ſiccant, adſtringunt. Conveniunt ulceribus, & inflammationibus repellendis, ſuntque tantùm externi uſûs.*

Doſ. *eſt pro re natâ.*

(*Maets.*) CAP. XCIX.

Jovis Regulus.

℞. *Stanni Anglici opt.* ℥. iij.
Regul. Antimon. ℥. ij.

Fluat Stannum in crucibulo ignito. Tum ſtatim injiciatur quoque pulvis Reguli Antimonii, & ſtatim hic una fluet cum Stanno. Effundatur leniter materia fluida in parvum aliquod crucibulum, ut abeat in Regulum, qui colore erit argento haud diſſimilis.

Uſus. *Inſervit parando Butyro, & Bezoardico Joviali.*

(*Marg.*) *Proceſſus ſecundus.*

℞. *Regul. Antimon. minutiſſimè pulverizat.* ℥. ij.

Imponantur crucibulo, ſuper carbonibus accenſis ignito, expectando, donec Regulus omnis fluxerit inſtar aquæ. Tum adde
Stanni Anglici integri ℥. j.
& fluet hoc in momento cum Regulo. Effunde maſſam fluidam in in conum fuſorium, aut crucibulum mundum, & habebitur maſſa duriſſima, & albiſſima, quæ polituram recipit, & argentum mentitur, friabilis tamen eſt. Hanc ſerva uſui: hæc enim dicitur *Regulus Antimonii Jovialis.*

Uſus. *Inſervit parandis Butyro, & Bezoardico, Jovialibus. Mechanicis conducit ad varia paranda inſtrumenta, & utenſilia, ut ſunt patinæ, manubria enſium, globuli, aliaque.*

(*Marg.*) CAP. C.

Kermes Tinctura.

℞. *Granorum Kermes.* ℥. ß.
His affunde
Sp. Vini rect. ℥. iv.

Digere per dies, & noct iij. Tum decanta, & relictis granis, novum Spir. Vini affunde, & ſic continua, donec omnem Tincturam extraxeris. Tum illas conjunge, & ferva uſui.

Vires. *Potenter adſtringit. Pleriſque Medicis pro cardiaco & ſtomachico eſt. Inſervit tingendis Julapiis cardiacis, & ſtomachicis.*

CAP.

CAP. CI. *(Margr.)*

Laccæ Gummi Essentia.

℞. *Gummi Lacca in pulverem redact.* ℥, j.

Ei affunde in vitrea lagenula tantum liquoris Nitri fixi, sive de Alkahest Glawberi q. s., ut bene madefiat. Digeratur simul per aliquot horas in arena. Tum affundatur Alcohol Vini ad aliquot transversf. digit. supereminentiam. Digeratur iterum per hor. j. Tum inclinato vitro decanta Tincturam, cavendo, ne simul Alkahest effluat, quod suo colore turbido ab Alcohol Vini facilè distinguitur. Tinctura servetur usui.

Relicto verò Gummi novum Alcohol affundatur, continueturque hoc tam diu, donec Alcohol non ampliùs tingatur à Lacca, sed colore albo remaneat. Sic enim Tinctura omnis ex Lacca erit extracta, relinqueturque nihil præter fæces, & Alkahest, quod cum Alcol Vini junctum semper imum petit, nec unquam accuratè illi admiscetur. Oportet autem Alcohol Vini esse genuinum. Nam Sp. Vini simpliciter rect. cùm Alkahest facillimè confunditur, atque tum Tinctura impura evadit, saporemque Alkahest reddit, quod fieri minimè debet.

Vires. *Tinctura Laccæ imprimis laudatur in scorbuto; nam peculiarem vim possidet penetrandi, & aperiendi, habetque insignem acrimoniam, & amarorem, quæ sine dubio naturam Alkali alicujus præ se ferunt. Ab Angelo Sala hæc Tinctura etiam præparatur cum alumine, & commendatur ad ulcera scorbutica oris, dentesque vacillantes roborandos.*

Dos. *Essentiæ est gutt. v. vel vj.*

CAP. CII. *(Margr.)*

Levistici Spiritus.

℞. *Herbæ Levistici recentis, fasciculum* I.

Concide ac contunde minutissimè, & cum manipulo salis communis repone in vase fictili, aut ligneo, claudendo non nimis accuratè, ne fermentatio impediatur. Repone per mensem, donec incipiat spirare acidum: tum peracta erit putrefactio, sive fermentatio. Destilletur tum per B. M. cum vino, aut aq. pura. Quod prodiit, rectifica. Sic habebitur Spiritus Levistici penetrans, & subtilis.

Vires *Calefacit, & siccat, attenuat, aperit, est uterinus, stomachicus, cephalicus.*

Dos. *est* ʒ. j *ad* ʒ. ij.

(*Marg.*) CAP. CIII.

Liquorum Coagulatio per Sal mirabile Glauwberi.

℞. *Chrystallorum Salis mirabilis Glawberi oblongorum, non corrosivorum, sed dulcium, qui in superficie tantùm excrescunt* q. s.

Imponantur chartæ puræ, quæ ponatur super arenâ tepidâ, sive possidente ignem primi gradûs. Relinquantur ibi, donec cadant in pulverem, nec concrescant: si fortè concerverint, terantur iterum, relinquanturque tantillum, donec in pulverem abeant.

℞. *Hujus pulveris partem* j. *cui adde in vitro*
Aq. comm., *aut Vini*, *aut Cerevisiæ*, *aut aceti.*
℥. iij.

Misce, & aliquandiu agita. Tum reponatur vitrum ad quietem per horas. iij, & totus liquor Sale mirabili coagulabitur in massam glaciei instar, quæ in vitro clauso aliquandiu conservari potest.

Usus. *Experimentum, & curiositas est, producendi glaciem tempore æstivo. Deinde docet, humores incrassari per salia. Plura videantur de hoc sale apud ipsum Glawberum.*

(*Margr.*) CAP. CIV.

Loricatio Retortarum (vel Lorica pro muniendis vitris)

℞. *Vitri minutissimè pulverizati.*
Fragmentorum Crucibulorum (aut Retortarum terrearum) pulverizatorum. ana m. j.
Luti figulini pulverizati m. ij.
Aq. puræ. q. s.

Misce, ut fiat Lutum tenax, nec nimis crassum, nec nimis molle. Hoc Lutum inducito Retortæ vitreæ, priùs madefactæ, ad digiti transversi crassitiem, & sinito, vel in aëre calido, vel ad ignem, lentè (ne rimas contrahat.) siccari, &, si quæ rimæ factæ fuerint, eas novo luto claude. Sic habebitur Retorta Loricata, quæ summæ ignis (& præcipuè incidentis frigoris) potentiæ resistere possit.

Usus. *Defendit vitra à frigore ambiente, ut & ab humiditate adscititia ignis, ne facile rumpantur.*

CAP. CV. (*Marg.*)

Lumbricorum Terrestrium Spiritus, seu Aqua,

℞. *Lumbricos Terrestres n.* XL.

Abluantur, aut infundantur per 24. hor. aquâ purâ, vivi adhuc. Sic deponent fæces, & terram, ad fundum, evadentque puri. Tum injiciantur vivi, sine ulla additione, in phiolam oblongam, in eaque clausa relinquantur per dies XL., vel donec in aquam turbidam abierint maximè fætentem. Huic aquæ, in cucurbitam ingestæ, admisce,

Cinerum cribratorum q. s. ut fiat massa mediæ consistentiæ.

Tum destilla in arena ad siccitatem usque, & prodibit spir. urinosus, & planè oleosus, qui cum Spir. Salis comm. prompte effervescit, & in tincturam rubram abit. Unde deprehenditur constare copioso alcali volatili, & sulphure volatili, quod & odor urinosus & sulphureus, demonstrant.

Vires. *Laudatur in educendâ aquâ hydropicorum. Aliàs potest præstare eadem, quæ alia salia volatilia præstant, nisi quòd sit spiritus potiùs, quàm sal volatile oleosum, appellandus.*

CAP. CVI. (*Margr.*)

Lunæ amalgamatio.

℞. *Scobis Lunaris.* ℥j.

Ei adde

Argenti vivi q. s.

Ut abeat in massam mollem, quæ dicitur *Amalgama Lunæ.*

Potest etiam fieri cum lamellis, sicut in amalgamatione Solis dicetur, (*vide processum sub hoc tit.*) Mercurius separatur evaporando. Sic in fundo relinquitur calx, quæ quærebatur.

Usus *est inservire depurationi Lunæ, tum etiam deargentationi.*

CAP. CVII. (*Marg.*)

Lunæ calcinatio immersiva.

℞. *Lunæ puræ, vel impuræ,* ℥β.

Ei (*a*) affunde (*b*)

a In vitro capaci.

b Per vices, ne nimiâ effervescentiâ, quæ calore summo & elevatione vaporum rubrorum, à quibus diligenter cavendum, absolvitur, Artifici quid incommodi vel detrimenti contingat.

Aq. fortis. ℥iij.

Pone per noct. in digestionem, donec tota Luna ab Aqua forti sit consumpta, nec quicquam in fundo conspiciatur, ni fortè aurum fuerit admixtum; hoc enim fundum petit. Si alia metalla conjuncta fuerint, solvuntur illa quoque ab Aqua forti. Si Luna pura fuerit, solutio erit alba. Si verò cuprum admixtum fuerit, erit viridis. Hanc solutionem *(a)* in vitro evaporatorio evapora ad siccitatem usque, & in fundo relinquetur Calx Lunæ. *(b)* Vel, si placet servare Aquam fortem, destilla ex retortâ vitrea ad siccitatem, & recuperabitur Aqua fortis in recipiente. Calx verò Lunæ relinquetur in fundo retortæ, quæ servetur usui.

Usus. *Inservit parandæ tincturæ Lunæ, ut & depurationi Lunæ ab adjunctis aliis metallis, scil. cupro, stanno, plumbo. Cuprum separari potest à calce reverberatâ cum aquâ regiâ: stannum, & plumbum verò, cum spiritu aceti. Sic acquiretur Calx purissima Lunæ.*

(Maets.) CAP. CVIII.

Lunæ hydragogæ Angeli Salæ præparatio facillima (vel Specifici ad aquas in Hydrope educendas.)

℞. *Lunæ cupellatæ q. p.*,

Eique affundito

Sp. Nitri duplum vel triplum.

Collocato in digestione tepida, quousque Sp. Nitri Lunam dissolverit. Solutionem ad *(c)* medietatem evaporato, & loco quieto committito. Ita concrescunt Chrystalli Lunares, quas à superfluâ humiditate separa, & leni calore exicca. Superfluum autem humorem de novo ad medietatem evapora, & procede, ut priùs. Ita obtinebis omnes Chrystallos Lunares in spir. Nitri solutas. Has Chrystallos de novo resolvito in rore Majali, vel aq. pluviali destillatâ (digerendo per xxiv. hor., ut fæces, si quæ sint, subsideant) *(d)* Solutionem filtrato, & ad medietatem evaporato. Ita de novo concrescent Chrystalli Lunares, *(e)* quas exic-

a Fellis instar amarissimam.
b Quæ a quibusdam pro lapide infernali adhibetur.
c Cuticulæ apparentiam.
d Huic solutioni quidam addunt sal. prunellæ tantum, quantum ponderaverit Argentum, eum in finem, ut maxima ex parte corrosivum Chrystallorum infringatur.
e Sive vitriolum Lunæ quibusdam dictum.

exicca, ut dictum priùs, & usui reserva. (a) Sic obtinebis medicamentum anti-hydropicum specificum & indubitatum.

Nota bene, quod Luna curiosè ab omni Venere debeat esse depurata; secus enim vomitus violentos excitare solet.

Dos. *à gr. ij. ad vj. in haustu vini calidi, vel spir. vini., vel aq. cinnamomi, vel similibus convenientibus vehiculis.*

Nota, *quòd in forti eductione aquarum hydropici viscera sunt corroboranda, quod imprimis essentia baccarum juniperi, cum proprio spiritu extracta, & cum guttulis aliquot spiritûs Salis acidula facta, præstat. Convenit hic etiam Elixir Paracelsi cum spiritu salis dulcificato.*

Lapis infernalis, seu Causticum perpetuum. Nota.

℞. *Solution. Lunæ. q. v.*

Hanc evapora in vitro ad consumtionem partis dimidiæ, reliqua massa per vices crucibulo capaciori, (ne materia igne intumescens, ferreo instrumento deprimenda, extra crucibulum effluat) committatur, inque eo detineatur, donec in fluidum olei instar, abeat, quod in canalem ferreum effunde. Hæc massa, si nigerrima & compacta sit, in vitro optimè clauso servari debet; si non compacta & nigra satis, iterum in crucibulo liquefacienda, ut ante, donec ad prædictam consistentiam perducta sit.

Vires. *Inservit absumendis carnosis excrescentiis.*

Lunæ Tinctura. Nota.

℞. *Limatur. Lunæ,*
Sal. vol. Urin. vel Salis Ammon. vel C. C. ana q. v.

Indantur vitro, inque eo optime clauso detineantur, donec massa cœrulea sit facta: huic massæ adfunde Spir. Vin. tartarif. q. s. Digerantur in vitro optime clauso, donec sufficientem extraxerit liquor Tincturam. Vel

℞. *Limaturæ Lunæ q. v.*

Huic adfunde Spir. Sal. Ammon. vel Corn. Cerv. vel Urin. q. s. Fiat, ut supra, Tinctura.

Vel. ℞. *Limatur. Lun. q. v.*
Mercur. sublimat.

Indantur stratum super stratum crucibulo, in igne detinendo, donec, Mercurio sensim avolante, materia relinquatur instar alicujus resinæ, cui,

a In vitro optimé clauso, ne ab aeris humido in liquorem abeat.

cui, in pulverem redactæ, adfunde Spir. Urin. vel. Sal. Ammon., vel C. C., & fiat, ut antea, Tinctura.

Vel. ℞. *Solution. Lunæ*,

Huic adfunde muriam q. s. ad Lunam præcipitandam in pulverem albicantissimum, multoties aqua pura edulcorandum.

℞. *Hujus Pulveris*,
Sal. vol. cujusvis. ana ℥ß.
Spir. Vin., sal. tartar. præcipitat. & rect., ℥x.

Fiat Tinctura, ut ante.

Nota 1. Omnis hæc Tinctura non ab Argento, sed a cupro, Argento permixto, dependet: nam, quo magis depurata, & a Venere liberata sit Luna, eo minorem præbet Tincturam.

2. Massa relicta post extractionem reduci potest in Argentum.

Vires. *Pro summo habetur deobstruente. Convenit in epilepsia, apoplexia, paralysi &c.*

Dosis *est a gutt.* ij. *quotidie addendo gutt.* j. *vel* ij. *& adscendendo, donec nauseam excitare incipit, tum iterum eodem modo descendendum est ad gutt.* ij.

(*Maets.*) CAP. CIX.

Lunæ Musicæ præparatio.

℞. *Stanni optimi.* ℥jß.

Committatur crucibulo forti, & præcise, ubi fusionem minatur, adde
Marcasitæ Lunaris ℥jß.

Misce inter se rudiculâ ferreâ. Tunc exime crucibulum ex igne, & refrigeretur paululum, quibus tunc adde
Mercurii, super igne excalefacti, donec crepitus emittat, ℥vj.

Effundantur in lapidem frigidum. Postmodum in porphyrite redigantur in alcohol.

(*Margr.*) CAP. CX.

Lutum ad rimas & juncturas vitrorum, pro spiritibus acidis, Sapientiæ dictum.

℞. *Cap. mortui Vitrioli probè exiccati, & edulcorati,*

Cal-

Calcis vivæ. ana q. ſ.

Miſceantur exactè, & ſubigantur, cum pauxillo albuminis ovi conquaſſati, ut habeatur Lutum mediæ conſiſtentiæ inter craſſitiem, & tenuitatem (ceræ inſtar,) quod ſtatim inducatur recens juncturis (quas accuratè claudit, nec quidquam vaporis acidi (ut in deſtillatione ſpir. nitr.) tranſire poſſit,) vaſorum; nam exiccatum nil valet. Quando jam in juncturis exiccatum eſt, eaſque optimè clauſerit, poterit tum ſuperinduci charta duplicata cum amylo. Sic juncturæ poterunt omni injuriæ reſiſtere.

Uſus. *Inſervit imprimis muniendis juncturis retortarum cum recipientibus in deſtillatione ſpirituum acidorum mineralium. Munit etiam rupturas, ſive rimas, vitrorum: ſi nempe hoc inductum poſtea tegatur chartâ cum amylo.*

C A P. C X I. (*Marg.*)

Macis Tinctura, ſive Eſſentia. (*a*)

℞. *Macis, craſſo modo pulverizati, ſive conquaſſati,* ℥ij.
Liquoris Nitri fixi, ſive Alkaheſt Glawberi, q. ſ. ut commodè madefiat.

Indantur ſimul vitro, inſtituaturque digeſtio per noct. j. ita, ut phlegma ex Alkaheſt in totum exhalet. Tum affunde Spir. Vin. rectificatiſſ. q. ſ., inſtituaturque, vaſe accuratè clauſo, digeſtio per d., & noct. Sic extrahetur Tinctura rubicundiſſima, quæ leniter decantata, & filtrata per pannum, ſervetur uſui.

NN Vi-

a Oleum Macis.

℞. Mac. ℔j.
Spir. Sal. comm. ℥j.
Aq. comm. q. ſ.

Macerentur ſimul per xiv. dies, dein in retorta magna vitrea ex arena deſtilla: ſic limpidum & tenue prodit Oleum, inſtar ſpir. tereb., quod ab aqua ſeparandum. Fæces, in retorta reſiduas, calide per prelum exprime, ſic nanciſceris Oleum craſſum, expreſſum dictum, quod ab aqua tincta eximi, & in unam maſſam mediante calore fundi poteſt.

Nota 1. Peragitur operatio in retorta, ne multum Olei, lateribus vaſorum utplurimum adhærentis, deperdatur, nec vas a Spir. Salis corrodatur, hinc Oleum reſtans in vaſe colorem peregrinum ſibi contrahat.

2. Fæcibus ſi ſuperfundatur ſp. vin. rect., ex iis extrahitur, quicquid boni remanſerit.

Vires. *Calefacit, & ficcat. Eſt cardiaca, ſtomachica, atque uterina.*
Doſ. *eſt aliquot guttarum.*
Si libet, poteſt acui Spiritu Salis Ammoniaci. Tum enim Spir. Sal. Ammon. gratum odorem, & colorem, conciliabit.

(*Margr.*) CAP. CXII.

Martis ſolutio.

℞. *Limatur. Martis.* ℥ij.
Ei, in vitro contentæ oblongo, affunde guttatim
Aq. fortis q. ſ.
Donec nil amplius efferveſcat, ſed omnia evadunt liquida; obſervabiturque cum inſigni calore ſtrepitus, ſpuma, particularum effluvium; magna materiæ attenuatio, & rarefactio, quæ efferveſcentiæ ſolent eſſe adjuncta. Hoc modo Mars in ſubſtantiam fluidam redigetur, quæ vulgò dicitur *ſolutio*, ſive *præcipitatio*, ſive *calcinatio immerſiva Martis.* Hæc ſolutio per noct. digeretur: tum in vitro evaporatorio evaporatur ad ſiccitatem uſque. Ita coagulatur evaporando in pulverem rubicundum, qui reverberatus (in crucibulo rubicundiſſimus & inſipidus evadens) vulgò dicitur *Crocus Martis* (*Aperitivus*,) eſtque ipſa calx Martis, nempe ſpecies Chymica, quæ quærebatur.
(Vires. *Inſtar alicujus alcali, acidum abſorbendo, obſtructiones aperit, unde & vulgò* Crocus Aperitivus *dicitur. Medetur ſcorbuto, ictero, aliis cachexiis.*
Doſ. *intra corpus eſt* ℈j. *ad* ʒß.

(*Margr.*) CAP. CXIII.

Martis calcis reverberatio.

Reverberatio eſt calcinatio metallorum per ignem flammæ ſeq. modo:
℞. *Calcem Mercurii, vel Martis.*
Utramque exiccatam impone crucibulo mundo, quod repone intra carbones bene accenſos, ut flamma pertingat in crucibulum. Retine paululiſper, donec (corroſivis ſpiritibus fugatis) non ampliùs fument, diligenter movendo ſtylo ferreo, donec peracta ſit operatio (tum aufer, &

& calcem refrigeratam redige in pulverem subtilissimum, levissimum, rubicundissimum & insipidum, diciturque vulgo Crocus Martis Aperitivus, de quo superiori capite dictum est.)

Usus *hujus reverberationis est, corpora rarefacere, attenuare, depurare, figere, colorem conciliare.*

CAP. CXIV. (*Maets.*)

Martis Croci Aperientis, & adstringentis præparatio.

℞. *Frustum Martis, quod in igne bene excandescat,*

Hoc admove magdaleoni Sulphuris, & Mars guttatim in frigidam subjectam destillabit. Has guttas lava, & in pulverem contere, & obtinebis *Crocum Martis aperitivum.*

Alio modo. (Maets.)

℞. *Limatur. Martis part. j.*
Sulphuris, part. iij.

Bene inter sese conterantur, & in cochleari terreo Sulphur accendatur. Dum Sulpur deflagrat, continuò Chalybs moveatur spatulâ ferreâ. Ita enim, per deflagrationem Sulphuris, calcinabitur Mars in pulverem rubicundum.

Alio modo. (Maets.)

℞. *Vitrioli Martis cum Oleo Vitrioli præparati q. p.*

Calcina leni primò igne, secundò vehementiori, super laminam ferream, vel in patinâ terreâ plani fundi, quòusque desinat in pulverem rubicundissimum.

Alio modo. (Maets.)

℞. *Aceti destillati fortissimi q. p.*

Hoc committito cucurbitæ vitreæ, in cujus orificio suspendantur laminæ chalybeæ. Cucurbitam cineribus, seu arenæ calidæ, committe; ita vapores aceti destillati, in lamellas Martis incidentes, excitabunt in superficie lamellarum Crocum Martis subtilissimum, quem pede leporino deterge, & usui reserva.

Alio modo. (Maets.)

℞. *Limatur. chalybis q. p.*

Huic affunde

Aquæ fortis q. s. ad solutionem.

Solutionem absque perturbatione fæcum decanta, & ad siccitatem evapora, & super patinam terream, ut priùs, calcina. Ita enim obtinebis Crocum ordinarium brunei coloris, quem si tenuissimum, & purpurei coloris velis, hoc modo procedito, nempe:

℞. *Nitri. v. g.* ℥vj.

Croc. Martis, per Aquam fortem præparat, ut dictum. ℥j.

Fluat Nitrum in crucibulo, eique successivè admisce Crocum tuum Martis, simulque per hor. ß. fluant. Tunc effunde, & per crebras ablutiones Nitrum à Croco Martis separa, quem exicca, & in pulverem tenuem contere. Ita enim obtinebis Crocum Martis tenuissimum, purpurei coloris.

Dosin, & Usum, *vide apud Schroderum.*

(Maets.) *Martis Crocus adstringens.*

℞. *Limatur. Martis tenuiss. q. p.*

Hanc crucibulo committe forti, & per vehementem, & continuum ignem, calcinato, donec desinat in pulverem rubicundum.

(Marg.) *Martis Crocus Aperitivus: Processus octavus.*

℞. *Limatur. Mart.* ℥ij.

Aq. fortis, ex Vitrioli calcinati, & Nitri, ana, paratæ, q. s.

Affunde guttatim Aquam fortem in vitrum satis amplum, donec Mars non amplius effervescat cum Aq. forti. Tum repone solutionem in digestionem per d. noct. Quo facto, evaporetur solutio hæc in vitro lato ad siccitatem usque. Quod relinquitur in crucibulo, reverberetur, donec omnis vis corrosiva sit ablata. Quod relinquitur, redigatur in pulverem, qui erit rubicundissimus, si omnia rite peracta fuerint.

Vires. *Est blandum aperitivum, humores à colluvie acidâ repurgans.*

Dos. *à* ℈j. *ad* ʒß.

(Marg.) *Martis Crocus Aperitivus alius: Processus nonus.*

℞. *Baculum Ferreum.*

Repone in carbones bene accensos. Quando optimè erit ignitus, tum co-

affrica illi ſuper ſitulâ, repletâ aquâ purâ, magdaleonem Sulphuris. Sic Mars ignitus à Sulphure corrodetur, unàque cum eo deſcendet in aquam colore nigro, Sulphuri conjunctus inſtar funiculorum complicatus, quem ex aqua remotum repones per d. j. vel ij, ut exiccetur ſponte ſuâ, qui redactus in pulverem ſervandus uſui eſt, unà cum Sulphure ſcilicet, quod auferendum non eſt.

Vires. *Habet aperitivas, ingrediturque pulveres cachecticos apud Hartman. alioſque Practicos.*

Doſ. *eſt à* ℈. ß. *ad* ℈. j.

Martis Crocus Obſtructivus: (Margr.)
Proceſſus decimus.

℞. *Nitri puriſſim. pulverizat.* ℥. j.

Fluat in crucibulo ſuper carbonibus bene accenſis. Fluenti adde

Limatur. Martis puriſſimæ, q. poteſt capere.

Relinque in igne, & brevi fulminabit. Relinque adhuc paululum. Tum aufer, & pulverem aquâ ferventi edulcora, aquamque ſtatim decanta. Sic limatura Martis manebit in fundo. Aquam turbidam repone ad quietem per d., & noct., & colligetur in fundo pulvis rubicundus leviſſimus, qui exiccandus eſt, cujus ʒj. implet totam manum.

Vires. *Habet vires obſtructivas. ſ. adſtringendi in diverſis hæmorrhagiis, & aliis fluxibus, quod ſine dubio præſtat beneficio ſuæ terræ, in quam redactus eſſe videtur.*

Doſ. *eſt* ʒ. ß. *ad* ʒ. j.

CAP. CXV. *(Maets.)*
Martis Croci Aperitivi formula.

℞. *Gumm. Ammoniaci.* ℥. ij.
Myrrh. rubr. ℥. j.
Croci Martis aperitiv. ʒ. ß.

Fiant cum ſ. q. Elixiris Paracelſi pil. n. LX.

Doſ. *à pil.* iij. *ad* v.

CAP. CXVI. *(Maets.)*
Martis præparatio ſpecifica ad Obſtructiones.

℞. *Limatur. Martis, q. p.*

Hanc in mortario ferreo in pulverem tenuissimum contunde, & per cribrum angustum trajice:

℞. *Pulveris hujus.* ℥. j.
Sacchar. finiss. ℥. ß.
Macis. ʒij.

Redigantur in pulverem tenuem.

Dos. *quantum cuspide cultri contineri potest.*

(*Maets.*) CAP. CXVII.

Præparatio Specifici Adstringentis ex Marte.

♃. *Limatur. Martis* q.p.

Huic affunde

Spir. Salis ad eminentiam digitor. transv. iij. *vel* iv.

Stent in leni digestione, donec Spiritus Salis efferbuerit cum limatura Martis, ac dulcis factus fuerit. Sp. Salis decanta, & filtra, & ad remanentiam dimidii evapora. Huic adde

Sacchari Saturni æquale pondus.

Committantur retortæ vitreæ, & per lenem destillationem (secus enim facile ebullit, & tota massa in vas recipiens decurrit) liquorem ad totalem massæ rubicundæ siccitatem aufer, quam massam exime, &, ne humescat, ab aëre defende.

Vires. *Exhibetur in omnibus hæmorrhagiis, ut narium, vulnerum, internè, & externè: in omnibus profluviis, ut diarrhæa, dysenteriâ, fluxu hepatico; & in genere specificum est adstringens, quod sine ullâ corrosione, & loco omnium adstringentium exhiberi poterit.*

Dos. *à gr.* iv. *ad* xij.

(*Marg.*) CAP. CXVIII.

Martis *Tinctura.*

♃. *Scoriarum Martis, sive carbonum illorum, quibus usi sunt fabri ferrarii (quasque abjicere solent,) modò deprehendantur aliquid Martis in se continere (si videntur non satis esse combusta, apponantur follibus per hor.* j. *vel* ij., *ut Mars iis adhærens eo melius calcinetur. Hæ scoriæ, ex carbone & Marte conflata sunt)* q.p.

Redi

Redigantur in pulverem, cui (in cucurbita) affundatur Acetum destillatum (Spir. Acet. f.q.). Fiat digestio in vitro clauso per d. & n. xiv. vel donec Spiritus Aceti sanguineum colorem contraxerit. Tum decanta (leniter) à scoriis, & repone vitrum per noct. ad quietem. Decanta iterum (leniter à fæcibus, ad fundum depositis,) & Tinctura habebitur (rubicundissima, purissima) pellucida, & liberata ab omnibus fæcibus.

Vires. *Quamvis à nonnullis dicatur aperire, gustata tamen manifestam adstrictionem præ se fert. (& adstringentium vim possidet.) Conducit ergo humorum fluxionibus, & eorum acrimoniæ, ac tenuitati, compescendæ. (In sputo sanguinis, in profluvio uteri, & alvi, diarrhœa & dysenteria). Facile redigitur cum sacchâro tabulato in syrupum.*

Dos. *est à* (℈j.) *ad* ℈ij. *adscendendo ad* ℥ß.

Martis Tinctura simplicissima: (Margr.)
Processus secundus.

℞. *Limatur. Martis. f. Chalybis purissim.* ℥. ij.
Spir. Aceti. ℥. iij.

Inde cucurbitæ vitreæ, quam repone in arena, ac digere, per d. & n., urgendo ignem ad secund.. & tert. gradum, & spatio diei j. extrahes Tincturam rubicundissimam, quam filtra per chartam, & serva.

Vires. *Temperat acrimoniam acidam, humores fundit, obstructiones reserat, alvum stimulat, unde in omnibus cachexiis conducit, imprimis in fluore muliebri, mensium fluxionibus, ictero, scorbuto.*

Dos. *sunt gutt.* vj. *vel* viij. *per se, aut in cerevisia, aut vino.*

CAP. CXIX. (*Margr.*)

Martis Essentia.

℞. *Præcedentis Tincturæ (id est processu secundo paratæ, cui titulus* Tinctura Martis simplicissima*) q. s.*

Redige eam cum Sacchari f. q. ad consistentiam syrupi, qui condiri potest gutt. j. vel. ij. Ol. Cinnamomi, aut Gariophyllor. aut Nucis moscatæ.

Vires *easdem habet cum tinctura, potestque per se accipi ex cochleari.*

Dos. *cochl.* ß.

CAP.

(*Maets.*) CAP. CXX.

Martis Flores.

℞. *Batituræ Martis,*
Sal. Ammon. minutissime pulv. ana ℥. iv.

Misce, *(a)* & ex cucurbitâ terreâ. in igne aperto, applicato capitello vitreo *(b)* sublima, quamdiu aliquid adscendet. Sic Mars volatilizabitur & cum Sale Ammon. adscendet colore rubro & flavo, qui vulgò dicuntur *Flores Salis Ammoniaci Martiales.*

Vires. *Insigniter attenuant, incidunt, aperiunt, unde commodè exhibentur in febribus, in asthmate, aliisque chronicis morbis.*

Dos. *est* ℈. ß. *ad gr.* xv-

(*Margr.*) CAP. CXXI.

Martis Regulus.

℞. (*Limatur.*) *Martis optimi* (*Chalyb.*) *qualia sunt fragmenta ensium, clavorum, quibus equis soleæ affiguntur, cultrorum, (acuum,)* ℥. iv.

Igniatur hic super igne potenti in crucibulo satis valido (per quadrantem hor.) Marte ignito addantur
Antimonii pulverizati ℥ viij.

Relinquantur simul in crucibulo (latere) clauso, per hor. ß. vel donec Mars cum Antimonio in unum liquorem redactus sit. Injiciatur tum per vices aliquid Nitri pulverizati ad ℥. ß. ita, ut tota massa fluat instar aquæ. Quo facto, removeatur crucibulum ignitum ex igne, sinaturque (eodem modo, ut in Regulo Antimon. dictum, continuo nempe pulsando) refrigerari. Refrigeratum, fractumque crucibulum exhibebit in fun-

Fiunt etiam ex his Tincturis liquores chalybeati Aperientes, vinum sc. & cerevisia, si ad pint. j. admisceatur ʒj. Tincturæ.

(*a*) & antequam sublimationi traduntur, committatur loco humidiori, ut salia aliquo modo soluta agant in partes ferreas, easque dividant: unde postea Flores obtinentur multo elegantiores.

(*b*) cum ejusdem naturæ recipiente, quod Spir. Sal. Ammon. super Martem concentratum, excipere potest.

fundo (massam albam & metallicam, Reguli Antim. instar) Regulum Martis (Antimonii Martialem, quoniam ex Antimon. & Marte conflatus) in parte verò superiori hærebunt scoriæ Regulinæ. Debet autem Regulus hic in pulverem redigi, & in crucibulo puro iterum fundi; quod parvo igne perficitur. Sic purior, & pulchrior evadet; imprimis, si in fine pauxillum Nitri adjiciatur.

Usus. *Inservit (Chymicis) imprimis parando butyro Martiali, & inde Bezoardico Martiali. Chymici quoque multa arcana in hoc Regulo quærunt, utunturque eo pro augmentando Sole, & Luna, pro coagulando Mercurio, aliisque inde concinnandis (quo vero successu ipsi viderint. Est enim in totum pulverisabilis & volatilis, adeò, ut demum in fumum exhalet, si sæpius fundatur. Per se non sumitur intra corpus.)*

CAP. CXXII. *(Maets.)*

Martis potabilis præparatio.

℞. *Limatur. Martis tenuissimè trit.*
Tartar. Rhenan. albissim. crud. an. q. p.
Aq. pluvial. filtrat. q. s.

Ut inde formari queant globuli, quos globulos in Sole exiccato, & in clibano unà cum panibus excoquito. De novo in pulverem conterito, & cum s. q. aq. pluv., ut priùs, globulos formato, iterumque in clibano excoquito, hanc operationem repetendo, quousque Martem in quovis liquore solubilem experiaris. In aq. pluv. cochleatim datur.

Dos. *à gr.* vj. *ad gr.* xvj. *&* ℈j.

Alio modo.

℞. *Limatur. Martis purissim. pt.* j.
Flor. Sulphur. pt. ij.

Terantur simul, iisque affunde
Aq. pluv. s. q. ad formam pultis.

Stent in digestione tepida per hor. xij. Quibus exactis affunde
Aq. pluv. ad eminentiam digitor. transversor. iij. iv.

Coquantur simul, donec tinctura flavescens extracta sit, quam decanta, & filtra, illamque ad quartæ partis remanentiam inspissato: Ita enim post dies aliquot intensam acquiret rubedinem.

Simplicissimo autem modo si Martem exhibere volueris in obstru-

ctionibus quibusvis corporis nostri solvendis, præsertim verò in solvendis menstruis, fermentisque acido austeris peregrinis enecandis, præcedentem præparationem specificum ad obstructiones cap. 238. videto.

(Margr.) CAP. CXXIII.

Menthæ Aq. & oleum.

℞. *Menthæ exiccatæ fasciculos.* ij. *aut* ij.

Concisam infunde in vesica cuprea cum s. q. aquæ puræ per hor. xxiv. Tum applicato capitello stanneo, & vase refrigeratorio, fiat destillatio per horam j. vel ij., donec abstractæ fuerint Aquæ, fortè, ℔x. vel. xij., colligendo primam Aquam ad aliquot libras seorsim. In illa enim potissima pars Olei innatat. Effunde hanc Aquam in vitrum lati orificii, & post aliquot horas cochleari stanneo Oleum detrahe, & per tritorium, s. separatorium à substantia aquæ separa. Sic plus habebitur Olei, quod aliàs lateribus recipientis, aut separatorii adhærescit. Sic tota Aqua per separatorium trajiciatur. Servetur Oleum seorsim, & simul Aqua peculiaribus vitris.

Vires. *Et aqua, & Oleum, calefacit, siccat, attenuat. Sunt stomachica, cephalica, sed Oleum longè potentius est, unde balsamis corroborantibus, & Eleo-saccharis stomachicis, adprimè conducit.*

Dos. *Olei est ad gutt.* j. *vel* ij.

Aquæ ab ℥ß. *ad* ℥j.

(Marg.) CAP. CXXIV.

Mercurii Calcinatio immersiva, sive solutio & præcipitatio.

Præcipitatio metallorum, sive calcinatio immersiva, est calcinatio metallorum, & lapidum per aliquem spir. acidum, & non raro vegetabilium & animalium. Hæc perficitur seq. modo:

℞. *Mercurii crudi, non adulterati,* ℥j.

Aquæ fortis, paratæ ex Vitrioli calcinati, & Nitri puri, ana, ℥ij.

Misceantur in cucurbita parva vitrea, reponanturque per noctem in digestione, vel donec totus Mercurius sit solutus, nec quicquam in fundo conspiciatur superesse, sed totus appareat sacchari instar albus, habe-

bebisque solutionem Mercurii ritè absolutam. Hujus solutionis recipe partem j., eamque instilla muriæ, ex aq. pura, & sale communi factæ, (quantum scilicet salis aqua capere potest) & solutio Mercurii, instar lactis, præcipitabitur in muriam. Reponatur vitrum (per hor. j., ut pulvis albus ad fundum subsideat) ad quietem, donec aqua evaserit limpida. Hanc tum decanta, &, affusâ aquâ purâ, coagulum album aliquoties edulcora, donec tandem aqua manserit insipida (nempe talis, qualis fuerat affusa; tum enim judicatur, quod Calx Mercurii satis edulcorata sit.) Tum filta per chartam, & relinquetur in charta coagulum album, quod (leniter) exiccabitur super arena in pulverem album. Hic est ipsa Calx Mercurii, dicta vulgò *Mercurius Præcipitatus albus*, & *Mercurius Cosmeticus.*

Reliquam partem solutionis (in retorta destilla, vel) in vitro evaporatorio (aquam fortem) ad siccitatem, & relinquetur in fundo (Calx) materia (massa) alba (ex albo subflava) valde corrosiva, quæ (pulverisata) in crucibulo (puro super carbonibus bene accensis leviter reverberata, ut acquirat corallinum colorem, sæpius vertendo stylo) valde (ne tamen nimis diu & in nimis forti igne teneatur, ne in totum avolet pulvis) reverberata, rubicundum (rubicundissimum) colorem adsciscit, vocaturque vulgò *Mercurius præcipitatus ruber*, & absolutè *Præcipitatum* in pharmacopolio (aqua plantaginis edulcorandum) estque ipsa Calx Mercurii.

Vires & Usus. *Frequentissimè, aq. plantaginis edulcoratum, externi usus esse solet, habetque vim cathæreticam, id est, auferendi excrescentias carnosas: quas blandè, & sine dolore corrodit, unde fistulis, pustulis & aliis defœdationibus conducit, si pulvis emplastro alicui inspergatur, & applicetur, vel cum aq. plantaginis per syringam injiciatur.*

Interni usus rarioris est, & non nisi à quibusdam Chirurgis, qui, huic pulveri superfundendo spir. Vin. rect., eumque iterum per destillationem aut incendium abstrahendo, pulverem edulcoratum reddunt, in parva quantitate ad luem Veneream purgandam, in quo casu plurimis instar panaceæ est, adhibetur.

Dos. *Externè pro re nata.*

Internè ad gr. iv. *ad* vj. *ad summum.*

Ex hoc etiam præcipitato, qui & pulvis Vigonis dicitur (fuit Vigo Italiæ Chirurgus nobilis) Chimici conantur parare suum Aurum Horizontale, cujus processus extat in Paracelso & Helmontio, nempe, sæpius super eo destillando aquam regiam, & postea edulcorando cum al-

alcohol Vin. Hoc modo credunt, Mercurium nancisci fixitatem, ut possit fundi auri instar, sed experti deprehenderunt fallaciam processus & successus, quem tamen tantopere laudavit Paracelsus, & laudibus extulit, Helmontius. Si vero Mercurii solutio præcipitatur in urinam recentem, & postea eodem modo edulcoratur, remanet pulvis, qui vocatur Mercurius præcipitatus incarnatus.

Si solutioni Mercurii addatur pauxillum cupri, & solutio evaporetur, & postea cum spir. Aceti extrahatur, iterumque coaguletur, habibitur Mercurius præcipitatus viridis, vulgo Lacerta viridis dictus. Laudatur in gonorrhæa, sed tamen parum tuti usus est medicamentum.

Vires præcipitati albi incarnati *sunt, vomitum & secessum movere, conducere in affectibus pituitosis, & imprimis in lue Venerea.*

Dos. *à gr.* iv. *ad* vj. *ad summum.*

(Maets *Mercurii Præcipit. Albi præparatio:*

℞. *Mercurii crudi (non adulterati, & per corium trajecti.* ℥ij.
Aq. fortis (generosæ) ℥iv.

Stent simul (per noct.) quousque Mercurius ab Aqua forti fuerit solutus. Quod si absque igne non succedat, signum est debilioris Aquæ fortis, ac proinde, ut hoc in arena calida perficiatur, ac debilitati Aquæ fortis subveniatur, ratio postulat.

℞. *Hujus solutionis p.* ß.

Ei successivè affunde muriam fortissimam (q. s. ad totalem præcipitationem.) Ita enim turbabitur solutio Mercurii, & præcipitabitur in pulverem lactei coloris, qui ubi ad fundum concidet, liquorem supernatantem sine perturbatione pulveris, quantum fieri potest, decanta, pluviamque puram de novo affunde, & procede, ut priùs, hocque continua, donec nullam acrimoniam in pluvia animadverteris. Præcipitatum tuum inter chartas emporeticas complicatas leni igne exiccato; nam vehementiore calore facile flavescit (hic pulvis est ipsa Calx Mercur. dicta vulgò Mercurius Præcipitatus Albus & Cosmeticus.)

Vires & Usus. *Raro interiùs exhibetur Præcipitatum hoc Mercuriale, (licet quibusdam circumforaneis in usu sit, quibus, de corio humano petulanter ludere, religio non est) & non nisi summâ cum prudentiâ, (movet enim vomitum & secessum: conducit in affectibus pituitosis.) In inveterata lue Venerea, in febri quartana, in hydrope, &, in genere, in pertinacissimis corporis humani obstructionibus adhibetur, tuncque mixtum cum theriaca, extracto catholico, Mithridatio, vel confectione Hamech, & similibus.*

Dos.

Dos. a gr. iij. ad v. vj.

Exterius applicatur Præcipitatum hoc Mercuriale album in emolliendis tumoribus induratis, præsertim in tophis Venereis, in herpete miliari, & in scabie profundâ curandâ.

Ad Scabiem inveteratam, ut & Herpetem miliarem, sequens Unguentum magnarum est virium:

℞. *Lithargyrii subtilissimè pulverizat, q. p.*

Huic affunde

Aceti destillati ad eminentiam iv. digitor. transversor.

Stent in digestione, donec Acetum destillatum de acrimonia remiserit, quod decanta, & filtra.

℞. *Hujus Aceti.* ℥vj.

Mercur. Præcipit. alb. ℥ij.

Lento igne evaporentur ad siccitatem. Tum

℞. *Pulveris hujus.* ʒj.

Axung. porcin. non salit. ʒj. *M. f. s. a. Unguentum, leniter parti affectæ inungendum. In tophis, & glandulis induratis, pars affecta primò pannis calidis fricetur, postea prædictum unguentum applicetur.*

Ad Tophos Venereos magnarum virium est seq. Empl.

℞. *Mercur. viv. in Aq. fort. solut.* ℥iv.

Axung. porcin. ℥viij.

Contunde simul, & dein in olla terrea concoquito, continuò cum spatulâ ligneâ movendo, donec massam mollem obtinebis: adde

Ceræ flavæ. ℥ij.

Pulv. Mastich.

Oliban. ana ʒvj. *M. f. s. a Emplastr.*

Hoc Emplastrum curat tophos Venereos, quos vel emollit, & dispellit, vel maturat.

Mercurii Præcipitati Rubri præparatio. (Maets.)

℞. *Solutionis reliquam partem.*

Committatur retortæ, (vel vasi vitreo) & leni primo igne (carbone vivo.) liquorem superfluum, ad siccitatem pulveris, auferto. Tunc urge per Vulcanum strenuum, (& undique carbonibus vivis vas obrue) donec omnem vaporem excusseris: Quo animadverso, illico auferto ignem, & massam refrigerare sinito (tunc vas diffringito, & obtinebis Calcem Mercurii rubicundissimam, quam serva. Huic præcipitato ad-

funde pluviam, & per crebras ablutiones, quantum fieri poteſt, edulcorato: Poſtmodum quinquies vel ſexies, Spir. Vin. rect. ſuperincende: Ita enim corroſivum Mercurii Præcipitati Rubri mitigatur, & non tanto cum periculo interius exhiberi poteſt.) Ignem enim ſi ulteriùs continuaveris, expelles ex Mercurio omne ejus corroſivum, portioque Mercurii revivificabitur, ac proinde nec gratus color rubicundus, nec ſcintillæ apparebunt lucidæ.

Vires. *Præcipitatum hoc etiam non niſi rarò interiùs exhibetur: tunc etiam correctum, pro ſudorifero exhibetur in lue Venerea, hydrope, febri quartana, leprâ, & ſcabie profunda, cum theriaca, Mithridatio (conſerva roſarum) confectione de Hyacinthis &c. pro purgante cum extracto catholico, extracto de ſucco roſarum, confectione Hamech.*

Doſ. *a gr.* ij. *ad* v.

Exterius adhibetur in carne luxuriante abſumenda, in pediculis enecandis, & in ulceribus malignis, &c.

(*Maets.*) CAP. CXXV.

Mercurii ad Ptyaliſmum excitandum præparatio.

℞. *Mercur. cum ſaliva extinct. ab* ℥j. *ad* ℥ij.
Ol. Laurin. ℥ß.
Axung. Porcin. non ſalit. ℥ij.
Ceræ. ʒiij.
Styracis liquid.
Florum Sulphur. ana ℈j.
M. f. ſ. a. Unguentum.

Pro delicatis, quibus ſumtus ferendi copia eſt, hoc modo præparari poteſt:

℞. *Axung. Porcin.* ℥iij.
Ol. Lilior.
Laurin.
Rutæ. ana ℥jß.
Terebinth. Venet. ℥iij.
Rubiæ tinctorum. ʒij.
Mercur. viv. ℥iij.
Croci.
Cinnamom. ana ʒj.

Mo-

Moschi.
Ambr. grys. ana gr. iv.

M. f. s. a. Linimentum.

Quo plantæ pedum inungantur, donec salivatio observetur, quæ si hoc modo non procedat, etiam juncturæ pedum inungantur, donec salivatio justa provenerit.

Pro pauperibus simpliciter hoc modo præparari potest:

℞. *Mercur. cum salivâ extinct.* ℥jß.
Ol. Laurin. ℥ij.
Ceræ flavæ. ℥ß.

M. f. Linimentum.

CAP. CXXVI. (*Margr.*)

Mercurii calcium Reverberatio, &c.

Reverberatio est calcinatio mineralium per ignem flammæ, fitque, quando res calcinandæ committuntur ipsi flammæ.

℞. *Calcem Mercurii, vel Martis (ex solutione per aquam fort. facta, & evaporata ad siccitatem.)*

Inde crucibulo puro, & repone intra carbones accensos, ita ut flamma in crucibulum apertum feratur. Relinque sic per exiguum tempus, calcem sæpiùs vertendo stylo, donec spiritus corrosivos deposuerit (& colorem rubicundum acquisiverit) Tum remove, & refrigeratum (aq. plantaginis edulcora, sicca) reserva usui (hoc est Præcipitatum Chirurgis dictum.)

Usus *hujus calcinationis est partim calces depurare, partim exaltare, & attenuare.*

CAP. CXXVII. (*Marg.*)

Turbith minerale.

℞. *Mercurii crudi, & puri* ℥j.
Sp. sive Ol. Vitriol. rectificat. ℥ij.

M. & digere per noct. Tum (abstrahe solutionem) destilla ex retorta vitrea, valido igne, in arena, ad siccitatem usque. Refrigerato furno, & retortâ, aufer retortam ex arena frigida, & abstractum Oleum Vitrioli reaf-

funde

funde illi, quod relictum est; (hoc Chimici cohobare dicunt) fiatque iterum destillatio, sicut antea, ex arena, ad siccitatem usque. Cohoba (*a*) adhuc semel, vel bis (vel absque ulla cohobatione.) Tum accipe massam albissimam, in retorta relictam, redige in pulverem, quem aquâ purâ aliquoties edulcora, & in momento ex pulvere albissimo fiet flavissimus (qui aqua decantata,) siccetur (in pulverem luteum, Turbith minerale dictum, estque nil aliud, quam Mercurius Præcipitatus luteus,) & servetur usui.

Hæc massa si in crucibulo, igne aperto, fundatur, habebis substantiam fixam, quam Poterius elaborat in substantiam auream, ex qua formari possunt annuli, & ulterius in Mercurium fixum elaborari.

Vires. *Purgat per vomitum, & secessum, conducitque morbis imprimis pituitosis.*

Dos. *gr.* vj. *vel* viij.

(Marg.) *Mercurii Fixatio: processus secundus.*

℞. *Solutionem Mercur. in Aq. fort. aut Spir. Nitr.*

Destilla ex retorta, &, procedendo ut ante, obtinetur Turbith minerale.

Vires. *Purgat bilem præcipue.*

Dosis *a gr.* vj. *ad* viij.

(Maets.) *Processus tertius.*

℞. *Mercur. (ab omni adulterio liberati per destillationem, vel rectificationem, quam vide)* ℥j.

Ol. Sulph. per camp. ℥iij.

Committantur retortæ vitreæ, & instituatur destillatio, igne satis vehementi, ad siccitatem usque (Ol. sulph. per camp. de novo materiæ in fundo retortæ relictæ, adfunde, & procede, ut prius, tertiaque vice hoc repetito.) Quo peracto, frange retortam, materiamque albam (Mercurium per Ol. Sulphur per camp. quodammodo fixatum contérito in pulverem, &) in aq. calenti dissolvito. Ita candor hujus materiæ convertetur in colorem citrinum (flavescentem) quam crebris ablutionibus ab omni acrimonia, quantum fieri potest, liberato (exiccato & usui reservato.)

Usus. *Turbith hoc interiùs exhibitum (a gr.* iij. *ad* ℈ß. *cum theriaca, Mithridatio, confectione Hamech, extracto catholico &c. convenit in lue Venerea, gonorrhæa, hydrope, ulceribus malignis &c.) vomitus,*

a Cohobatio nil efficit, nisi artifici molestiam creare.

eus; sedes, & salivationes excitare solet: Quæ maligna symptomata tollere si animus fuerit, præeunte Paracelso in Chirurgia sua majori, pag. 314. hac methodo procedito:

℞. Phlegmatis Salis, Vitrioli, ana ℔. ß.

Eâ conditione destilles, ne sp. acidus subsequatur.

Aceti destillati. ℔. ß.

Albuminum ovorum ad duritiem coctorum. ℔. iv.

Misceantur inter se, & leni igne destillato absque empyreumate.

℞. Hujus menstrui. ℥. iij.

Turpethi mineralis. ℥. j.

Committito retortæ vitreæ, & per destillationem omne liquidum auferto. De novo eandem quantitatem menstrui affundito, & procede, ut priùs, hoc continua, quousque omnem acrimoniam à Turpetho ablatam animadvertas. Postea, ut securius evadat, inflammes cum Sp. Vini, ita obtinebis medicamentum Mercuriale Præcipitatum per acidum sulphuris, & liberatum ab omni acrimonia; quodsi interiùs adhibetur,

℞. Elect. de succo Rosar. ℈. j.

Turpeth. præparat. gr. v. M. f. dosis,

Quod si applicetur exteriùs in ulceribus malignis Venereis.

℞. Ung. Ovorum. ℥. iv.

Turpeth. ℥. ij. M. benè inter se.

Ulcera maligna hoc Unguento illinenda, quòusque omnis virulentia ablata sit. Postmodùm applices unguentum Aloë-hepaticum, quod hac methodo præparatur:

℞. Aloes Hepatic. ℥. ij.

Croci Martis.

Thuris. ana ℥. ß.

Mumiæ. ʒ. j.

Mel. Terebinth.

Vitell. Ovor. ana q. s. ad formam Unguenti.

Vide cap. 261. sub tit. Præcipitati diaphoretici, & purgantis Paracelsi præparatio.

CAP. CXXVIII. (Marg.)

Mercurii Coagulatio.

℞. Mercur. crud.

Plumb. crud. ana ℥. ß.

Fluat Saturnus in crucibulo. Tum effundatur in aliud crucibulum frigidum, & mox superaffundatur ei Mercurius crudus, statimque (Mercurius in superficie coagulabitur, & cum plumbo) abibit in unam massam. Hanc massam projice in crucibulum calidum, non tamen ignitum planè, & statim fluida effunde in crucibulum frigidum (illudque iterum repete, ut duo hæc metalla bene uniantur.) Sic omnia meliùs miscebuntur, & constituent massam duriorem, quæ imposita per hor. xxiv. vel aliquot dies, & noctes, in aquam (frigidam) fabrorum ferrariorum evadit durissima (non tamen malleabilis, nisi quis peculiari arte illam reddat malleabilem, quod Helmontius profitetur, posse fieri cum pulvere chrysoplisco, quem scribit posse ferro adimere duritiem; & eandem largiri Mercurio) Nonnulli Mercurium crudum includunt linteolo denso, & Saturnum effusum; & jam ex parte coagulatum, mollem tamen adhuc, baculo, aut stylo; perforant, & in foramen Mercurium cum linteo inserunt, sicque Mercurium solo vapore Saturni coagulant.

Usus *Mercurii coagulati multiplex est. Primò, ut fiat (ex crudo solidus) malleabilis, & habeatur argentum (vel basis Lunæ fixæ:) Secundò, potest gestari pro amuleto contra pestem, & venena: Tertiò, potest redigi in pulverem, & addi emplastris: Quartò, potest inspergi ulceribus antiquis, quorum panacæa Mercurius est; nam est alcali, & absorbet acida: Quintò, ut inserviat Mercurio diaphoretico, aliisque concinnandis medicamentis.*

(*Maets.*) CAP. CXXIX.

Mercurii dulcis præparatio.

℞. *Mercur. Sublim. corrosiv. (optime pulverisati)* ℥viij. q. s. *(ad Mercurium vivum mortificandum.)*
Crudi (currentis). ℥vj.

Conterantur inter sese, donec Mercurius crudus mortificatus sit. Committiantur phiolæ sublimatoriæ, & instituatur, ex arena, ut artis est, sublimatio. Ignis in principio sit lenis; postmodùm successivè (satis strenuo) augeatur, donec Mercurium (sublimatum corrosivum, & vivum, in massam simul redactum) undique lateribus (collo phiolæ sublimatoriæ) phiolæ, adhærentem conspicias. Omnibus refrigeratis phiolam diffringe, & Mercurium, in superiore parte phiolæ sublimatum, à fæcibus separa. Mercurium sublimatum de novo in pulverem con-

contere, & moderato primùm igne ſublima. quouſque, uti priùs, Mercurium, in ſuperiori parte phiolæ ſublimatum, conſpicias. Procede, ut priùs, & explora, utrum hoc (vel ejus ſales feroces) de acrimonia ſua remiſerit (& dulce evaſerit), quod ſi ſucceſſerit, uſui medico reſerva. Secus operationem denuò redintegrato, ut prius. Ita enim Aquila volans (ferox) mitificata eſt (& manſueta evaſit) & Draco venenatus propriam devoravit caudam, id eſt, acrimonia Mercurii ſublimati deleta eſt per continuatam actionem in Mercurium crudum: quo in caſu anguli acuti ſalium corroſivorum Mercurii ſublimati atteruntur, per continuam reactionem in Mercurium crudum, & admodum obtuſi evadunt, id eſt, dulceſcunt (Mercurius enim hic dulcis eſſe debet inſipidus, omnis acrimoniæ expers, quod non cadit in corpora, niſi quæ obtuſos habent angulos).

Vires. *Mercurius hic dulcis interius aſſumtus blandè eſt purgans, pituitam tenacem incidens, & expellens, ac proinde in gonorrhæa præſtantiſſimum nobis ſuppeditat medicamentum purgans; expellit enim pituitam, cui acre Venereum fermentum inhærere ſolet.*

Exhibetur ordinariò in conſerva, & extracto, ut aptè deglutiri queat abſque dentium noxa, quibus Mercurius infeſtus eſſe ſolet, &, ne diutiùs, quàm par eſt, in corpore deliteſcat, exhibetur cum aliis purgantibus, ut extracto catholico (in forma pilularum gr. vj, xij. xv.), *diagrydio, trochiſc. alhandal.*

Doſis *quandoque extenditur ad* ʒ. ß. *Ulteriùs ſi doſis extendatur, ptyaliſmum, ſive ſalivationem excitare ſolet. Unde, qui morbo Venereo curando incumbunt, frequenter hunc Mercurium in uſum medicum adhibent, ſed doſi majore, utpote à* ʒ. ß. *ad* ʒ. j. *Ingreditur hic Mercurius ſublim. dulcis deſcriptionem pilularm ſpecificarum ad gonorrhæam,* pilulæ trium Diabolorum *dictarum, quas vide ſub hoc titulo.* (a)

(a) Conditum in Gonorrhæa.
℞. Pulp. Caſſiæ recenter expreſſ. ℥ij.
Terebinth. Venet. ℥j.
Oc. Cancr. præpar.
Sal. prunell.
Mercur. dulc. ana ʒj.
Sal. volat. Succin. ℈iv.
Syr. de Althæa Fernel. q. ſ. ad formam Conditi.
Doſis eſt quantitas nucis moſchat. bis vel ter de die.

Mercurius ſublimatus dulcis, ſive Mercurius meteorizatus, ſive Draco mitigatus.

(Margr.) *Proceſſus tertius.*

℞. *Mercur. Sublim. corroſiv.* ℥j. (℥ij.)
Crud. ʒv. (vj. *vel* ℥iß.)

Miſceantur in mortario vitreo accuratiſſimè, donec Mercurius (ſublimato optimè mixtus) non amplius conſpiciatur currens (ſed gryſei coloris appareat.) Hanc maſſam inde parvæ lagenulæ (cucurbitæ) vitreæ, & in arena (igne tertii gradus) in patella terrea, ſublima per hor. iß. Sic aſcendet Mercurius (uterque) interdum ad ſummum vitri, interdum ad medium, & per circulum (ſacchari inſtar) adhærebit, fæcibus in fundo relictis. Vitrum refrigeratum per medium ſecetur ferro ignito, ſepareturque Mercurius purus à fæcibus. *(a)* Teratur iterum in mortario vitreo minutiſſimè, & ſublimetur per ſe ſine ullâ additione in vitro puro, ſicut antea: quo facto, collige Mercurium, (ſublimatum, inſipidum, omnis acrimoniæ expertem, ideoque dulcem dictum) & ſerva uſui.

Vulgò ſublimationem adhuc aliquoties repetunt, vel ſepties. Sed, quò ſæpius ſublimatur Mercurius, eò magis deponit vim ſuam purgatricem. Præſtat itaque contentum eſſe alterâ ſublimatione.

Vires. *Purgat leniter per alvum humores ſeroſos (eſt egregium hydragogum, imprimis lymphæ vitia corrigens) Sed debet ſemper ejus vis acui alio purgante (hydragogo vel phlegmagogo, quia per ſe parum movet corpus) ne ſtagnando in corpore ſalivationem efficiat: (dein Mercurius hic imprimis) movet ſalivationem (unde magnum obtinet uſum apud* Chirurgos *in curanda per ſalivationem lue Venerea, interne præcipuè excitatam) modo quodam incognito, ſi ejus* ʒ. ß. *aut* ʒ. j. *ſingulis diebus, per aliquot dies, ſumatur (donec ſalivatio ſequatur.) Externè medetur ulceribus, & partium excoriationibus, imprimis Venereis.*

Doſ. *eſt.* ℈. ß. *ad* ʒ. ß.

(a) exiguis, ſi probæ notæ fuerit Mercurius ſublimatus, ſi autem ſublimatus Mercurius adulteratus fuerit, fæces in fundo relinquuntur.

CAP.

CAP. CXXX. (*Maets.*)

Præcipitati diaphoretici, & purgantis, Paracelsi præparatio.

℞. *Alumin. crud. q. p.*

Destilla leni igne ipsius phlegma, ea lege, ne spir. acidus subsequatur; eodem modo procede cum vitriolo.

℞. *Aq. Alumin.*
Vitriol. ana ℔. ß.
Acet. destill. ℔. iß.
Albumin. ovor. ad duritiem coctor. ℔. iv.

Misceantur, & destillentur simul per cucurbitam, leni igne, quod bene nota, ne albumina ovorum empyreuma concipiant.

℞. *Turbith. mineral. vel Mercur. præcipitat. rubr. cum Spir. Nitr. præparati, & bene edulcorati* ℥j.
Menstrui prædicti. ℥iv.

Misce, & destillentur simul pet retortam ad siccitatem. Quartâ cohobatione novam prædicti menstrui quantitatem affunde, & per quatuor sequentes destillationes procede, ut priùs. Postea ipsi affunde Alcohol Vini ad eminentiam duor. digitor. transversor., quod per destillationem ad siccitatem aufer, in fine ignem mediocriter augendo, hocque quinquies, vel sexies, repete. *Ita enim obtinebis præcipitatum, in lue Venerea, ulceribus malignis, febribus, obstructionibusve, Arcanum eximium. Quod si purgans magis desideres, quàm quidem diaphoreticum, exhibeatur cum extracto catholico, vel confectione Hamech, vel cum elect. de succo rosarum. Diaphoreticum magis si velis, exhibeatur cum theriaca, cum Mithridatio, confectione alkermes, de hyacinthis, vel similibus cordialibus & diaphoreticis.*

Dos. *à gr.* ij. *ad.* v. *vel* vj.

In ulceribus malignis tam Venereis, quam aliis, miscetur cum unguento ovorum, & exteriùs applicatur plagis, quæ postea, ubi illarum virus per præcipitatum hoc est extinctum, consolidantur emplastro opodeldoch Paracelsi, vel similibus incarnativis.

(*Maets.*) CAP. CXXXI.

Mercur. diaphoretici præparatio (a).

℞. *Stann. Anglic. opt.*
Mercurii à nigredine loti. ana ℥. j. f. s. a. amalgama, quod dissolvatur in bonæ notæ.
Aq. fortis ℥. iv. (b)

Solutione peractâ, calcem per repetitas edulcorationes, quantum fieri poteſt, ab omni acrimonia liberato, & cum alcohol Vini per inflammationem figito; hoc repetendo per ſex, decemve vices.

Vel, quod præſtat:

℞. *Mercurii purificat.*
Stanni opt. ana q. pl.

Diſſolvito in Aq. fortis duplo abſque amalgamate. Solutionem à fæcibus claram, & limpidam, ſi quidem ſint, decanta, & Aquam fortem ad remanentiam dimidii evaporato; ita enim ſuâ ſponte præcipitabitur calx, quam edulcorato, & fige, ut dictum priùs: & ſic obtinebis Mercurium diaphoreticum, quem, ſi interiùs exhibere volueris, miſce cum theriaca, Mithridatio, vel alio quovis ſudorifero appropriato. (*c*).

Exhibetur in lue Venereâ, ſcabie inveterata, ulceribus malignis, febribus, & in genere omnibus corporis noſtri pertinacioribus obſtructionibus.

CAP.

a Jovialis.
b Per vices adfundendo, propter effervefcentiam alias nimiam.
c Ut & regulo Antimon. Medicinali ſeq. modo:
℞. Theriac. vet. ℈ij.
Confection. Alkerm. ℈ ß.
Regul. Antimon. gr. xv.
Mercur. diaphor. Jovial. gr. v.
Ol. Mac. ſtillat. gtt. iij.
M. F. Bolus ſudoriferus.

Nota. *Præcipitatus Aureus ſeu Solaris.*

℞. Mercur. xiv.
Vitri Antimon. Hyacinth. ana ℥vj.

Auri

CAP. CXXXII. (*Maets.*)

Mercuriale Laudanum Paracelsi.

℞. *Mercurii Virginei, qui invenitur propriis mineris revivificatus: vel Mercurii, ab omnibus sordibus per ablutiones cum sale, & aceto, vel cum lixivio purificat., q. pl.*

Huic affunde

Sp. Nitri rect. q. s. ad solutionem.

quâ peractâ, f. evaporatio Spir Nitri, ut moris est in Mercurio sublimato rubro præparando per Aq. fortem. Ita enim obtinebis præcipitatum instar florum papaveris rhœados. Huic præcipitato affunde Alcohol Vini ad eminentiam digit. transv. iij, instituaturque destillatio *(fortè digestio)* per dies 40. vel mensem Philosophicum, spiritusque tuus Vini evadet mucilaginosus; Quo signo apparente, Spir. Vini leniter decanta, & in cucurbitâ, alembico munitâ, Spiritum Vini leni igne auferto. Ita remanebit tibi in fundo massa oleosa, quam per retortam pellito. Sic enim portio Mercurii revivificatur, portio verò transibit in formam Olei,

℞. *Hujus Olei. part. x.*

Croci Solis. part. j.

Digeratur simul, donec Oleum tuum, instar sanguinis, rubescat, quod decanta, & in phiola, Hermeticè sigillata, fige calore furni Philosophici, continuo coquendo in tincturam fixam.

Usus *præcipuè in lue Venerea, febribus, hydrope, scabie profunda, & in genere omnibus obstructionibus pertinacioribus.*

Dosis *à gr. j. ad iij. ad summum.*

CAP.

Auri tenuiss. lamellati ʒj.

F. ex Auro & Mercurio amalgama, ut artis est, quod teratur cum Vitro Antimon. in mortario vitreo, in pulverem tenuem, & committatur retortæ vitreæ, iisque adfundantur.

Spir. Nitr. fortissim. ℥iij.

Destillentur simul, igne primo leni, postmodum fortiori, donec omne humidum expulsum sit, hæcque tertia vice repetito, & obtinebis in fundo præcipitatum Solare fixum, maximarum virium, per flammam spir. Vin. meliorandum, ut dictum prius.

Vires. *Hoc præcipitatum est diaphoreticum & purgans, exhibetur in obstructionibus pertinacissimis.*

Dos. *a gr. v. ad x.*

(*Maets.*) CAP. CXXXIII.

Mercurialis Aq. Rulandi.

℞. *Aq. Plantagin.* ℔. j.
Rosarum. ℔. ß.
Succi Arantior. ℥. iiij.
Mercur. præcipitat. ℥. ß.

M. simul, & leni igne coque ad resolutionem Præcipitati.

Usus. *Aquâ hâc lavato exteriùs ulcera maligna, & observatis exactè medicamentis internis, brevi spatio sanata videbis.*

(*Maets.*) CAP. CXXXIV.

Mercurii Oleum.

℞. *Stann. Anglic. opt.*
Mercur. ab omni nigredine loti. ana ℔. j.

Fiat amalgama, ut artis est, quod ab omni nigredine, & spurcitiè exacte lavato. Huic adde

Mercurii sublimat. corrosiv. ℔. ij.

Conterantur subitò in Alcohol, & tabulæ marmoreæ, vel vitreæ, inclinatæ, in cella, imponantur: Ita enim resolvetur massa in liquorem, portioque Mercurii revivificabitur. Liquorem verò à Mercurio currente separa, & retortæ committito, lenique primùm igne phlegma abstrahito: postmodùm augeto ignem tuum. & transibit in collum retortæ Oleum Mercuriale maximarum virium.

Nota, quòd phlegma cum Oleo misceri non debet, sed, simul ac abstractum est, auferri oportet, aliudque vas recipiens collo retortæ applicari, ut Oleum purum recipiatur.

Hoc Oleum, ulceribus malignis applicatum, ex fundamento illa curat, præsertim si sulphure metallico nobilitatum fuerit hoc modo:

℞. *Lamellarum Veneris* q. pl.

In frusta minora conscindito, iisque affunde

Oleum Mercuriale ad eminentiam transuersox. dig. ij.

Stent simul in digestione, quousque Oleum insigni colore imbutum observaveris. Tunc Oleum decanta, aliud affunde, & procede, ut

prius, tincturasque cofunde, & leni igne phlegma superfluum aufero, & loco quieto collocato. Ita enim concrescunt chrystalli, visui amœnissimæ, quas chrystallos, successivis ignis gradibus, calcinato, in phiola non nimis arctè clausa, in pulverem aurei coloris, verum ulcerum malignorum domitorem.

Usus. *Ulceribus malignis, cancro scilicet, lupo, fistulis &c. inspergitur, vel cum emplastris miscetur, & debito modo exteriùs applicatur.*

CAP. CXXXV. *(Maets.)*

Mercurii Sublimati corrosivi facillima præparatio.

℞. *Mercurii crudi q. p.*

Dissolve in q. p. Aq. fort. generosæ. Post dissolutionem leni igne Aquam fortem ad siccitatem pulveris aufero, cui misce æq. part. Sal. commun. decrepitat. Sublimato simul igne fortiori, quousque instar sublimati appareat in phiola, & obtinebis Mercurium sublimatum corrosivum, respondentem omni ex parte viribus Mercurii sublimati officinarum.

CAP. CXXXVI. *(Marg.)*

Mercurii Corallati præparatio.

℞. *Mercurii crudi,* ℥j.
Sp. Nitr. rect. ℥ij.

Misce, & repone in digestionem, in cucurbitâ vitreâ, per hor. xxiv. vel donec Mercurius in totum sit solutus. Tum solutionem vel destilla ex retorta vitrea, in arena, ad siccitatem usque, in fine urgendo ignem quàm maximè, ut totus Mercurius rubicundissimus evadat: sic enim recuperabis menstruum, quod alteri operationi inservire poterit; Vel evapora solutionem in vitro evaporatorio ad siccitatem usque, & relinquetur pulvis albissimus, qui in crucibulo super accensis carbonibus reverberatus induet naturam coralliorum rubrorum, unde vulgò *Mercurius præcipitatus Corallatus* dicitur. (*a*)

Vires. *Est specificum purgans in affectibus ulcerosis, & lue Venerea; sed opertet tum ab hoc abstrahere per destillationem aliquoties alcohol Vini: sic deponet acrimoniam, atque evadet mitissimus.*

Dos. *intra corpus est granor. v. vel* vj.

a Estque nil aliud, quam Mercurius præcipitatus ruber, de quo antea.

(Marg.) CAP. CXXXVII.

Mercurii Cinnabaris sublimatio.

℞. *Sulphur. commun. pulverizat.* ℥j.
Fluat in patella terrea super carbonibus, sine flamma, ne accendatur. Tum statim adde
Mercur. crud. ℥iv.
Agitentur perpetuò spatulâ ferreâ, donec ambo abeant in pulverem subnigrum, nec Mercurius ampliùs conspici possit. Tum erit Mercurius ritè mixtus cum Sulphure. Recipe tum massam illam. Redige in mortario vitreo in pulverem minutissimum. Hunc pulverem destilla ex retorta vitrea loricata in igne aperto. Sic sesquihoræ spatio, Mercurius cum Sulphure sublimabitur in collum retortæ, illudque totum opplebit sub formâ gryseâ, aut subrubicundâ, quæ tamen mox trita, rubicundissima evadere possit, diciturque *Cinnabaris Mercurii.* Debet autem hæc Cinnabaris in pulverem redigi, & adhuc semel eodem modo in retorta nova sublimari. Sic evadet rubicundissima.

Vires. *Inservit curandæ epilepsiæ, aliisque morbis ex fermento acido oriundis. Apud Chymicos multiplicem usum obtinet.*

Dos. *intra corpus sunt gr.* ij.

(Maets.) CAP. CXXXVIII.

Metallorum in Sale Tartari resolutio.

℞. *Salis Tartari v. g.* ℥ij.
Ponatur in crucibulo, ignique comittatur, quousque fluat: Huic adjice
Sulphuris vulgaris. ℥iv.
Expecta, donec Sulphur sit deflagratum. Quo facto, committe Sali Tartari cum Sulphure acuato lamellam metallicam excalefactam, & observabis, quòd metalla liquescent instar butyri in hoc menstruo, cujus beneficio facillimè in crocum rediguntur Venus, Mars, Sol, exceptâ Lunâ, quæ difficiliùs solvitur.

Nota bene. Quòd, quando lamellam tuam absorptam à Sale Tartari observaveris, pauxillum Sulphuris addere debeas.

CAP. CXXXIX. (*Marg.*)

Metallorum Amalgamatio.

Amalgamatio est calcinatio metallorum cum Mercurio. Adhibetur tantùm in quatuor metallis, Sole, Luna, Jove, & Saturno (reliqua duo, sc. Mars & Venus, cum additione aliarum rerum amalgamari debent.) Perficitur autem hoc modo:

℞. Metalli lamellati (bracteolati, foliacei, limati, tenuissimi,) unius ex quatuor prædictis, q. s. cui adde Mercurii crudi part. (vj.) vij. Si sit aurum, partes septem, aut Luna: Partes tres, si est Jupiter: ana, si est Saturnus. (Misce, aut supra chartam, aut orbem vitreum, ut fiat amalgama, sive massa ceræ instar mollis, quæ constat ex Mercurio coagulato cum dictis metallis) vel igniatur Sol, & Luna, tum adde Mercurium, & sine exhalare Mercurium. Sic aurum, vel Argentum abibit in pulverem, qui est calx metalli quæsita.

Rarò tamen primâ vice Sol, aut Luna, hoc modo in calcem abeunt. Hinc Chymici coguntur addere sal tartari, aut sal Ammoniacum, aut commune, & reverberare, ut metalla hæc in perfectam calcem abeant.

Facilius perficitur operatio, si accipiatur limatura Solis, eique admisceatur tantum Mercurii, ut in massam mollem abeat, (vel nummo integro Aureo imponantur Mercurii part. vj. vij. Sic inter paucas horas nummus fiet friabilis, & frangetur in partes, ita ut postea in parvo vitro, evaporato, aut ex retorta per destillationem abstracto omni Mercurio, Aurum, cum pauxillo Sal. comm. calcinati reverberatum, commode in calcem converti possit.)

Si metallum sit Saturnus, vel Juppiter, tum

℞. *Unius ex prædictis metallis* (℥ß. *vel. q. v.*)

Fluat in crucibulo (super accensis carbonibus.) Quando fluxit, effundatur in aliud crucibulum frigidum (mundum,) & statim superfundantur Mercurii crudi (℥ß.) vel part. ij. vel iij. Sic refrigerata inter se coagulabuntur, & constituent (massam mollem, quæ Amalgama dicitur,) à quo Mercurius separari potest sublimatione, vel evaporatione, relinqueturque in fine calx metalli, quæ erat præparanda.

(Marg.) CAP. CXXXX.

Mineralium præcipitatio.

Præcipitatio Mineralium est calcinatio eorum per sp. sive liquorem acidum, vocaturque aliàs *calcinatio immersiva.*

℞. *Matris Perlarum pulverizatæ grosso modo.* ℥ß.
cui in vitro affunde
Spir. Aceti. ℥iij. *vel* iv.

Repone in digestionem per xxiv. horas. Tum filtra per chartam. Colaturæ instilla Ol. Tartar. p. del. q. s. donec nil amplius præcipitetur. Tum affunde aquam puram, & vitrum ad quietem repone per aliquot horas: donec nempe materia alba fundum petierit, & supernataverit aqua limpida. Decanta liquorem limpidum, ita, ne materia alba simul effluat. Reaffunde novam aq. puram, iterumque repone, ut aqua fiat limpida. Tum iterum decanta: & tertiâ, & quartâ, vice, eodem modo affunde, & decanta aquam, donec tandem aqua permanserit insipida. Tum filtra materiam albam per chartam. Quod in charta relinquitur, exicca, & relinquetur pulvis albissimus, qui est *calx Matris Perlarum*, diciturque vulgò in officinis *Magisterium Matris Perlarum.*

Vires. *Habetur vulgò pro cardiaco, & alexipharmaco. Sed reverâ refrigerat, siccat, & adstringit, estque mitissimum aliquod alcali, destruens humorum aciditatem, eorum sistens motum, & corrigens acrimoniam; Unde conducit in febribus, in humorum fluxibus nimiis, in hemorrhagia. Temperat fermenti stomachici acrimoniam.*

Dos. *est à* ℈ß. *ad* ʒß.

(Margr.) CAP. CXXXXI.

Metallorum Cæmentatio.

Cœmentatio (*a*) est calcinatio Metallorum per cœmentum, sive pulverem acrem: nec differt à stratificatione, nisi, reponendi modo, v. g.

℞. *Antimonii crudi, Nitri purissimi, ana* ℥j.

a Illius exemplum, sequenti melius, habuimus in cœmento regali.

Terantur omnia seorsim: cribrentur, & misceantur accuratè. Tum, admotâ prunâ, per vices, incendantur in mortario ferreo, ad latus reposito, donec omnia in unam massam abeant, & relinquetur massa subrubra colore, non absimilis parenchymati hepatis, unde vulgò *Hepar Antimonii* dicitur; estque nil aliud, quàm Antimonium cœmentatum, sive calx Antimonii. Hæc calx redacta in pulverem minutissimum, cocta per quadrantem horæ in aquâ purâ: postea refrigerata, & præcipitata cum aceto Vini, tum edulcorata aliquotis aquâ purâ, & siccata in pulverem rubicundum, vocatur vulgò *Crocus Metallorum*; estque nil aliud, quàm purissimum Antimonium, sive calx ejus, per cœmentum Nitri præparata.

Vires. *Est insigne vomitorium fœlicissimè fermentans bilem, eamque expellens per superiora, & inferiora.*

Dos. *in substantia sunt gr.* iv. *in infuso. gr.* viij. *vel* x.

CAP. CXLII. *(Maets.)*

Mineralis Panacea.

℞. *Regul. Antimon. Martialis puriss.*
Mercur. à nigredine loti. ana ℥iv.
Lunæ cupellat. & in tenuissima folia lamellat. ℥j.

Foliis Lunæ in mortario vitreo affunde Mercurium vivum, & terantur simul, donec Mercurius disspareat. Adde postmodùm Regulum Antimonii in alcohol redactum. Misce exactè inter se, donec omnia desinant in alcohol. Massam hanc retortæ vitreæ committito, eique affunde Sp. Nitri summè rect. ℥iij. (Hanc autem affusionem Sp. Nitri guttatim fieri oportet, quoniam vehementer inter se ebulliunt, ac proinde patientiâ opus est.) Ubi ebullitio sedata est, & ℥iij. Sp. Nitri mixtæ sunt cum tua massâ minerali, destillationi reponantur, dando in principio ignem moderatum, ipsumque continuando, donec massa tua ad siccitatem vergat. Auge postmodùm ignem ad totalem vaporum exhalationem, & expulsionem. Ita enim in fine operationis sublimatur portio quædam Mercurii in collo retortæ, partim rubescens, partim citrinescens; Omnibus refrigeratis, ferro candenti ventrem retortæ abscindito. Quod superiùs sublimatum est, abjicito: pulverem autem, in fundo remanentem subfuscum, terito, & novæ retortæ vitreæ committito, eique affunde spiritum in priori destillatione abstractum, unâ cum ℥j. Sp. Nitri novi.

Destilletur, ut priùs, pulveremque per abscissionem ventris retortæ exime, & aquâ pluviâ destillatâ edulcora, quantum fieri potest. Exicca, &, ut artis est, fige per incendium alcohol. Vini. Ita enim obtinebis præcipitatum fixum, quod cum purgantibus exhibitum potentissimè resolvit obstructiones corporis nostri, & cum diaphoreticis propinatum maximâ ex parte per sudores agit.

Vires. *Exhibetur in morbis chronicis pertinacioribus, ex obstructionibus inveteratis originem ducentibus. Insuper enecat hoc præcipitatum fermenta sanguinis nostri corrosiva, illaque vel per sedes, vel per sudores, expellit, ac proinde exhibetur in lue Venerea, ulceribus malignis, febri quartana, hydrope, scabie profunda, lepra, & pertinacioribus morbis.*

Dos. *à gr.* ij. *ad gr.* x.

Miscetur cum extracto catholico, extracto rosarum, confectione Hamech, cum resina jalappæ, scammonio, aliisve purgantibus: Vel adjungitur ipsi, pro sudorifero, theriaca, Mithridatium, diascordium, cum confectione de hyacinthis, & alkermes.

(*Maets.*) CAP. CXLIII.

Millepedum in Calculo, & Difficultate Urinæ præparatio.

℞. *Millepedum, vel Asellorum, q. pl.*

Abluantur in vino albo. Postmodùm, in vase terreo cooperto, comburantur in cineres. Postea in alcohol conterito, & vino albo irrorato, quantum imbibere possint. Leni igne exiccato, & de novo vino albo irrorato. Hoc tertiâ vice repetito. Ultimâ verò vice singulis unciis Asellorum crematorum in cineres adde Ol. Vitriol. ℈j. Exiccentur agitando cum spatulâ ligneâ ad siccitatem. Ita obtinebis pulverem diureticum maximarum virium.

Usus. *Datur hujus pulveris pro dosi* ʒj. *cum aqua Vitæ* ℥ß. *& decoct. cicerum* ℥v. *vel* vj. *Exhibentur hæc manè, jejuno stomacho, hor.* iv. *vel* v. *ante pastum.*

CAP.

CAP. CXLIV. (*Maets.*)

Mumiæ præparatio.

℞. *Carnis Hominis, violentâ morte perempti.* q. pl.

In taleolas conſcindito; quas per horas 24. in ſ. q. Spir. Salis macerato. Poſtmodùm inter lintea complicata exiccato, & myrrhâ alcoholizatâ fricando imprægnato, quantum fieri poteſt, filoque trajicito (*a*) & aëri libero exponito. Ita enim obtinebis carnem humanam (*b*), per Spiritum Salis, & balſamum Myrrhæ, à putredine præſervatam, (*c*) cujus tincturam ſi deſideraveris, procedito, ut dictum in generali methodo tincturas extrahendi. Nempe:

℞. *Mumiæ præparat.* q. p.

Huic affunde Alcohol vini ad eminentiam dig. iij. vel iv. Stent in digeſtione, donec ſangvineam extraxeris Tincturam, quam decanta, & ſeorſim ſerva, novumque Spir. Mumiæ adfundito, & digerito, ut prius. Hoc continua, donec omnem Tincturam extraxeris. Tincturas confunde, & in MB. alcohol ad dimidias auferto. Ita enim habebis verum Microcoſmi Balſamum, *cujus vires ſunt magnæ in internis læſionibus, in maraſmo, in hæmorrhagia pulmonum, longeque præſtat mumiis omnibus, alio ſolo ad nos delatis, quippe quod paretur ex carne, à corpore ſpiritu volatili, ſulphure, & ſale abundante (in quibus ſcil. tota efficacia Mumiæ conſiſtit) exemptâ: cùm extraneæ illæ Mumiæ parentur ſæpiſſimè ex corporibus, ſub arena exiccatis à vehementi Solis calore in deſertis Arabiæ, vel à carne ex corporibus eorum, qui languido morbo, diuturnâve ægritudine, extincti fuere, haud ſecus ac lampas, cui deficit oleum, lucem quaſi dubiam præbet, & pro tempore langueſcens, tandem penitus extinguitur.*

Doſ. *hujus in vehiculo convenienti à gr.* xv. *ad* xxx.

CAP. CXLV. (*Margr.*)

Nitri Chryſtallizatio.

℞. *Nitri puri, aut impuri,* q. ſ.

Sol-

a Ea conditione, ne ſe mùtuo attingant.
b Mumiam.
c Et conditam.

Solve in ſ. q. aq. ferventis, ita ut aqua quantitate non nimis excedat. Filtra ſtatim per chartam: & (colaturam) in vitro repone in cellam per xxiv. horas. Sic concreſcet Nitrum in chryſtallos oblongas (albas), quæ nil aliud ſunt, quàm Nitrum purificatum. Decanta aquam ſuperfluitantem, & chryſtallos ſuper charta leniter ſicca. Aquam verò in vitro evaporatorio evapora ad dimidium, (*a*) iterumque repone in cellam, ut chryſtalli concreſcant: & ſic procede, donec tandem omnis aqua evaporando, & chryſtallizando, ſit conſumpta. Ad hunc modum (*b*) omnia ſalia, ut & alcalia, poſſunt chryſtallizari, & depurari, niſi quòd alcalia rarò concreſcant in magnas chryſtallos abſque acido, & quòd citò fluant per deliq. Sola quippe Salia, (*c*) id eſt, corpora ex acido, & alcali, conflata, in aëre perdurare poſſunt.

(*Margr.*) CAP. CXLVI.

Nitri Alcalizatio, ſive fixatio.

♃. *Nitr. puriſſ. & optim.* ℥. *iv.*

Terantur in pulverem ſubtilem, qui pulvis indatur crucibulo mundo, (ſatis amplo) (*d*) quod imponatur carbonibus accenſis, ut (Nitrum) fluat inſtar aquæ. Cùm fluxerit, indatur (injiciatur in Nitrum fluidum) fruſtum carbonis igniti (& accendetur illico Nitrum, magnumque ſtrepitum & ebullitionem edet), expecteturque tamdiu, donec illud fruſtulum effervescendo cum Nitro ſit conſumptum (& ſtrepitus ceſſat). Tum repete illam injectionem carbonum toties, donec (tandem) Nitrum (incraſſatum & exiccatum) non ampliùs inflammetur, (quod fit ſpatio hor. ß.) ſed relinquatur (in crucibulo) ſub maſſa (duriſſima) ſicca, & vireſcente, & erit Nitrum rectè (fixatum) alcaliſatum.

Uſus. I*nſervit parando liquori fixo Nitri, qui &* Alcaheſt (menſtruum univerſale) Glawberi *dicitur.* CAP.

a Ad pelliculæ apparentiam.

b Vel etiam ad ſequentem depuratum obtinemus Nitrum,

℞. Nitr. q. v.

Huic ſuperfunde

Sal. Tart. per del. fortiſſimi q. ſ.

Evaporetur humidum Ol. Tartar. ad pelliculæ apparentiam, dein chryſtalliſationi committantur,

c muriatica.

d quod ad dimidium tantum eſt replendum propter nimiam ebullitionem, quæ oritur poſt carbonum injectionem.

CAP. CXLVII. (*Margr.*)

Nitri fixi Liquor, sive Alcaheſt, (id eſt Menſtruum univerſale) Glauberi.

℞. *Nitr. Alcalizat. ut dictum fuit.*

Repone cum crucibulo (vel maſſa calida adhuc ex crucibulo ſpatulâ ferreâ eximatur) in locum frigidum per xxiv. hor., & tum poteris cultro removere ex crucibulo. Reponito tum ſal alcalizatum, ſuper orbe vitreo, in locum frigidum & humidum (cellam,) ut ſolvatur deliq., ſolutum filtra per chartam. Vel.

℞. *Nitr. præcedenti proceſſu fixatum,*

Solvatur hoc ſ. q. aquæ ferventis. Solutum filtretur per chartam. Colatura evaporetur in vitro evaporatorio ad ſiccitatem uſque, & relinquetur in fundo Sal quoddam acerrimum: ſcilicet Nitrum fixatum jam depuratum, & à carbonibus liberatum. Hoc Sal in orbe vitreo, aut terreo vitreato, reponatur in locum frigidum, humidum, qualis eſt cella, & relinquatur ibi tamdiu, donec per deliq. ſolutum fuerit in liquorem limpidum. Decantetur hic liquor limpidus, & ſervetur uſui. Hic enim eſt *Liquor Nitri fixi*, ſive *Alcaheſt Glawberi.*

Uſus. *Eſt menſtruum ſingulare, & celeberrimum (alcalinum & commune ſolvens,) in omnibus tribus ſolvendis regnis (minerali, animali & vegetabili: immediatè regno animali & vegetabili, mediatè vero regno minerali ubi nempe mineralia prius a menſtruo acido in calcem ſunt redacta.) Imprimis tamen gummata, & reſinas reſolvit, atque ita aperit, ut poſtea commodè, beneficio Alcohol Vini, genuina tinctura elici queat. Nempe, cùm omnia ſulphura contreverint beneficio acidi, Alcaheſt hoc, quod naturæ alcalinæ eſt, deſtruendo acidum partes ſulphureas recludit, atque ita vinculum eorum infringit, ut partes integræ ſeparari poſſint (aliis inſtrumentis.)*

Modus autem procedendi hic eſt. Sumitur reſina, aut gummi (aut quæcunque alia reſ. contuſa vel conquaſſata) pulverizatum, inditur vitro. Superaffunde alcaheſt hoc, ut pulvis bene madefiat. Fiat digeſtio per hor. xxiv. (vaſe aperto ad ſiccitatem uſque.) Tum ſuperaffunditur Alcohol Vini ad aliquot digitor. tranſverſor. ſupereminentiam. Fiat iterum digeſtio (lenis) per hor. j. vel ij. (ſic Alcohol particulas reſoluti corporis in ſe recipit, & nobis novas rerum tincturas & eſſentias offert.) Tum ſenſim effunditur tinctura, fitque iterum dige-

ſtio cum capite mortuo per xxiv. hor., atque iterum tum Alcohol Vini novum affunditur, & proceditur, ſicut antea, donec tota tinctura ſit exhauſta, & Alcohol Vini non ampliùs tingitur.

Poteſt autem Alcaheſt recuperari, ſi capiti mortuo affundatur aqua pura, digeratur per noct., poſtea filtretur per chartam, evaporetur ad ſiccitatem uſque, relictum Alcaheſt reverberetur, reverberatum iterum ſolvatur aquâ purâ, filtretur iterum per chartam, iterum evaporetur ad ſiccitatem, tumque iterum ſolvatur per deliq. Sic recuperabitur Alcaheſt, eritque incorruptibile, quod proprium eſſe debet Menſtrui univerſalis. Exempla poſſunt inſtitui in myrrha, macere, ſuccino, omnibuſque vegetabilibus, quæ aliàs difficillimè ſolvuntur.

(Marg.) CAP. CXLVIII.

Nitri Terra foliata.

Paratur eodem modo, ſicut Terra foliata tartari, * hoc tantùm diſcrimine, quòd hic accipitur pro ſale tartari Nitrum fixum cum carbonibus, ſicut dictum eſt in fixatione Nitri. Vel Liquor Alcaheſt Glawberi evaporatur ad ſiccitatem, & tum affunditur Sp. Aceti, totieſque deſtillatur ſuper eo, donec Sp. prodeat acidus. Quod relinquitur, extrahitur eodem modo cum Alcohol Vini.

Vires *Eaſdem habet cum terrâ foliatâ tartari. Eſt enim inſigne extergens, atque aperiens.*

Doſ. *quoque eadem eſt.*

(Margr.) CAP. CXLIX.

Nitri Spiritus.

℞. *Nitr. puriſſ. & genuini (id eſt, quale carbòni vivo impoſitum & accenſum in totum conſumatur.)* ℔ß.
Boli vulgar. rubr. ℔jß.

Terantur omnia ſeorſim (minutiſſimè,) tum cribrentur, miſceanturque (accuratè.) Fiat hujus maſſæ deſtillatio ex retorta terrea, (Haſſiaca ſatis valida) in igne reverberii, per hor. x. (applicato recipiente vitreo ampliſſimo, cujus orificium exacte quadret ad collum retortæ, cu-

* Cujus proceſſ. vide ſuo loco.

cujus junctura claudenda est peculiari luto, quod *sapientiæ* dicitur, cujus processum vid. sub eo titulo) adhibendo ignem per gradus. Cum primo, & secundo gradu spatio hor. iij. prodibit phlegma. Postea urgeatur ignis paulatim ad tertium gradum, continueturque tandem (per hor. iv. vel v.; ubi recipiens rubro colore tingatur) reliqua destillatio ignis gradu quarto (ad finem usque,) donec x. hor. sint elapsæ. Tum statim (vel ubi ignis diminui incipit) removeatur recipiens, eique instilletur pauxillum aquæ puræ. Moveatur hinc inde recipiens, ut vapores rubicundi (volatiles coagulentur) simul in liquorem commutentur, quod fit, si recipiens clausum quadruplicato panno, obturatumque, reponatur ad quietem per quadrantem horæ. Sic omnis Spir. ad fundum colligitur, unde effundi potest, per tritorium, in retortam vitream (mundam; recipiens vero pauxillo aquæ elue, & aquam Spiritui effuso adde.) Quia valde impurus est, per eandem retortam, in arena, rectificari debet, ad siccitatem usque. Sic habebitur liquor pellucidus, & purus (subtilis) qui *Sp. Nitri rectificatus* dicitur, de quo postea.

Vires. *Sp. Nitri subtilissimus est, & penetrantissimus, inter omnes spiritus acidos minerales. Hinc potenter attenuat, & resolvit (penetrat, incidit,) aperit, sudorem, & urinas, movet: & diaphoreticus est, & lithrontripticus (conservat à putredine in sua consistentia, & sic malignitati medetur: hinc frequens ejus usus in peste, febribus malignis, & inflammationibus,) imprimis si cum alcohol Vini sit edulcoratus. Cum aq. petroselini movet urinas, si illa edulcoretur prius syrupo dialthea. Cum theriaca, aut diascordio, sudores ciet. Julebis additus (refrigerat) sitim, & sudorem extinguit. (Chymicis præbet menstruum in tinctura coralliorum paranda, sed, si prius cum alcohol vini edulcoratus fuerit.)*

Dosis *intra corpus est* ℈ß. *ad* ℈j. *in liquore aliquo appropriato. Plura vid. Cap.* xij.

Processus secundus. (Maets.)

℞. *Nitri. q. p.*

Huic misce

Boli, vel Terræ figulinæ, ex quibus fistulæ tabaci conficiuntur, vel filicum calcinatorum, triplum.

Conterantur in pulverem tenuem, & exactè inter sese misceantur, & committantur retortæ terreæ, destillenturque simul ex igne aperto, in

 fine

fine augendo ignem ad totalem retortæ excandescentiam. Ita enim transibit Sp. Nitri instar sanguinis rubicundus, quem Chymici vocant *Cruorem Salamandræ.* Omnibus refrigeratis, Spir. Nitri fumantem ex recipiente exime, & arctè in vase vitreo sigilla, & usui reserva.

Vires. *Sp. hic interiùs exhibitus in convenienti vehiculo ardores sanguinis reprimit, bilem viscidam incidit, unde in colica biliosa præsens est remedium: urinas pellit, sitim extinguit, quæ omnia mitiùs peragit, si dulcificatus fuerit cùm sp. Vini.*

(Maets.) *Nitri Sp. præparatio alio modo:*

Processus tertius.

QUidam autem præparant alio, & leviore, modo hunc Spir. beneficio Ol. Vitrioli: ut v. g.

℞. *Nitri, q. p.*

Dissolvatur in aq. vulgari, ita ut muriam fortissimam referat,

℞. *Hujus Muriæ part. iv.*
Ol. Vitriol. part. j.

Fiat destillatio ex cucurbita vitrea, ex arena: prodibit primitùs phlegma: postmodùm subsequetur Sp. Nitri acidus, quem seorsim collige, destillando ad siccitatem Nitri, in fundo remanentis.

Vires. *Spir. hic, licet suspicione adulterationis Olei Vitrioli non careat, satis tamen gratus est, & usui medico inserviens, exhibeturque in istis affectibus, in quibus Sp. Nitri exhiberi solet.*

Sal, ex destillatione Sp. Nitri remanens candidissimum, potentissimum est medicamentum in ardoribus sanguinis, & in inflammationibus sistendis, in scorbuto oris curando, in angina, in forma gargarismatis exhibitum, diureticum, diaphoreticum est, & in genere præstantiùs præstat illa, quæ à sale prunellæ desiderari possunt.

(Maets.) *Nitri Sp. facilis præparatio:*

Processus quartus.

℞. *Nitr.* ℔ij.
Ol. Vitriol. rectificat. ℔j.

Committantur retortæ, & successivis ignis gradibus destilletur ad siccitatem usque, & obtinebis Sp. Nitri fortissimum. In fundo autem residet Nitrum Vitriolatum, quod *suum Essentiale principale* vocat Kreucknerus, *cujus vires sunt insignes in ardore sanguinis reprimendo, longèque superat potentiam Salis Prunellæ.*

Cum

Cum hoc Sp. Nitri tentato fixationem Mercurii cum metallis, Solis scil. & Lunæ, ut

℞. *Mercur., ab omni nigredine loti. part.* vj.
Auri foliati. part. j.

Misce Mercurium cum foliis Solis, & agitato simul in mortario vitreo, donec Mercurius dispareat. Committantur retortæ vitreæ, iisque affunde Sp. Nitri, præparati, ut supra, part. iij. Instituatur destillatio leni igne, postmodùm augendo ignem, donec fundus retortæ candescat. Primò, in hac destillatione, ordinariò aliquid Sulphuris sublimatur in collo retortæ, & acquirit colorem flavum, rutilantemque, uti ordinariò contingit in præparatione præcipitati rubri. Hoc abjicito. Quod verò in fundo remanserit, in pulverem conterito, & denuò retortæ committito, & eandem quantitatem Sp. Nitri affunde, & destilla, ut priùs, hocque tertiâ vice repetito, in fine operationis ignem augendo ad totalem Spir. corrosivi expulsionem, & ad fundi retortæ excandescentiam, majorisque securitatis gratiâ figito cum flammâ alcohol. Vini.

Vires. *Hoc præcipitatum Solare mixtum cum resina jalappæ, scammonii, vel cum elect. de succo rosarum, clementer purgat, potenter verò obstructiones corporis humani reserat, specificumque purgans est in febre quartana, hydrope, lue Venerea, herpete miliari, scabie profunda. Longè enim aliter opus suum absolvit, quàm reliqua purgantia: purgando enim confortat: de quo ulterius consule Schroderum cap.* xv. *lib.* iij. *de præcipit. Mercurii cum aliis metallis.*

Dos. *à gr.* ij. *ad* v. *&* vj.

CAP. CL. (*Margr.*)

Nitri Sp. dulcis.

℞. *Sp. Nitr. rect.* ℥vj.
Sp. Vin. rectificatiss. ℥xij.

Misceantur, & ex retorta vitrea (leniter primo & secundo ignis gradu, alias multum de Spir. maximè volat. peribit, postea fortiori) destillentur, in arena, ad siccitatem usque, applicato recipiente vitreo amplissimo, cujus orificium ad collum retortæ optimè quadret (idque satis profunde admittat, aliter si fiat, multum Spir. peribit.) Hæc destillatio, retortâ refrigeratâ, repetatur adhuc semel, vel bis, (quod Chymici co-

cohobare vocant) & triduô Spir. inseparabiliter unientur constituentque Spir. (insipidum, vel saltem non ita acrem) summe volatilem, odoratissimum, (gratissimum, camphoram referentem) & pinguissimum, poteruntque nullo modo separari, etiamsi super alcali aliquo reverberato rectificentur.

Vires. *(Quia est acidum summè volatile, potenter attenuat & incidit hinc) diureticus, febrifugus, antipleuriticus, anticolicus est, valet contra pestem, arcet putredinem (sanguinis hinc alexipharmacus,) extinguit sitim (inde convenit nimiis sanguinis ardoribus, febribus ardentibus, malignis, & inflammationibus gravioribus) penetratque totum corpus. Hinc infinitis morbis est utilis. Potest edulcorari sacchoro, quantum capere potest, ut fiat instar syrupi; & tum ad cochleare ß. exhiberi potest. (Inservit etiam Chymicis pro menstruo in paranda tinctura coralliorum.)*

Dos. *aliàs est* ℈ß. *vel* ʒß. (ʒj.) *in cerevisia, aut etiam vino (aut aliqua aqua destillata, aut approbata.*

(Maets.) *Processus tertius.*

℞. *Sp. Nitri fortissim. q. p.*

Huic admisce

Alcohol Vini triplum.

Misceantur inter sese. Digerantur per xxiv. horas, & postmodùm simul destillentur. Quòd si Spiritum Nitri exactissimè dulcificatum volueris, tertiâ vice repete.

Admirabilis hujus Spir. proprietas est; quòd si confundatur cum sale tartari, post ebullitionem factam, duo hæc caustica de novo degenerant in Nitrum. De quo experimento latè agit Boyleus in tentaminibus suis Physicis. *Vide cap. sequens.*

(Marg.) C A P. CLI.

Nitri Regeneratio.

℞. *Sp. Nitri* ℥ß.

Ei in vitro affunde Ol. Tartar. p. del. (*a*) guttatim, id est, quamdiu effervescent. Evapora tunc mixturam in vitro evaporatorio ad siccitatem usque, & relinquetur sal, Nitro quàm simillimum, reductum, ex Sp. Nitri per Sal Tartari: unde patet, Nitrum esse nihil aliud, quàm ali-

a Vel liquor. Nitr. fix.

aliquem spiritum acidum coagulatum super aliquo alcali, probatque, salia constare ex acido, & alcali.

Processus secundus.

℞. *Liquoris Salis Tartar.* q. v.
Sp. Salis Nitri q. s., donec strepitus cessat.

Evapora liquorem ad cuticulæ apparentiam, & in cella chrystallos expecta, quæ in chartâ emporeticâ exiccentur.

Vires. *Easdem possidet vires, quas Nitrum, sed puriores. Hoc etiam flammam igne arripit, quod nec Sal Tartari, nec Sp. Nitri per se faciunt.*

CAP. CLII. *(Marg.)*

Nitrum Vitriolatum, sive Sal Ducis Holsatiæ.

℞. *Cap. mortuum Aquæ fortis, præparatæ ex æquali parte Vitrioli calcinati, & Nitri puri, sicut antea proposita fuit:*

solvatur hoc aq. ferventi, digeratur per xxiv. horas. Tum filtretur per chartam. Aquam limpidam, quæ chartam transiit, evapora ad cuticulam, vel ad siccitatem, & relinquetur Sal quoddam albissimum, ad viriditatem aliquo modo declinans. Hoc Sal super charta in arenâ calida fortiter exiccetur & relinquetur Sal durum, & album, atque splendens, quod servetur usui.

Vires. *Movet interdum sudores: interdum etiam per alvum purgat. Est valde acutum, & penetrans, conducitque morbis chronicis, scorbuto, & hypochondriacis.*

Dos. *est* ℈. ß.

Vid. cap. præcedens in notis.

Processus secundus. (Margr.)

℞. *Nitri purissimi pulverizati.* ℥. ij.

Inde crucibulo puro, & super carbonibus accensis repone, ut fluat instar aquæ. Fluenti adde

Florum Sulphuris pulverizator. ℈j. *aut* ʒ. ß.

Quibus incendio absumtis, effunde fusum Nitrum super lamellam cupream mundam, ut fluat in tabellas, quæ sunt ipsum Sal Prunellæ, sive Chrystallum minerale dictum. Alii solvunt in aquâ calidâ, filtrant, & chrystallizant. Sed sufficit contentum esse priori præparatione.

Vires,

Vires. *Refrigerat, repellit, putredinem arcet, acrimoniam acidam temperat. Conducit in dysenteria, in febribus malignis, in inflammatione faucium, aliarumque partium.*

Dos. *est* ℈. ß. *ad* ℈. j. *Sudoriferis additur ad* iv. *vel* vj. *gr.*

(Margr.) CAP. CLIII.

Nitrum Fulminans.

℞. *Nitri purissim.* ℥. iij. (℈iv.) (ʒj.) (p. ij.)
Sal. Tartar. siccissim. ℥. j. ß. (ʒj.) (℈ij.)
Sulph. commun. ℥. j. (ʒ ß.) ℈j. (*ana* pj.)

Terantur omnia (simul) in mortario ferreo subtilissimè. Pulvis servetur usui.

Usus est. *Si quis pauxillum super lamellâ cupreâ (ferreâ) impositâ carboni vivo, reponat, sic brevi spatio pulvis liquefactus, cum maximo strepitu (& tonitru) instar bombardæ, in auras eliditur: quod potest inservire pro experimento in exploranda vi pulveris pyrii, qui simili modo construitur: aliàs in medicina forte non habet usum. (Experimentum insuper curiosum est, demonstrans fulminationem in Nitro existere, quod ex acido & alcali constet, per quæ fulminationem explicare possum. Nitrum enim est acidum, Tartarus alcali, committuntur, ut supra, & fit effervescentia, & excitantur vapores, qui clausi a sulphure, strepitum, cum prorumpunt, edunt).*

(Marg.) CAP. CLIV.

Oculor. Cancr. & Corallior. præparatio.

℞. *Oculor. Cancr. aut Corall. q. v. &c. vid. cap.* XXVIJ.

(Maets.) CAP. CLV.

Odontalgicum Rulandi.

℞. *Rad. Pyrethr. Tormentill.*
Sem. Staphisagr.
Papav. alb.

Plan-

Plantag. ana ʒ. iij.
Cort. rad. Hyosciam. ʒ. j. ß.
Opii Theb, ʒ. j.

Coq. in Aceto simul. Post coctionem Acetum filtra, & calidè loco dolenti applicetur.

Leviori autem artificio sic paratur:

℞. *Rad. Pyrethri.*
Sem. Pap. albi. ana q. pl.

Contund. in pulverem. His affunde s. q. Aceti vulgaris. Stent in digestione per hor. iij. vel. iv. Quibus peractis, Acetum decanta, & terendo in vase stanneo tantum Opii in eo dissolve, ut sufficienter flavescat.

Olea ex Vegetabilibus præparandi methodus: Processus tertius.

℞. *Vegetabilium, ex quibus Oleum præparare animus sit. q. p.* Committito vesicæ, & debitâ quantitate aq. pluvialis perfundito, & adjice manip. salis communis, & Tartari. Stent in digestione per xxiv. horas. Dein instituatur destillatio, ut artis. Ita Oleum obtinebis cum aqua odoriferum, quod vel supernatat, vel deprimitur ad fundum: quæ separari debent per vas separatorium.

Alio modo ex destillatione per retortam. (a) Processus quartus.

℞. *Vegetabilis cujusvis q. p.*

Eoque retortam vitream imple ad collum usque. Destillentur ex arena, igne satis forti. Ita obtinebis spiritum, & Oleum, maximè graveolens. Hoc Oleum à spiritu separato, &, ut dictum est, cum cineribus rectificato, donec limpiditate arrideat.

℞. *Ejusdem Vegetabilis recentis q. s.*

Eique affunde Oleum rectificatum, & digere simul per xxiv. horas in cineribus calidis: Quibus peractis, leni igne, instituatur destillatio. Ita obtinebis Oleum Vegetabilium rectificatum, odore, & sapore, sui Vegetabilis imprægnatum. Quod si Olea hæc etiamnum empyreuma redoleant, fœtorem corrigito cum aqua ex vesica.

Oleorum, & Spirituum, ex Vegetabilibus præparatio: Processus quintus.

℞. *Vegetabilis cujusvis (hac tamen conditione, ut salinæ, & sulphureæ, sit naturæ) q. p.*

SS His

(a) Hac via Oleo obtinentur empyreumatica dicta; non essentialia.

His affunde magnam aquæ vulgaris quantitatem, quibus adde manipulum j. vel ij. Salis decrepitati, & Tartari Rhenani. Macerentur per xxiv. horas: fiatque destillatio per vas serpentinum, ut artis est: ita enim superficiei aquæ supernatabit, vel subnatabit, Oleum desideratum, quod per chartam emporeticam madefactam, vel per vasa separatoria, ab aqua sua separandum.

Nota, quòd in subjectis durioris compagis & firmioris connexionis, maceratio ulteriùs extendi debeat, ut in Oleo lign. Rhodii, cinnamomi, similibusve aliis.

Spiritum verò si velis, fermentatio ut præcedat, oportet, cujus beneficio partes attenuari, & volatilisari, queant.

℞. *Vegetabilis cujusvis q. p.*

Contundatur, vel comminuatur, pro ratione subjecti. Huic adde sufficientem aquæ tepidæ quantitatem, quibus commisce debitam fermenti, vel florum cerevisiæ, quantitatem. Stent in hypocausto tepido. Ita enim, successu temporis, crusta quædam in superficie apparebit; antequàm subsideat, destillatio instituatur. Ita enim, loco Olei, obtinebis Spiritum desideratum, quem semel rectifica. Et hæc est methodus generalis.

(*Maets.*) CAP. CLVI.

Ophthalmicus Pulvis.

℞. *Sacchar. cand. finissim.* q. pl.

Tere in patina stannea nova, vel super plumbum recens fusum, quousque livescat, & præparatus est pulvis Ophthalmicus.

(*Margr.*) CAP. CLVII.

Opii correctio.

℞. *Opii (crudi) Thebaici, id est Ægyptiaci, in taleolas (lamellas) secti.* ℥. ß.

Imponatur patellæ ferreæ, aut laminæ, quæ teneatur super carbonibus (modicè) accensis, (ita ut Opium, emittendo & exhalando fumum & vaporem fœtidum, arsenicalem dictum, à vi illius narcotica paulo depriv[e]tur, & leniter torreatur, subinde taleolas spatulâ vertendo, ne comburatur,

buratur, donec Opium refrigeratum in pulverem conteri potest. Hoc ubi fit, statim ab igne removendum, & refrigeratum omne in pulverem conterendum, & erit Opium hoc modo correctum.

Usus. *Inservit parandæ tincturæ, & extracto Opii, & Laudano Opiato.*

CAP. CLVIII. (*Marg.*)

Opii Tinctura.

℞. *Opii, præcedenti modo correct.* q. v.

Affunde ei in phiola (vitro digestivo, vel Spir. Vin. rectif., vel, quod melius) Aceti destillat. (stillatit.) s. q. (ad supereminentiam aliquot digit. tranversf.) Digere per (diem &) noct. Tum fortiter exprime solutionem per pannum. Colaturam (repone, ut fœces ad fundum subsideant, tum decanta Tincturam &) serva usui, &, si placet, evapora ad dimidium, & Tinctura erit pulchrior, & pinguior.

Vires. *Conciliat somnum, aufert dolores, stuporem partibus inducit. Hinc dicitur anodyna, narcotica, & hypnotica, conducitque in pluribus affectibus; ingreditur utplurimum formulas liquidas (mixturas anodynas.)*

Externè in vigiliis pellendis, si linteum duplicatum in ea madefiat, applicetur que fronti & temporibus.

Dosis *internè gutt.* j. ij. (*vel* iv. *vel* v. *pro una vice*) *externè* q. s.

CAP. CLIX. (*Marg.*)

Opii Extractum.

℞. *Tincturæ Opii, præcedenti processu elaboratæ* q. v.

Evaporetur leni igne in ollula terrea vitreatâ (vel vitro lati orificii,) ad consistentiam (syrupi, tum lenissimo igne, in cochleari argenteo, aut etiam stanneo, in arena tepida ulterius evapora) picis (pilularum), dando operam, ne in fine comburatur. Quod fit, si spatulâ aliquâ perpetuò moveatur; quod relinquitur, dicitur Extractum Opii (ad consistentiam debitam redacti).

Vires *easdem habet cum tincturâ Opii, nec differt ab ea, nisi quod Extractum sub forma pilularum exhiberi possit.*

Dos. *est gr.* j. *vel* ij.

(*Margr.*) C A P. CLX.

Opiatum Laudanum.

℞. *Extract. Op. præcedent.* (*dum adhuc liquidius est, sive consistentiæ mellis*) ℥j.
Croc. Britan. pulverisſ. ʒj.
Castor. pulver. ʒß.

Misce, & in cochleari stanneo, aut etiam vitro, lenissimè super arena tepida evapora, (desicca, vel sine sponte loco calido exiccari) ad consistentiam pilularum: quod relinquitur, dicitur Laudanum Opiatum, sive Opium laudatum.

Vires. *Est anodynum, narcoticum, somniferum, & sudoriferum. Hinc magni usus; infinitis morbis conducit, ut in nimiis vigiliis, dolore colico, vel calculi, sive nephritico, podagrico, in hypercatharsi, sive superpurgatione, & in vomitu compescendo. Temperat acrimoniam sanguinis. Sistit febrilem paroxysmum. Sæpe observatum est expulisse calculum vesicæ vel renum. Jubet Paracelsus omnis magni morbi curationem ab anodyno inchoare. Ubi imprimis inservit Laudanum Opiatum, vel, si potiunculis sit addendum, ejus Tinctura.*

Dosis *summa in homine robusto, colica, aut nephritico dolore laborante, potest esse gr.* vj. *In febricitantibus vero, aut etiam debilibus, sufficiunt g.* iij. *gr.* ij. *gr.* j. *imo & gr.* ß. *& tum conducit aliquot gr. addere potiunculis, illaque exhibere per cochlearia, & diversas vices. Sylvius, ob frequentem Opii usum, vocatus est, cum Junior Medicinam faceret Amstelodami, Doctor Opiatus.*

Nota. *Nunquam debilibus, nec agonizantibus exhibendum.*

C A P. CLXI. (*Margr.*)

Opiatum Laudanum.

Opium anodynum est & narcoticum. Inde fiunt variæ compositiones, Antidota, & Electuaria. Extractum ejus seq. modo optimè paratur:

℞. *Opii, in lamellas dissect.* ℥j.

Superaffunde ei Aquæ commun. (pluvialis stillat.) q. s. (ad superemi-

minentiam iv. digit.) Coq. ſimul per quadrantem circiter horæ (ut Tincturam rubicundiſſimam Aqua ex Opio extrahat.) Tincturam claram à fæcibus effunde, fæcibuſque reſiduis novam Aquam affunde, &, ut antea, coque, hanc operationem tamdiu repetendo, donec (fæces) tincturam ampliùs dare negent. Sic (poſt extractionem) remanebit in fundo maſſa (materia reſinoſa) tenax inſtar picis, omnis ferè odoris, & ſaporis, expers, quæ poſtea in Sp. Vini tincturam ſuam deponit, at nullius ferè uſûs, niſi in externis, eſt. Fæces eædem reſtantes internè magnas anxietates circa præcordia efficere ſolent, ſine ullo doloris levamine. Tincturas omnes collectas, & ſimul mixtas, evapora (primo ſat forti igne, ut vapores maligni Opii ſimul cum aqua adſcendere queant. Sub finem vero lento igne) ad conſiſtentiam (priſtinam) mellis duriorem (pilularum,) & in uſum ſerva. Jam

℞. *Hujus Extract. Op. q. v.*

Huic adde

Extract. Croci (aquoſo etiam menſtruo parati,) part. quartam, vel dimidiam, pro libitu.
Ol. Gariophyll.
Camphor. ana gutt. j. vel ij. Vel.

℞. *Extract. Op.* ℥j.
Croc., cum Spir. Roris extract. & inſpiſſat. ʒij.
Ol. Cinam. gutt. x.
Gariophyll. gutt. vj.
Ambr. gryſ. gr. vj.

M. F. Laudanum Opiatum.

Vires. *Eſt Laudanum egregium & excellentiſſimum, efficaciſſimum & anodynum optimum, quod nunquam anxietates circa præcordia, neque obſtructiones ureterum, neque phantaſias (incommodas) conciliat, (ſed blandè dolores mitigat, & levem ſomnum inducit.)*

Doſ. *a gr.* j. *ad* iß.

CAP. CLXII. (*Maets.*)

Laudani Libavii præparatio (Anodyna & Sudorifera) ex Opio.

℞. *Opii (optimi) Thebaici, in taleolas conſciſſ., q. p.*

 Tor-

Torreatur in patinâ terreâ plani fundi, lento igne, quousque in pulverem digitis comminui queat (friabile evadat) sedulò cavendo, ne Opium in exiccatione empyreuma sibi conciliet, quo in casu ægris admodum nauseabundum esse solet.

℞. *Hujus Opii exiccati (& pulverizati)* ℥j.

Huic affunde

Sp. Vin. ordinarii stopam j. *id est, pint. Anglican. fere* v. (℥xxxx.)

Committantur leni digestioni per xxiv. horas, quandoque agitando phiolam. Insuper

℞. *Tartari alcalici. (ad albedinem calcinati)* ℥j.

Huic itidem affunde

Spir. Vin. stopam. j. (℥j.)

Stent in digestione, ut supra (quousque Salem Tartari in Spir. Vini solutum conspexeris, quo signo apparente.) Solutiones inter sese confunde, & per xxiv. horas digerantur simul (ita beneficio Salis alcal. Opium viscositate sua deprivatur) His peractis, filtrentur solutiones simul per quinque, vel sex, vices (quo sæpius eo melius:) ita enim, quodcunque nimis viscosum est, & glutinosum in Opio, remanebit in poris filtri (chartæ emporeticæ) transeunte tincturâ Opii clarâ, pellucidâ, & rubicundâ, & ad usus medicos doctè elaboratâ.

Hujus dos. *est à cochl.* ß. *ad cochl.* ij. (*vel urgente necessitate ad* iij.) *In infantibus exhibetur à gutt.* xij. *ad* xxx.

Vires. *Exhibetur hac tinctura in omnibus affectibus, quibus Laudanum Opiatum ullo modo succurrere potest, utpote in fermentationibus sanguinis sistendis, in doloribus sedandis, in resolutionibus alvi nimiis sistendis: in vertigine, in epilepsia, in febribus ardentibus, pleuritide, & similibus affectibus per sudores curandis.*

Nota bene. *Si Laudanum Opiatum interius adhibeatur, semper sales alcalici adjungendi erunt.*

(*Margr.*) CAP. CLXIII.

Laudanum Zwelferi facillimum.

♃. *Opii, superiori nostro modo correcti., q. s.*

Extrahe cum Sp. Vini rect. digerendo per d., & noct., & exprimendo per pannum. Tincturam Spir. Vini abstrahendo, redige ad consistentiam Syrupi. Tum leniter residuum evapora, aut exicca, ad consi-

fistentiam pilularum, & habebitur Laudanum paratu facillimum; quod Laudano Opiato substituit Zwelfer.

Vires *easdem habet cum Extracto Opii, à quo non differt. Causa hujus Laudani facillimi apud Zwelferum est, quòd ille, & non male, putat nullis adjectamentis posse Opium corrigi. Hinc cùm in Laudano Opiato vulgari ingrediantur Crocus, & Castoreum, ut corrigentia, neque illa in opinione Zwelferi ullum effectum præstent, commodiùs putat posse omitti.*

CAP. CLXIV. *(Maets.)*

Opii per fermentationem cum succo Cydonior. (a) præparatio.

℞. *Opii Thebaic.* ℔j.
Succ. Cydonior. express. & clarificat. ℔x.

Conscindatur Opium in taleolas, eique affundatur Succus Cydoniorum clarificatus. His adde

Salis Tartar. ℥j.
Sacchar. finissim. ℥iv.

Exponantur radiis solaribus, vel leni digestioni B. M., quousque flores in superficie eructatos observes, sub quibus floribus latitat noxium narcoticum Opii. In fundo verò hærebit terra Opii inefficax, medium locum occupante tincturâ Opii instar rubini coloratâ, quam per filtrationem cautè à floribus, & capite mortuo, separa, lenique destillatione ad mellis consistentiam coge. Huic affunde Alcohol Vini ad s. q.

(a) Huic præparationi correspondet seq. Helmontiana:
℞. Succ. Cydoniorum recenter express. ℔x.
Op. crud., in taleolas minimas dissect., ℔j.

Stent in leni calore, ut fermententur per septiman. ij. vel iij. Fæcibus postea subsidentibus, liquor clarus effundatur, cui adde

Cinnamom. ℥iij.
Gariophillor.
Mac.
Nuc. moschat.
Cardamon. ana ℥j.
Galang. minor. ℥iß.

Detineantur in calore ulteriori per dies ij. vel iij. liquor filtretur, & levi igne evaporetur ad consistentiam pilularum; extractum hoc in vitreis, vel stanneis instrumentis usui serva.

ſ. q., fiatque de novo extractio. Sp. verò Vini, eſſentiâ Opii imprægnatum, per aliquod tempus circula. Ita enim igneo hoc Spiritu matureſcet Opium, ac mutabitur in medicamentum tutum, & efficax, de quo conſulatur Langelottus in ſuis epiſtolis.

(*Maets.*) CAP. CLXV.

Panis Secalini Collyrium ad incipientes Cataractas.

℞. *Panis Secalini recentis* q. pl., *ex quo per deſcenſum elicias Spiritum.*

℞. *Hujus Spiritus.* ℥. iij.
Croci Metallor. ſive Hepatis Antimon. ʒ. ij.

Fiat infuſio per horas xxiv. Filtra, ipſique tincturæ filtratæ adde
Vitriol. Veneris, ſive Chryſtallor. Veneris q. ſ. ad levem cœruleitatem inducendam.

Filtra, & uſui reſerva.

(*Maets.*) CAP. CLXVI.

Potio Philomedica, cujus mentionem facit Kreucknerus, & Frondekius in tractatu de Elixire Arboris Vitæ.

♃. *Flor. Cyani ſegetum.*
Bugloſſ. ana m. j.

Coq. leniter in ſ. q. Aq. Pluv. per horæ quadrantem, & in fine bis, terve, ebulliant, & ſtillatim affunde Sp. Vitriol. ſ. q. ad gratam aciditatem. Ita illico rubeſcit tota tinctura inſtar ſanguinis, quam per pannum laneum filtrato, tantumque Sacchari puriſſimi addito, q. ſ. ad gratiam.

Vires. *Valet hoc Julapium in febribus ardentibus, in morbillis, in ſiti extinguenda. Solet enim potenter ardores ſanguinis reprimere, & per ſudores, & urinam, operari.*

Nota, *quòd* Elixir arboris Vitæ *nil aliud eſt, quàm præparatio lap. Hæmatit. cum ſale Ammoniaco, ut dictum de* tinctur. Martis volat. adſtringent.

CAP.

CAP. CXLVII. (*Maets.*)

Pilulæ Hypochondriacæ.

℞. *Gumm. Ammon. cum aceto prepar.* ℥ß.
Mastich. elect.
Carab. albiss.
Limatur. Mart. in alcohol. contrit. ana ℈j.
Myrrh. rubr. ℈ß.
Trochisc. Alhandal. ℈j.
Resin. Jalapp.
Scammon. ana gr. xv.
Ol. Mac. stillatit. gutt. viij.
M. F. Pil. N. xxx. Deaurentur.
Dos. *Pil.* iij.

Vires. *Exhibentur felicissimè in obstructionibus lienis, mesenterii, & mensium.*

CAP. CLXVIII. (*Maets.*)

Pilulæ Catholicæ.

℞. *Sal. Tartar. albiss. & probe exiccat.* q. p.
Huic adfunde
Ol. Terebinth. lucid. q. s.
Committantur, in vitro lati fundi, leni digestioni, semel indies agitando, quousque superficiem sapone vestitam observaveris, quam cochleari argenteo aufer. Hoc continua, donec omne Oleum Terebinth. in Saponem conversum sit.

℞. *Hujus Sapon. part.* ij.
Extract. opii, nostra methodo præpar.
Hellebor. nigr.
Pulv. Glycirrhizæ tenuiss. ana p. j.
M. F. Massa Pilularum.

Has Pilulas si magis diureticas volueris, addito justam dosin sudoriferi ex Antimonio præpar. Vid. processum sub hoc titulo.

(*Maets.*) CAP. CLXIX.

Pilulæ Cephalicæ Mayerni.

℞. *Fol. Rorismarin.*
Card. bened.
Meliss.
Rad. Cichor.
Flor. Stæchad. Arab.
Centaur. minor. ana M.j.
Fol. Senn. ℥ß.

Bulliant omnia in s. q. aq. fontanæ ad remanentiam ℔. ß., in qua dissolve
Aloës elect., in aq. Rosar. lot. ℥iv.

F. evaporatio ad consistentiam Pilularum.
Dos. *à* ℈ß. *ad* ʒß.

(*Maets.*) CAP. CLXX.

Pilulæ trium Diabolorum.

℞. *Trochisc. Alhandal.*
Diagrid. ana gr. iv.
Mercur. dulc. gr. viij.

M. L. Pilulæ N. iv. cum Syrupo Stœchados, pro dosi in robustis.
Vires. *Specificæ sunt ad gonorrhæam.*

(*Margr.*) CAP. CLXXI.

Plantarum Incineratio, earumque Sal Lixivum & fixum.

℞. Herbam siccatam quamcunque, imprimis tamen stipites v. g. absynthii, fabarum, saponariæ, centaur. minor. (rut. card. bened. sarment. vitium. exiccat, aut virid.) fasciculos iij. quatuorve. Incende per vices, sub camino, super areâ pura, rediganturque igne aperto in cineres (*a*) (perfectos, non amplius nigros carbonum instar, sed cinerei coloris)

a Albos, quo enim albicantiores, eo majorem salis quantitatem proferunt.

loris) qui relinquantur, donec ſponte extinguantur, agitando illas interdum forcipe, ut bene comburantur.

Cineres hos (refrigeratos & cribratos) (*a*) poſtea recipe, & in olla ferrea (*b*) illis affunde aquæ pluvialis puræ, aut alterius optimæ q. ſ. Digere ſuper igne modico per hor. xxiv. In fine fac, ut ebulliant. Tum cola primùm per linteum denſum, dein per chartam. Colaturam, (plerumque flavam) quæ propriè *Lixivium* (aqua, ſale lixivo imprægnata, uſui ſervanda) dicitur, evapora in olla ferrea munda ad ſiccitatem uſque; & relinquetur in fundo ollæ *Sal Lixivum*, *ſive fixum* (iſtius Plantæ) (*c*) dictum, ſed valde impurum (& nondum alcalizatum.) Exime hoc Sal, & in crucibulo ignito, ſuper carbonibus accenſis (igne circulari) fortiter reverbera, ut fluat etiam inſtar aquæ. Tum effunde fluidum Sal ſuper tegulam (laterem, porphyritem pur.) Refrigeratum (vitreæ materiæ inſtar) redige in pulverem, quem aquâ calidâ ſolve. Digere per noct. tum filtra per chartam. Sic habebitur aqua puriſſima, quæ in vitro evaporatorio leniter evaporanda eſt, vel ad tertiæ partis, vel ad totalem conſumptionem aquæ. Si primum fiat, Sal concreſcet in chryſtallos, ſed citò perituras. Si poſterius, habebitur Sal albiſſimum, quod ſuper tegula purâ (crucibulo mundo) & accenſis carbonibus paululum (fortius) reverberatum ſtatim inſeri vitro debet, quod ſubere clauſum illud præſervat ab aëre, ne per deliq. ſolvatur: Et hoc eſt illud Sal, quod propriè *Alcali* (Plantæ Alcalizatæ & calcinatæ) dici debet, & vulgò dicitur *Sal fixum*, & *Lixivum* (puriſſimum omni acido ſenſibili deſtitutum) Sed quia raro hæc Salia reverberant, hinc plerumque multum acidi in ſe continent, unde minùs rectè Alcalium nomine cenſeri poſſunt.

Vires. (*Talia*) *Salia Lixiva* (*alcalia*, *fixa*, *reverberata ſunt penetrantiſſima*) *omnia potenter attenuant*, *&* *incidunt* (*aperiunt*, *reſolvunt*, *liquant*, *mordent*, *lancinant*, *pungunt*), *fundunt liquores* (*humores*) *quoſvis*, *acidi* (*quod in momento deſtruunt*, *ſibi adjungunt*, *&* *cum eo in verum ſal concreſcunt*) *participes*, *movent urinam*, *reſerant* (*aperiunt*) *obſtructiones*, *alvum laxant*, *ſudores cient*, *cutis poros aperiunt*, *anody-*

a Non neceſſe eſt illos cribrare.

b Potius terrea, aut cuprea ſtanno obducta: quia ſal facilè nigredinem a Marte contrahit.

c Cujus tamen odoris, ſaporis, & reliquarum proprietatum expers eſt ſal, ſi torturam ignis vehementiorem ſuſtulit.

na sunt (verum, si in nimia copia adhibeantur, totam sanguineam massam veneni instar, penitus destruant.)

Dos. *in substantia ad ℈. ß. imò ad ℈. j. (ʒß.) in aquis destillatis.*

(*Margr.*) CAP. CLXXII.

Plantarum Sal Essentiale.

℞. *Plantæ cujusvis recentis (imprimis tamen lignosi.) v. g. rutæ hortensis, absynthii, card. ben. (artemisiæ) magn. quantit.*

Concide, & contunde, illas minutissimè. Repone tum in cellam per aliquot dies. Tum per linteum crassum manibus, aut sub torculari, succum exprime. Alii plantam (cum magna aq. pur. quantitate) coquunt prius (per hor. ij. vel ad dimidium usque), & tum succum (fortiter manibus) exprimunt (expressum per pannum colant).

Hunc succum, addito j. vel ij, album. ovi conquassato, coque, despuma (perforato cochleari inter bulliendum), filtra (trajice) per manicam Hippocratis, clarificatum (colaturam leniter coquendo in vase vitreo mundo) evapora, ad minimum ad quartæ partis consumptionem (syrupi consistentiam liquidioris) (a). Tum repone vas per aliquot (viij. vel x.) dies in cellam. Sic concrescent chrystalli (lapides splendentes) quædam in liquore (circa fundum vasis), Sal (Essentiale Plantæ decoctæ dictum) aliquod repræsentantes, quod tamen purum haud est, verùm potiùs tartarus quidam, ex sale (acido & alcali) tum volatili, tum fixo, oleo, terrâ, & phlegmate, conflatus.

Vulgus Auctorum minùs rectè ad salia volatilia refert. Est enim potiùs succus integræ Plantæ, vel particulæ magis activæ ejus, repræsentantes ex parte naturam totius Plantæ, unde etiam saporem ejus, & odorem, produnt.

Vires. *Aperiunt, & resolvunt, unde ventriculo, & primis viis, conducunt (ut & obstructionibus, in cienda urina, aliisque affectibus).*

Dos. (℈ß.) *ad ℈. j. in aliquo liquore.*

(a Ad cuticulæ apparentiam.)

CAP.

CAP. CLXXIII. (Maets.)

Pinguedinis Humanæ Oleum.

℞. *Pinguedinis Humanæ, à membranulis separatæ. q. p.*
Liquefacito, ita ut bene fluat, eique misceto tantum Cinerum cribratorum, ut globuli inde formari queant. Hos globulos committito retortæ vitreæ, & ex arena Oleum, instar spiritûs tenue, propellito: Quod si tenuius, & penetrantius, desiderabis,

℞. *Alcohol Vini,*
Hujus Olei ana p. æqual.

Stent in digestione tepidâ, quò longiùs eò melius: Ita Oleum per Alcohol Vini attenuatur, & mentitur ipsum Spiritum. Alcohol postmodum, lenissimo igne, ab Oleo auferto, & obtinebis Oleum in fundo vasis tam tenue, ut, instar spir. volatilis, poros nostri corporis permeare valet.

Vires. *Hoc per se illitum ratione suorum salium acerrimorum, cutem arrodere solet, ac proinde commodè miscetur cum axungia porcinâ, ursinâ, & cerâ; vel cum medullâ boum, equorum, & similium animalium, eâ quantitate, ut linimentum referat.*

CAP. CLXXIV. (Maet.)

Purgantis specifici in Podagra præparatio.

℞. *Elect. Cariocostin.* ℥. ß. (*Si quis autem alvi fuerit durioris, addito resinæ Jalappæ à gr.* ij. *ad gr.* vj.)
Huic affundito
Vini albi generosi. ℥. vj.

Stent in digestione tepidâ per noct. Manè transcolentur per linteum, & sic potionem purgantem in Podagra specificam obtinebis.

CAP. CLXXV. (Maets.)

Aqua specifica ad Quartanas.

℞. *Rad. Bryon.* ℔j.

Raphan. rustican. ℔ij.
Fol. Cochlear. m. iv,

Contundantur inter se, & mixtis affunde

Vini albi generosi ℔iv.

Macerentur simul per dies viij. Dein destillentur in B. M. ad siccitatem usque.

℞. *Hujus Aquæ*
Vini alb. ana ℥viij.
Nuc. Moscat. pulverizat. ℈j.
Sacchar. ℥β.

Paulò ante paroxysmum exhibeatur in declinatione febris. Exhibeto insuper

Tinctur. Gariophill. ad ℥j. *mixtam cum*
Vini generos. ℥iv.

Præparatur autem Tinctura Gariophyllorum mediante simplici digestione cum sp. Vini vulg. (*a*) & Gariophillis per medium dissectis.

(*Maets.*) CAP. CLXXVI.

Resinarum præparatio, ut & justa earum exhibendi methodus.

℞. *Jalappæ, vel Scammon. vel Agaric. q. p.*

Redigas in pulverem tenuem, eique affundito.

Sp. Vini vulgaris ad eminentiam iv. *digit. transv.*

Stent simul in digestione per 40. horas. Ita Spir. Vini (absque perturbatione fæcum decantandus) in se combibit partes resinosas (*b*) prædictorum subjectorum, (purgantium) quas separare hac methodo oportet:

℞. *Spir. Vini, tincturâ Jalappæ, vel Scammonii, vel similium; impragnati. q. p.*

Hunc stillatim confundito cum Aq. pluviâ frigidâ. Ita illico lactescet. Hoc peracto (si Spiritum Vini recuperare desideraveris) committito cucurbitæ, & per alembicum, lento igne, pars subtilior, quæ eidem usui de novo inservire poterit, auferatur (secus enim fiat leni igne evaporatio ad totalem siccitatem.) Partem verò in cucurbita remanentem eva-

a Vel cum alkahest Glauberi, vid. pag. 322.
b Sulphureas & salinas.

evaporato ſenſim, & ſenſim. Ita primitus tibi apparebit materia valde viſcoſa, quæ tandem ulteriore evaporatione inſpiſſata ſpeciem quandam (*a*) Reſinæ offeret. Sed quandoquidem hæ Reſinæ (glutinis inſtar tenaces, & refrigeratæ duræ &) valde ſunt viſcoſæ (*b*) ac eatenus (*c*) mordicus inteſtinis adhærere, ibique tormina excitare ſolent, huic malo hâc methodo præcavere debes:

℞. Juſtam Reſinæ alicujus doſin, eamque diſſolvito in Vitello Ovi, (vel cochleari Spiritûs Vini) continuò agitando in mortario, donec Reſina in Vitello Ovi ſit reſoluta. Poſtmodùm miſceto cum juſculis, lacte amygdalato (*d*), cereviſiâ, vel ſimilibus aliis liquoribus (vehiculis) ægroque exhibeatur. Hoc enim in caſu feliciter purgare ſolent Reſinæ, nec ſymptomata maligna ullatenus excitant. Quòd ſi diagridium mitigatum facillimâ viâ præparare tibi animus ſit, hoc modo procedito: *Vide proceſſum, cui titul. Mitigatio Diagridii, in verbo Scammoneum.*

Doſ. *Reſin. Jalapp. eſt à gr.* iv. *ad* xij.
Scammon. à gr. iij. *ad* viij.
Agaric. à gr. iv. *ad* x.

CAP. CLXXVII. (*Margr.*)

Roſarum Spiritus.

℞. *Roſarum pallidarum, à calicibus ſeparatarum* ℔xij.
Inde doliolo querno. Tum adde
Fæcum Cereviſiæ recentium ℔iij.
Aquæ ferventis. ℔x.

Tegantur operculo, cui imponatur lapis ſatis gravis, & ſic repone ad fermentandum per dies XL. Tum inde veſicæ cupreæ, & affunde Cereviſiæ generoſæ, & antiquæ, ℔. XL. Deſtilla cum refrigeratorio ad tertiæ partis remanentiam. Quod prodit, rectifica per M. B., & habebitur Sp. Roſarum fragrantiſſimus, & inflammabilis, qui ſervetur uſui.

Vires. *Eſt cephalicus, & cardiacus. Uſurpatur præcipuè ad refocillandos*

a Colophoniæ.
b Potius Reſinoſæ, & non facilè ſolubiles.
c Per ſe, abſque additamento exhibitæ.
d Pro delicatulis, quibus ad gratiam additur julapium roſarum.

landos ægros. Miſcetur potiunculis cardiacis; cum moſchô, & ambrâ gryſeâ, redigitur in eſſentiam ambræ, aut moſchi.

(Marg.) CAP. CLXXVIII.

Roſarum Aqua.

℞. *Roſarum pallidarum* ℔x.
Indantur recentes (mundatæ tamen à calicibus) veſicæ; & affuſâ aquâ purâ macera per xxiv. horas. Tum deſtilla quartam earum partem per veſicam, cum refrigeratorio, ad ſiccitatem; ne tamen comburantur. Aquam deſtillatam affunde alteri quartæ parti, &, abjectis fæcibus prioribus, ex eadem veſica, deſtilla, ut antea. Aquam deſtillatam adde tertiæ quartæ parti, & iterum deſtilla, ut antea. Hanc Aquam affunde ultimæ quartæ parti Roſarum, & deſtilla, ut antea, ad (dimidiam liquoris partem, aut q. libet) ſiccitatem fere. Sic habebitur Aqua Roſarum valde pinguis, & fragrans, quam ſerva uſui.

Vires. *Refrigerat, (ſiccat) & humectat: cardiaca, & cephalica eſt. Uſus in julebis, emulſionibus, & potiunculis.*

Doſis *eſt pro re nata (ad* ℥j. *vel* ℥ij. *redacta in Julapium cum ſaccharo tabulato.)*

(Marg.) CAP. CLXXIX.

Roſarum Tinctura (& omnium Florum Cordialium.)

♃. *Flor. Roſar. rubr. ſiccat.* m. j.
Illis in vitro oblongo, aut phiolâ, affunde

Phlegmatis Vitrioli rect. (vel aq. ferventis, addendo ultimo Ol. Vitriol. gutt. aliquot) q. ſ.

Digere, vitro optimè clauſo, per hor. xxiv. (donec tincturam ſat rubicundam liquor aſſumpſerit.) Tunc cola per pannum etiam fortiter exprimendo. Colaturam per noctem repone. Tum decanta à fæcibus Tincturam claram (per duas circiter ſeptimanas) ſerva uſui.

Vires. *Refrigerat, ſiccat, adſtringit (in morbis & febribus ardentibus convenit, ut & tempore æſtivo, humores bilioſos temperat.) Conducit in compeſcendo vomitu, in ſiſtendâ diarrhæa, aliiſque fluxibus tollendis.*

Doſ.

Dos. *est* ℈j. *vel* ij. *edulcorata facchara (vel convenienti fyrupo) aut in aliis mixturis.*

CAP. CLXXX. (*Margr.*)

Sal polychreston Parisiensium.

℞. *Nitri purissim. Sulphur. comm. ana* ℥ij.

Terantur subtilissimè, cribrentur, misceanturque. Hæc massa per vices ingeratur in crucibulum, super carbonibus ignitum, comburaturque, donec pulvisculus gryseus remaneat. Hunc pulverem solve aquâ ferventi, filtra per chartam, & evapora ad siccitatem, & relinquetur Sal albissimum (*a*), quod servetur usui.

Vires. *Insigne est deobstruens in febribus intermittentibus, si inseratur ordinario potui ægrorum.*

Dos. *est* ℈j. *pro unâ vice, in cerevisiâ, vel aq. pura.*

CAP. CLXXXI. (*Marg.*)

Salium Fixatorum Volatilizatio.

℞. *Sal. Volatile quodcunque, per spiritum aliquem acidum fixatum.*

Adde ei Alcali quodcunque (*b*) (utraque tamen debent esse priùs contrita.) Indantur retortæ vitreæ, & affusâ s. q. Aquæ puræ, ut commodè solvi possint, fiat destillatio ex arena ad siccitatem usque, & unà cum Aqua prodibit Sal Volatile, quod antea ab acido ligatum erat, absorpto nempe acido ab alcali admixto. Hoc Sal Volatile destillatione per alembicum in formam siccam sublimari potest.

Usus. *Est tantùm experimentum continens modum Salia fixata volatilizandi.*

a A lapide prunellæ non differens, nisi ratione additæ majoris quantitatis sulphuris.

b Fixum tamen. Exemplum habemus in salis Ammoniaci confectione & destillatione, &c.

(Marg.) CAP. CLXXXII.

Salium Volatilium Fixatio.

℞. Sal Volatile quodcunque v. g. cranii humani, fuliginis, cornucervi, (Ammoniac.) urinæ, &c. Affunde ei guttatim aliquem Spir. acidum, nempe Spiritum Salis communis, aut Vitrioli, aut Nitri, (q. s. id est) quamdiu effervescit. Desinente effervescentiâ Fixatio est peracta. Filtretur liquor per chartam, & in vitro evaporatorio, in arena leniter evaporetur ad siccitatem usque; & relinquetur in fundo Sal volatile, & acidum simul in massam unam concentratum; nempe Sal aliquod ex acido, & alcali, (volatili) conflatum (solvatur hæc massa aq. Rosarum: filtretur per chartam: atque iterum evaporetur ad siccitatem. Repetatur hæc solutio aliquoties semper iterum evaporando ad siccitatem; & relinquetur tandem Sal. Vol. Fixatum albissimum, odore Rosarum præditum.)

Usus. *Præter id, quòd processus hic ostendit modum Salia volatilia conservandi in longum tempus, ne avolent, insignem quoque vim habent talia salia fixata (volatilia) incidendi, attenuandi (materias viscidas resolvendi, unde conducunt in variis morbis ab hujusmodi humore productis, nempe in obstructionibus, calculo, podagra.) sulphura (fœtida ex sanguine exhauriendi &) destruendi, fermenta peregrina (varia coagulandi &) imbibendi, unde à multis Medicis pro arcanis, & pandceis habentur, possuntque omni tempore per addita alcalia ad Volatilitatem suam reduci.*

Dos. *sunt gr.* vj. *vel* viij. *ad* ℈ß.

(Marg.) CAP. CLXXXIII.

Salium Chrystallizatio.

℞. *Nitr. Sal. comm. Ammon. Vitriol. Alum. vel quodcunque aliud.* Solve in s. q. Aq. ferventis, quantum Aquæ capere potest. Filtra statim per chartam, colaturam in vitro repone in cellam per xxiv. hor.; sic concrescit Sal in Chrystallos, quæ nihil aliud sunt quam Sal depuratum. Decanta Aquam superfluitantem, & chrystallos super charta leniter sicca. Aquam vero in vitro evaporatorio evapora ad dimidium, &

& procede, ut ante: hæcque toties est repetenda operatio, donec omnis Aqua in Chrystallos abiit.

Hæ Chrystalli figura & colore aliquo modo differunt. Sic nitrum præbet Chrystallos oblongas & albas; vitriol. virides, quadratas, & mire scintillantes; alumen similiter quadrangulares, fulgentes instar adamantis.

Usus. *Est tantum depuratio Salium, ut sc. habeantur pura, & ab omnibus heterogeneis, ac mixtis, libera.*

CAP. CLXXXIV. (*Marg.*)

Salis communis Decrepitatio.

℞. Sal. commun. (marin.) ℔ß.

Inde patellæ terreæ non vitreatæ (mundæ tamen,) quam impone carbonibus (modicè) accensis, & spatulâ ferreâ Sal crebrò (& sedulo) agita (commove;) audieturque magnus strepitus Salis ab igne agitati, qui vulgò *Decrepitatio* dicitur. Relinquatur Sal tamdiu, donec non ampliùs crepet, (strepitum edat) sed (quietè) sub forma pulveris (tenuis) relinquatur. Hic pulvis dicitur *Sal Decrepitatum (ustum, calcinatum & desiccatum:)*

Usus. *Inservit reverberandæ calci Solis (& multis aliis operationibus chymicis,) destillando spiritui Salis, cœmentandæ antimonio, (ejusque regulo rubro) & Veneri, (ejusdem croco. Ingreditur etiam cæmenta Chymicis regalia dicta, hoc est aurum & argentum) aliisque pluribus usibus.*

Processus secundus.

℞. Sal. comm. decrepitat. ℔ß.
Bol. rubr. vulgar. subtilissimè pulverizat. ℔jß.

Fiat destillatio ex retorta terrea, in igne reverberii, cum amplo recipiente, per hor. xxx. primo leni igne, postea fortiori: sic prodibit cum nebulis albis Spir. Sal. comm., qui usui servetur.

Vires & Dosis *conveniunt cum præcedentibus.*

(Margr.) CAP. CLXXXV.

Salis Spiritus Augmentatio.

℞. *Spir. Sal. cum Ol. Vitriol.* ℥ij.
Sal in Aq. sol. ℥j.

Misce, & destillentur, ut ante: Sic prodibunt ℥iij.; Et hoc in infinitum potest repeti, ita ut sine ullis sumptibus Sp. hic in promptu esse possit.

Nota 1. In fundo remanebit Sal, quod elixiviatum aquâ communi, & denuò in chrystallos redactum, Sal constituit mirabile, maximè diaphanum, chrystallizationi sacchari, & mellis, inserviens.

2. Si Sp. tam fortis non expetatur, quarta pars Olei Vitrioli sufficiet.

Vires. *Plurimis operationibus Chymicis, & vulgaribus, inservit. Internè sitim extinguit, febribus convenit, & refrigerat, effervescentiam sanguinis sedat. Gratioris saporis est, & minus violentus, quàm est Sp. Salis vulgariter destillatus.*

Dos. *à gutt.* ij. *ad* x.

(Marg.) CAP. CLXXXVI.

Salis dulcis Spiritus.

℞. *Sp. Salis communis, sive Marini, (rectificat.,)* ℥iv.
Sp. Vini rectificatissimi ℥xij.

Misce, & ex retortâ vitrea, in arena, destilla ad siccitatem usque, cavendo in fine, ne ignis nimis urgeatur, quia aliàs retorta frangitur. Sequenti die, retortâ refrigeratâ, reaffunde destillatum Spiritum, & iterum destilla ad siccitatem usque: Quod & tertiâ vice repetatur (eruntque hi duo Spir. inseparabiliter uniti in unam massam, quæ servetur usui) eritque odoris fragrantis, & coloris limpidissimi (diciturque vulgò Aqua Temperata.)

Vires. *Est diureticus (& lithontripticus,) & alexipharmacus, subtilissimarum partium. Extinguit sitim, præservat humores à corruptione. Imprimis conducit febribus malignis, & pesti, tam cum potu ordinario exhibitus, quàm saccharo (quantum capere potest, ut fiat liquor syrupi-*

rupi instar,) exceptus (peculiare est menstruum pro solvendo Sole.)

Dos. *per se est* ℈j. *in poculo cerevisiæ (aquæ destillatæ,) Vel, si est Syrupus, cochleare* ß.

CAP. CLXXXVII. (*Maets.*)

Præparatio Spir. Sal. dulcis volatilis.

℞. *Salis commun. calcinati usque ad minutum fluorem.* ℥iv.
Ol. Vitriol. rectificat. ℥j.
Alcohol. Vini. ℥iv.

Sal commune calcinatum committe retortæ vitreæ, eique affunde Alcohol Vini, & postmodùm adde guttatim Ol. Vitrioli, leniſſimoque igne destillentur simul ad siccitatem usque.

Vires. *Egregiè hic Sp. restaurat appetitum prostratum, incidit potenter pituitam viscidam, & feliciter obstructiones solvit, efficaxque est menstruum ad tincturas ex triplici regno educendas.*

Dos. *in haustu vini, aut liquoris convenientis, à gutt.* x. *ad* xx.

CAP. CLXXXVIII. (*Marg.*)

Sal Mirabile Glawberi.

℞. *Caput mortuum, in destillatione Spiritûs Sal. Glauberi relictum.* Diſſolve in aquâ ferventi, vel ad minimum tepidâ; ne tamen vitrum rumpatur. Solutum filtra per chartam, colaturam evapora, (*a*) ut tertia tantùm pars pereat. Residuum relinque in loco frigido per xxiv. horas (*b*); & liquor, magnâ ex parte, concrescet in chrystallos in superficie præsertim. In fundo autem hærebit liquor valde corrosivus, qui à chrystallis separandus est. Chrystalli vero non debent esse corrosivæ, sed, vel salsæ tantùm, vel ex salso dulces. Quòd si corrosivæ sint, tum significat, nimis multum esse evaporatum ex aquâ, in qua continebantur: necesseque est, adhuc semel diſſolvere aquâ purâ, iterumque filtrare, tum evaporare, sed caute, ne nimium aquæ evaporetur, sed tantùm, ut poſſit hoc Sal commodè chrystallizari.

Usus. *Hoc Sal (chrystalli) coagulatum leniter, exiccatumque super char-*

a Ad cuticulæ apparentiam.
b Per dies iij. vel iv.

charta alba) arena (calida) in pulverem (albissimum) vim habet coagulandi diversos liquores, nempe cerevisiam, vinum, acetum, si una pars Salis hujus calcinati misceatur cum tribus partibus liquoris, reponanturque per noctem. Sic liquor cum Sale abibit in glaciem.

(*Marg.*) CAP. CLXXXIX.

Terra Virgo.

℞. *Capit. mort. Spir. Sal. comm. processus secundi.* q. v.
Ei affunde s. q. Aquæ ferventis, idque in olla ferrea. Digere per noct. Tum leniter decanta Aquam limpidam, eamque filtra, & colaturam evapora in olla ferrea ad siccitatem usque, & relinquetur in fundo sal aliquod fixum albissimum, quod servetur usui. Hoc enim Helmontio *Terra Virgo* dicitur.

Usus. *Inservit parando lapidi Butleri. Aliàs est Sal non absimile alcali alicujus: particeps tamen adhuc acidi est.*

(*Marg.*) CAP. CXC.

Lapis Butleri.

℞. *Hujus Terræ Virgin.* q. p. *nempe.* ℥. j.
Fluat in crucibulo super igne satis valido. Quando fluxerit, effundatur tum super lapidem mundum.

℞. *Hujus refrigerati* ℥. v.
cui adde

Primi Entis Veneris, non edulcorati, ℈. v.
Usneæ. ℈. ß.

Misce, & subige cum pauxillo Aquæ, in quâ Ichtyocolla soluta fuit, & redige, vel in unam massam, vel in plures trochiscos, aut lamellas quadratas. Hic enim Helmontio dicitur *Lapis Butleri.*

Vires. *Habetur Helmontio pro medicamento universali, quod solo tactu, affrictu, vel linctu, omnem morbum internum sanare creditur: Quâ de re videatur ipse Helmontius in libello dicto* Butler.

CAP. CXCI. (*Margr.*)

Salis communis Regeneratio.

℞. *Sp. Salis commun.* ℥. j.
Ei guttatim affunde
Olei Tartari per del., quamdiu effervescit. s. q.
Mixturam evapora ad siccitatem, & relinquetur in fundo Sal commune, artificialiter constructum ad modum Salis naturalis.

CAP. CXCII. (*Maets.*)

Salium Volatil. merè alcalium præparatio, & rectificatio.

℞. *Rasuræ Cornu Cervi, Eboris, Cranii humani, Ungularum equorum, vel similium.* q. p.
Committas retortæ vitreæ, &, ex arena, per successivos ignis gradus, destilles, quousque oleum, & sp. in fundo recipientis, Salem verò Volatilem undiquaque ejus lateribus adhærentem, animadverteris. Omnibus refrigeratis oleum separa à spiritu, per chartam emporeticam madidam, illudque misceto cum cineribus ossium calcinatorum, cum calce vivâ, vel sale tosto; & leni igne instituatur rectificatio. Ita Oleum tuum evadit limpidum, magnamque sui empyreumatis partem in fundo retortæ relinquit. Quod si primâ rectificatione non satis votis respondet, per secundam corrigere poteris, quousque limpiditate suâ satis faciet expectationi tuæ.

Salem verò Volatilem, oleo suo fœtido inquinatum, ad puritatem ut reducas, hanc methodum prosequere:

℞. *Salis Volatil., Oleo suo fœtido inquinat.* q. p.
Cum eo misceto tantam ossium calcinatorum cinerum, quantitatem, quæ omne humidum, & pingue, absorbere queat, ita ut massa tua pulverem siccum referat. Quo peracto, massam tuam exiccatam alembico vitreo committe, & leni igne instituatur sublimatio. Ita aridi cineres ossium calcinatorum imbibunt oleosas, fœtidas, & ramosas particulas, adscendentibus in altum particulis Salinis, magis Volatilibus, quas seorsim collige, & usui reservato: Et hæc est ratio generalis in rectificandis omnibus Salibus Volatilibus, alcalium naturam referentibus. Cùm autem

autem Sal Volatile succini spiritum quendam acidum secum conjunctum habeat, ac proinde per vasa vitrea se difficulter rectificari patiatur, hâc aliâ methodo uti debes:

℞. *Sal. Volatil. Succin.* q. p.
Salis calcinati, donec crepatura desinit, ut de cineribus supra dictum.

Loco autem vasis vitrei sumito testam terream, eamque pyramide chartaceâ munito, & mediocri igne sublimationem tuam instituito; & hâc ratione charta poris suis combibit Spiritum acidum, & Sal Volatile undiquaque lateribus instar florum adhærebit, quos collige, & usui reserva.

(*Maets.*) CAP. CXCIII.

Præparatio Salis Volatilis, in forma siccâ, Oleosi, seu Essentiæ Vegetabilium.

℞. *Sal. Tartari bene purificati, partes quatuor,*
Olei cujusvis Vegetabilium, partem unam.
Salis Volatilis Urinæ, vel Ungularum Equorum, vel Cornu Cervi, similiumve, partes duas.

Salem Volatilem tuum in pulverem conterito tenuem, eique misceto Oleum tuum: Quibus tandem adde Sal Tartari, &, quàm citissimè poteris, phiolæ committito sublimatoriæ, lenique admodùm igne Salem Volatilem, essentiâ Vegetabilium imprægnatum, in altum propellito. Quòd si contingat, quòd ex morâ nimia Sal Tartari humidum aëris imbibat, ac proinde vel in medio, vel in fine, sublimationis, humidum in altum elevetur, quod facile ex dissolutione Salis Volatilis, lateribus sublimatorii adhærentis, dignoscere poteris, subitò omnem ignem tollito; humidum enim omnem tuum Salem jam sublimatum secum veheret ad fundum phiolæ sublimatoriæ. Vel tali methodo procede:

Phiolæ sublimatoriæ committito Sal Tartari tenuiter pulverizatum; eique affundito Oleum, & postmodùm Salem Volatilem. Stent simul per dies iij. vel iv. absque igne. Postea, ut dictum priùs, sublimato.

Vires *harum Essentiarum conveniunt cum dotibus subjectorum, ex quibus Olea sunt desumpta. Utpote, si hæc præparatio facta sit cum Oleo sa-*

sabinæ, Sale Volatili, & Sale Tartari, ut dictum superius, diureticum, mensesque aperiens habebis medicamentum potens. Et sic de reliquis.

Dos. *est à gr.* vj. *ad* xij. *vel* xv. *plus, minusve, pro ratione patientis.*

Nota bene, quòd Sal Tartari, quantum fiere potest, ab humido aëris defendi debet: Ac proinde, cum Chymicus se accingit ad hanc sublimationem, Sal Tartari aliquantulum, sed blandè, calefacere debet.

CAP. CXCIV. (*Maets.*)

Salis Volatilis, Aromatici, & Oleosi præparatio.

℞. *Cinnamom.* ℥iv.
Nuc. Moscat. ℥ij.
Gariophyllor. ℥j.
Sem. Anisi,
Cardamom.
Croci ana ℈j.
Contundantur in pulverem grossè, eisque misceto
Sal. Tartar. purificat. ℥iij.
Sal. Ammoniac. ℥j. Hisce affunde,
Spir. Vin. vulgaris. ℥viij.

Stent simul in digestione per noct. Manè fiat destillatio igne admodum leni: Ita elevabitur subtilissima portio Spir. Vini, essentiâ Aromatum impraegnata, quæ eâdem destillatione sese unit cum Sale Volatili Ammoniaco, indeque exurgit Sal Volatile Aromaticum.

Nota, quòd hac in operatione ordinariò assurgit Sal Volatile Ammoniacum in formâ siccâ, lateribus alembici, & recipientis adhærens, quod collectum, & in phiola vitrea ab aëre defensum, easdem obtinet vires, ac ipsius Spir. quippe Aromatum essentiâ æquè impraegnatus.

CAP. CXCV. (*Maets.*)

℞. *Tincturæ Aromatum (Spir. Vin. Aromatici) generali (nostra) methodo, (per formam extractionis) ut priùs dictum, præparatæ.* ℥j.
Sp. Sal. Ammoniaci purissimi (a ℥j. *ad)* ℥ij.

Digerantur simul confusa per xxiv. horas. Postmodum leni igne instituatur destillatio: in quâ destillatione subtilissima Spir. Vini portio in altum elata se jungit cum subtilissimo Sale Volat. Ammoniaco, quod erat demonstrandum (& paratum erit Sal Volat.)

(*Maets.*) CAP. CXCVI.

℞. *Flor. Salis Ammoniaci, eisque affunde*
Alcohol Vini ad eminentiam. (iij.) iv. digitor. transversor.

Stent unà in digestione (per octiduum) donec Alcohol Vini Sale Volat. Ammoniaco imprægnatum perceperis. (quod decanta absque perturbatione sedimenti.) Hoc cum circulato (Spir. Vin. sulphureo salino) extrahantur tincturæ ex aromaticis, ut dictum, methodo (nostra) generali. Ita absque destillatione obtinebis tincturam Aromatum, Sale Volatili nobilitatam. Nota, quod hîc dictum est de ingredientibus Aromaticis, idem intelligi de ingredientibus magis Oleosis.

Vires *horum Salium Volatilium Oleosorum ex ingredientibus facilè colligi possunt. Quippe ratione Aromatum sunt cardiaca, stomachica: ratione Salium Volatilium pituitam tenacem potenter incidunt, & dispellunt, obstructiones solvunt, ac proinde in obstructionibus mensium, in passione hysterica, capitis gravedine, palpitatione cordis, & ventriculi fermento suffocato, maximarum sunt virium.*

Dos. *Exhibentur ordinariò in vehiculis appropriatis à gutt.* vj. *ad* xx. *plus, minusve, ratione patientis.*

(*Maets.*) CAP. CXCVII.

℞. *Cinnamom. acut.* ℥ß.
Nucis Moscat. ʒij.
Gariophillor. ʒj.
Croc. Britannic. ℈j.
Sem. Cardamom.
Carvi, ana ℈j.
Sal. Tartar. ʒiij.
Sal. Ammoniac. ʒij.

Contundenda contundantur, reliqua incidantur. Sal verò Tartari, & Ammoniacum, inter sese terantur, & commisceantur. Hæc simul in cucurbitam conjice, iisque affunde

Sp.

Sp. Vini vulgar. ℥. iij.

Digerantur per xxiv. horas. Postmodùm leni igne fiat destillatio, & abstrahantur ℥. iij. quæ admodùm generosæ erunt; Et præparatum erit Sal Volatile Aromaticum.

CAP. CXCVIII. *(Margr.)*

Scammonii fumigatio. (Scammonium Sulphuratum, sive Diagrydium.

℞. *Scammon. crud. (Syriaci, minutissimè) pulverisat.* ℥ß.

Impone chartæ, bibulæ, cui subjicito vasculum cum carbonibus (prius) accensis, quibus inspergito pulverem Sulphuris. Tene aliquandiu chartam cum Scammonio, ut bene imbuatur fumo Sulphuris, ita, ut etiam in massam (unam confluat) concrescat: mitigabitque hic fumus acidus Sulphuris nimiam ferociam Scammonii, facietque illud leniûs purgans, unde dicitur *correctio Scammonii*, (Scammonium correctum & Sulphuratum) appellaturque in pharmacopoliis *Diagrydium*.

Vires. *Purgat bilem per alvum (easdem habet cum Scammonio crudo, sed remissiores; quia alcali Scammonii nimis vehemens à fumo Sulphuris acido temperatum est.)*

Dos. *a gr.* vj. *ad* xv. *imò ad* ℈j.

CAP. CXCIX. *(Maets.)*

Scammonii præparatio facillima, jucundi saporis, (ut & mitigatio Diagrydii.)

℞. *Scammonii q.p.*

Contere in pulverem. Huic affunde Decoctum Glycirrhizæ (Nota; Decoctum Glycirrhizæ præparatur, solummodò coquendo Glycirrhizam contusam cum aq. vulgari, donec aqua dulcescat, quæ filtrari debet.), & coctum Scammonium agita (& contere in mortario vitreo) Ita enim Decoctum Glycirrhizæ lactescet. Decanta (liquorem lacteum), aliamque Decocti quantitatem affunde, & procede, ut priùs. Hoc verò continua, quousque nil nisi fæces nigricantes in fundo remanserint. Liquores lactescentes confunde, & leni igne ad siccitatem pulveris evapora. Ita enim obtinebis Scammonium correctum (Diagrydium mitigatum per

dulcedinem Glyzirrhizæ) grati saporis.

Vires. *Hoc diagrydium à gr. iij. (iv.) ad gr. vj. vel gr. viij. blandè alvum solvit, & purgat. Principaliter verò hoc Diagrydio fallere potes maximè morosos, (infantes, qui omnia medicamenta aversantur) qui etiam ad nomen medicamenti abhorrent, si misceatur cum tabellis ex succo limonum, cum ol. cinnamom. gutt. j. vel ij. vel iij. (vel redigatur cum cremore tartari & ol. cinnamomi in tabellas suaviter purgantes).*

(*Maets.*) CAP. CC.

Sanguinis Humani Spiritûs præparatio, ad mentem Helmontii.

℞. *Sani Hominis Sanguinem, eamque per se coagulari finito, & quantum serum ponderat, tantum Sp. Salis rect. affundito, & leni igne ad siccitatem evaporari finito.*

℞. *Hujus Sanguin. exiccat, part. j.*
Tartar. Rhenan. albissim. part. v.

Exactè inter sese conterantur, & destillationi submittantur. Oleum fœtidum à Spir. separa, quem seorsim reserva. Oleum verò fœtidum, super salem mirabilem Glawberi calcinatum, vel super salem comm. tostum, rectifica, quousque clarum, & limpidum, evaserit, terramque nigram in fundo retortæ deposuerit. Huic Oleo adde Alcohol Vini partes iv., simulque destillentur, quousque inter sese bene uniantur, & præparatum obtinebis Spiritum Sanguinis Humani subtilissimum, & igneum.

Usus *ejus est præcipuus in febribus malignis, & morbis contagiosis, tollendis.*
Dos. *à gutt.* XX. *ad* XL.
Usus. *prioris Spiritûs idem est, sed dosi majori.*

(Maets.) *Alio modo vulgari.*

℞. *Sanguinem sani Hominis coagulatum, & exiccatum q. p.*
Huic misce
Silicum calcinatorum, vel salis tosti, partem duplam.

Destillentur simul per retortam. Ita enim obtinebis Spir. & Oleum. Spir. ab Oleo fœtido separa per chartam madidam emporeticam. Salem verò volatilem, lateribus vasis recipientis, & colli retortæ adhærentem, ut artis est, rectifica, ut in Sale volatili Cornu Cervi depurando mos obti-

obtinet. Hoc Sale volatili Spir. tuum Sanguinis Humani impraegna, quantum in sese resolvere potest. Oleum verò foetidum rectifica, ut prius.

Alio modo. (Maets.)

℞. *Sang. Humani* q. p.

Hunc phiolae sublimatoriae commissum, per mensem philosophicum committe in ventre equino. Postmodùm leni igne Spir. volatilem destilla. *Hic Sp. volatilis est magnum arcanum in epilepsia.*

CAP. CCI. *(Margr.)*

Sanguinis Humani Sal volatile, & Phlegma. (a.)

℞. *Sang. Human.* ℥. x.

Destilla ex cucurbitâ humili, in arena, per hor. vj vel viij. ignem in fine fortiter augendo, donec nil amplins prodeat. Sic adscendet primò liquor limpidus ad ℥. v. Tum sequetur liquor turbidus ad. ℥. iij. Utrumque conjunge, & seq. die iterum affunde capiti mortuo, iterumque destilla, ut antea, ad siccitatem usque. Hoc repete adhuc semel, vel bis, donec liquor adscendat turbidus unà cum guttulis Olei innatantibus. Separa Oleum per tritorium, & liquorem rectifica, ita ut tantùm abstrahas ℥. j. vel ij. Sic habebis liquorem, effervescentem cum quocunque acido, qui vulgò dicitur *Sp. Sang. Humani.*

Vires. *Laudatur imprimis ad curandam epilepsiam, aliosque morbos, ab acido oriundos.*

Dos. *est aliquot gutt. ad* ℈. ß.

XX 3 CAP.

a *Sang. Human. Sal. vol. & Spir.*

℞. Sangvin. Human. p. q.

Evaporetur leni igne, donec in massa solida & nigricante remaneat. Haec massa destillationi committatur eodem modo, ut Corn. Cerv. &c. Sic obtinetur Sal. & Spir. volatilis, & Oleum faetidum Sang. Human.

Vires & Dosis *conveniunt cum Corn. Cerv.*

Nota 1. Sine praeviâ hac evaporatione 1. cauti simus in destillatione, ne ab aquosis vaporibus vasa disrumpantur, 2. nullum ferè obtinetur Sal volat., sed major quantitas Spiritus, quia Sal vol. phlegmate solutum, Spiritus naturam induit.

2. Non laudo additionem spir. sal., nec ullius acidi, quia volatile alcali, in Sangvine existens, ab hoc acido figitur, & in fundo retortae remanet, unde Spir. quidem gratior, sed non ita efficax, & Ol. non ita foetidum, minus etiam efficax, obtineri solet.

(*Margr.*) CAP. CCII.

Sanguinis Humani Terra, & Sal fixum.

℞. *Caput mortuum, relictum post destillationem Spiritûs, sive Salis volatilis, Sanguinis.*

Incineretur in crucibulo per hor. j., ita, ut totum evadat igneum. Refrigeratum sponte suâ infunde cum Aq. calidâ. Digere per noct., filtra per chartam. Colaturam limpidam evapora in vitro lati orificii ad siccitatem usque. Sic relinquetur in fundo Sal fixum (*a*) saporis satis acuti, & penetrantis. Terram verò, relictam in filtro, sicca, & repone usui.

Usus. *Sal fixum, in parva quidem copia ex Sanguine extractum, valde penetrans est, unde iisdem usibus destinabitur, quibus alia alcalia inserviunt, id est, corriget austerum, atque acidum, aperiet, liquores dissolvet, fermenta acida destruet.*

Dos. *est aliquot granorum.*

Terra adstringit: usurpatur à Chirurgis ad sistendum sanguinem, excepta quidem cerá, aut terebinthina, aut vernice: quod quoque præstat ipse Sanguis integer, in pulverem redactus.

(*Maets.*) CAP. CCIII.

Spadanensium Pilular. descriptio.

℞. *Mart. cum Sulphure præparati. part.* ij.
Gum. Ammoniac.
Scammon. Sulphurat. ana part. j.

Fiant, ut artis est, cum Syrupo Rosarum solutivo, vel Syrupo Rosarum cum Rheo, Pilulæ. (*b.*)

Dos. *à gr.* vj. *ad* x *vel* xij. *pro ratione patientis.*

Vires. *Suaviter purgant humores, obstructiones tollunt, & specificè exhibentur in morbis chronicis.*

CAP.

a Hactenus verum, ex regno Animali, Sal fixum invenire non potui; nisi illius destillatio cum additis acidis, ut ad mentem Helmontii, instituatur, quæ acida, vehementi igni tradita, in Sal fixum degenerant.

b Conveniunt ferè cum pilulis Martialibus, cap. 245. traditis.

CAP. CCIV. (*Margr.*)

Sarmentorum Incineratio.

℞. *Sarmentorum Vitis recentium, fasciculos* ij, *vel* iij.
Eos sub camino igne aperto redige in cineres, qui suâ sponte extinguantur, sintque albi coloris, non verò carbones nigri, eritque cinefactio ritè peracta.

Usus. *Inservit parando lixivio, sali lixivo, sive sali fixo, Vitis, qui vulgò dicitur* Cineres clavellati, *ex quibus Chirurgi cauteria, & capitellum parant.*

CAP. CCV. (*Margr.*)

Saturni Incineratio & Calcinatio.

♃. *Saturni crudi.* ℔. ij.
Indatur patellæ terreæ non vitreatæ, quæ ponatur super carbonibus accensis, ut Saturnus fluat instar aquæ. Agitetur Saturnus fluidus spatulâ ferreâ tamdiu, donec totus abeat in pulverem (nec quicquam amplius fluat, sed cinerei coloris subalbicantis evaserit, & peracta erit Incineratio), quod dimidiæ horæ spatio eveniet. Hic pulvis primò est subniger; si diutiùs paulò continuetur ignis, evadet flavus, si per hor. v. aut vj. urgeatur ignis, fiet pulvis rubicundissimus, qui vulgo in officinis *Minium* (a) dicitur, estque nil aliud, quàm calx Saturni reverberata.

Usus. *Inservit parando liquori, & sacharo (magisterio) Saturni: ut & sublimationi cum Sale Ammoniaco pro parando Mercurio Saturni.*

CAP. CCVI. (*Margr.*)

Saturni Stratificatio.

♃. *Lamellarum Saturni.* ℥. ij.

Sal-

a Hoc minium, si in crucibulo, duobus aliis crucibulis superposito, vehementiori igni tradatur, in massam vitream abit, quæ in fluorem redacta, in crucibulo detineri non potest, sed plerumque ipsa tria crucibula transit.

Sulphur. commun. (pulverisat.) q. f.

Fiat in crucibulo (aut ollula fatis valida, lege artis) ftratum fupra ftratum. Reponatur tum crucibulum in igne circulari, five rotæ, ut leniter incendendo confumatur Sulphur. Quo facto, in fundo reperietur Saturnus, in carbonem nigrum verfus, qui in mortario contritus abit in pulverem nigrum. Cribretur hic pulvis, & aquâ purâ (ferventi) edulcoretur, iterumque ficcetur. Dicitur vulgò, in officinis, *plumbum uftum*, eftque nihil aliud, quàm calx Saturni. Si fortè (prima vice) totus Saturnus non fuerit calcinatus in pulverem, addatur iterum Sulphur, & inftituatur operatio, ficut antea (donec totus Saturnus pulverifari poffit.)

Vires. *Externi tantùm ufus eft. Refrigerat, ficcat, adftringit, ingrediturque emplaftra (unguenta) in officinis ufitata.*

(Marg.) CAP. CCVII.

Saturni Saccharum, five Magifterium.

℞. *Calcis Saturni, ut fuperius, (cap. 403.) preparata.* ℥. j.

Inde cucurbitæ vitreæ, ac affunde

Sp. Aceti ℥. iij. *aut.* iv. *vel q. f. ad aliquot digitor. tranfverf. fupereminentiam.*

Digere per d. & noct. viij, vel, donec Acetum evadat dulciffimum. Tum decanta Acetum, filtra per chartam, evapora in vitro ad quintæ, aut fextæ, partis remanentiam, (repone vitrum in locum frigidum, & poft. xxiv. hor. invenies in fundo vitri) chryftallos albas, & fplendentes, vel fubftantiam Saccharinam cum adftrictione dulciffimam (ficcandam, & ufui refervandam), unde vulgò *Saccharum, Sal,* & *Magifterium, Saturni* dicitur (reftantem & decantatum liquorem, ut ante, evapora, donec in chryftallos concrefcat).

Vires. *Externi tantùm ufus eft. Refrigerat, (ficcat, adftringit,) repellit; conducit in inflammationum principiis. Eft frequentiffimi ufûs apud Chirurgos in contufionibus, (percuffionibus, & livore partium, in pallore & albedine faciei conciliandis, fi prius aq. plantag., rofar., folvatur, & cum triplicato linteo crebro imponatur,) prohibendifque inflammationibus.*

Dof. *eft pro re natâ.*

CAP.

Processus secundus. (Maets.)

℞. *Lithargyrii* q. p.
Huic affunde
Aceti destillati ad eminentiam iij. *vel.* iv. *digitor transvers.*
Stent in digestione, quousque Acetum dulce factum fuerit, & de acrimonia sua remiserit. Decanta, & filtra, lenique igne, ad apparentiam cuticulæ, Acetum destillatum evapora: Reliquum loco quieto repone: ita enim concrescent chrystalli, quæ exiccatæ sunt ipsum Sacch. Saturni, seu Sal Saturni. Reliquum de novo, ad cuticulæ apparentiam, evapora, & procede, ut priùs.

Vires. *Convenit cum Balsamo Saturni ejusdem Auctoris.*

CAP. CCVIII. *(Maets.)*

Saturni Balsami (rubicundi) præparatio.

♃. *Lithargyrii auri pulverisati q. p.*
Huic affundito
Acetum destillatum ad eminentiam iv. *digit. transversor.*
Digerantur simul, vel, si mavis, coquantur, spatulà ligneâ semper agitando, quousque Acetum destillatum de acrimonia sua remiserit, & dulce factum fuerit. Tunc decanta (Acetum, Litharg. tinctura flava impregnatum,) & filtra, liquoremque filtratum in patina stannea super vapores calidos aquæ ferventis ad consistentiam syrupi tenuioris evaporato: cui affundito aquam pluvialem: ita statim lactescet. Iterum filtrato: (quo agendo observabis guttas rubicundas per filtrum descendere) dein evaporato, ut priùs, hancque operationem tamdiu repetes, quousque Balsamum tuum Saturni dulce instar Sacchari, & rubicundum instar sanguinis evaserit. Singulis hisce filtrationibus partes magis austeræ terrestriores in charta emporetica hærent. Sic beneficio hujus operationis præstantissimum ex Saturno elicuisti arcanum, quod tam interiùs, quàm exteriùs, summâ cum laude in usum medicum recipi potest.

Vires. *Exterius applicatum curat oculorum rubedinem (inflammationem,) ex erosione cutis ab acri catarrho exortam (ut & in poris lachrymalibus, per sales acres & corrosivos nimium laxatis, constringendis, ut & in oculorum fistulis ad cicatricem perducendis.) Ratione enim particularum plumbearum excipiet ictus salium acrium, quos temperat, & acrimoniâ deprivat: ratione verò qualitatis suæ adstringentis poros lachrymales* ni-

nimiùm erosos, & dilatatos, adstringit. Balsamum hoc (Oleum Saturni) mixtum cum oleo olivarum, & cum eo simul agitatum (tritum,) donec desinat in (linimentum) Unguentum album verè Nutritum, præsens est remedium in (compescendis lumborum doloribus ex) inflammationibus renum (ortis.) Eorum enim regione hoc Balsamo illitâ, statim ardores compescuntur, & sedantur. In contusionibus, (quas inflammatio ordinariò subsequi solet) si dissolvatur Balsamum hoc in aquis appropriatis, & tepidè, instar fotûs, applicetur, feliciter dissolvit. Insuper, si miscetur cum balsamis sarcoticis, præstantissimum præbet medicamen, carnis generationem promovens, dolores, inflammationes, tensiones, fluxus, & similia vulnerum periculosa symptomata, præcavens.

Interiùs exhiberi potest in omni vehementiori hæmorrhagia uteri, & vulvæ, in fluxu mensium nimio, itidem in febribus ardentibus. In genere, præstat omne illud, quod à Sacchara Saturni ullo modo expectari potest. In affectibus oculorum diluitur cum aq. euphrasiæ, fœniculi, rosarum, vel similium, parsque affecta vel plumâ, vel linteo madido, continuò hoc Balsamo inungitur. Ita brevi temporis spatio magna hæc oculorum molestia sedatur.

Quod si (quod aliquando contingit) fistula oriatur in cantho oculi, post adhibita mundificantia, statim gutta una, vel altera, infundatur, ita brevi tempore fistulam carne replebis, & cicatricem obduces. Plura de hoc Balsamo invenies apud Kreucknerum in tractatu de Saturno.

Simplex infusio Aceti destillati cum Lithargyrio vires non infimas possidet in inflammationibus tollendis, ut & in podagrâ calidâ: Itidem in contusionibus, aliisve dolorificis fluxionibus, sedandis. In Gonorrhæa, ubi ab acri fermento Venereo eroditur ductus urinarius, Sacch. Saturni cum aq. rosarum, vel lactè tepido, injectum per syringam, præsens est remedium: quod æquè perfici potest cum Balsamo prædicto, miscendo, scilicet, aliquot guttulas cum liquoribus prædictis.

Quòd si medicamentum valde adstringens, & dulce, instar Sacchari, ferro nobilitatum, præparare volueris, hac methodo procedito.

Vide cap. seq.

CAP.

CAP. CCIX. (*Maets.*)

Saturni Balsami, Marte nobilitati, præparatio.

℞. *Limaturæ Martis à sordibus repurgat. q. p.*
Huic affunde
Sp. Salis rect. ad eminentiam iv. *dig. transv.*
Stent simul, quousque effervescentia sedata sit, Spiritusque Salis dulcescat. Quo signo apparente, Spiritum tuum filtrato, & ad dimidiam partem evaporato. Dein ei addito
Sacch. Saturni æq. portionem,
& igne mediocri, ex retorta, liquorem superfluum, ad siccitatem auferto. Ita in fundo retortæ remanebit massa rubicundi coloris, dulcis instar sacchari, & validissimè adstringens.

Vires. *Hujus gr.* iv. *vel.* vj. *interiùs exhibita felicissimè sanant dysenterias, hæmorrhagias, fluxus mensium nimios, hepaticos, & cœliacos. Exteriùs commiscetur cum vehiculis convenientibus, & injicitur per siphonem in vulnera, quorum hæmorrhagias curat, acresque catarrhos ad vulnera delabentes, obtundit, & mitigat. Exhibetur interiùs in potionibus vulnerariis.*

Dos. *à gr.* iv. *ad gr.* x.

CAP. CCX. (*Marg.*)

Saturni Oleum.

℞. *Sacchari Saturni puri, & sicci,*
Sacch. candidi (albi, subtilissimè pulverisat. in mortario cupreo) ana ℥j.
Misce, & in mortario vitreo accuratè tere. Reponatur tum in vitro (lato, sive orbe vitreo) ampli orificii in cellam, relinquatur ibi (per aliquot septimanas,) donec (soluta ambo ab aëre ambiente) per del. (sub forma Olei) solvuntur. Sic habebitur Oleum aliquod album, & dulce, cum adstrictione aliqua: Quod à fæcibus decantetur, & servetur usui.

Vires. *Est insigne anodynum (sarcoticum, exiccat, ulcera conglutinat) externi tamen tantùm usûs. Confert imprimis doloribus padagricis*

leniendis. Inungitur partibus dolentibus; aut etiam cum linteo in eo madefacto imponitur.

Dos. *pro re natâ.*

(*Maets.*) CAP. CCXI.

Satyrii Essentia ad Impotentiam.

℞. *Rad. Satyrii cum tota substantiâ. q. pl.*

Contunde in mortario lapideo in massam mucilaginosam. Fiat extractio cum alcohol Vini, ut dictum in generali methodo. Solutionem decanta, fæcesque bene exprime, cui adde

Mercurii Veneris Vegetabilis æq. portionem

Digerantur simul leni calore, &, ubi flores Satyrii sunt in vigore, fiat infusio horum florum cum Essentiâ tua præparatâ. Digerantur simul, quousque obtineas solutionem instar sanguinis rubicundam, cui, pro ratione patientis, adde

Ambræ gris. prout visum fuerit.

Nota bene. Mercurius Veneris Vegetabilis nihil aliud est, quâm Sp. Ceparum. *Vide processum sub hoc titulo, Mercur. Ven. Vegetabilis. Cap. 106.*

(*Maets.*) CAP. CCXII.

Sennæ pulveris laxativi Rulandi descriptio.

℞. *Fol. Senn. mund. sine stipitib.*
Crem. Tartar. ana ℥j.
Sem. Anisi,
Gariophyllor.
Galang.
Cinnamom. ana ʒj.
Diagrydii ʒij. f. Alcohol.

Dos. *in substantia. ℈j. ad ℈ij.*
in infusione. ℥ß.

CAP.

CAP. CCXIII. (*Marg.*)

Sigillum Hermeticum.

℞. *Phiolam aliquam oblongam, quæ, quantum fieri possit, non crassa, & ampla, sed angusta sit, & potius vitri Veneti, quam vulgaris.*

Muniatur collum ollâ aliquâ perforatâ, (contineat verò phiola liquorem, quem continere debeat) in qua excitetur ignis carbonum ligneorum satis vehemens, ita ut collum Phiolæ liquescat, vel molle evadat. Tum forcipe ignito prehendatur collum Phiolæ, &, quantum fieri potest, comprimatur ita accuratè, & nullus exitus pateat. In quem finem nonnulli tubulo utuntur æneo, per quem inflantes accuratè conflant vitrum, ita ut nil ex vitro exhalare possit. Hoc facto, removeatur ignis, finitoque lentè refrigerari Phiolam, quæ tum *Hermeticè sigillata*, & clausa, dicitur.

Usus. *Inservit longis digestionibus, in quibus necesse est, accuratè claudere vitrum, ne menstruum avolet. Peractâ digestione, vitrum oportet aperire, & rescindere ferro ignito.*

In locum verò Sigilli Hermetici sæpe Chymici substituunt vitrum inversum, aut præparant lamellam vitri, ut accuratè ad foramen Phiolæ quadret, quam circumcirca claudunt luto, ex borace, & colophoniâ, præparato, quod videatur apud *Sennertum in institutionibus majoribus*, ubi agit de Chymia.

CAP. CCIV. (*Maets.*)

Spiritûs, cum Aëre continuò fermentantis, præparatio.

℞. *Stanni purissimi part.* j.
Mercurii vivi part. iij.

Fiat secundùm artem amalgama, instar butyri crassioris consistentiam obtinens.

℞. *Hujus Amalgamatis part.* j.
Mercur. sublimat. corrosiv. part. ij.

Exactè inter sese misceantur, & ex retortâ vitreâ ex arena, destillentur simul.. Ita enim obtinebis liquorem, in quo, simul ac aër ingredi potest, fumus excitatur vehemens.

(*Margr.*) CAP. CCXV.

Solis Amalgamatio.

℞. *Bracteolarum Auri. q. libet.*

Redige illas, cum pauxillo Mercurii currentis, in maſſam aliquam ceræ inſtar. Hæc maſſa dicitur *Amalgama Solis.* Vel:

℞. *Scobis Solis, q. libet*

Ei admiſce

Merc. currentis q. ſ., ut cum illo fiat maſſa mollis. Vel:

℞. *Nummum aliquem Aureum.*

Tundatur hic malleo, ut fiat tenuiſſimus: Huic adde

Mercurii currentis partes. vj. *vel.* vij,

& abibunt ſimul in maſſam mollem, ceræ inſtar; quæ dicitur *Amalgama Solis.*

Si jam velimus recuperare Mercurium, & Solem habere ſub forma calcis, ſublimetur Amalgama in parva lagenula vitrea, & ſublimabitur Mercurius ad latera vitri, calx verò Solis manebit in fundo. Vel, ſi velimus perdere Mercurium, imponatur Amalgama crucibulo mundo, & evaporetur Mercurius in igne aperto. Sic in fundo relinquetur calx Solis, quæ quærebatur.

Uſus *Amalgamationis Solis eſt, hunc depurare, & liberare ab adjunctis fæcibus; ſecundò, inſervire deaurationi apud aurifabros.*

(*Marg.*) CAP. CCXVI.

Solis præcipitatio, ſive calcinatio immerſiva.

℞. *Sp. Nitri Bezoardici, ſive alterius cujuſdam Aquæ Regiæ.* ℥. ij.

Ei impone

Auri vel puri, vel impuri (*ſignati vel crudi* ʒj.) ʒ. ij- *aut.* iij.

(miſceantur &) relinquantur (in vitro clauſo) in digeſtione per noct. (donec) totus Sol à menſtruo devoratur, qui coloris lutei evadet, nec quicquam reperietur in fundo, ſi Aurum purum fuerit: Quod argento commixtum fuerit, relinquetur illud in fundo ſub forma pulveris albi, à quo ſolutio Solis, leniter decantando, ſeparari poterit. Hanc ſolutionem deſtilla ex retorta vitrea, in arena, ad ſiccitatem uſque, recuperabiturque

biturque in recipiente Aqua Regia, sive Sp. Nitri Bezoardicus (qui alteri operationi reservari potest): in fundo verò retortæ relinquetur calx Solis, purpurei (rubicundissimi) coloris, eaque servetur usui.

Usus *est inservire Solis extractioni in tincturam, in oleum, & sublimationi in flores.*

CAP. CCXVII. (*Marg.*)

Solis Tinctura, sive Aurum potabile.

℞. *Præcendentem Calcem Solis, relictam in retorta*: (Vide processum superiorem)

Ei affunde

Alcohol Vini. ℥. ij. *aut.* iij.

Digere per noct., Tincturam (auream) decanta, & serva usui. Fæces (calcem) verò relictas serva seorsim.

Vires. *Potenter adstringit, & condensat (humorum acrimoniam salinam aut acidam austeritate sua temperat): hinc in fluore alvi, & ventriculi imbecillitate locum habere potest. Vulgo pro confortativa, & cardiacâ, habetur (quod tamen vix fieri putandum est, nulla enim ratione hoc probari potest).*

Dos. *gutt.* ij. *aut* iij. iv.

CAP. CCXVIII. (*Marg.*)

Solis fulminantis præparatio.

℞. *Auri part.* j.

Aq. Regiæ part. iij iv-ve.

Solvatur Sol in tepido calore arenæ, cui soluto affunde stillatim

Oleum Tartari per del., quousque effervescentia salium sedata sit.

Ita facta est regeneratio Nitri: nam portiones Nitri tenuissimæ se conjunxerunt intimè cum particulis Solis, ac proinde, dum nimio calore vexantur, flammam cum tonitru concipiunt, eodem modo, ac hoc contingere in pulvere tonitruante videndum est.

CAP.

(*Maets.*) CAP. CCXIX.

Præparatio Azoth aurifact. (a)

℞. *Mercur. viv. a sordibus purgat.* ℥vij.
Lunæ exactè cupellatæ ℥j.
Fiat amalgama, solvendum in s. q. Spir. Nitr.
Solis, per Antimon. purgat. ℥j.
Mercur. ℥viij.
Fiat amalgama, solvendum in s. q. Spir. Nitr.
Solutiones has confundito, & ex retorta vitrea omnem humiditatem propellito: in fine ita augendo ignem, ut Spir. corrosivi secessum faciant a calce in fundo remanente. Hanc calcem edulcorato, & cum alcohol vini figito.

Vires. *Præcipitatum hoc est etiam diaphoreticum, & rarissimè salivationes movet, & nonnisi in corporibus valde pituitosis. Exhibetur in iisdem affectibus, ut dictum in Mercurio diaphoretico. cap. 262.*

Dosis. *a gr. j. ad* iij: *exhibetur cum vehiculis in Mercurio diaphoretico dictis.*

(*Maets.*) CAP. CCXX.

Solis Musici præparatio.

℞. *Stann. Angl. opt.* ℥. j.
Mercurii, a nigredine loti,
Sulphuris,
Sal. Ammoniac. ana ℥. ß.

Fiat

(a) *Alio modo,*

℞. Sal. puriffim. ℥j.
Mercur. viv. ℥viij.
Fiat amalgama & solutio, ut supra:
Lunæ exactè cupellatæ ℥j.
Mercur. viv. ℥v.
Fiat amalgama & solutio, ut supra:
Solutiones confunde, & adde
Tinctur. Mart. adstring. ex Lap. Hæmat. ℥ß.
Committantur retortæ vitreæ, & procede, ut supra.

Fiat amalgama, ut artis eſt, Stanni, & Mercurii, quod in alcohol teratur cum Sulphure, & Sale Ammoniaco.

Alio modo.

℞. *Stanni* v.g. ℥. j.
Mercurii. ℥. ij.
Sulphuris,
Sal. Ammon. ana ℥. j.

Procede, ut ſupra dictum eſt.

Alio modo.

℞. *Marcaſitæ Auri,*
Mercurii,
Sulphur.
Sal. Ammon. omnium ana.

Sublimentur autem ex cucurbitâ vitreâ loricatâ.

CAP. CCXXI. (*Maets.*)

Solem ex Luna eliciendi methodus.

♃. *Croci Martis cum Aq, Fort. elaborat. q. p.*
Nitri duplum

fluat in tigillo, & eocum ſucceſſivè miſceto tuum Crocum, & fluat ſimul per dimidium quadrantis. Omnibus refrigeratis, abluito ſalſedinem Nitri. Ita obtinebis Crocum purpurei coloris amœniſſimum.

℞. *Vitri Saturni, & Croci tui præparati.*

& ſucceſſivis vicibus miſceantur cum Lunâ cupellatâ, fluenti ſuper cupellam. Ita portio Croci ingreditur ſubſtantiam Lunæ, & cum ea miſcetur: portio verò ſcoriarum in forma ſpumæ ad extremitates cupellæ projicitur. Hoc autem continua, quouſque tota ſuperficies Lunæ ſcoriis obducta ſit. Effunde in conum fuſorium, illumque diſſolvito in Aquâ Forti. Ita obtinebis in ſolutione Lunæ particulas nigreſcentes per totam ſolutionem natantes; quas, ubi ad fundum reſidére, edulcorato, quantum fieri poteſt, & cum pauxillo boracis fundito. Ita plus Auri obtinebis, quàm ullo modo arte ſeparatoriâ Lunæ habere potes.

(*Maets.*) CAP. CCXXII.

Solis Croci præparatio.

♃. *Solis finissim., per Antimon. purgat., & subtilissimè laminati.* ℥.ß.
Nitri chrystallizat. ℥.x.
Aluminis. ℥.viiij.
Sal. commun. ℥.*v.*

Misceantur, & inter sese conterantur, & committantur cucurbitæ vitreæ; quibus superaffunde Aquæ simplicis, quantum satis ad dissolutionem salium. Coq. simul igne moderato ad siccitatem salium. De novo affundatur aq. pluvia, & coquantur, ut priùs: quod continua, quousque folia Solis totaliter à salibus dissoluta reperias. Solutioni flavæ, aureique coloris, successivè instilla Ol. Tartar. per del. Ita enim aurum fundum petet, & præcipitabitur in pulverem tenuissimum, quem crebris edulcora ablutionibus, & exsicca, & per horæ quadrantem supra laminam terream ignitam calcina. Ita enim obtinebis Crocum Solis, purpurei coloris, *sudoriferum, & cardiacum, haud contemnendum.*

Dos. *à gr.* ij. *ad* iv. *vel* vj.

(*Maets.*) CAP. CCXXIII.

Solis Croci præparatio ad Tincturam Antimonii parandum.

℞. *Solis, per Antimon. purgat. part.* j,
Mercur., à fœcibus, & nigredine, lavati. part. vj.

Fiat secundum artem amalgama, quicum misce
Sulphuris duplum totius.

Misce inter se, & sub tegula calcinentur, continuò agitando ad totalem Sulphuris, & Mercurii, expulsionem. Ita obtinebis Crocum, à fæcibus, si quæ sint, abluendum. *Vide cap.* 28.

(*Maets.*) CAP. CCXXIV.

Menstruum ad Tincturam Solis cardiacam.

℞. *Sal. Tartar.*
Ol. Vitriol. rect. ana q. pl.

Sali

Sali Tartari autem successivè, & guttatim, affunde Oleum Vitrioli rect., quousque effervescentiam sedatam animadverteris: ita enim concrescent in Salem intermedium inter alcali, & acidum: quem Salem in phlegmate Vitrioli resolvito, & filtrato, phlegma autem ad remanentiam dimidii evaporato, locoque quieto committantur: sic enim concrescent chrystalli Tartari Vitriolati. Has chrystallos denuò resolvito in Alcohol Vini, eâ lege, ut sint Chrystallor. part. ij. Spir. Vini. part. iv. Committantur simul retortæ vitreæ, vel cucurbitæ, & leni igne destillato. Ubi partes duas abstuleris, mutato recipiens, & Spiritum igneum separatim excipito. Ex cap. mortuo autem cum aq. pluv. extrahito salem, & cum Spiritu tuo igneo misceto. Destillentur simul: ita enim habebis menstruum igneum salinum, quo ex croco Solis, croco Martis, croco Veneris, Tincturæ eliciuntur elegantes.

Tinctura Solis, hoc menstruo præparata, si misceatur cum Quinta Essentiâ Antimonii, sequenti methodo elaboranda, non infimum locum habebit inter Panaceas. *Vide cap.* 44.

CAP. CCXXV. *(Maets.)*

Scrophularum pro Emollitione.

℞. *Sp. Salis,*
Ol. Ceræ stillat. ana ℥. ß.
Sp. Sal. Ammon.
Vin. rect. ana ℥. j.
Ol. de Laterib.
Petræ, ana ℥. j.
Saponis Hispanici. ℥. j. ß.
M. pro Linimento.

CAP. CCXXVI. *(Margr.)*

Succini Essentia.

℞. *Succini.* q. s.
Redige in pulverem. Inde parvæ lagenulæ vitreæ, & affunde
Liquoris Alcahest. q. s., *ut commodè madefiat.*
Digere in arena, per horas aliquot, vitro aperto, donec omnis liquor exhala-

exhalarit. Tum recipe vitrum, & paululum refrigerato, affunde

Alcohol Vini. f. q.

Digere vafe accuratè claufo per noct., aut aliquot hor., ita tamen, ne Alcohol perdas. Sic Effentia Succini refolvetur ab Alcohol Vini, hocque imbuet colore, & fapore fuo, ita ut nihil, præter fæces, in fundo relinquatur. Debet autem aliquoties novum Alcohol affundi. Eodem modo paratur Effentiâ Macis, & Gariophyllorum.

Vires. *Effentia Succini, ut & Effentia Maceris, & Gariophyllorum, funt valde aromaticæ, & alcalinæ naturæ. Humores attenuant, fundunt: funt cardiacæ, & analepticæ.*

Dof. *Eft aliquot guttar.*

(Maets.) *Succini Tincturæ Helmontii præparatio.*

Proceffus fecundus.

℞. *Succini*(*a*) q. pl.
Flor. Sal. Ammon. part. dim.

Exactè inter fefe conterantur, & mifceantur. His affunde

Alcohol Vini ad eminentiam iij. *vel* iv. *dig. tranfverfor.*

Stent in digeftione, quoufque Sp. Vini flavo-rubicundam extraxerit Tincturam, quam decanta, & ufui referva. Vel.

Alio modo.

℞. *Succin.* q. p.

Conteratur in pulverem tenuem, eique affunde

Ol. Tartar. p. deliq. q. f.

Stent in digeftione per xxiv. hor., iifque poftmodum Alcohol Vin. affunde &c. ut fupra.

Vires. *Tinctura hæc exhibetur fummo cum fucceffu in colico dolore ex acri, auftero, & pituitofo humore, oriundo. Infuper in obftructionibus menfium medicamentum fummè eft efficax; uti & in furditate, ex catarrhis, ad aures allabentibus; fi fcilicet lana cotonea hâc Tincturâ madefiat, quantumque fieri poteft; auri immittatur.*

Dof. *interius à gutt.* x. *ad* xxx.

a Subtiliffimè pulverizat.

CAP.

CAP. CCXXVII. *(Margr.)*

Succini Ol., & *Sal. volat.*

Paratur eodem modo, quo Ol. Tacamahacæ; *(Vide proceſſ. ſub hoc titul.)* addendo duplum arenæ. Inter deſtillandum verò fæces quædam viſcidæ aſcendent in collum retortæ, & interdum quoque in recipiens, quæ vulgò habentur pro Sale vol. Succini, quod tamen rectiùs ex ipſo Oleo ſeparatur.

Vires. *Calefacit, ſiccat, eſt antihyſtericum, excitat apoplecticos, movet ſudores, & menſtrua.*

Doſ. *eſt aliquot guttar.*

Proceſſus ſecundus. (Maets.)

℞. *Fragmentor. Succin.* q. p.

Hiſce repleatur retorta vitrea, eâ lege tamen, ut tertia ipſius pars remaneat vacua. Hiſce, ſi viſum fuerit, adjice

Silicum pulverizatorum, vel arenæ lotæ Manip. j. *vel* ij.

Inſtituatur deſtillatio lento primùm igne. Sic enim ſtillantem primò obſervabis Spir. Succini ſubacidum. Ignem ſucceſſivè auge. Ita enim prodibit Oleum flavum, & limpidum. Vehementiori tandem igne prodibit Oleum rubrum, unà cum Sale volat. undecunque lateribus colli retortæ, & vaſis recipientis, adhærente. Omnibus refrigeratis, Oleum à Spiritu per tritorium ſepara, quod leniſſimo igne per ſe, vel cum cineribus elixiviatis rectifica, vel, ſi candidiſſimum velis, cum pluvia rectifica. Ita enim obtinebis Oleum Succini album, vel ſubcitrinum.

Vires. *Oleum hoc interiùs exhibetur in paſſione hyſterica, cum aq. artemiſiæ: menſes movet, frigidis capitis defluxionibus medetur, urinas pellit, gonorrhæas curat, præſertim ſi jungatur cum ol. terebinthinæ lucido; ſpaſmos curat exteriùs inunctum: & ſpecificum eſt in lethargo, naribus, & temporibus, inunctum.*

Cum hoc Oleo præparatur Balſamum maximarum virium, cum floribus ſulphuris digerendo, ut dictum in compoſitione Balſami ſulphuris terebinthinati. *Hujus Balſami uſus eſt admirabilis in tumoribus duris emolliendis, & maturandis, in podagrâ frigidâ, in glandulis induratis, præſertim ſi Oleum hoc cum aliis ingredientibus redigatur in emplaſtri formam.*

(Maets.) *Processus tertius.*

℞. *Sal. vol. Succini, Oleo suo fœtido inquinati*, q. p.
Huic misce
Salis decrepitati tantùm, quousque massa fiat arida,
instituaturque sublimatio ex vasculo terreo, vel testâ terreâ, pyramide chartaceâ munitâ. Ignem cautè rege, ne capitellum tuum papyraceum comburatur. Ita enim obtinebis Salem Succini Volat., instar lintei, omnique fœtore, & empyreumate, liberatum.

(*Maets.*) CAP. CCXXVIII.

Succini Ol., Essentia Sulphuris imprægnatum.

℞. *Flor. Sulphur.* ℥. j. ß.
Ol. Succin. rect. ℥. viij.
Digerantur per noct. simul. Postmodùm, lege artis, instituatur destillatio per retortam, & obtinebis Oleum Succini, Essentiâ Sulphuris imprægnatum.

(*Marg.*) CAP. CCXXIX.

Sulphuris Flores.

℞. *Sulphuris vulgaris (crudi)* ℔. j.
Redigatur in pulverem grossum. Hic pulvis per se, sine ullâ additione, sublimetur ex cucurbita terreâ (*a*) in ignem apertum artificiosè repositâ, applicato capitello vitreo; & modico (leni. Sic primo prodit phlegma, secundo, aucto ignis gradu) igne (*b*) Flores sub forma fumi, adscendent in capitellum (cujus limbo adhærent): unde digitis (manu) inter sublimandum sæpius removeri debent, ne nimis (concrescant) indurentur: dandaque est opera, ne ignis sit nimius, ne à violentiâ ignis facillime fluant, tuncque inutiles fiant (sic totum Sulphur, relictis fæcibus, sublimabitur in capitellum, abibitque in Flores Sulphuris

a Vel ex olla ferrea, alembico terreo, rostro latissimo munito, cui applicetur recipiens, in extremitate foramen habens exiguum, ut facilius Flores adscendant, & citissime operatio peragatur.
b Qui manum super alembicum admittit.

phuris flavissimos & lenissimos: continuanda est operatio, donec nil amplius adscendat. Alii addunt Sulphuri sal. comm. decrepitatum, aut vitriolum calcinatum ad rubedinem, aut etiam arenam, ut ex seq. patebit: sed præstat nil addere). Quando capitellum removetur, licebit Cucurbitam latere, sive tegulâ, claudere, ne vi aëris Sulphur accendatur. Quod si fiat, cineribus injectis, incendium Sulphuris extinguere oportebit.

Vires. (*Attenuant, incidunt*) *calefaciunt, & siccant: sunt diaphoretici, & sudorifici* (*bechici, vulnerarii*) *imò & alexipharmaci: medentur vulneribus internis pulmonum, renum, aliisque. Dantur sub forma pulveris, vel admiscentur linctibus, & syrupis.*

Dos. *est* ℈. j. (ʒβ) *mistorum cum sacch. cand. vel syrupo tussilaginis: Vel edantur cum pane butyraceo.*

(*Margr.*) CAP. CCXXX.

Sulphuris Tinctura, Balsamum, & Lac.

℞. *Florum Sulphuris pulverisator.* ℥. β. (ʒij.)
Ol. Tartar. per deliq. ℥. j. β. (q. s.)

Fluant Flores in patella terrea munda (super carbonibus accensis): fluentibus affunde Ol. Tartar. per del. Sine, ebulliant simul ad siccitatem. Tum relictam materiam, antequam induretur, spatulâ (ferrea continuo) diligenter agita, donec (liquore consumto) colorem acquisiverit spadiceum, (subrubrum) sive *bruneum* dictum. Tunc Sulphur rite calcinatum erit. Hoc Sulphur, (refrigeratum) in pulverem redactum, extrahatur cum Sp. Vini rect. digerendo (in vitro) per paucas (aliquot) horas; & habebitur Tinctura sanguinea (subnigra), quæ tamen (à fæcibus decantata usui servanda est) aliquot dierum spatio sponte in Sulphur gryseum præcipitatur, quod vocatur, apud Beguinum, *Magisterium Sulphuris gryseum.* Hæc Tinctura cum aceto præcipitatur in massam albissimam, quæ exiccata dicitur *Lac Sulphuris.*

Vires. *Hæc Tinctura* (*calefacit & siccat*) *præfertur ipsis floribus Sulphuris in affectibus pectoris, quòd omni acido Sulphuris careat. Acida enim pectori sunt inimica. Hinc maximè expetitur in phthisicis, & vulneribus pectoris* (*movet sudorem, præservat a putredine.*

Dos. *sunt aliquot guttæ* (*vel per se, vel in aliquo syrupo*).

Pro-

(Maets.) *Processus secundus.*

℞. *Sulphur.* q. p. *vel part.* ij. (i)
Sal. Tartar. cum Nitro ad viredinem combust. part. j. (ij)

Fundatur Sulphur, leni igne, in patina terreâ (vitreata), fusoque (successivè) admisce portionem Salis Tartari, & spatulâ ligneâ inter sese commisce. Ita enim videbis, quòd Sal Tartari fermentationem inibit cum Sulphure, multasque bullulas excitabit, colorque Sulphuris mutabitur in fuscum, vel hepaticum. Reliquam Salis tui Tartari partem (sedata fermentatione) successivè cum Sulphure fuso miscere pergito. Ita enim (sales vitriolici corrosivi, in Sulphure latitantes, erunt correcti, & emendati) visciditas Sulphuris erit incisa, vinculaque ita reserata, ut commodis menstruis, Sulphuri homogeneis, (utpote Sp. Vini, Sp. frumentorum fermentatis) via sit aperta ad subtilissimas oleosas, & salinas partes, ex Sulphure educendas. Quod fiet seq. modo:

♃. *Sulph., cum Sale Tartar. fermentat.* ℥. j.
Alcohol Vini. ℥. viij.

Contundatur (& pulverisetur: antequam humidum ex aëre contrahit) Sulphur, eique affundatur Alcohol. Digerantur in B. tepido (per xxiv. hor. vel), quousque Sp. Vini rubicundo flavo colore tinctus sit. Hunc, absque perturbatione fœcum, decanta; & usui reserva.

Vires. *Valet in omnibus affectibus, in quibus Balsamum, & Magisterium, Sulphuris præscribi solent.*

Dos. *est à gutt.* xij. *ad* xxx.

(Maets.) *Sulphuris Balsamum efficacissimum.*

♃. *Hujus Tincturæ* q. v.

Evocato per destillationem Spir. vin. ad duas tertias, remanente in fundo Balsamo Sulphuris potentissimo, & nobilissimo, quod *à Medicis Chymicis exhibetur in omnibus affectibus, utpote pulmonum, obstructionibus mensium, febribus hecticis: Quo in casu feliciter cum hoc Balsamo conjunguntur chrystalli Sacchari Saturni; quorum præparatio hæc est:*

♃. *Nitri purissimi,*
Sacch. Saturn. ana q. p.

Solvatur utrumque in aceto destillato. Solutiones confunde, & evaporando chrystallos expecta. Similiter & in asthmate, orthopnoeâ, & similibus affectibus, quibus ullo modo Sulphur succurrere potest, prodest.

Sulphuris Lac. (Maets.)

♃. *Sulphuris, cum Sal. Tart.; ut superius, præparati.* q. v. Coquatur in aq. pluvia, usque dum Sulphur solutum sit: quo peracto fiat præcipitatio cum aceto destillato: Ita enim præcipitabitur ad fundum pulvis tenuissimus, qui ab omni fœtore per crebras ablutiones liberandus est, vocaturque Magisterium, sive Lac Sulphuris.

Vires. *Valet in morbis pulmonum, phthisi, asthmate, peste; de quibus ulterius consulendi Authores Chymici.*

Sulphuris Balsamus crassus: (Marg.)
Processus secundus.

℞. *Florum Sulphur. pulverizator.* ℥. v.
Inde cucurbitæ vitreæ non resectæ, id est, integræ. Tum affunde
Ol. Terebinthin. vulgar. ℥. xiij.
Repone in arena, & accende ignem tertii gradûs. Sic, iij. hor. spatio, totum Sulphur cum menstruo abibit in massam nigram, picis instar. Hanc massam refrigeratam effunde in ollam puram, & affusâ Aquæ puræ s. q., super carbonibus accensis absque flamma, per quadrantem horæ, coque. Refrigeratâ ollâ, Aquam superfluitantem cum Ol. Terebinthinæ decanta, & reperies in fundo massam nigram induratam valde, quam serva usui. Hæc enim est *Balsamus Sulphuris crassus* dictus.

Vires. *Medetur optimè recentibus vulneribus, ut & ambustis, in quibus empyreuma feliciter extinguit. Inservit quoque parandis Balsamis aromaticis.*

Bals. Aromaticus Fœniculatus. (Marg.)
Processus tertius.

♃. *Balsam. præcedentis* ℥. ß.
Solvatur supra accensos carbones, ita ut fluat. Tum adde
Ol. Fœnicul. destillati. ℥. ij.
Agitentur bacillo, ut abeant in unam massam. Vel

Processus quartus. (Margr.)

♃. *Bals. Sulphur. crassi, ex floribus Sulphuris parati, & coctione cum Aqua inspissati,* ℥. ß.

Ol. Fœnicul. ſtillat. ℥. ij. *aut* iij.

Miſce & per noct. digere in arena : ſic accuratè miſcebuntur duæ hæ ſubſtantiæ ; fietque Balſamus liquidus , colore nigro , retinens genuinum ſaporem Olei Fœniculi, abſque empyreumate (operatio fieri poteſt in vitro, vel olla vitreata).

Vires. *Attenuat, incidit, calefacit, ſiccat : reſolvit pituitam craſſam in ventriculo, aut pulmonibus (hinc in affectibus pectoris, aſthmate, dyſpnœa, & orthopnœa, convenit) contentam : ſudorem, & urinam, movet.*

Doſ. *Aliquot guttæ, vel cum ſyrupo aliquo (ſæpius de die), vel lambendo ſolum ex vola manûs hunc Balſamum (non guttæ deglutiendæ, ut deſcendant in pulmones).*

(Maets.) *Sulphuris vulgaris Balſ. præparatio : Proceſſus quintus.*

℞. *Flor. Sulph. vulgar.* q. p.

His affunde

Ol. Succin. Terebinth. vel Juniper. vel Nucum Juglandium, ad eminentiam iij. iv. *ve, dig. tranſverſor.*

Stent in digeſtione, in arena, igne mediocri, quouſque Oleum tuum rubicundo colore tinctum, & à Floribus Sulphuris quodammodo inſpiſſatum obſervabis. Ita facta eſt conjunctio Olei, & Florum Sulphuris : Et ſic elaboratur Balſamum Sulphuris ſimplex ; Quod ſi potentius quis deſiderat, Floribus Sulphuris adde Myrrham, Aloën, & Crocum, & ex illis extrahatur tinctura cum Oleo, ut dictum priùs ; Ita obtinebis Balſamum, *quod maximarum eſt virium in peſte, aliiſque morbis contagioſis. Interiùs enim exhibitum ſudores potenter movet, & particulis ſuis balſamicis ſanguinem à veneno externo defendit.* Hoc autem in Balſamo Sulphuris aniſato annotari debet, quòd ſcilicet, in ejus præparatione, longâ digeſtione, ac proinde indefatigabili patientiâ, opus eſt : ſecus fœtorem nauſeabundum, ex fermentatione vehementiore, facilè ſibi conciliat.

(*Maets.*) CAP. CCXXXI.

Sulphuris Balſamus compoſitus antipeſtilentialis.

♃. *Florum Sulph.* ℔. j.

Myr-

Myrrhæ, ℥. iij.
Aloes Socotrinæ, ℥. ij.
Croci opt. ℥. j. ß.
Camphor. ʒ. iv.

Redigantur in pulverem tenuem, iisque affundatur.

Ol. Terebinthinæ æthereum, seu lucidum, ad eminentiam iij. iv. *digit. transvers.*

Digerantur simul, ut artis est, & obtinebis Balsamum *Sulphuris in peste, morbisque malignis, magnarum virium.*

Quod si vulnerarium reddere animus est, adde prædictis speciebus, in digestione, radic. consolidæ, flor. hyperici, chelidonii, centaurii, & similia.

CAP. CCXXXII. (*Maets.*)

Pilulæ antipestilentiales ex Sulphure.

℞. *Florum Sulphur.* ℥. x.
Myrrhæ, ℥. j. ß.
Aloes lucidæ, ℥. j.
Croci optim. ℥. ß.

Fiat pulvis tenuis, qui cum Elixire Paracelsi, vel alio cordiali, in massam pilularem redigatur: & habebis antipestilentiale optimum.

CAP. CCXXXIII. (*Maets.*)

Balsamus Dia-Sulphuris Rulandi.

℞. *Flor. Sulphuris*, ℥. j.
Ol. Nucum Jugland. ℥. vj.
Vini generosi, ℥. ij.

Digerantur simul, sæpius agitando ingredientia hæc, & postmodum coquantur simul ad Vini consumptionem: & paratum erit Balsamum Dia-Sulphuris Rulandi.

Processus secundus.

℞. *Florum Sulphuris*, ℥. viij.
Ol. Nucum Jugland. ℔. j. ß.

Digerantur in aqua calida ad solutionem Sulphuris; & præparatus Balsamus Sulphuris.

(Maets.) CAP. CCXXXIV.

Emplastrum Dia-Sulphuris Ejusdem.

℞. *Balsam. præcedent.* ℥. iij.
Ceræ, ℥. ß.
Colophon. ℥. iij.
Myrrhæ, ad pondus omnium.

Liquefac Ceram, Colophon., & Balsamum Sulphur., super ignem, insperge Myrrham subtilissimè tritam paulatim, & successivè, igneque lento coque, spatulâ ligneâ semper agitando, donec inter se permixta fuerint, & sensim refrigescant.

(Margr.) *Sulphur. Sp. per Camp.:*

℞. *Campanam vitream satis idoneam, in superiori parte perforatam (prius aqua pura madefactam;)*

Eam impone (multis parvis) scutellis vitreis, aut terreis vitreatis, quot, scilicet, sufficiunt pro magnitudine Campanæ. In medio harum scutellarum pone (vasculum) patellam terream vitreatam cum Sulphuris liquefacti, & ferro ignito accensi fortè ℥. iij. (ne Sulphur excedat quantitate, & flamma frangat Campanam: sufficit igitur cochlear. j.) Relinque in loco â ventis remoto, donec Sulphur omne sit consumptum. Si fortè Sulphur præter expectationem extinguatur, oportet hoc novo ferro ignito (priore remoto, ut nempe perpetuo conservetur Sulphur ignitum & incensum) reaccendere, & semper novum Sulphur pulverizatum adjicere, donec s. q. Spir. sive Ol. Sulphuris, sit comparata. Colligitur autem hic Spir. sive Oleum, ex fumo Sulphuris acido, collecto ad supeficiem internam Campanæ, & tandem resoluto quasi deliq. ab externo aëre frigido, & humido: unde necesse est instituere hanc operationem tempore, & loco, frigido, & humido (pluvioso); aliàs parum, aut nihil, commodi reportabitur. Deinde etiam ℔j. vel ij. Sulphuris est consumenda, antequàm Campana incipiat destillare. Non nocebit etiam, si Campanæ subjiciatur vasculum, aquâ calidâ repletum; quæ perpetuò exhalet ad Campanam, ut hoc modo fumus faciliùs colligatur ad Campanam. Est operatio molesta, & diuturna. Hinc Chymici varia compendia hujus ope-

operationis quærunt: nunc, scilicet, destillando Sulphur cum viridi æris, qui processus videatur apud Rolfincium: nunc cum Sp. Nitri, qui processus videatur apud Schroderum: nunc per se destillando Sulphur ex retortâ tubulatâ in recipiens aquâ repletum; ubi aliqui etiam nitrum addunt, unde Sp. Sulphuris mixtus oritur.

Ego verò puto, omnes Spir. acidos in mundo esse Spir. Sulphuris, sed aliter, atque aliter, modificatum.

Nota 1. Ex Sulphuris vulgaris ℔. j. accipies ℥ß; si vero fuerit minera Sulphuris, interdum ℥iij. vel iv. Spir. acidi.

2. Post destillationem Campana nocturno tempore ad latus reponi potest: sic Spir. acidus confluet in unam massam, quæ conservari potest.

Vires. *Hic Spiritus ab Helmontio dicitur facere ad longam vitam; unde plerumque reliquis Spiritibus acidis præfertur. Temperat acrimoniam salinam; reserat obstructiones, à sale muriatico factas: præservat à putredine, omnia extenuat, & incidit (ventriculi fermentum conservat, sanguinem depurat, & reddit incorruptibilem, movet sudorem & urinam).*

Dos. *Est guttar.* vj. *vel* viij. *(in aqua appropriata.)*

CAP. CCXXXV. *(Margr.)*

Sulphuris Sp. per destillationem.

℞ *Retortam tubulatam terream, aut saltem perforatam, (Si foramen, aut tubulus, fuerit à parte posteriori, eò meliùs.)*

Injiciatur per vices, sive cochleari,

Pulv. ex Sulphuris, & Nitri, p. æq. *fact.*;

Sic vapores incensi cum impetu feruntur in recipiens vitrum, quod amplissimum esse debet, continens aliquid aquæ puræ, & cujus junctura cum collo retortæ sit tantùm leviter obturata. Consumpto cochleari uno, ingeratur alterum, idque continuetur, quamdiu libitum fuerit. Sic accipietur, una cum quibusdam floribus, Sp. acidus penetrantissimus, Spiritui campanario haud absimilis, sine dubio tamen aliquid acidi Nitri in se continens, quod vapores rubicundi demonstrant. Potest dici *Sp. Sulphuris compositus.* Si solum Sulphur, absque Nitro, ingeratur, infeliciter succedit operatio, quia Sulphur non accenditur, atque ideò nullum Spiritum acidum, sed flores suppeditat, etiamsi leviter tantùm juncturæ sint clausæ.

Vires *easdem habet cum Spiritu Sulphuris, nempe refrigerandi, siccandi, putredinem arcendi, urinam, & sudores, movendi.*

Dos. *aliquot guttæ in aq. appropriatâ, aut vino.*

(*Margr.*) CAP. CCXXXVI.

Tacamahacæ Oleum.

℞. *Gum. Tacamahacæ, quantum fieri potest, pulverizat.* (*a*) ℥. ij.
Arenæ puræ, & cribratæ. ℥. iv.

Misce, & destilla ex retorta vitrea, in arena; primùm igne leni, tum tertii gradûs, per horas ix. vel. x. Sic primum procedet liquor flavus: tum rubicundus. Post horas vj. vel. viij. remove recipiens, & effunde Oleum, atque iterum applica, donec prodierit Oleum valde crassum, & viscidum, quod *Balsamum Tacamahacæ* dicitur.

Vires. *Est maximè diaphoreticum, par succini oleo, vel etiam superius. Conducit vulneratis nervis, excitat præfocatas hystericâ passione, & virium omnino præstantissimarum habetur.*

Dos. *internè est ad aliqnot guttas.*

(*Marg.*) CAP. CCXXXVII.

Tartari Cremor, & Chrystalli.

♃. *Tartari Vini, (crudi), quantum potest haberi, albissimi*, ℥. (iij.) iv. (℔. ß.

Abluatur (integer adhuc) toties Aquâ purâ, donec Aqua tandem permaneat limpida, tum sit ad manum olla terrea (fictilis, aut etiam cuprea, sed stanno obducta) vitreata, & munda, quæ capiat præter propter

Aquæ ℔. iij. (vj.)

Imponantur simul accensis carbonibus, & relinquantur, donec Aqua ferveat. Tum injiciatur (in bullientem Aquam) Tartarus antea lotus, omne simul (vel cochleatim per vices, donec omnis Tartarus sit ingestus,) integer, & sine contritione (vel exiccatus & pulverisatus,

a Absque pulverisatione, & arena, hujus Gummi destillatio institui potest, modo retorta non ultra tertiam partem repleatur.

tus;) relinqueturque ibi per circiter horam ß. ; donec omnis ab Aqua (totaliter) resolutus sit ; quod cognosci potest, si cochleari ligneo exploretur. Quo facto, removeatur olla ab igne, coleturque Aqua fervida per pannum densum. Sic Aqua pura, secum vehens Tartarum solutum, transibit per pannum; quæ postea refrigerata in superficie habebit cuticulam : In fundo verò, & ad latera, deponet Chrystallos Tartari. Cuticulam vocant Cremorem Tartari; quem hoc modo colligunt. Accipiunt, scilicet, Tartarum refrigeratum, separant ab Aqua, affundunt novam Aquam, coquuntque, ut antea : bullienti Aquæ injiciunt albumen ovi conquassat. (j. vel ij.;) post parvam (dimidii quadrantis hor.) coctionem albumen (una cun fæcibus) coagulatum (induratum) detrahunt cochleari perforato ligneo : tum Tartarum coctum (vel Aquam, Tartaro imprægnatam, ferventem) iterum colant per pannum (sic fæcibus in panno relictis, aquam habebis limpidam.) Colaturam statim (in olla munda) imponunt igni, & , dum bullit Aqua, in superficie emergentem cuticulam (satis densam) detrahunt cochleari perforato ligneo (& super orbe terreo vitreato reponunt,) & statim nova emergit cuticula, quam iterum detrahunt. Sic pergunt continuò, donec tota Aqua (per ejusmodi cuticulas) sit consumpta, totusque Tartarus abierit in cuticulam : quem Tartarum postea exiccant ad solem in pulverem subtilissimum, vocantque *Cremorem Tartari.* (qui nomen a similitudine cum Cremore lactis accepit. Si vero Chrystalli præcedentibus puriores desiderantur, liquor, quamprimum prima cuticula apparet, effundatur in vas ligneum, & hoc reponatur per hor. xxiv. in cellam frigidam, & habebitur tum Cremor in superficie, ad latera verò vasis terrei hærebunt lapilli splendentes, qui vulgo Chrystalli Tartari audiunt : In fundo Tartarus sub forma pulveris. Vulgo omnia conjunguntur, ad ignem siccantur, rediguntur que in pulverem albissimum, & in officinis uno nomine Cremor Tartari dicuntur.) Notandum verò est, albumen ovi conquassatum posse statim indi primæ coctioni, & deinde, si quis velit Chrystallos habere majores, oportere Tartarum decoctum colari in vas ligneum; sic enim emergent Chrystalli. Alii decocto Tartari addunt aliquid Aluminis, aut Nitri, ut Chrystallos accipiant majores : sed hæ Chrystalli sunt adulterinæ.

Si in copia parantur Cremor, & Chrystalli Tartari, tum accipiendum vas cupreum, sed stanno obductum. Videndum etiam est, ut justa quantitas Aquæ addatur Tartaro. Nam ad unam ℔. Tartari necesse fere est accipere Aquæ ℔x. vel. xij. Sic enim demum solvi potest Tartarus.

Non-

Nonnulli etiam Tartarum, dissolutum in Aqua ferventi, filtrant per chartam, nanciscunturque Tartarum satis album. Sed operatio est tarda, difficulterque Aqua per chartam transit, facilèque illam obstruit, atque sic multum Tartari perit.

Vires. *Cremor, & Chrystalli, easdem habent vires, nisi quòd Cremor paulò subtilior est (constant ex acido & alcali, inter se temperatis, nullo ferè modo corrosivis). Utrumque (blandè) attenuat, & incidit (resolvit, quod vulgo digerere vocant,) alvum blandè subducit (laxat), fermentum restituit (fortificat, vel etiam emendat), aliorum purgantium vires facile recipit, imò & easdem auget, & interdum reprimit, præcipuè in scammoniatis (fœtorem abscondit).*

Dos. *est à* ℈. (j.) ij. *ad* ʒ. j. (℈iv. vj. *in jusculo aut cerevisia*).

(*Margr.*) CAP. CCXXXVIII.

Tartari calcinatio, (incineratio), Lixivium, Sal, & Ol. per deliq.

℞. *Tartari alb. integri.* ℔. j.

Involvatur chartâ bibulâ, quæ ligetur filo. Immittatur tum charta cum Tartaro in aquam puram, iterumque remota imponatur igni carbonum bene accenso, ita ut charta ab omni parte carbonibus, vel cespitibus ignitis, bene tegatur. Relinquatur sic Tartarus per hor. ß. Tum removeatur iterum ex igne, & reperies Tartarum confluxisse in unam massam albissimam (ipsam Tartari calcem), si calcinatio ritè peracta est. Si verò massa adhuc nigra est, relinquatur illa, donec alba facta fuerit: & peracta erit operatio.

Tartari Lixivium.

℞. *Massam ita præparatam (vel Cap. mortuum post destillationem spir. & ol. Tartari).*

Solvatur Aq. pura: coquatur in olla ferrea: Tum digeratur per noct. (hor. XXIV, ut sal bene extrahatur); decantetur cum Aqua à cineribus, filtretur per chartam, & colatura evaporetur in olla ferrea munda ad siccitatem usque, & acquiretur sal Tartari, at impurum, ideoque reverberandum, iterumque Aqua pura solvendum, & filtrandum, obtinetur Lixivium Tartari.

Tartari

Tartari Sal (fixum, sive ejus Alcali).

℞. *Lixivium Tartari (vel Ol. Tartari per deliq.) optime depuratum;* Evaporetur in olla ferrea (vitro evaporatorio) ad siccitatem usque. Quod relinquitur super tegula vitreata, aut orbe terreo vitreato, reverberetur paululum, ut in totum exiccetur. Sic relinquitur Sal Tartari albissimum, quod statim ingeratur in vitrum angustioris orificii, quod accuratè claudatur, ne aër ambiens ingrediatur, & per deliq. solvatur.

Tartari Oleum per deliq. (Marg.)

℞. *Tartari ad albedinem calinat. (adhuc impuri, vel Salis Tartari praecedentis)* q. s.

Repone super orbe vitreo, aut terreo vitreato, in locum frigidum humidum, qualis per æstatem est cella, ibique relinque per aliquot dies, donec sponte sua, absque additione aquæ, resolvatur in liquorem, qui filtretur per chartam, & servetur usui. Hic (liquor) enim vocatur *Ol. Tartari per del.* sive deliquescentiam. Sed est nil aliud, quàm Sal Tartari resolutum (potestque leni evaporatione, quoties libet, redigi in Sal purissimum.)

Vires & Usus Lixivii, Salis, & Ol. Tartari per deliq. *Potenter resolvunt, & attenuant (aperiunt, incidunt), acida omnia (fermenta praecipuè ventriculi) in momento destruunt (corrigunt): hinc liquorum consistentiam solvunt, & multas particulas praecipitant (alvum laxant: Inserviunt usibus Chymicis & Medicis.) Sulphura aperiunt, & sic praeparant, ut cum sp. vini tinctura genuina elici possit.*

Dos. *illorum non multum differt, estque intra corpus plerumque ad* ℈ß. ℈j. ʒß.

CAP. CCXXXIX. *(Margr.)*

Tartar. Sal. reverberatio.

℞. *Sal Tartar. extemporaneum impurum,*

& in crucibulo ignito per quadrantem horæ reverbera. Refrigeratum solve aquâ purâ, filtra, & in vitro evaporatorio leniter evapora ad siccitatem, &, quod relinquitur, super patellâ terreâ vitreatâ modico igne carbonum fortiter exicca. Ita fiet siccissimum, & albissimum. Inda-

tur ſtatim lagenulæ vitreæ anguſti orificii, claudaturque accuratè ſubere. Sic poterit conſervari in forma ſicca, ne per deliq. ſolvatur in aquam.

(Maets.) *Sal Tartari compoſitum :*

℞. *Tartar. crud. v. g.* ℔. j.
Nitri, ℔. ß.

Contundantur in pulverem tenuem, & probè inter ſe miſceantur. Hujus mixturæ ſucceſſivè in crucibulum candens conjice cochlear j. Poſt detonationem grana aliquot Nitri adjice : ita enim illico fluet maſſa tua. Hoc continua, donec crucibulum ad ſummitatem ſit repletum ; vel quouſque libet. Hoc peracto, crucibulum obrue carbonibus, & relinque eo in ſtatu, donec omnia refrigerata ſint. Crucibulum confringe, & invenies Salem tuum coloris ſubcœrulei viridis. Hoc in cella repone, & alcali tuum ab humido aëris reſolvetur in liquorem oleo perſimilem, id eſt, *Oleum Tartari per del.*, verum ſulphureorum reſolvens.

(Margr.) *Tartari Sal compoſitum (extemporaneum.) proceſſus ſecundus.*

℞. *Tartar. Vin. albi,*
Nitri crud. ana ℥. j. (℔. ß.)

Terantur omnia (ſeorſim) ſubtiliſſimè, cribrentur, & miſceantur. Tum per vices (cochleatim injiciendo) in crucibulo, ſuper carbonibus ignito, detonentur; ſicque in momento (his maxima ex parte deflagratis) habebitur (reperietur maſſa quædam acerrima) Sal Tartari, quod dicitur *euporiſton*, & *extemporaneum* (compoſitum, Sali Tartari colore & ſapore haud abſimile), Removeatur ex crucibulo, dum adhuc candet, per ſpatulam ferream : ingeraturque adhuc tepidum in vitrum anguſti orificii, quod ſubere accuratè claudatur. Sic ſervabitur ſub forma ſicca, nec fluet per deliq. (ex ℔. j. non multum ultra ℥iv. acquiretur).

Vires. *Inſervit valatilizationi ſalium fixatorum, ut eſt Sal Ammon. Idem poteſt ſupplere vicem nitri fixi, ſive Alcaheſt Glauberi. Eſt ſuccedaneum Salis Tartari ſimplicis : attenuat, incidit, alvum laxat, humores acido acres temperat (diſſolvit, deſtruit omne acidum) : unde nonnullis in quotidiano uſu eſt in temperando fermento acido ventriculi (cujus ſodam vel ardorem compeſcit : tollit paroxyſmos febriles).*

Doſ. *eſt* ℈. ß., *qui ſæpius in cerevifia ſumitur.*

CAP. CCXL. (Marg.)

Aqua Sal. Tartari, sive Menstruum, ex Sale Tartari destillatum.

℞. *Ol. Tartar. per del. purissimi* ℥. viij. *aut* q. s.
Destilla, ex retorta vitrea, in arena, ad siccitatem usque, & accipies Aquam omnium levissimam, & subtilissimam, quam jure possemus vocare *Aquam elementalem*, quia ex subtilissimo aëre est contracta, rorisque majalis æmula esse potest,

Usus. *Inservit pro menstruo in extrahendis essentiis, & tincturis, vegetabilium, præferturque Spiritui Vin. subtilitate, & simplicitate substantiæ, habeturque à multis Chymicis pro arcanorum menstruo.*

CAP. CCXLI. (Marg.)

Tartari (Salis) Tinctura.

℞. *Sal. Tartari, præcedenti modo præparati.* ℥. iv.
Inde crucibulo firmo, & mundo, quod repone intra carbones accensos, claudaturque accuratè tegulâ, ne carbones, aut cineres, incidant. Conserva sic in igne reverberatorio per horas vj. vel. viij., donec totum cœruleum evaserit, quod spatulâ ferreâ exploratur. Quo facto, removeatur Sal Tartari, molle adhuc, ex crucibulo, &, simul atque paululum refrigeratum fuerit, statim (a) confringatur, indaturque phiolæ vitreæ oblongæ, eique affundatur

Alcohol Vini q. s. *ad aliquot dig. transversor. supereminentiam.*
Claudatur tum phiola, vitro inverso: fiatque, in arena, digestio per d. & noct. xiv., vel, donec Alcohol Vini sanguineum evadat. Tunc decanta Tincturam, & affunde novum Alcohol Vini, iterumque digere, sicut antea, donec tandem Alcohol non amplius tingatur. Tincturas conjunge, & serva usui.

Vires. *Hæc Tinctura non tantum à Chymicis, sed etiam Medicis, in magno pretio habetur, qui passim illâ utuntur in sanitate sartâ tectâ conservandâ, & in morbis præcavendis. Est enim insigne aperiens, humores fundens, & quævis noxia expellens.*

Dos. *Aliquot guttæ.*

(a) Antequam aëris humidum attrahat, sic nullam præberet tincturam.

(*Marg.*) CAP. CCXLII.

Tartari Terra foliata.

℞. *Salis Tartari ſicciſſimi, & puriſſimi.* ℥. j.
Huic) in vitrea retorta contento, affunde
Aceti deſtillati. ℥. (iij) iv.
Deſtilla (ex arena per retortam) ad ſiccitatem usque (& relinquetur in fundo cum Sale Tartari Aceti acidum omne), & liquor omnis; qui (in recipiens) prodibit, erit inſipidus, phlegmatis inſtar. Retortâ refrigeratâ, affunde relicto Sali Tartari iterum Aceti deſtillati. ℥. iv; iterumque deſtilla ad ſiccitatem uſque, & iterum prodibit Sp. Aceti ſub forma phlegmatis. Continua hanc deſtillationem tamdiu, ſemper affundendo novum Spiritum Aceti, & deſtillando ad ſiccitatem, donec tandem Sp. Aceti prodeat acidus, id eſt, talis, qualis fuit affuſus. Tunc Sal Tartari ſ. q. acidi Aceti erit imprægnatum, atque ſaturatum. Relictam maſſam ſolve denuò cum Alcohol Vini, filtra per chartam, & Alcohol Vini iterum abſtrahe ad ſiccitatem. Sic relinquetur (habebitur) in fundo maſſa (pingvis) unctuoſa, butyri inſtar, & ſæpe repræſentans multa quaſi folia, unde fortè nomen terræ (foliatæ Tartari) nacta eſt (diciturque etiam Magiſterium Tartari arcanum).

Vires. *Eſt inſigne digeſtivum in humoribus craſſis attenuandis, & incidendis (purgans leniter per alvum): unde pro ſtimulo (& corrigente) reliquis (potiunculis) purgantibus additur. Multis inſervit pro menſtruo univerſali; aliique Elixirio Proprietatis addunt (diciturque eſſe ferax multorum arcanorum Chymicis).*

Doſ. *intra corpus eſt (gr. iv. v.)* ℈. ß. *in aliquo liquore pro obſtructionibus antiquis reſerandis.*

(*Maets.*) CAP. CCXLIII.

Tartari Quinta Eſſentia.

℞. *Salis Tartari, ſ. a. preparat. q. pl.*
Huic affunde
Acet. deſtillat. ad eminentiam dig. ij. tranſverſor.

Poſt

Post ebullitionem sedatam Acetum destillatum ad siccitatem aufer, aliudque de novo affunde. Hoc continua, quousque Acetum destillatum tam acre redeat per destillationem, ac affusum erat.

℞. *Hujus* ℔j. *misceto cum*
Sal volatil. Urinæ. ℥j. β.
Camphor. ℥j.

Sublimentur, ut artis est; ita obtinebis Salem volatilem *maximarum virium in obstructionibus corporis nostri solvendis: & specificè convenit in omnibus arthritidis speciebus.*

Dos. *à gr.* vj. *ad.* ℈j. *in convenienti vehiculo.*

Quòd si menstruum desideres potentissimum pro elaboratione Elix. Paracelsi volatilis, cujus mentionem facit Helmontius:

℞. *Salis hujus.* ℥j,
Alcohol Vini fortissim. ℥xij.

Macerentur ad solutionem Salis, paratumque erit menstruum ad Essentias vegetabilium, animalium, & multorum mineralium, extrahendas, & per alembicum destillandas.

(*Maets.*) CAP. CCXLIV.

Balsamum Samech Paracelsi.

℞. *Sal. Tartari, opt. purificat. à sordibus.* ℔j.

Huncque Salem cum s. q. aquæ pluviæ redigito in lixivium forte.

℞. *Itidem Chrystallor., seu Cremor. Tartari.* ℔j.

Dissolvatur in aq. pluviali coquendo. Solutione peractâ, confundantur simul hæ duæ solutiones guttatim, quousque omnem effervescentiam sedatam observabis. Tunc subitò filtrato, quod filtrari potest, & in Salis formam evaporato, & ita paratum erit Balsamum Samech Paracelsi, quod sequenti modo ad majorem maturitatem redigito:

℞. *Hujus Salis Tartari inversi, q. p.*
Alcohol. Vini ad eminentiam dig. iij.

Stent in digestione, quousque Sp. Vini summam contraxerit rubedinem. Spiritum Vini decanta, novum affunde, & procede, ut priùs, illudque continua, quousque tincturæ satis obtinuisti. Illas verò confundito, & ad medietatem, per destillationem, evaporato.

Vires. *Est medicamentum, potenter per diuresin educens Tartarum sanguinis, & efficaciter à renibus arenas, & calculos expellens.*

Dos. *Salis à ℈ß. ad ℈j. in liquore convenienti diuretico.*
Dos. *Tincturæ à ℈j. ad. ʒß.*

(*Maets.*) CAP. CCXLV.

Tartari Vitriolati præparatio.

℞. *Ol. Tartar. per del. limpidissim. & fortissim. (seu Salis Tartari, aq. comm. soluti,) q. v.*

Huic successivè stillatim affunde

Ol. Vitrioli rect., quousque effervescentiam sedatam observaveris.

Quo in casu acidum Vitrioli, & alcali Tartari, connubium ineunt, & salem intermedium componunt. Hoc leni igne ad siccitatem evapora salis candidissimi acido-salini, & præparatus erit Tartarus Vitriolatus.

Vires. *Digestivum est nobile ad obstructiones pertinaces resolvendas, præcipuè mensium, mesenterii, lienis, & similium (urinas & menses movet: stomachicum est, & stimuli loco purgantibus permiscetur: potenter attenuat, incidit, resolvit crassos Humores & viscosos.)*

Dos. *ejus à gr.* vj. *ad* xv. *&* ℈j.

Tartari Magisterium, sive Tartarus Vitriolatus:

(Marg.) *Processus secundus.*

℞. *Ol. Tartar. per del.* ℥j.
Vitriol. non rectific. ʒij.

Misce guttatim (cavendo, ne nimis effervescant) in cucurbita (vitro oblongo, donec non amplius effervescant.) Tum (vitrum repone ad quietem: post horam liquorem superfluitantem decanta a coagulo albo,) pauxillâ additâ aquâ purâ, filtra per chartam. Colaturam (reaffunde coagulo albo, antea relicto,) evapora in vitro evaporatorio ad siccitatem. Quod relinquitur in fundo, est (pulvis albissimus) Sal subausterum, dictum *Magisterium Tartari (Tartarus Vitriolatus, Magisterium Vitriolatum.)* Alii aliam proportionem observant, sumendo vel partes æquales, vel duas partes Ol. Tartari, & unam (ad summum) Ol. Vitriol. (alii Ol. Tartar. p. deliq., & Spir. Vitriol. ana.) Verùm observandum, & studendum est, ne *Tartarus hic Vitriolatus* fiat nimis acidus, & corrosivus, & non tantùm non aperiat, sed obstruat potiùs.

Vi-

Vires. *Est medicamentum magni nominis apud Medicos, & plurimi usûs. Nam potenter attenuat, incidit, resolvit, crassos, & viscidos (tenaces) humores. Unde (audit digestivum in morbis chronicis) in purganda pituita, in calculo (solvendo omnium Medicorum experientia,) in obstructionibus plurimùm valet. Omnia fere famosa lithonthriptica recipiunt Tartarum Vitriolatum. Purgantibus phlegmagogis additur pro stimulo. Cum Jalappa feliciter purgat hydropicos.*

Dos. *est à* ℈ß. *ad* (℈j. ʒß.) ℈ij.

Processus Tertius. (Marg.)

℞. *Vitriol. crud. viridis, optimè chrystallizat.* ℥iij.

Solvatur aquâ purâ, & solutioni instilla

Ol. Tartar. per deliq. ℥j.

Misce, & agita, ac superfunde

Aquæ puræ, ut bene misceantur, ℥iij. iv.

Tum repone vitrum ad quietem, ut pars metallica Vitrioli petat fundum. Aquam limpidam filtra per chartam. Filtratam evapora ad siccitatem. Quod relinquitur, igniatur in crucibulo. Refrigeratum solve aquâ purâ, digerendo per noctem. Filtra, & chrystalliza, habebiturque Sal albissimum, compositum ex Sale Tartari, & acido Vitrioli, quod vulgò dicitur *Magisterium Tartari*, & *Tartarus Vitriolatus.*

Vires. *Habebitur pro digestivo crassorum, pituitosorumque humorum, quos attenuat, & incidit. Unde feliciter phlegmagogis, & melanagogis, purgantibus additur.*

Dos. *est* ℈ß. *ad* ℈j.

CAP. CCXLVI. *(Margr.)*

Tartarus Emeticus.

℞. *Vitri Antimonii (vel croc. metallorum)* (a) *minutissimè pulverizat.* ℥j.

Nitri crudi pariter pulverizat. ℥ij.

Misce, & in crucibulo, super carbonibus ignito, fac detonent. Materiæ relictæ pulverizat. adde

Salis Tartari purissim. ℥j.

Aquæ

a Vel Mercur. vit.

Aquæ puræ. ℥ix.

Misce, & in vase ferreo coque ad totalem consumptionem Aquæ. Massam relictam pulveriza, & cum aq. fervente extrahe. Filtra per chartam. Quod in charta relinquitur, est Vitrum Antimonii, quod sicca, & serva. Colaturam verò evapora in vitro ad totalem siccitatem. Tum relictam massam super latere albo fortiter sicca, & in vitro clauso pulverem ejus serva usui. Hic enim est *Tartarus Emeticus* dictus.

Vires. *Purgat per superiora, & inferiora, præcipuè humores biliosos.*

Dos. *a gr.* ij. *ad* (iv. *vel.*) vj.

(Marg.) *Tartari Sp. & Ol. per destillationem:*

℞. *Tartar. alb. crud., minutissimè pulverizat. q. p., v. g.* ℔iij. *aut.* iv.

Destilla per retortam tubulatam, per vices ingerendo cochleare j., priori consumpto. Sic, paucarum hor. spatio magnâ copia Sp. & Ol. Tartar. colligi poterit. Vel

℞. *Tartari crudi pulverizat.* ℔iv.

Repleatur eo retorta terrea tubulata ultra dimidium, fiatque ejus destillatio igne aperto primi, & secundi, gradûs, applicato recipiente vitreo capacissimo, cujus junctura cum collo retortæ accuratè claudatur, ne subtilissimus Spiritus (sal. volat.) exhalet (in auras avolet.)

Elapsis aliquot horis, cùm recipiens fuerit limpidum, & vapores albi in liquorem concreverint, aperiatur tum operculum, sive tubulus, iterumque injiciantur ℔iv. Tartari pulverizati: fiatque iterum destillatio, sicut antea, ita tamen, ut tubulus semper accuratè claudatur, ne quidquam exhalet, aut etiam Tartarus incendatur. Potest hoc modo continuari destillatio Tartari., donec tota retorta capite mortuo sit repleta.

Vulgò enim sic destillant. Accipiunt nempe Tartari integri ℔iij. vel iv. Ingerunt in retortam terream, destillant per ignem reverberii, sed igne valde leni, ne Tartarus, qui est corpus vegetabile, nimis citò comburatur, & cum impetu prodeat, ac frangat recipiens. Post horas iv. aut v. ignem urgent ad tertium, & quartum, gradum. Cùm nihil ampliùs prodit., & recipiens evadit pellucidum, tum desistunt à destillatione.

Quo-

Quocunque autem modo perficiatur operatio, liquorem destillatum accipiunt, & per tritorium separant (per filtrum chartaceum, sic Spiritus transcolabitur) Oleum crassum, & grave, à liquore rubicundo; &, quia Oleum partim est leve, partim grave, filtrant liquorem limpidum rubicundum per chartam. Sic Oleum remanet in charta, & liquor transit limpidus, & rubicundus.

Tum utrumque Oleum (quod in filtro remansit) conjungunt, quod est maximè fœtidum: hinc etiam *Oleum Tartari fœtidum* dicitur (usuique externo servetur. Hoc Ol. Chymici rectificare solent per retortam vitream in arena cum cineribus cribratis: Sic (solet limpidum evadere, sed in parva copia) prodit, primo flavum, ultimo rubrum. Alii rectificant super sal Tartari, & tum multum salis volat. Tartari colligunt.)

Liquorem vero limpidum rectificant, vel potiùs cohobant supra ℥j. aut. ij. capitis mortui ejusdem Tartari relicti, & pulverizati. Fit autem hoc per cucurbitam. Sic adscendit liquor subtilissimus, & albus, in exiguâ quantitate; non enim ultra (tertiam) quartam partem liquoris abstrahere est. Quando liquor mitis sequitur, Spiritum Tartari abstractum esse gustu cognoscunt.

In hac operatione Acidum Tartari, quod commixtum erat Spiritui, relinquitur in capite mortuo, quod est naturæ alcalinæ. Spiritus verò merum est Sal volatile Tartari, quod per caput mortuum Tartari, liberatum ab acido suo, jam purum evadit, effervescitque (facile) cum omni acido, instar sal. volatil. urinæ, aut C. C. Atque hic est genuinus Spiritus Tartari, qui nullâ aliâ rectificatione indiget. Nam, qui sæpiùs repetunt rectificationem, illi plerumque Sal volatile tandem perdunt, & postea phlegma Tartari pro Spiritu Tartari venditur.

Vires. *Sp. Tartari, ut & Ol. rectificatum, medicamenta sunt internis obstructionibus (reserandis, quarum quasi panacæa quædam esse perhibetur,) dicata. Hinc magnis (miris) apud Chymicos (Medicos) Laudibus efferuntur, dum chronicis, & contumacibus, morbis adhibentur. Alcalicæ enim naturæ cùm sint sine dubio, acidum destruendo, humores fundunt, & liquefaciunt, unde, coagulationem tollendo, deobstruere dicuntur. Sed semper cavendum est, ne phlegma (spiritu, majori ex parte destillando deperdito,) pro genuino Spiritu Tartari, Chymicis (ignaris) in usum veniat (quod inefficax & inutile esse experientia constat:) debet enim effervescere cum quovis acido; quod, si non faciat, tum Spiritus*

pro adulterino est habendus. (*Præstat vero his Tartareis medicamentis substituere aliquod sal volat. Corn. Cervi, aut sal Ammoniac., quæ facilius, & minoribus cum sumtibus, & efficaciora, parari possunt.*)

Dos. & Spiritûs, & Olei, *sunt gutt.* vj. *ad.* x. *vel.* xj.

(*Maets.*) CAP. CCLXVII.

Tartari, & Urinæ, Spiritus volatilis.

℞. *Tartar. Rhenan. crud. purissim.* ℔iv.

Terantur in alcohol, ac in patina terrea plani fundi calcinentur in cineres. Quibus affunde

Urinæ recentis. ℔xvj.

Sepeliantur in fimo equino, in vase optimè clauso, (luto scilicet, vel similibus) per menses iij. Ita enim Sal volatile Urinæ sese jungit, per putrefactionem, cum Spiritu igneo Tartari. Hisce peractis, committantur cucurbitæ vitreæ, alembico suo munitæ, &, lenissimo igne, Spiritum igneum auferto; quem seorsim reserva. Ablato Spiritu, accipito phlegma seorsim, continuatoque destillationem ad siccitatem usque. Capiti mortuo, in fundo remanenti, affunde phlegma destillatum, & stent simul in digestione per hor. xxiv. Ita in sese combibet phlegma Sal, in capite mortuo relictum. Filtrato phlegma tuum, eique affundito Spiritum seorsim reservatum. Ita enim Sp. vol. secum vehit, per repetitas destillationes, portionem salis, ex capite mortuo educti.

Vires. *Maximarum virium est in obstructionibus corporis humani solvendis. Specificè exhibetur in hydrope, podagra, obstructionibus mensium.*

Dos. *à gutt.* iv. *ad* x.

(*Maets.*) CAP. CCXLVIII.

Tartari Spiritus hydragogus.

℞. *Fæcum Vin. Rhenan.* ℔iij.
Tartar. leviter calcinat. ℔j.

Misceantur inter se, & committantur retortæ vitreæ, instituaturque destillatio successivis ignis gradibus. Ita enim primo loco obtinebis Spiritum

ritum albicantem, quem, ubi ſequuntur guttæ rubicundæ Olei ſequentis, aufer, aliudque vas recipiens applicato, &, quantum ignis valeat, operationem tuam proſequitor. Ita enim obtinebis Oleum rubicundum ſaporis ignei, & penetrantiſſimi.

Vires. *Potenter expellit aquas hydropicorum, in aq. petroſelini, vel in ſpiritu Juniperi exhibitus. Inſuper Oleum hoc Tartari rubicundum reſerat feliciter obſtructiones meſenterii, lienis, & menſium, ſi in convenienti vehiculo, juſtâ doſi, exhibeatur.*

Doſ. *à gutt. v. ad x. in convenienti vehiculo.*

Quòd ſi quis curioſior fuerit in examinandis fæcibus Vini, incidet ſequenti methodo in Sal volatile:

℞. *Fæcum Vini. q. p.*

Exponantur aëri in loco ſicco, ubi defendi poſſunt à pluvia. Ita ſucceſſu temporis quaſi lanugine obducetur ſuperficies fæcum Vini. Quo ſigno apparente, committantur cucurbitæ, alembico ſuo munitæ, & inſtituatur deſtillatio. Ita adſcendit in altum portio Salis volatilis tenuiſſimi, quem ex alembico aufer, & uſui reſervato.

Vires. *Convenit viribus cum ſale volatil. Tartari; laudatumque medicamentum eſt in omnibus corporis humani obſtructionibus reſolvendis. Principaliter confert in difficultate urinæ, in doloribus nephriticis, in podagra, obſtructionibus menſium, & nervorum.*

Doſ. *à gr.* iv. *ad* viij. *in convenienti vehiculo.*

CAP. CCLXIX. *(Margr.)*

Tartari Sal volatile. (a)

℞. *Tartar. crud. alb.*
Antimon. crud.
Nitri, ana ℔j.
Calcis vivæ, ℔jß.

a Vel. ℞. Tartar. Rhenan. ℔v.
Pulveriſetur groſſo modo, humectetur aq. comm., & in umbra humidus reſervetur, donec putreſcere incipiat nigricans factus Tartarus. Hunc mediante digeſtione vaſe clauſo in fimo equino ulterius exalta, addita parvæ quantitate Spir. Vin., per præcipitationem rect., donec ſpirituoſum ſalinum redolet odorem. Limoſum poſtea Tartarum deſtilla, primo leni igne, quamdiu phlegma altum petit, dein fortiori, ultimo fortiſſimo. Spiritum, ab

Terantur omnia feorfim, cribrentur, & mifceantur. Hujus maffæ fiat deftillatio ex retorta terrea tubulata, in igne aperto, applicato recipiente fatis amplo, materiam per cochlearia ingerendo, & tandem reperietur in recipiente liquor aureus, qui per cucurbitam rectificatus abit in Sal volatile.

Vires. *Sp. Tartari eft unum ex arcanis Chymicorum; in quo acquirendo hodieque multum fumptûum, & laboris, ponunt Chymici: extantque tot fpecies diverfæ Sal. volatilis Tartari, quot ferè funt Chymici. In genere autem dicitur Sal volatile Tartari Helmontio fupplere vices Alcaheft, & radicaliter folvere fimplicia pro effentiis extrahendis, & penetrare in remotiffimas corporis partes. Plerique autem ex Sale Tartari fummè calcinato elicere cupiunt.*

Dof. *eft ad aliquot grana.*

(*Margr.*) CAP. CCL.

Terebinthinæ Spiritus, & Ol.

℞. *Terebinthinæ vulgar.* ℔ij.

Deftilla illam ex cucurbita vitrea humiliori, in arena, donec incipiat ftrepere. Tum defifte, & liquorem duplicem, in recipiente contentum, ferva ufui. Qui in fundo hæret, eft *Sp. acidus Terebinthinæ*; qui verò huic innatat, *Oleum Terebinthinæ album* dicitur.

Vires. *Eft diureticus, & vulnerarius. Expurgat renes, & ureteres, atque veficam.*

Dof. *eft ad aliquot guttas.*

Proceffus fecundus.

℞. *Terebinth. vulgar. q. v.*

Aq.

ab Oleo feparatum, per tritorium mifce cum proprio Sale volatili, lateribus recipientis adhærente, & Sale fixo, in fundo refiduo, & deftilla more, quo Salia volatil. deftillantur, fic acquires Sal vol. penetrantiffimum Tartari, ufui in vitro optime claufo refervandum.

Vires. *Inter omnia Salia vol. palmam meretur; eafdem tamen vires, fed paulo potentiores, cum reliquis obtinet, nifi quod ratione fui fulphuris variet.*

Dof. *a gr.* v. *ad* xij. Vel,

℞. *Tartar. crud. groffo modo pulverifat. q. v.*
Ol. Tart. per del. q. f.

ad levem humectationem; dein procede, ut fupra, &c.

Aq. comm. q. s.

Destillentur per vesicam, & serpentinum dictum, modo, quo omnia Olea essentialia.

CAP. CCLI.

Theriacalis Aqua.

℞. *Ingredientium semin. radic. herb. & flor., quantum Theriacæ Andromachi descriptio fert.*

Grosso modo simul contundantur: Contusis superfunde

Sp. Vini ad superemin. aliquot dig.

Seorsim etiam extrahe resinas, & gummata ferulacea, & terebinthinam Cypriam in Sp, Vini rect. Post digestionem debitam confundantur tincturæ, & recens Sp. Vini fæcibus superfundatur, donec tincturam amplius dare negent.

Spiritibus hisce tinctis extrahe succos, ut opium, succum glycirrhiz., mel, succ. hypocistidos, &c. & gum. Arabicum. Ultimò, si nigra expetatur tinctura, secundum notam in coloribus datam, tingi potest cum parvâ quantitate vitrioli Martis. Tinctura clara usui servetur.

Nota 1. Si composita Aqua Theriacalis expetatur destillata, recipe ingredientia omnia Theriacæ, grosso modo contusa. Iis adde alia alexipharmaca, cardiaca, & bezoardica, ut sunt scordium, ruta, angelica, cort. citri, arantior., rad. imperator., cyperi odorati &c.

Digerantur simul cum s. q. Spiritûs Vini, (& ad singulas ℔. Sp. Vini adde ℥. β. Sal. tartari) per dies viij. ad minimum. Dein destillationi committantur. Sic egregiæ notæ Sp. elicitur.

2. Si Aqua Theriacalis Camphorata expetatur, ad singulas libras Sp. Vini ad minimum ʒ. j. Camphoræ addatur.

Vires, & Usus. *Aqua Theriacalis simplex bezoardica, & alexipharmaca, est, febribus medetur, & omnibus morbis per sudorem curabilibus succurrit, præcipuè iis, qui altas radices non egere. Inde fit sequens*

Haustus antefebrilis.

℞. *Aq. Theriacal.* ℥. β.
Camphor. gr. v.
Extract. Absynth. ʒ. ij.
Sp. Sal. Ammon. gutt. xij.

 M. f.

M. f. Haustus.

Febres tertianas, & quotidianas, à ventriculi imbecillitate, & obstructionibus fortasse, infallibiliter tollit. Horâ ß. ante paroxysmum propinatur, superbibendo Vini calentis q.pl., ut eò citiùs in actum deducatur.

Dos. *Aq.* Theriac. *simpl.* à ʒ. j. ad ʒ. vj.

Aq. Theriac. Camphor. ad ℥. ß.

Externè egregiè discutit, & omnibus affectibus frigidis succurrit. Præcipuè, si cum singulis ℥. *gr.* viij. *Camphoræ dissolvantur, & pars affecta madidis linteis illinatur. Valet etiam in tumoribus duris.*

(*Marg.*) CAP. CCLII.

Tiliæ florum Sp. & Aqua.

♃. *Flor.* Tiliæ *recentium, & bene mundator.* ℔. ij.
Spir. Vini. ℔. iv.
Aq. commun. ℔. ij.

(Potest addi Cinnamom. Rosmarin. Nux moscata, aut simul, aut separata, Corn. Cerv. &c.) Indantur cucurbitæ vitreæ, sive alembico & applicato capitello, digerantur, in arena, per dies, & noct. iij. Tum instituatur destillatio, igne secundi gradûs, donec abstraxeris ℔. ij. ß. Quo facto remove ignem, & à destillando desiste. Sic habebitur in recipiente Sp. Vin. rect. oleosus, valde boni odoris, & saporis, qui nunc *Sp. florum* Tiliæ dicitur. Aq. communis additur, ut flores madefaciat, & ut vitrum non rumpatur.

Vires. *Calefacit, siccat, attenuat: pinguis est, & alcalinus, unde humorum acrimoniam feliciter temperat. Est subtilissimus, unde corpus permeat, humores fundit, & fixos movet: hinc medetur apoplexiæ, epilepsiæ, aliisque morbis, ab humorum saburra, aut acrimoniâ, oriundis.*

Dos. *intra corpus est à* ʒ. ij. *ad* ℥. ß. *& ad* ℥. j.

(*Maets.*) CAP. CCLIII.

Tincturarum præparatio generalis ex omnibus iis, quæ sunt sulphureæ, & salinæ volatilis, naturæ.

℞. *Florum, herbarum, corticum, radicum, vel similium,* q. p.

Contundantur, vel inscindantur, pro ratione subjecti, in pulverem tenuem. His affundatur *Ol.*

Ol. Tartar. per del. q. s. *ad sufficientem irrorationem;*

eâ tamen lege, ne menstrum tuum Sal Alcalicum supernatet: eo enim in casu Tincturæ turbidæ manebunt; nam partes aquosæ superfluæ menstrui salini solvunt corpora naturalia, ita ut singulæ partes referant naturam totius, ac proinde se conjungentes Vini Tincturas reddant turbidas. Exponatur digestioni, in arena calida, per xxiv. hor. Quibus peractis, affundatur Alcohol Vini ad eminentiam iij. iv. digit. transvers.

Vel, si ex menstruo generosiori Tincturam tuam præparare animus tibi sit:

℞. *Flor. Sal. Ammoniac.* q. pl.

His affunde

Alcohol (Sp.) Vini ad eminentiam trium, quatuorve, digitorum transversor.

Digerantur simul (per mensem fere) quousque Alcohol Vini Sale volatili Ammoniaco satis imprægnatum observaveris. Hoc cum menstruo, uti cum Spiritu, stent in digestione, quousque menstruum saturo colore imbutum videbitis. Ita præparatur famosum illud elixir proprietatis Paracelsi: ita Tinctura absynthii, vel enulæ campanæ, præparatur: ita elicitur ex succino potentissima Tinctura, quæ Tincturæ Helmontianæ viribus non cedit.

(*Margr.*) CAP. CCLIV.

Veneris Tinctura cærulea, sive Lazulina.

℞. *Limaturæ (Calcis, vel Croc.) Veneris.* ℥. ß. (q. s.)

Ei affunde

Sp. Urinæ per fermentationem parati. ℥. viij. *aut.* x.

Digere per (diem & noct.) aliquot dies, & habebis Tincturam pulcherrimam (ultramarini cœrulei coloris), quæ servetur usui.

Vires. *Nonnulli exhibent intra corpus in diversis ventriculi fermentis (acidis & acribus) extinguendis (temperandis. Sed præstat ab ea abstinere). Componitur ex metallo, & alcali volatili. Externè (cujus usus plerumque est) valet in extingvendo cancro exulcerato, ut & gangræna (delenda. Inservire potest in oculorum affectibus, ut lippitudinibus, ulceribusque). Anatomicis inservit pro demonstrandis vasis capillaribus, si per syringam injiciatur.*

CAP.

CAP. CCLV. (*Margr.*)

Veneris Præcipitatio.

℞. *Veneris integræ, vel etiam limatæ* q. p.
Solvatur in
Sp. Aceti. s. q.
digerendo per diem & noct.; vel, donec nihil ampliùs solvatur ex Venere. Tincturam viridem decanta à fœcibus, & in vitro evaporatorio evapora ad cuticulam usque. Tum repone vitrum in loco frigido per xxiv. hor.; vel, donec lapilli cœrulei in fundo concreverint. Decanta liquorem residuum, & iterum evapora ad cuticulam: iterumque repone in loco frigido, ut lapilli cœrulei concrescant, quos super chartâ purâ leniter sicca. Hi enim vocantur vulgò *Chrystalli Veneris*, itemque *Vitriolum Veneris:* suntque nihil aliud, quàm Viride æris, possuntque per se destillari, ex retorta vitreâ, in *spiritum Veneris* dictum.

Vel:

℞. *Veneris integræ* q. pl.
Solve in aq. forti. Solutioni instilla guttatim
Olei Tartar. per del. q. s.
donec desinat effervescentia. Tum digere per noctem. Affunde aquam puram, & filtra per chartam. Sic in filtro remanebit Calx Veneris, quæ exiccanda, & in crucibulo reverberanda est.

Usus. *Ingreditur in emplastra siccantia, & adstringentia.*

(Maets.) *Veneris Tinctura:*

♃. *Veneris.* q. pl.
eique affunde Acetum stillatitium. Quando Acetum stillatitium tantum Veneris arrosit, quantum in poris suis bene possit continere, ad cuticulæ apparentiam illud evaporato, & in fundo remanebunt chrystalli Veneris, quas serva usui.

CAP.

CAP. CCLVI. (*Marg.*)

Veneris Sp. & Crocus.

℞. *Viridis Æris.* ℔. β.
Pulverizatum minutissimè indatur retortæ vitreæ, fiatque destillatio ex arena, igne tertii gradûs, fortiter urgendo, & prodibunt præter propter ℥. iv. liquoris in recipiens (vel igne tertii gradus p. hor. v. vel vj., vel, donec nil amplius prodeat), atque Viride Æris (vel ejus caput mortuum, quod præparationi Croci inservit) relinquetur in retortâ, colore rubro, exutum omni acido. Rectifica liquorem destillatum ex retorta pura, habebiturque liquor limpidissimus (purissimus & rectificatissimus,) qui est ipse Spiritus Viridis Æris, aut Veneris, aut *liquor Alcahest* Zwelferi dictus.

Vires. *Est Spiritus acidus gratissimi saporis, unde conducit in fermento Ventriculi instaurando; ob quam causam etiam dicitur nonnullis* Acetosa esurina, *quia esuriem, seu famem, excitat. Multas alias virtutes huic tribuit Zwelferus in Appendice ad Augustanam, quæ videantur apud ipsum Authorem. Est autem Spiritus (Zwelfero Alcahest dictus) maximè sulphureus (& oleosus) unde acida nimis acria, & corrosiva, temperandi vim obtinet. Tandem etiam idoneum menstruum præbet quibusvis lapidibus solvendis (ut coralliis &c. ut & Marti. Intra corpus humores crassos attenuat, aperit, obstructiones tollit, visciditatem humorum reserando, viasque recludendo).*

Dos. *intra corpus est aliquot guttarum.*

Veneris Crocus.

℞. *Caput mortuum, in præcedenti operatione relictum,*
edulcora hoc aliquoties aquâ calidâ. Tum sicca, & serva usui.

Vires. *Siccat, & adstringit: expetiturque à Chirurgis (pro usu externo) in componendis emplastris (pulveribus) adstringentibus, & siccantibus.*

Veneris Sp. præparatio: Processus secundus. (Maets.)

℞. *Viridis Æris, vel, quod melius, Chrystallor. Veneris.* q. p.
Huic adde
Aluminis, vehementer ad totalem egressionem spirituum calcinati, dimidiam partem.

DDd Destil-

Destillentur ex retortâ terreâ, vel vitreâ lutatâ, igne aperto, ad totalem fumorum egressionem. Spiritum Veneris rectifica, & â phlegmate suo separa.

Vires. *Sp. hic egregium est menstruum in tincturis ex vitro antimonii, ut & ex ipsius minera, aliisve metallorum crocis, & calcibus, extrahendis. In genere præstat omnia illa, quæ acetum destillatum, sed longè potentiùs: de quibus ulteriùs consulatur Zwelferus in sua Mantissa Hermetica de* liquore Veneris Alcahestico, *sive* Aceto esurino.

(Margr.) CAP. CCLVII.

Veneris Sp. anti-epilepticus Helvetii.

℞. *Vitriol. Veneris.* ℥. j.
Sal. Ammon. ℈. iv.

Misce inter se, & leni igne fundantur in crucibulo. Ubi massa tua fluorem concipit, spatulâ ligneâ agitato, quousque materia viridè nigrescat. Tunc remove ab igne, &, cùm refrigerata erit massa, pulverizato in mortario vitreo, &, ut artis est, extrahe tincturam cum alcohol Vini, affundendo, scilicet, ad eminentiam dig. ij. Ita enim obtinebis Tincturam Veneris *magnarum virium in epilepsia, ut & in atrophia infantum, in obstructionibus mensium. Hæc Tinctura medicamentum est haud contemnendum.*

Dos. *à gutt.* j. *ad.* ij. vj. *&.* xj. *in vehiculo convenienti.*

(Maets.) CAP. CCLVIII.

Veneris, & Saturni Cœmentatio.

Cœmentatio est calcinatio, quæ perficitur beneficio pulveris acris, *cœmenti* dicti vulgò.

℞. *Lamellarum Veneris, vel Saturni.* q. s.

Fiat in crucibulo cum pulvere Sulphuris stratum supra stratum, ita ut primum, & ultimum stratum, sit pulveris. Repone crucibulum in ignem circularem, donec Sulphur sit absumptum incendio. Si primâ vice duo hæc metalla non abierunt in scorias nigras, quæ in mortario pulverizari possunt, repetatur stratificatio semel, atque iterum, donec possint redigi in pulverem. Vulgò in officinis dicitur *Æs ustum*, vel *Plumbum ustum.*

CAP.

CAP. CCLIX. (*Margr.*)

Vini destillatio.

℞. *Vini opt.* ℥. LX.

Destilla per B. M. ad quartæ partis remanentiam, vel ad consistentiam extracti; sive mellis. Cohoba bis: iterum destillatum rectifica, ut tantùm quinta, aut sexta pars, abstrahatur. Sic habebitur Sp. Vini ardens, pingvissimus: Quod verò remanet, vocatur *Phlegma Vini.* Ex fæcibus, in prima destillatione relictis, eodem modo, sicut in aceto dictum, extrahitur Sal, sive *Tartarus* Vini. Nigredo verò, quæ aquæ inerat, potest coagulari in consistentiam extracti; quod dicitur *Sulphur crassum*, seu *Extractum Vini.*

Usus. Vinum destillatum *sæpe inservit Medicis pro parandâ infusione medicamentorum purgantium, ut rhabarbari, sennæ, aliorumque: Imò in destillandis electuariis, quibus commodiùs additur, quàm aquæ stillatitiæ.* Spiritus *verò* Vini rect. *insigniter calefacit, & siccat, attenuat, aperit. resolvit: omnem acrimoniam temperat, imprimis tamen acidam, movet urinam, & sudores. Chymicis dicitur propriè* Spiritus volatilis: *quibus inservit quoque pro celebri menstruo in omnibus extrahendis sulphureis. & habetur à nonnullis pro* Circulato majori Paracelsi, *uti Spiritus Aceti* Circulatum minus *esse perhibetur, quæ sunt duo menstrua ab ipso nominata.*

Dos. Spiritûs *est.* ℥. ß.

CAP. CCLX. (*Margr.*)

Vini Spiritus rectificatus, & Alcohol Vini.

℞. *Sp. Vini Gallici vulgaris, aut adusti.* (*vulgo Brandewijn*) ℥. xl. *sive pintas duas.*

Fiat ejus destillatio per cucurbitam (vitream) longiorem (altiorem) in arena, igne secundi gradûs, ad medias. Quod prodit in recipiens, dicitur *Sp. Vini rectificatus* (id est, adhuc semel destillatus, & a phlegmate, quod in fundo relinquitur, liberatus).

Si subtilior adhuc expetatur, recipe Spiritum jam destillatum, destilla illum adhuc semel, ex cucurbitâ purâ, ad dimidias, & habebitur Sp. longè subtilior, & magis rectificatus.

Quòd si quis subtilissimum expetat Spiritum; recipiat Spiritum jam bis destillatum. Destilletur ille iterum, per phiolam oblongam, ad dimidiæ partis remanentiam: Sic habebitur Spiritus omnium simplicissimus, qui nomen *Alcohol* merebitur, si in cochleari argenteo super chartâ, vel gossypio, in totum consumatur non tantùm, sed & gossypium simul incendat: aut, si loco gossipii impositus sit pulvis pyrius, si illum quoque incendat. Sic indicatur Spiritus Vini optimè dephlegmatus, putaturque constare ex solo alcali, & sulphure Vini volatilibus.

Nota. Spiritus esse abstractos cognoscitur, quando in capitello lineæ evanescunt; nam Sp. Vini est pinguis, & oleosus, unde in capitello lineas ducit; phlegma verò nullas lineas prodit.

Vires. *Calefacit, & siccat, potenter movet & impellit, particulas viscidas, acidas verò deprimit, sibique associat, atque sic humores edulcorat. Est diureticus, diaphoreticus, atque cardiacus (quia totus in spir. vitalem abit. Inde vulgo* Aqua Vitæ *vocatur). Apud Chymicos est celebre menstruum pro extrahendis tincturis ex omni regno.*

Dos. *intra corpus est à ʒ. j. ad ℥. ß.*

(*Margr.*) CAP. CCLXI.

Vini Spiritus Coagulatio.

℞. *Sp. Vin. rectificatiss.*
Sp. Sal. Ammon., aut Sp. Urin. rectificatiss. ana ℥. ß.

Misceantur in parvo vitro. Orificium digito claudendum, & vitrum sæpiùs agitandum, donec in unam massam, nivis instar, albam, coëant, nec quidquam humidi innatet, & erit Sp. Vini coagulatus cum Sp. Urinæ, aut Sal. Ammoniaci, in formam planè siccam; (*a*) poteritque hoc modo conservari in longum tempus, si vitrum accuratè claudatur cerâ, & duplici vesica.

Usus. *Præbet experimentum coagulationis rerum pinguium cum alcalibus. Alcalia enim libenter absorbent particulas oleosas, sibique uniunt; quibus si adhæreant particulæ terreæ, facilè generatur materia viscida. Unde probabile est, omnem materiam viscidam in corpore humano generari ex alcalibus cum materia pingui, & terreâ, concentratis. Sicut quoque apparet in confectione saponis, qui conflatur ex alcali, & pinguedine balenæ.*

Deinde

a Hæc operatio non succedit, nisi spiritus in totum sint dephlegmati.

Deinde, medicamenti loco, potest servire intra, & extra, corpus: nam externè resolvit, attenuat, aperit, unde in cataracta locum habet, si cum aq. fœniculi temperetur. Podagricos etiam dolores lenit, si parti dolenti inungatur. Sumptus intra corpus humores fundit, obstructiones aperit, austera, & acida, corrigit, diaphoresin excitat.

Dos. *est* ℈. ß. *in aliqua aq. destillata.*

CAP. CCLXII. (*Maets.*)

Vinum Catharticum Rulandi.

℞. *Fol. Sennæ pulverizat.*
Troch. Alhandal. contus. ana ℥. j.
Zinziber. ℥. ß.
Vini albi, vel Hydromel. mensur. j. ß. *vel* ℥. XL.

Infunde per noctem. Coletur: usui reservetur.

Dos. ℥. iij. *vel* iv.

CAP. CCLXIII. (*Maets.*)

Vini Hippocratici facillima (per destillationem) præparatio.

℞. *Cinnam. elect.* ℔. j. ß.
Zinziber. ℥. j. ß. (℥ß.)
Cariophyllor. ℥. j.

Rudi modo contundantur, & infundantur, (digerantur in MB.) per hor. xxiv. in Vini albi (Gallici generosi) stopis ij. ß. (iij.)

Postmodùm instituatur destillatio ex B. M., & auferatur pars spirituosior, ad quantitatem stopæ j. (ij,) Hanc stopam misceto cum stopis xv. (xx.) Vini albi generosi (Gallici), edulcorati cum syrupo sacchari clarificati (℔. xxv.), & obtinebis Vinum Hippocraticum gratissimi saporis, quod, pro minori, vel majori, quantitate vini additi, generosius evadit, vel debilius.

Nota, quò Vinum acidiusculum, eò etiam Vinum Hippocraticum est gratius.

(Margr.) CAP. CCXLIV.

Vitrioli (a) Calcinatio vulgaris.

℞. *Vitriol. vulgar. Goslariensis, & chrystallizat.* ℔iij.
Indantur ollæ terreæ, quæ apponatur igni, relinquaturque ibi tamdiu, donec bulliendo deſiccatum ſit ad duritiem lapidis, &, peractâ operatione, fractâque olla, deprehenditur Vitrioli color triplex. In parte ſuperiori erit flavus, in medio albus, in fundo ad rubedinem tendet. Atque hic eſt triplex modus calcinandi Vitriolum, ad flavedinem, ad albedinem, ad rubedinem. Ultimum propriè *Colcothar* dicitur; quamvis hoc nomen etiam de capite mortuo Vitrioli, poſt deſtillationem ſpiritûs, & olei, dicatur. Hoc Vitriolum ſic calcinatum redigitur in pulverem minutiſſimum, & ſervatur uſui.

Uſus. *Inſervit deſtillationi ſpiritûs, & olei, Vitrioli; ut & parandæ aquæ forti.*

(Marg.) CAP. CCLXV.

Vitrioli Incineratio (calcinatio) Philoſophica.

℞. *Vitrioli vulgaris, ſed depurati. (crudi Goslarienſ. & chyſtallizat.* ℥j.) *q. ſ.*
(Redige in mortario vitreo in pulverem ſubtilem) & expone ſuper chartâ bibula radiis ſolaribus (per æſtatem,) & quidem circa meridiem, cùm maximè fervent; & exiguo temporis ſpatio (hor. ß.) Vitriolum evadet albiſſimum. Redige tum in pulverem, & iterum expone radiis, donec totum Vitriolum internè, & externè, ſit dealbatum: Si verò ſit tempus hybernum, exponatur charta arenæ tepidæ, & eodem modo Vitriolum in pulverem album convertetur, qui ſervetur uſui.

Vires.

a Vitrioli depuratio fit ſolutione in aq. comm., ejuſdemque evaporatione, & chryſtallizatione: ſi autem Vitriolum ſolvatur in ſpiritu Vitrioli, vel phlegmate Vitrioli acido, & ſolutum per octiduum circulando digeratur, obtinetur Gilla Vitrioli: medicamentum in expurganda ventriculi & inteſtinorum ſaburra per ſuperiora & inferiora, non contemnendum.

Doſ. *a* ℈ß. *ad* ℈i. ℈ij.

Vires. *Inservit medicamentis ocularibus præparandis (pro vomitu excitando : præterea habet vires adstringendi & siccandi.) Chymici etiam laudant spiritum, sive liquorem, ex hoc Vitriolo destillatum, quod aliquid peculiare à radiis solaribus contraxisse putetur. Inservit quoque parando pulveri sympathetico : sed tum, loco Vitrioli vulgaris, calcinandum est Vitriolum Cyprium, sive cœruleum, quod & Hungaricum dicitur.*

CAP. CCLXVI. (*Marg.*)

Vitrioli (a) Ros & phlegma.

℞. *Vitriol. viridis, puri, & (chrystallizat.)* ℔vj. (x.) Indantur cucurbitæ vitreæ humiliori, fiatque destillatio in B. M., quamdiu aliquid prodit (donec in forma lapidis Vitriolum cucurbita relinquatur) quod xxiv. hor. spatio fieri solet. Liquor limpidus, qui prodiit in recipiens, dicitur *Ros Vitrioli*, sive *Sp. Vitrioli verus Paracelsi.*

Vires. *Ros (refrigerat, aperit, putredinem arcet, epilepticum fermentum extergit.) Angelo Salæ valde laudatur in febribus ad refrigerandum exhibitus cum aliquo liquore alio. Phlegma quoque laudatur à Paracelso in curanda epilepsia, habeturque ob eodem pro genuino spiritu Vitrioli, quamvis & Ros ad idem valeat. Utrumque continet in se subtile aliquod acidum.*

Dos. ʒij.

CAP. CCXLVII. (*Marg.*)

Vitrioli Liquor.

℞. Cucurbitam cum Vitriolo relicto post destillationem Roris Vitrioli, removeque illam ex B. M., & inde capellæ arenæ, iterumque destilla igne tertii gradûs ad siccitatem usque, quamdiu nempe aliquid prodit: & prodibit liquor, non absimilis Rori Vitrioli, eo tamen gravior, & potentior, qui vulgò *Liquor Vitrioli* dicitur. Caput mortuum verò, in cucurbita relictum, cucurbita fracta, removeri, & conservari potest. Solet autem sponte sua semper frangere cucurbitam. (*Oportet autem cavere, ne illa corruat, & simul perdat capitellum cum recipiente.*)

Vires.

a Hæc operatio eadem, quæ Vitrioli calcinatio.

Vires. *Conducit ad eadem, ad quæ ros valet; in minori tamen dosi exhibetur. Inservit præterea ad extrahendas tincturas ex floribus tiliæ, pœoniæ, aliorum anti-epilepticorum.*

(*Marg.*) CAP. CCLXVIII.

Vitrioli Spiritus, & Phlegma sulphureum.

℞. *Vitriolum illud, quod relictum fuit in cucurbita post destillationem liquoris Vitrioli,*

Tundatur in pulverem subtilissimum. Hunc pulverem destilla, ex retortâ terreâ, in igne reverberii, per horas xxiv. applicato recipiente terreo vitreato, cujus junctura accuratè clausa sit. Oportet autem Vitrioli accipere ℔as. viij. vel x. ad minimum; quodque retortam non ultra dimidietatem impleat; ignemque adhibere per gradus; Ita ut vj., vel viij., hor. spatio, cum primo gradu prodeat Phlegma; tum licet sensim urgere ad secundum, & tertium, adhuc per vj., vel viij. hor. Reliquo tempore adhibeatur quartus gradus. Sic Sp. & Phlegma in unam massam colligetur, qui postea rectificatione à se invicem separari debent: Elapsis xxiv. horis licet removere recipiens terreum, & ejus loco applicare vitreum pro colligendo oleo. Debet hæc operatio ad minimum continuari adhuc per. xxiv. horas, & ulterius. Sic enim colligetur Oleum præstantissimum, pingve, & rubrum, quod tamen postea sponte suâ album evadit, diciturque *Oleum Vitrioli verum Paracelsi*, effervescentiam excitans cum aquâ, liquoribusque aliis aqueis.

Vires. *Sp. Vitrioli refrigerat, adstringit; bilem coagulat, partes roborat: valet ad extingvendos ardores febriles. Oleum potentiùs adstringit: est præstantissimum catheræticum, inducit escharam, sive crustam, sistit sanguinis profluvium. Pro menstruo inservit in multis operationibus Chymicis.*

Dos. Spiritûs *sunt aliquot guttæ:* Oleum *externè tantùm adhibetur.*

(Marg.) *Vitrioli Spiritus & Oleum: Processus secundus.*

℞. *Vitriolum calcinatum, & pulverizatum.*

Inde retortæ terreæ Hassiacæ, aut, si talis non potest haberi, retortæ vitreæ bene loricatæ. Destilla ex igne aperto, applicato primò recipien-

piente terreo, & post xxiv. horas applicetur recipiens vitreum. Ego soleo per xxiv. horas destillare ex retortâ terrea cum recipiente terreo; & hoc tempore accipito liquorem, ex Phlegmate Vitrioli, & Spiritu ejus conflatum: postea rectificatione separo Phlegma à Spiritu, & primò prodit Phlegma. Quando jam guttæ acidæ cadunt, tum applico purum recipiens, & sensim prodit Spiritus. Quod in priori destillatione relinquitur Vitriolum, illud indo retortæ vitreæ loricatæ, & destillo per ignem reverberii, idque per xxviij. horas, nisi fortè infortunium acciderit, & retorta fracta sit: tum enim desistendum est. Sic accipitur liquor rubicundus consistentiæ piceæ, quod est *verum Oleum Paracelsi* dictum, ex quo separatur *Sulphur narcoticum Vitrioli*, estque igneæ planè substantiæ, effervescens potenter cum proprio phlegmate, & cum omni aquâ, sine dubio eâ de causâ, quod multum substantiæ cupreæ ignitæ in se contineat. Nam ex hoc Oleo præcipitari potest substantia alba, quæ fusione in cuprum abit: Et hæc est ratio, quare Oleum Vitrioli effervescit sine alcali cum sola aqua, quia est instar ferri igniti, quod in aqua extinguitur.

Vires. *Oleum hoc Vitrioli inservit parando sulphuri narcotico Vitrioli; & etiam inservit destillando Spiritui salis Glawberiano. Est item insigne catthereticum in ulceribus, quia in momento destruit escharam carnis putridæ. Paracelso inservit ad multa paranda acana.*

Vitrioli Spiritus & Olei præparatio: (Maets.)

Processus tertius.

℞. *Vitrioli Hungarici, vel Goslarici, vel Anglici, prout Artistæ visum fuerit.*

Calcinetur, ut artis est, ad albedinem. Confringatur in frusta istius magnitudinis, ut collum retortæ terreæ intrare queunt. Fiat destillatio ex igne aperto, primò quidem leni igne: ita enim exudat portio phlegmatica cum Spiritu volatili Vitrioli. Ignem successivè auge, quousque retorta probe candere incipiat. Sic enim transit Sp. Vitrioli acidus. Tandem ignem urge ad extremam violentiam. Sic enim transibit in vas recipiens Oleum Vitrioli rubicundum, corrosivum valde. Ignem verò per xx. horas isto tenore fove ad ultimum liquoris egressionem. Omnibus refrigeratis, quodcunque destillatum est, in cucurbitam altam, vel phiolam longioris colli conjice, & igne lenissimo Spiritum volatilem Vitrioli collige (& in vase vitreo arctissimè clausa usui

reserva.) Reliquum retortæ vitreæ committatur, & phlegma medio-cri igne auferatur; quod subsequitur Sp. Vitrioli acidus; remanente in fundo Oleo Vitrioli corrosivo, & valde ponderoso.

Vires. *Sp. Vitrioli summum est aperiens, uti & diaphoreticum: quem proinde Paracelsus, in suo Diaphoretico in peracutis revocat in usum medicum:*

(*Marg.*) CAP. CCLXIX.

Ex Vitriolo præparatio Diaphoretici Paracelsi in peracutis.

℞. *Spir. Vin. rect. (Sp. Tartar. rect.)* ℥iij.
Spir. volatil. Vitriol. ℥j.
Aq. (Spir.) Theriacalis camphorat. ℥v.

M. F. Mixtura *de Tribus* dicta. *Sudores (potenter) movet (obstructiones resolvit,) putredini resistit, summis cum successibus in morbis malignis, per sudorem curandis, exhibetur.*

Dos. *Sp. Vitrioli vol. à gutt.* vj. *ad* xx. *in vehiculo convenienti.*

Sp. Vitrioli acidus refrænat, & compescit, ebullitiones salis, & sulphuris volatilis, in sangvine humano: ac proinde febribus ardentibus cum julapiis, claretis, similibusque vehiculis, frequenter exhibetur.

Ol. Vitrioli causticum non ita interiùs exhibendum svadeo, nisi cum aliis bene sit temperatum. Hoc, cum sale tartari fermentatum, nobilissimum exhibet medicamen, tartarum scilicet Vitriolatum: de quorum omnium viribus, & dosi, consulatur Sala in Anatomia sua Vitrioli, *Brendelius, Scroderus, le Febure, Keslerus, & similes.*

(*Marg.*) CAP. CCLXX.

Vitrioli Terra dulcis, sive Vitrioli Colcothar.

℞. *Terram illam rubram, quæ in præcedenti processu* (Vide processum, cui titulus Nitrum Vitriolatum, sive Sal. Ducis Holsatiæ) (vel seq. processum, cui titulus sal Vitriol. vomitivum) *post filtrationem relicta fuit.*

Hanc, affusâ aquâ (pura) aliquoties (ut planè insipida evadat) edulcora: Tum, super chartâ purâ, sicca: relinqueturque Terra rubra insipida; diciturque *Bolus Vitrioli*, ut & *Colcothar.* Vi-

Vires. (*Egregiè*) *Adstringit, & siccat; sistendis sanguinis hæmorrhagiis gravissimis imprimis conducit: maximè, si excipiatur terebinthinâ Cypriâ, & vulgari. Inservit Chymicis in sublimatione sulphuris Veneris. Continet in se cuprum, exhibetque tincturam auream, si cum sp. salis commun. solvatur.* (*Est autem externi tantum usus.*)

Vitrioli Terra: Processus secundus. (Marg.)

℞. *Caput mortuum, in destillatione spiritûs, & ol: Vitrioli relictum:* Vide processum sub hoc titulo.

Coquatur cum Aquâ purâ. Tum reponatur, ut subsideat. Decanta Aquam limpidam, & filtra per chartam. Colaturam serva. Terræ relictæ affunde novam Aquam. Coque, dein repone, decanta, filtra. Repete hoc toties, donec Aqua maneat insipida. Tum Terram rubicundam diligenter exicca: Aqua verò seq. operationi inservit.

Usus. *Terra Vitrioli est egregium adstringens: sistit sanguinem egregiè: imprimis si subigatur cum terebinthinâ, & albumine ovi. Chymici solvunt hanc cum spiritu salis communis, & accipiunt tincturam auream, sed quæ evaporata relinquit pulverem album, qui fusus abit in cuprum.*

CAP. CCLXXI. (*Marg.*)

Vitrioli Sal vomitivum.

℞. *Caput mortuum, post destillationem olei Vitrioli relictum.*

Coq. in ollâ ferreâ cum Aquâ purâ. Repone per noctem, ut rubicundus pulvis petat fundum. Tum aquam superfluitantem decanta, & filtra per chartam. Colaturam evapora ad siccitatem usque; & quidem in (olla ferrea) vitro puro. Quod (substantia salina) relinquitur, dicitur *Sal vomitivum Vitrioli.*

Vires. *Movet vomitum, & secessum.*

Dos. *est.* ℈j. *in aq. cinnam.* (*rosar.*) ℥j.

CAP. CCLXXII. (*Marg.*)

Vitrioli Sulphur, sive primum Ens Veneris.

℞. *Terræ Vitrioli rubræ, & edulcoratæ* (*vel Caput mortuum Vitriol. siccat.*)

Sal Ammon. ana (℥iv.) ℔ß.

Redigantur omnia seorsim in pulverem (subtilissimum;) qui misceatur exactè (in mortario ferreo,) sublimeturque ex cucurbita terrea, in igne aperto, in capitellum vitreum, quamdiu aliquid prodit (quod paucarum horarum spatio contigit:) Adscendentes flores lutei (& subrubri,) qui (diligenter colligendi, & sine edulcoratione usui servandi sunt) aquâ purâ ex capitello separari (& edulcorari) debent. Aqua verò, flores in se continens, (per aliquot dies reponatur, donec pulvis rubicundus subsederit, qui ulterius edulcorari, & siccari potest) leni igne in ollulâ munda evaporetur ad siccitatem usque, & in fundo remanebunt flores rubicundissimi, compositi ex Sale Ammoniaco, & Sulphure Vitrioli. Sulphur verò à Sale Ammoniaco separatur, si flores digerantur per noctem cum Alcohol Vini, quod postea decantatum, & evaporatum, relinquit Sulphur Vitrioli purissimum, quo *primum Ens Veneris* dicitur.

Usus. *Inservit elaborandis Chymicorum multis arcanis. Præcipuè autem ingreditur in lapidem Butleri apud Helmontium, (qui huic pulveri dulcedinem sacchari inducere novit, dicitque, tum valere ad longam vitam: de usu tamen interno parum alias Medicis & Chymicis constat,) cujus descriptio extat in Helmontii libro,* Butler *dicto.*

(Marg.) *Vitriolum, sive Sal, Martis:*
Processus Secundus.

℞. *Ol. Vitriol.*
Limatur. Martis puriss. ana ℥ß.

Limaturæ Martis affunde
Aquæ puræ. ℥iv.

Tum superaffunde Oleum Vitrioli, & in cucurbita vitrea simul repone, in arena ignis tertii gradûs, per horas vj., ut simul bulliat. Tum filtra calidè per chartam. Colaturam repone in cellam per hor. xxiv., ut concrescant chrystalli virides, quæ ex liquore sunt auferendæ, & super charta pura, sine igne, exiccandæ. Residua Aqua evaporetur ad dimidias, iterumque repone in cellam. Sic denuò concrescent chrystalli, quas pariter sicca, & serva usui.

Vires. *Habetur pro insigni deobstruente, & corrigente humores acidos, & acres. Solvitur in quolibet liquore: vel etiam calcinatur ad albedinem, & cum aliis redigitur in massam pilularum pro purgandis humoribus crassis.*

Dos.

Dos. est. ℈ß. ad. ℈j.

Vitrioli Martis præparatio: (Maets.)

Processus tertius.

℞. *Limatur. Martis. q, p.*
Huic affunde stillatim Oleum Vitrioli, cum phlegmate suo permixtum, quousque effervescentiam sedatam observaveris. Relinquantur per aliquod temporis spatium, & totam massam, quasi in Vitriolum conversam, observabis. Huic affunde aquam pluviam ad eminentiam iij., vel iv., digit. transvers. Ita enim pluvia in se combibit Vitriolum Martis (omne Vitrioli, ex Marte corrosum) Pluviam filtra, &, ut artis est, ad cuticulæ apparentiam (leni igne) evapora, & in loco quieto chrystallos (Martis, ipsum *Vitriolum Martis* dictum) expecta virides. Reliquum liquoris de novo ad cuticulæ apparentiam evapora, & procede, ut priùs.

Vires. *Exhibetur Vitriolum hoc in obstructionibus mensium, mesenterii, in passionibus hypondriacis. Præterea specificum antidotum est contra vermes.*

Dos. à *gr.* iv. *ad.* xij. xv. ℈j.

Ex hoc Vitriolo Martis Aquam Spadanam si componere velis, hoc modo procedito:

℞. *Aq. pluviæ filtratæ, & admodùm coctæ. q. p.*
Cum hac misce
Vitrioli Martis tantum, donec mineralem, & Vitriolicum saporem, acquirat.
Hâc repleto ampullas tuas, &, ut artis est, Vitriolum sulphure imbue, hac methodo:

℞. *Sulphuris depurati. q. p;*
Fluat in tigillo (patina terrea,) & ei commisce
Coriandri (contusi) grana aliquot.
Sulphure isto fluente linteamina, prout artis est, trajice (refrigerare finito,) ac incende, fumumque Sulphuris in orificium ampullarum tuarum, per tubum flando, coge. Ita enim Aqua tua mineralis odorem Sulphuris concipiet (& saporem metallicum Martialem exhibebit:) quam arctim sigilla subere, in duabus partibus resinæ picis, & unâ parte picis liquidæ, tincto.

Vires. *Aqua hac ægris exhibetur eo regimine, ut successivè dosin augeat;*

geas, quousque ejus operationem per diuresin, vel quandoque per sedes observes (obstructiones lienis, & mesenterii, potenter resolvit). Saporis gratiâ addere poteris singulis dosibus grana aliquot sacchari anisati.

(*Maets.*) CAP. CCLXXIII.

Panacea ex Vitriolo.

℞. *Vitrioli Hungarici. q. pl.*

ex quo, ut artis est, elicito Oleum per Vulcanum strenuissimum, quod Oleum rectificato. Caput mortuum aëri exponito, eâ lege, ne pluviâ madefieri queat, & ut à radiis solaribus defendatur. Oleum tuum rect. affunde limaturæ Martis purissimæ, ab omni immunditie lotæ. Post effervescentiam tibi comparato, ut artis est, Vitriolum Martis viride, quod Vitriolum de novo destillationi exponito, ut fieri solet in Oleo Vitrioli vulgari. Caput mortuum etiam, ut priùs dictum, aëri expone per v. aut vj. septimanas. Ita caput mortuum Vitrioli artificialis, & nativi Vitrioli, imprægnantur sale quodam aëris; quem, beneficio Aquæ pluvialis, ex capite mortuo elicito.

℞. *Horum Salium, ex capitibus Vitrioli præparatorum, ana* ℥. j.

Hisce affunde

Olei tui. ℥. ß.

Croci Solis. ʒ. ij.

Coquantur simul in furno lampadis, quousque massam tuam in formam lapidis medicinalis coagulatam, observes.

Vires. *Panacea hæc, ita dextrè elaborata, medicina est universalis, (quantum fieri potest.) ordinariò per sudores, & urinas, opus suum exequens destinatum.*

Dos. à gr. j. ad. v.

De præparatione Croci Solis ad præcedentem Panaceam vide cap. 426.

(*Marg.*) CAP. CCLXXIV.

Vitrioli Sulphur, sive Balsamus narcoticus.

℞. *Ol. Vitriol. veri,*

Ol. Terebinth. per se destillat. ana ℥. ß.

Misceantur in cucurbita paulò altiori, vitrum crebriùs agitando, & in mo-

momento maxima excitabitur effervescentia, quæ sæpe etiam vitrum rumpit; & in flammam erumpit, si ellychnium adhibeatur. In hac effervescentia Oleum Vitrioli Sulphur suum conjunget cum Oleo Terebinthinæ, fietque aliquis Balsamus rubicundus, & odoratus, Opium referens. Hic Balsamus, in ollula munda, cum aqua pura, paululum coquatur. Sic, separato Oleo Terebinthinæ, & acido Vitrioli, relinquetur Balsamus crassus, ex Sulphure Vitrioli productus, qui vulgò *Sulphur narcoticum Vitrioli* dicitur.

Vires *easdem habet cum opio, sed mitiores. Unde opio præfertur, & præcipuè in affectibus pectoris deprædicatur.*

Dos. *est gr. j. vel gr. ij.*

CAP. CCLXXV. *(Maets.)*

Vitrioli Oleum volatile, dulce.

℞. *Mercur. vivi, à nigredine loti,* ℥. j.
Ol. Vitrioli rectificat. ℥. iij.

Committantur simul retortæ vitreæ, & ex arena instituatur destillatio, quam continuato usque ad siccitatem Mercurii, & obtinebis Turpethum minerale, cum Oleo Vitrioli elaboratum. Huic Turpetho affunde

Alcohol Vini purissimi ℥. vj.

Stent in digestione per noct. Manè autem instituatur destillatio. Ita enim obtinebis Oleum Vitrioli, blando cum igne, unà cum Sp. Vini transiens in vas recipiens.

Liquorem destillatum denuò Turpetho affundito, & instituatur destillatio, ut priùs; & hoc continua, quousque Mercurium rectificatum observabis. Ita enim Oleum dulce, & volatile, factum est per Sp. Vini; & præparatum est menstruum maximarum virium in tincturis extrahendis, ex vegetabilium, & mineralium, regno.

Vires. *Interiùs liquor hic exhibitus convenit cum virtutibus sp. nitri dulcis. Phlegmata tenacia incidit, appetitum prostratum instaurat, obstructiones mensium, & mesenterii, feliciter resolvit, præcipue, si hoc cum menstruo elix. propr. Paracelsi elaboratum fuerit.*

Dos. *à gutt.* iv. *ad gutt.* xv. *vel.* xx.

CAP.

(Marg.) CAP. CCLXXVI.

Urinæ Spiritus.

℞. *Urinæ recentis.* ℔. vj.
Include vasi terreo, optimè clauso subere. Hoc vas, Urinam continens infodiatur terræ ad aliquot pedum profunditatem, relinquaturque ibi per menses ij. iij., quibus elapsis deprehendetur fermentata, sive putrefacta, pessimi fœtoris. Hæc Urina idonea est pro destillatione Spiritûs, & Salis volatilis, adhibeturque hic modus fermentandi præcipuè hyberno tempore. Quòd si verò tempus sit æstivum, tum illud vas, Urinam continens, reponatur in aliquo loco superiori ædium, sub tecto nempe domûs, & intra septimanas ij., vel iij. æquè feliciter Urina fermentabitur, ut possit elici Spiritus.

Quòd si verò aliquis compendio uti velit, cujus ope omni tempore, ex Urinâ recenti, Sp. Urinæ legitimè destillari possit, is recentis, & quidem hominis vinum bibentis, ℔. iv.; cui addatur Salis Alcali ℔. j. fiatque destillatio ex cucurbita vitrea ad tertiæ partis remanentiam. Quod prodiit, rectificetur ad dimididum, & habebitur Sp. Urinæ genuinus, ex Spiritu vinoso, sive volatili, & Sale Oleoso, conflatus, qui propriè Sp. Urinæ dicitur.

Usus. *Plerumque Chymicis inservit pro menstruo in tincturis metallorum extrahendis, habetque hoc præcipuum, quòd Sal volatile non sinit coagulari, sed illud semper madefaciendo conservat, ne inter digerendum ad capitellum sublimetur.*

CAP.

CAP. CCLXXVII. (*Marg.*)

Urinæ Sal volatile.

℞. *Urinæ recentis, hominis sani, bibentis ordinariè, & modicè, vinum, non verò abutentis vino* ℔. C.

Evapora, in ollâ ferreâ latâ, (super igne satis forti, & aperto, per d., & n.,) donec relinquatur massa nigra, consistentiæ syrupi alicujus liquidioris. Ulteriùs ne procedatur, quia sic unà avolaret Sal volatile. Hanc massam inde cucurbitæ vitreæ, eique adde

Salis Alcali, (cinerum clavellatorum), ℔. ß.

Cinerum vulgarium cribratorum, forte, partem tertiam (q. s., ut massa fiat mollis, vel consistentiam mellis acquirat.) respectu massæ relictæ;

Misce, & destilla (per cucurbitam vitream), ex arena, (igne tertii gradus) ad siccitatem usque (donec nil amplius prodeat); & prodibit (primo phlegma, tum sequitur) Sal volatile, partim in formâ liquida, partim (ultimo,) in forma sicca (quod contrarium fit in sale Ammoniaco volatili). Sequenti die, quod prodiit, cohoba (capiti mortuo reaffunde), & igne primi, & secundi gradûs, adhuc semel destilla, & adscendet (copiosum) Sal volatile, in principio in forma sicca, quod tamdiu destilletur, donec incipiat à sequenti phlegmate dissolvi. Tum verò eximatur Sal volatile, solvaturque Aquâ purâ, filtreturque per chartam, destilleturque (sublimeturque) adhuc semel ex phiolâ oblonga (cucurbita pura: repete hoc aliquoties, semper solvendo aliqua aqua destillata odorata) &, si placet, aliquot unciæ addantur Salis Tartari (cinerum clavellatorum): sic enim fœtorem deponet urinosum, & habebitur Sal volatile purissimum (quod si â subsequente phlegmate solvatur, Spiritus Urinæ: quamvis alii propriè Spiritum Urinæ vocent illum, qui ex Urina fermentata destillatus est, quique, præter Sal volatile Urinæ, etiam Spiritum Urinæ volatilem continet), salis Ammon. æmulum, quod commodè intra corpus exhiberi potest.

Nota bene. Si sæpiùs rectificetur super aliquod alcali, longè purissimum evadit. Aliqui ultimò etiam rectificant cum sp. Vini, quo modo Sal volatile (augetur) evadit oleosum, & pingue (ejusque fœtor magis temperatur).

Vires. *Potenter (egregiè) attenuat, & incidit, penetrat (resolvit, diss-*

dissipat) acida omnia (fermenta corrigit, destruit,) expugnat. Est diureticum, (diaphoreticum) & hydragogum: hinc pro arcano celebratur in hydrope: pituitam resolvit (obstructiones reserat), & plurimis maximis morbis, præsertim chronicis (scorbuto, hypochondriacæ affectioni, epilepsiæ, paralysi &c.) medetur. Externè adhibetur pro anodyno partibus podagricis dolentibus. Resolvit etiam humorem in oculis contentum. (Maxima ex parte cum Sale volatili Ammoniaco convenit, cui tamen à multis Chymicis & Medicis præfertur, quod sal Ammoniacum putetur parari ex varia Urina quorumvis hominum, tam sanorum, quam ægrorum, etiam elephantiacorum, leprosorum, lue Venerea laborantium.)

Dos. *intra corpus est ℈. β. (ʒ. β.) in aqua aliqua appropriata (destillata).*

Urinæ Salis volatilis præparatio, tam in forma Sp. quàm Salis: processus secundus. (Maets.)

℞. *Urinæ recentis q. p.*

Evaporetur ad consistentiam syrupi crassioris. Dein instituatur destillatio per cucurbitam (phiolam sublimatoriam), alembico suo munitam. Ita (leni igne operationem inchoando) obtinebis (quodcunque phlegmaticum est) pauxillum Spiritûs, & (mox igne validiori) Sal volatile adscendit in alembico, oleo suo fœtido inquinatum: quod sequenti methodo (rectificando) à fœtore suo liberato:

℞. *Hujus Salis volatilis q. p. Misceatur cum*
Cinerum Ossium calinatorum s. q.

& sublimentur leni igne ex sublimatorio Vase vitreo, ut artis est. Ita obtinebis Sal volatile, ab omnibus inquinamentis liberatum: Quod si in forma Spiritûs desideraveris, hâc methodo utere:

℞. *Urinæ recentis. q. p.*

Hanc committito phiolæ vitreæ (circulatoriæ), cujus orificium strictè occludito, & in fimo (ventre) equino digerito per mensem philosophicum. Quo peracto destilletur ex cucurbita altiori, leni admodùm igne. Ita Sal volatile Urinæ, per fermentationem attenuatum, adscendit sub forma Spiritûs, ignei saporis, & odoris penetrantissimi. *Hi autem sales volatiles Urinæ, vel in forma Spiritûs, vel in forma sicca salina, conveniunt in genere cum omnibus Salibus volatilibus, ex animalium partibus eductis, utpote ex cornibus, ungvibus, sangvine, craniis, calculis & similibus. Ratione enim angulorum acutissimorum, & tenui-*

tatis

tatis particularum; obstructiones resolvere, pituitas tenaces incidere, acido-austera fermenta macerare valent: Ac proinde maximè conducunt in omnibus obstructionibus nervorum in apoplexia, paralysi, itidem in epilepsia, passione hysterica, obstructionibus menstruorum, & similibus morbis, vel ab obstructionibus, vel acido-austeris fermentis, originem ducentibus.

Hi Sales, cum unguentis aromaticis mixti, exterius applicantur iisdem in morbis; iis scilicet illinendo tempora, nares, nucham, umbilicum, & ventrem inferiorem.

Dos. *Horum Salium volatilium, ex partibus animalium eductorum, & per hanc methodum rectificatorum, est à gr.* v. *ad* xij. *vel* xv.

CAP. CCLXXVIII. (Maets.)

Urinæ Spir., unitus cum Spir. Tartar. & Nitri.

℞. *Nitr. & Tartar. ana q. p.*

Misce, & ferro ignito, vel carbone candenti accendito, & in cineres calcinato.

℞. *Hujus calcinati* ℔. j.
Urin. recent. ℔. iv.

Digerantur in fimo equino, ut dictum in processu, cui titulus Spir. Tartari, & Urinæ volatilis. Postmodum leni igne aufer Spiritum volatilem, qui valde erit aqueus, & igneus, inservitque principaliter in tincturis è metallis calcinatis educendis. Ita enim ex croco Solis flavam extrahit tincturam, quam per destillationem à menstruo hoc liberato, auferendo sc. menstruum ad olei formam; cui tunc committito s. q. Alcohol Vini; & relinquito in digestione, quousque Sp. Vini se univerit cum tinctura Solis, & paratum habebis Aurum potabile magnarum virium.

Eodem modo ex croco Martis, per vapores aceti facto, elici potest Tinctura Martis validissima.

Quod si ex Venere desideraveris Tincturam *potentissimam, in epilepsiâ specificam*, hac methodo procedito:

℞. *Vener. limatur., vel potius Æris, seu Cupri usti, ad rubedinem calcinati (sc. cum nitro)* ℥j.

Contundantur in alcohol. Referet autem colore suo crocum, instar sanguinis rubicundum. Cum hac Veneris calce misce

Nitri Opt. ℥xij.

Committantur successivis ignis gradibus crucibulo forti, & in igne calcinato aperto, quousque Venus cum Nitro in scorias abeat subvirides, vel subcœruleas. Hisce affundito menstruum superius præparatum, & deduces Tincturam rubicundissimam ex Venere, quam separa, aliamque Spiritus portionem affundito, & digerito, ut prius, quousque Tinctura Veneris impraegnata fuerit. Hoc autem repete, quousque omnis Tinctura ex Venere educta sit. Tincturas confunde, & ad olei formam, per destillationem, redigito; cui adfunde Alcohol Vini, & digerantur in cineribus tepidis, quousque Tinctura Veneris sese univerit cum Spir. Vini.

Dos. Auri potabilis *a gutt.* vj. *ad* xij. xv.
Martis potabilis a gutt. vj. *ad* xx. xxv.
Veneris a gutt. vj. *ad* x.

FINIS.

IN-

INDEX.

A.

Acanthini ligni tinctura 10
Aceti elixir. 11
menstruum Philosophicum. 12
spiritus. 11
Acetum antimonii compositum, s. Clyssus. 45
destillatum fortius. 12
Philosophorum. 13
Acetosæ aqua ex succo ejus. 14
sal essentiale. 14
succus expressus 13
syrupus. 14
Acidorum dulcificatio. 16
præparatio. 15
Æris viridis spiritus. 209
Æs ustum. 210
Alcahest, Glauberi. 129
Zwelferi. 209
Alcohol vini. 211
Algoreth pulvis. 48
Alkermes confectionem spectans annotatio. 90
Aloepaticum ungventum ut paretur. 113
Alumen ante destillationem evaporandum est. 15
Amalgamatio Jovis. 89. 123
Lunæ. 93. 123
matallorum. 123
Saturni. 89. 123
Ambustis conveniens aqua calcis. 63
Ammoniaci salis crystallisatio. 19
depuratio. 19
flores. 21
origo. 18
spiritis & sal volatile. 18. 20.
differt pro alcali addito. 20
rectificatio. 19
volatilis fixatio, s. regeneratio salis ammoniaci. 22
Ammoniacum sal artificiale. 19. 21
Anthecticum Poterii. 36
Antimonii acetum compositum, s. clyssus. 45
bezoardicum minerale 51
butyrum. 46
calcinatio & incineratio. 23. 25
cementatio, s. hepar. 29
cinnabaris. 53
panacea. 44
clyssus s. acetum compositum. 45
crocus Rulandi. 29
diaphoretici ex regulo præparatio 35. vulgaris. 30
essentia quinta. 44
flores albissimi. rubri. 42
& sulphur inflammabile 38. seq.; eorum fixatio. 39
hepar. 29
panacea aurea Glauberi 39
pulvis emeticus blandè operans. 29
purgans & emeticum blandissimum. 48
securissimum. 50
sulphur fixum, s. diaphoreticum Helmontii. 43
regulus. 34
sapa vomitiva. 25
sulphuris balsamum. 40
fixatio. 39
tinctura. 41. 26
tincturæ destinatum menstruum. 26
vitri dosis parvula cur magnam vini quantitatem reddat vomitoriam. 24

EEf 3 in-

infusiones cum nil de vitri pondere demant. 25
vitrum hyacinthinum. 24
Anwaldina panacea. 45
Aqua benedicta Rulandi. 32
Aqua fortis, f. separatoria. 54
nephritica Michaëlis. 64
regia. 55
Aqua vitæ aurea Rulandi. 56
composita. 56
aromatica. 56
destillata. 57
Aquila alba. 49
volans cicurata. 115
Argenti amalgamatio. 93
Argentum, vid. Luna.
Arsenicale emplastrum magneticum Hofmanni. 59
Arsenicalis magnes. 58
Arsenici præparatio pro externo medico usu. 58
Asari coagulum. 57
Aurum ex Luna ut eliciatur. 177
horizontale. 207
musicum. 176
potabile. 175. 127
Azoth aurifact. 176

B.

Balsamus aromaticus, f. simplex. 59
artificialis à nativo ut dignoscatur. 61
Italicus duplicis descriptionis. 59 seqq.
narcoticus vitrioli. 222
Samech Paracelsi. 197
ut tingendus. 61
Bezoardicum minerale. 51
Bilis anatomia. 61
fermentatio. 62
Butleri lapis. 153

C.

Cadavera condiendi methodus. 63
Calcis aqua in ambustis. 63
tinctura in ulceribus malignis. 64
Calculi ad usum ut millepedes præpaparandi. 126
Calculorum humanorum sal volatile. 65
Campecii ligni tinctura. 66
Cancri oculorum calcinatio immersiva. 72
Capillaribus anatomicorum vasis demonstrandis inserviens tinctura cœrulea. 207
Cataractis incipientibus oppositum collyrium. 69. 144
Catholicæ pilulæ. 145
Causticus lapis. 65
f. infernalis ex Luna. 95
Cementatio quid sit. 210
Veneris & Saturni. 210
Ceparum extractio f. Mercurius Vegetabilis. 66
Cephalicæ pilulæ Mayerni. 146
Cerasorum amarenorum succus. 67
Chelidonii majoris succus expressus ut fiat. 13
Cinamomi tinctura. 68
Cinerum clavellatorum lixivium. 67
sal fixum. 67
Cinnabaris antimonii. 53
Mercurii sublimatio. 122
panacea. 44
Circulatum majus Paracelsi. 211
minus Paracelsi. 23. 211
Coagulatio liquorum per sal mirabile Glauberi. 92
Cochleariæ spiritus compositus. 68
Collyrium oculis conveniens. 69
Collyrium panis secalini ad incipientes

tes cataractas. 69
Colophoniæ oleum. 69
Comitis de Warwicke pulvis polychrestus. 71
Condiendi cadavera methodi. 65
embryones modus. 79
Contracturis conveniens galbanetum. 81
Coralliorum calcinatio immersiva. 70
præparatio. 136
tinctura. 70
Cordialium florum omnium tinctura. 152
Cornachini, s. Comitis de Warwicke pulvis polychrestus. 71
Cornu Cervi fumigatio, s. calcinitio philosophica. 71
gelatina. 74
magisterium. 74
oleum, spiritus, & sal volatile, fœtore liberatum 72. seq.
ustum. 74
Cornuum spiritus, oleum & sal volatile fœtore liberatum. 72
Corrosivum minus Paracelsi. 75
Cosmeticum album. 75
rubrum. 75
Cremor & crystalli tartari. 190
Croci extractum 76
tinctura. 76
Crocus metallorum Rulandi. 29
Cuprum, vid. Venus.
Cydoniorum succus ut paretur. 67
Cyprinus pulvis. 77

D.

Diagrydium. 163
mitigatum. 163
Diaphoreticum in peracutis Paracelsi ex vitriolo. 218
Diureticum specificum vermium Majalium in gonorrhæa. 83
Draco mitigatus, s. Mercurius dulcis. 115

E.

Elixir propr. cum acido. 77
vitæ. 78
Embryones conservandi methodus. 79
Emetica antimonii sapa. 25
Emeticum oxysaccharum. 33
poculum vomitivum è regulo antimonii. 34
purgansq; blandissimum ex antimonio. 48
Emeticus antimonii pulvis blandè operans. 28
syrupus. 28
tartarus. 199
Emplastrum magneticum Hofmani. 59
Epilepsiæ opposita tinctura Veneris. 227
Veneris Helvetii. 210
Essentia stomachica. 79
vegetabilium ut paretur. 160
Esurina acetosa, s. esurinus spiritus. 209

F.

Febrifugus haustus. 205
Fecum vini sal volatile. 183
Florum cordialium omnium tinctura. 152
Florum sulphuris præparatio. 182
Fæniculi aqua & oleum. 79
elæosaccharum. 80
Francofurtensium pilularum præparatio. 17
Fuliginis spiritus, s. sal volatile & oleum. 80

Gal-

G.

Galbanetum contracturis conveniens. 81
nervorum obstructionibus conveniens. 82
Garyophillorum Essentia. 82
Gemmarum artificialium pro tinctura colores. 82
Gialapp. vid. Jalapp.
Glauberi alcahest. 119
sal mirabile ipsum. 16. 137
Globuli emetici perpetui. 35
Gonorrhææ oppositæ pilulæ. 84
opposita infusio. 84
oppositum conditum. 115
diureticum specificum è vermibus majalibus. 83
Guajaci aqua. 86
ligni oleum, & spiritus 119. & ejus rectificatio. 85
tinctura. 86

H.

Hæmatitis lapidis, cum sale ammoniaco sublimati, flores, hincque paranda tinctura Martis volatilis & adstringens, & crocus Martis. 87
Helmontii sulphur fixum, s. diaphoreticum ex antimonio. 43
Helvetii spiritus, s. tinctura antiepileptica. 210
Hepar antimonii. 29
Herbæ. Vid Vegetabilia.
Hermeticum sigillum. 173
Herpeti miliari oppsitum unguentum. 109
Hippocraticum vinum facillimum (per destillationem) 213
Horisontale aurum. 207
Humanæ pingvedinis oleum. 149
Hypochondriacæ pilulæ. 145

I.

Impotentiæ Venereæ conveniens essentia satyrii. 172
Infernalis lapis Lunaris, s. causticus. 95
Jovis amalgamatio. 89
indurationes per reg. antimonii. 35
præcipitatio 89
regulus. 89
Italici balsami descriptio duplex. 59. seqq.

K.

Kermes tinctura. 90. Vid. alkerm.
Kreuchneri essentiale principale est sal mirabile nitri. 132

L.

Laccæ gummi essentia, s. tinctura. 91
Lac sulphuris. 185
Lapis Butleri. 158
causticus. 65
s. infernalis ex Luna. 95
Laudanum Mercuriale Paracelsi. 119
Levistici spiritus. 91
Lilium Paracelsi. 37
Liquorum coagulatio per sal mirabile Glauberi 92
Lixivium sal plantarum. 146
Loricatio retortarum, aliorumque vitrorum. 92
Lumbricorum terrestrium spiritus s. aqua. 93
Lunæ amalgamatio. 93
calcinatio immersiva. 93
hydragogæ A. Salæ, s. crystallorum

lorum Lunæ præparatio. 94
tinctura. 45
cœrulca est à Venere. 96
Luna Musica. 96
Lutum sapientiæ ad rimas, & juncturas vitrorum pro spiritibus acidis. 96

M.

Macis oleum. 97
tinctura, s. essentia. 97
Magnes arsenicalis. 58
Magneticum emplastrum Hofmanni. 59
Malorum dulcium succus ut paretur. 67
Martis adstringens specificum. 102
aperiens specificum. 101
calcis reverberatio. 98
crocus adstringens. 99
aperitivus 254. seq. 101
in pilulas formatus. 101
essentia. 103
flores. 104
ex hæmatite, & sale ammoniaco, hincque paranda tinctura Martis volatilis & adstringens, & crocus. 102
potabilis præparatio. 105
regulus. 104
solutio. 98
tinctura. 102. 227
adstringens. 87. 103
265. seq.
aperiens. 87. 103
simplicissima 103
volatilis. 87
vitriolum, s. sal. 220
Mayerni pilulæ cephalicæ. 146
Menstruum universale. Vid. alcahest.
Menthæ oleum & aqua. 106
Mercuriale laudanum Paracelsi. 119
Mercurialis aqua Rulandi. 120
Mercurii calcinatio immersiva, s. solutio & præcipitatio. 106
calcium reverberatio. 111
cinnabaris sublimatio. 122
coagulatio per vaporem Saturni. 114
fixatio. 112
cum Sole & Luna. 133
oleum. 110
revivificatio. 120
Mercurius corallatus. 121
dulcis. 114
diaphoreticus. 118
laxus Paracelsi. 75
præcipitatus albus. 108
aureus, s. Solaris. 119
diaphoreticus & purgans Paracelsi. 117
ruber. 107. 109
viridis. 108
sublimatus corrosivus. 121
Mercurius Veneris vegetabilis, s. extractio ceparum. 66
Mercurius vitæ. 48
cicuratus. 49
correctus. 49
Metallorum amalgamatio. 123
cementatio. 124
crocus Rulandi. 29
resolutio in sale tartari. 122
Millepedum ad calculum & urinæ difficultatem præparatio. 126
Mineralis panacea. 125
Mumiæ præparatio. 127
Musica Luna. 56

N.

Narcoticum sulphur vitrioli, s. balsamus narcoticus. 221
Nephritica aqua Michaëlis. 64
Nervorum obstructionibus conveniens galbanetum. 82
Nitri alcalisatio, s. fixatio. 128

crystallisatio. 127
fixi liquor, s. alcahest Glauberi. 129
regeneratio. 134
spiritus. 130. seq.
bezoardicus. 53
dulcis. 16. 133
Glauberianus. 15
terra foliata. 130
Nitrum fulminans. 136
vitriolatum s. essentiale principale Kreuchneri est sal mirabile nitri. 132
s. sal Ducis Holsatiæ. 135

O.

Oculorum cancrorum præparatio. 136
Odontalgicum Rulandi. 136
Olea vegetabilium parandi modus. 137
Ophthalmicus pulvis. 138
Opiatum laudanum. 140
Helmontii. 143
Libavii. 141
Zwelferi. 142
Opii correctio. 138
extractum. 139
per fermentationem cum succo cydonior. præparatio. 143
tinctura. 139
Oxysaccharum emeticum. 33

P.

Panacea Anwaldina. 45
cinnabaris. 44
mineralis. 125
Paracelsi balsamum Samech. 197
circulatum majus. 211
minus. 23. 211
corrosivum minus. 75
diaphoreticum in peracutis ex vitriolo. 218
elixir propr. cum acido. 77
lilium. 37
Mercuriale laudanum. 119
oleum vitrioli verum. 216
præcipitatum diaphoreticum & purgans. 117
spiritus vitrioli verus. 216
Pestem præcavens potus. 13
Pestilentiales sulphuri debitæ pilulæ. 187
Pestilentialis balsamus sulphuris compositus. 186
Philomedica potio Kreuchneri, & Frondekii. 144
Pilulæ catholicæ. 145
cephalicæ Mayerni. 146
Francofurtenses. 17
hypochondriacæ. 145
Spadanæ. 166
trium diabolorum. 146
Pingvedinis humanæ oleum. 149
tenuius. 149
Plantæ. Vid. Vegetabilia.
Plantaginis succus ut fiat. 13
Plantarum incineratio, earumque sal lixivium & fixum. 146
sal essentiale. 148
minus rectè ad salia volatilia refertur. 148
Plumbi amalgamatio. 89
cum regulo antimonii induratio ut fiat. 36
præcipitatio. 89
Plumbum ustum. 167
Poculum vomitivum ex antimonii regulo. 34
Podagræ conveniens purgans specificum. 149
Poteri antihecticum. 36
Potio philomedica Kreuchneri & Frondeckii. 132

Præ-

Præcipitatum aureum, f. solare. 118
diaphoreticum, & purgans Paracelsi. 117
rubrum. 107. 109
Ptyalismum excitans Mercuriale liniment., & ungventum. 110
Purgans ex antimonio blandissimum & securissimum. 50
vinum Rulandi. 213

Q.

Quartanæ conveniens aqua. 149

R.

Realgaris præparatio pro externo medico usu. 58
Resinarum præparatio, & exhibendi methodus. 150
Retortarum, aliorumque vitrorum loricatio. 92
Ribesiorum succus ut paretur. 67
Rosarum aqua. 152
spiritus & oleum. 151
spiritus. 51
tinctura. 152
Rulandi aqua aurea (spiritus) vitæ. 56
Mercurialis. 120
balsamus suphuris. 186
crocus metallorum, f. terra sancta. 29
emplastrum de sulphure. 188
odontalgicum. 136
pulvis laxativus de senna 172

S.

Salamandræ cruor est spiritus nitri, sangvinis instar rubicundus. 132
Sal Ducis Holsatiæ. 135
essentiale plantarum. 148
febrifugum Sylvii. 21
fixum & lixivium plantarum. 146
mirabile Glauberi. 16. 137
polychrestum Parisiensium. 153
volat. aromaticum & oleosum. 161
in formâ sicca. 160
salis ammoniaci fixatum 22
Salia volatilia ut fætore liberentur. 73
Salis ammoniaci flores per se. 21
regeneratio. 22
spiritus. 18
communis decrepitatio, ustio, calcinatio, desiccatio. 155
regeneratio. 159
spiritus augmentatio. 156
dulcis. 16. 156
volatilis. 157
Salivatio. Vide Ptyalismus.
Salium crystallisatio. 154
fixatorum volatilisatio. 153
volatilium fixatio. 154
merè alcalium præparatio & rectificatio. 159
Samech balsamum Paracelsi. 197
Sangvinis humani sal volatile, & phlegma. 165
spiritus ad mentem Helmontii. 164
communi modo. 164
terra, & sal fixum. 166
Sapa antimonii. 25
Sapientiæ lutum. 96
Sarmentorum incineratio. 167
Saturni amalgamatio. 89. 123
calcinatio, & incineratio. 167
& Veneris cementatio. 210
oleum. 171
per regulum antimonii induratio. 35
præcipitatio. 89
saccari, salis, f. magisterii con-

confectio. 168
Balsamus. 169
Marte nobilitatus. 171
cryſtalli. 184
ſtratificatio. 167
Satyrii eſſentia ad impotentiam. 172
Scabiem fugans ungventum. 169
fugat ſolutio ſcoriarum reguli antimonii. 36
Scammonii fumigatio, ſ. ſulphuratio. 163
præparatio facillima. 163
Scrophulas emolliens linimentum. 179
Secalini panis collyrium ad incipientes cataractas. 69. 144
Sennæ pulvis laxativus Rulandi. 172
Sigillum Hermeticum. 173
Solis amalgamatio. 174
croci præparatio. 178
ex Luna productio. 177
fulminantis præparatio. 175
Muſici præparatio. 176
præcipitatio, ſ. calcinatio immerſiva. 174
tincturæ conveniens menſtruum. 178
tinctura, ſ. aurum potabile. 179
Spadana aqua 121
Spadanæ pilulæ. 166
Spiritus fermentans continuè cum aëre. 173
Spirituum acidorum dulcificatio. 16
præparatio. 15
vegetabilium præparatio. 137
Stomachica eſſentia. 79
Succini eſſentia. 179
oleum, eſſentia ſulphuris impregnatum. 182
ſal volatile, ſpiritus. 181
ſal volatile. 160
tinctura. 180
Helmontiana. 180
Succinum antimonii. 48
Sudoriferæ formulæ, bezoard. minerale recipientes. 52
Sulphuri debitæ pilulæ antipeſtilentiales. 187
Sulphuris antimonii balſamus. 40
balſamus, lac, & tinctura. 183
craſſus. 185
fœniculatus, aromaticus. 185
peſtilentialis compoſitus. 186
Rulandi. 187
Saturniſatus. 184
vulgaris. 116
flores. 182
lac, ſ. magiſterium. 185
ſpiritus compoſitus. 189
per deſtillationem. 189
ſ. oleum per campanam cum notis neceſſariis. 188
Sulphur narcoticum vitrioli. 222
Sylvii ſal febrifugum. 21

T.

Tacamahacæ oleum. 190
Tartari calcinatio, ſ. incineratio. 192
chryſtalliſatio. 190
cremor & chryſtalli. 190
& urinæ ſpiritus volatilis. 226
lixivium. 192
magiſterium, ſ. tartarus vitriolatus verus. 188
quinta eſſentia. 196
ſal fixum, ſ. alcali. 193
compoſitum 495. & extemporaneum. 194
ſalis aqua, ſ. menſtruum,

ex sale tartari destillatum. 195
oleum per deliquium. 193
reverberatio. 193
terra foliata. 196.
tinctura. 195
sal volatile ex fecibus vini. 203
triplici modo. 203
spiritus & oleum destillatum vulgari modo. 200
hydragogus. 202
tinctura. 195
Tartarus emeticus. 199
vitriolatus. 108
Terebinthinæ oleum rubrum. 69
spiritus & oleum. 204
Terra foliata tartari. 196
sancta Rulandi. 29
virgo. 158
Theriacalis aqua. 205
camphorata. 205
Tiliæ florum spiritus & aqua. 206
Tincturarum ex sulphureis & salinis volatilibus præparatio generalis. 206
Tingendi balsama modi. 61
Turbith minerale. 211

V. U.

Vegetab. Vid. Plant.
essentia. 160
spiritus olei parandi modi. 137
Veneris cementatio. 210
crocus. 209
crystalli. 208
& Saturni cementatio. 210
impotentiæ conveniens essentia satyrii. 172
præcipitatio. 208
spiritus. 209
antepilepticus Helvetii. 210
tinctura. 208
cærulea, s. Lazulina. 207
epileptica rubra. 227
Helvetii. 208
vitriolum. 208
Veneris Mercurius vegetabilis, s. extractio ceparum. 66
Vermium majalium tinctura in gonorrhæa. 83
Vigo quis. 107
Vini alcohol, & spiritus rectificatio. 211
destillatio. 211
fecum sal volatile. 203
spiritus coagulatio. 212
Vinum catharticum Rulandi. 213
Hippocraticum facillimum. 213
Viridis æris spiritus. 209
Vitæ aqua aurea Rulandi 56
elixir. 78
Vitrioli calcinatio communis. 214
diaphoretici in peracutis Paracelsi descriptio. 218
liquor. 215
panacea. 222
ros & phlegma. 215
oleum & spiritus. 216
sal vomitivum. 219
spiritus philosophicus. 50
phlegmaque sulphureum. 216
sulphur narcoticum. 212
s. primum ens Veneris. 219
terra dulcis, s. colcothar, s. bolus. 218
Vitriolum Martis. 220
Veneris. 108
Vitrorum ad rimas & juncturas pro spiritibus acidis spectans lutum sapientiæ dictum. 96

Ulceribus cacoethicis conveniens unguentum. 113
malignis conveniens tinctura calcis. 64
Vomitor. Vid. Emetica.
Urinæ ad difficultatem millepedes ut præparandi. 126
& tartari spiritus volatilis. 202
sal volatile. 225
spiritus. 224
cum spiritu tartari & nitri. 227

W.

Warwicke Comitis, s. Cornachini pulvis polychrestus. 71

Z.

Zwelferi alcahest. 209

FINIS.

